

105.
R
1727

4/7267

R IIe 547

Philol. R 1727

4-Ā A 7267

Be. 547.

M. FABII QVINTILIANI INSTITVTIONVM ORATORIARVM LIBRI XII.

Eiusdem Declamationum liber.

Omnia multò, quàm antea castigatius.



BIBLIOTH: ACADEM: DORPAT:

Jo. Joach. Neander C. H.

LVGDVNI APVD SEB. GRYPHIVM, 1536.

Hi[illegible]nekero 1669

Philol.

M. FABIVS QVINTILIA=
NVS TRYPHONI BI=
BLIOPOLAE SA=
LVTEM.

EFFLAGITASTI quotidiano conuicio, ut libros, quos ad Marcellum meum de institutione oratoria scripserã, iam emittere inciperem. Nam ipse eos nondum opinabar satis maturuisse, quibus compone. dis, ut scis, paulo plus: quàm biennium, tot alioqui negotijs districtus, impendi: Quod tempus non tam stylo, quàm inquisitioni instituti operis propè infiniti, & legendis autoribus, qui sunt innumerabiles, datum est. Vsus deinde Horatij consilio, qui in Arte Poëtica suadet, ne præcipitetur editio, nonumq; prematur in annum, dabam ijs otium, ut refrigerato inuentionis amore, diligentius repetitos tanquam lector perderem. Sed si tantopere efflagitantur, quàm tu affirmas, tamus uela uentis, & *oram soluentibus bene precemur. Multum autem in tua quoque fide ac diligentia positum est, ut in manus hominum quàm emendatissimi ueniant.

*ora

H. Schumacher.
1805.
Tölck den 10ten Januar
153437668

Be

M. FAB. QVIN
TILIANI IN ORATORIAE
institutionis librum primum, ad Marcellum
Victorium, procemium.

POST impetratam studijs meis quietem, quæ per uiginti annos erudiendis iuuenibus impenderam: cum à me quidam familiariter postularent, ut aliquid de ratione dicẽdi componerem, diu sum equidem reluctatus: quòd autores utriusque linguæ clarissimos nõ ignorabam multa, quæ ad hoc opus pertinerent, diligentissime scripta posteris reliquisse. Sed qua ego ex causa faciliorem mihi ueniam meæ deliberationis arbitrabar fore, hac accendebantur illi magis, quòd [illegible] diuersas opiniones priorum, & quasdam etiam inter se contrarias, difficilis esset electio: ut mihi si nõ inueniendi noua, certe iudicandi de ueteribus, iniungere laborem non iniuste [illegible]rẽtur. Quamuis autem nõ tam me uinceret præstandi quod exigebatur fiducia, quàm negandi uerecundia: latius se tamen aperiente materia, plus quàm imponebatur oneris, sponte suscepi: simul ut pleniori obsequio demererer amãtissimos mei: simul ne uulgarem uiam ingressus, alienis demum uestigijs insisterem. Nam cæteri ferè, qui artem orandi literis tradiderunt, ita sunt exorsi, quasi perfectis omni alio genere doctrinæ, summam eloquentiæ manum imponerent: siue cõtemnentes tanquam parua, quæ prius discimus studia, siue non ad suum pertinere officium opinati quando *diuisæ professionũ uices essent: seu, quod proximum uero, nullam ingenij sperãtes gratiam circa res, etiamsi necessarias, procul tamen ab ostentatione positas: ut operum [illegible]stigia spectantur, latent fundamenta. Ego cum nihil existimem

*diuersæ

arti oratoriæ alienum, sine quo fieri non posse Oratorem fatendum est: nec ad ullius rei summam, nisi præcedentibus initijs peruenire: ad minora illa, sed quæ si negligas, non sit maioribus locus, demittere me non recusabo: nec aliter, quàm si mihi tradatur educadus Orator, studia eius formare ab infantia incipiam. Quod opus Marcelle Victori tibi dicamus: quem cum amicissimum nobis, tum eximio literarum amore flagrantem, non propter hæc modò (quanquam sunt magna) dignissimũ hoc mutuæ inter nos charitatis pignore iudicabamus: sed quod erudiendo nato tuo, cuius prima ætas manifestum iter ad ingenij lumen ostendit, non inutiles fore libri uidebantur: quos ab ipsis discendi uelut incunabulis, per omnes, quæ modo aliquid Oratori futuro conferant, artes, ad summam eius operis perducere destinabamus. Atq; eò magis, quòd duo iam sub nomine meo libri ferebantur artis Rhetoricæ, neq; editi à me, neq; in hoc comparati. Nanq; alterum sermone per biduum habito, pueri, quibus id præstabatur, exceperant: Alterum pluribus sanè diebus, quantum notando consequi potuerant, interceptũ, boni iuuenes, sed nimium amantes mei, temerario editionis honore uulgauerant. Quare in his quoq; libris erunt eadem aliqua, multa mutata, plurima adiecta, omnia uero cõpositiora, &, quàm nos poterimus, elaborata. Oratorem autem instituimus illum perfectũ: qui esse nisi uir bonus non potest. Ideoq; non dicendi modò eximiam in eo facultatẽ, sed omnes animi uirtutes exigimus. Neq; enim hoc concesserim, rationem rectæ, honestæq; uitæ, ut quidam putauerunt, ad philosophos relegandam: cum uir ille uere ciuilis, & publicarum, priuatarumq; rerum administrationi accommodatus, qui regere consilijs urbes, fundare legibus, emendare iudicijs possit, non alius sit profecto, quàm orator. Quare tametsi me fateor usurum quibusdam, quæ philosophorum libris continentur: tamen ea iure, uereq; contenderim esse operis nostri, proprieq; ad artem oratoriam pertinere. An si frequentissime de iusti

de iustitia, fortitudine, temperantia, cæterisq; similibus sit disserendum, & adeò, ut uix ulla possit causa reperiri, in quam non aliqua quæstio ex his incidat, eaq; omnia inuentione, atq; elocutione sint explicanda, dubitabitur ubicunque uis ingenij, & copia dicendi postulatur, ibi partes oratoris esse præcipuas? Fueruntq; hæc, ut Cicero apertissime colligit, quemadmodum iuncta natura, sic officio quoq; copulata, ut ijdem sapiẽtes, atq; eloquentes haberentur. Scidit deinde se studium, atque inertia factum est, ut artes esse plures uiderentur. Nam ut primum lingua esse cœpit in quæstu, institutumq; eloquentiæ bonis male uti: curam morum, qui diserti habebantur, reliquerunt: Ea uero destituta, infirmioribus ingenijs uelut prædæ fuit. Inde quidam contempto bene dicendi labore, ad formandos animos, statuendasq; uitæ leges regressi, partem quidem potiorem, si diuidi posset, retinuerunt: nomen tamen sibi insolentissimum arrogauerunt, ut soli sapientiæ studiosi uocarentur. Quod neq; summi Imperatores, neq; in consilijs rerum maximarum, ac totius administratione Reipub. præclarissimè uersati, sibi unquam uendicare sunt ausi. Facere enim optima, quàm promittere maluerunt. Ac ueterum quidem sapientiæ professorum multos & honesta præcepisse, &, ut præceperunt, etiam uixisse, facile cõcesserim: nostris uero temporibus sub hoc nomine maxima in plerisq; uitia latuerunt. Non enim uirtute, ac studijs, ut haberentur philosophi, laborabant: sed uultum, & tristitiam, & dissentientem à cæteris habitum pessimis moribus prætendebant. Nunc autem, quæ uelut propria philosophiæ asseruntur, passim tractamus omnes. Quis enim modo de iusto, æquo, ac bono, non & uir pessimus loquitur? Quis non etiam rusticorum aliqua de causis naturalibus quærit? Nam uerborũ proprietas, ac differentia omnibus, qui sermonem curæ habent, debet esse communis. Sed ea & sciet optime, & eloquetur Orator: qui si fuisset aliquando perfectus, non à philosophorum scholis uirtutis præ-

Lib. 3. de Oratore.

cepta peterentur. Nunc necesse est ad eos aliquando autor s recurrere, qui desertam, ut dixi, partem oratoriæ artis, meliorem præsertim, occupauerunt, & uelut nostrum reposcere: non ut nos illorum utamur inuentis, sed ut illos alienis usos esse doceamus. Sit igitur Orator uir talis, qualis uere sapiens appellari possit: nec moribus modò perfectus (nam id mea quidem opinione, quanquam sint qui dissentiant, satis non est) sed etiam scientia, & omni facultate dicendi: qualis adhuc fortasse nemo fuerit. Sed non ideo minus nobis ad summam tendendum est: quod fecerunt pleriq; ueterum: qui etsi nondum quenquam sapientem repertum putabant, præcepta tamẽ sapientiæ tradiderunt. Nam est certe aliquid consummata eloquentia, neq; ad eam peruenire natura humani ingenij prohibet: quod si non contingat: altius tamen ibunt, qui ad summa nitentur, quàm qui præsumpta desperatione quò uelint euadendi, protinus circa ima substiterint. Quo magis impetranda uenia erit, si ne minora quidẽ illa, uerum operi, quod instituimus, necessaria præteribo. Nam liber primus ea, quæ sunt ante officium rhetoris, continebit. Secundo, prima apud rhetorem elementa, & quæ de ipsa rhetoricæ substantia quæruntur, tractabimus. Quinq; deinceps inuentioni: nam & huic dispositio subiungitur. Quatuor elocutioni, in cuius partem memoria, ac pronunciatio ueniunt, dabuntur. Vnus accedet, in quo nobis orator ipse informandus est: ut qui mores eius, quæ in suscipiendis, discendis, agendis causis ratio, quod eloquentiæ genus, quis agendi debeat esse finis, quæ post finem studia, quantum nostra ualebit infirmitas, disseremus. s omnibus admiscebitur, ut quisq; locus postulabit, dicendi ratio: quæ non eorum modò scientia, quibus solis quidam nomen artis dederunt, studiosos instruat, & (ut sic dixerim) ius ipsum rhetorices interpretetur, sed alere facundiam, uires augere eloquentiæ possit. Nam plerunq; nudæ illæ artes, nimiæ subtilitatis affectatione frangunt, atq; concidunt quicquid est in oratione generosius, & omnem succum ingenij bibunt, & ossa detegunt: quæ ut esse, & astringi neruis suis debent, sic corpore operienda sunt. Ideoq; nos non particulam illam, sicut pleriq;, sed quicquid utile ad instituendum oratorem putabamus, in hos XII. libros cõtulimus, breuiter omnia demõstrando. Nam si quantum de quaq; re dici potest, prosequamur, finis operis nõ reperietur. Illud tamen in primis testandũ est, nihil præcepta, atq; artes ualere, nisi adiuuãte natura. Quapropter ei, cui deerit ingenium, non magis hæc scripta sunt, quàm de agrorũ cultu sterilibus terris. Sunt & alia ingenita quædam, quæ adiuuant, uox, latus patiens laboris, ualetudo, constantia, decor: quæ si modica obtigerunt, possunt ratione ampliari. Sed nonnunquam ita desunt, ut bona etiam ingenij, studijq; corrumpant. Sicut & hæc ipsa sine doctore perito, studio pertinaci, scribendi, legendi, dicẽdi, multa & continua exercitatione, per se nihil prosunt.

Operis diuisio.

Quam spem de filio recens nato præcipiat pater, & à quali nutrice, & inter quos collactaneos educandum curet. CAP. I.

IGITVR nato filio, pater spem de illo primum quàm optimam capiat: ita diligentior à principijs fiet. Falsa enim est querela, paucissimis hominibus uim percipiendi, quæ tradantur esse concessam, plerosq; uero laborem, ac tempora tarditate ingenij perdere. Nam contrà, plures reperias & faciles in excogitando, & ad discendum promptos. Quippe id homini naturale. Ac sicut aues ad uolatum, equi ad cursum, ad sæuitiam feræ gignuntur: ita nobis propria est mentis agitatio, atq; solertia: unde origo animi cœlestis creditur. Hebetes uero, & indociles, non magis secundum naturam hominis edu ntur, quàm prodigiosa corpora, & mõstris insignia. Sed hi pauci admodum: fuerit argumentum, quòd in pueris elucet spes plurimorum: quæ cum emoritur ætate, manifestum est non naturam

defeciſſe,ſed curam. Præſtat tamen ingenio alius alium,concedo: ſed ut plus efficiat aut minus: Nemo tamen reperitur,qui ſit ſtudio nihil conſecutus. Hoc qui peruiderit, protinus ut erit parens factus, acrem quammaxime curam ſpei futuri Oratoris impendat. Ante omnia ne ſit uitioſus ſermo nutricibus, quas, ſi
Nutrices. fieri poſſet, ſapientes Chryſippus optauit: certe quantum res pateretur, optimas eligi uoluit. Et morum quidem in his haud dubie prior ratio eſt,recte tamen etiam loquantur. Has primum audiet puer,harum uerba effingere imitando conabitur. Et natura tenaciſſimi ſumus eorum,quæ rudibus annis percipimus: ut ſapor,quo noua imbuas,durat:nec lanarum colores, quibus ſimplex ille candor mutatus eſt,elui poſſunt. Et hæc ipſa magis pertinaciter hærent, quæ deteriora ſunt. Nam bona facile mutantur in peius:nunc quando in bonum uerteris uitia? Non aſſueſcat ergo, ne dum infans quidem eſt, ſermoni, qui dediſcendus
Parentes. ſit. In parentibus uero quamplurimum eſſe eruditionis optauerim. Verum nec de patribus tantum loquor: Nam Gracchorum eloquentiæ multum contuliſſe accepimus Corneliam matrem: cuius doctiſſimus ſermo in poſteros quoq; eſt epiſtolis traditus. Et Lælij filia reddidiſſe in loquendo paternam eloquentiam dicitur. Et Q. Hortenſij filiæ oratio apud Triumuiros habita legitur,non tantum in ſexus honorem. Nec tamen ij, quibus diſcere ipſis non contigit, minorem curam docendi liberos habeant:ſed ſint propter hoc ipſum ad cætera magis diligentes.
Pueri. De pueris,inter quos educabitur ille huic ſpei deſtinatus, idem, quod de nutricibus,dictum ſit.

Quales præceptores ac pædagogi eſſe debeant: & à quo ſermone, & qua ætate auſpicandum ſit. CAP. II.

Pædagogi. DE pædagogis hoc amplius,ut aut ſint eruditi planè,quam primam eſſe curam uelim: aut ſe non eſſe eruditos ſciant. Nihil enim peius eſt ijs,qui paulum aliquid ultra primas literas progreſſi

progreſſi,falſam ſibi ſcientiæ perſuaſionem induerunt. Nam & cedere præcipiendi peritis indignantur, & uelut iure quodam poteſtatis, quo ferè hoc hominum genus intumeſcit, imperioſi, atque interim ſæuientes ſtultitiam ſuam perdocent. Nec minus error eorum nocet moribus. Siquidem Leonides Alexan- Leonides.
dri pædagogus, ut à Babylonio Diogene traditur, quibuſdam eum uitijs imbuit,quæ robuſtũ quoq;,& iam maximum regem ab illa inſtitutione puerili ſunt perſecuta. Si cui multa uideor exigere, cogitet Oratorem inſtitui, rem arduam, etiam cum ei formando nihil defuerit, præterea plura, ac difficiliora ſupereſſe. Nam & ſtudio perpetuo, & præſtantiſſimis præceptoribus,& pluribus diſciplinis opus eſt. Quapropter præcipienda ſunt optima: quæ ſi quis grauabitur, non rationi defuerit, ſed * homini. Si tamen non continget,quales maxime uelim ha- *oneri
bere nutrices,pueros,pædagogos:at unus certe ſit aſſiduus, dicendi non imperitus: Qui,ſi qua erunt ab his præſente alumno dicta uitioſe, corrigat protinus, nec inſidere illi ſinat: dum tamen intelligatur,id,quod prius dixi,bonum eſſe:hoc,remedium. A' ſermone Græco puerũ incipere malo:quia Latinus,qui plu- A' Græcis ſ
ribus in uſu eſt,uel nobis nolentibus ſe præbet:ſimul quia diſci- ſpicia ſume
plinis quoq; Græcis prius inſtituendus eſt,unde & noſtræ fluxerunt. Nõ tamen hoc adeò ſuperſtitioſe uelim fieri, ut diu tantum loquatur Græcè, aut diſcat, ſicut pleriſq; moris eſt. Hinc enim accidunt & oris plurima uitia in peregrinum ſonum corrupti,& ſermonis,cui cum Græcæ figuræ aſſidua conſuetudine hæſerint,in diuerſa quoq; loquendi ratione pertinaciſſime durant. Non longe itaq; Latina ſubſequi debent, & cito pariter ire. Ita fiet,ut cum æquali cura linguam utranq; tueri cœperimus,neutra alteri officiat. Quidam literis inſtituendos, qui minores ſeptem annis eſſent,non putauerunt,quòd illa primum ætas & intellectum diſciplinarum capere,& laborem pati non poſſit. In qua ſententia Heſiodum eſſe plurimi tradũt, qui ante

grammaticum Aristophanem fuerunt. Nam is primus ὑποθήκας, in quo libro scriptum hoc inuenitur, negauit esse huius poëtæ. Sed alij quoq; autores, inter quos Eratosthenes, idem præceperunt. Melius autem, qui nullum tempus uacare cura uolunt ut Chrysippus: nam is, quamuis nutricibus triennium dederit, tamen ab illis quoque iam informandam quàmoptimis institutis mentem infantium iudicat. Cur autem non pertineat ad literas ætas, quæ ad mores iam pertinet? Neq; ignoro toto illo, de quo loquor, tempore uix tantum effici, quantum conferre unus postea poßit annus. Sed tamen mihi, qui hoc senserunt, uidentur nõ tam discentibus in hac parte, quàm docentibus pepercisse. Quid melius alioqui facient, ex quo loqui poterunt? Faciant enim aliquid necesse est. Aut cur hoc, quantulumcunq; est usque ad septem annos, lucrum fastidiamus? Nam certe quamlibet parum sit, quod contulerit ætas prior, maiora tamen aliqua discet puer eo ipso anno, quo minora didicisset. Hoc per singulos annos prorogatum, in summam proficit: & quantum in infantia præsumptum est temporis, adolescentiæ acquiritur. Idem etiam de sequentibus annis præceptum sit: ne, quod cuique discendum est, serò discere incipiat. Non ergo perdamus primum statim tempus, atq; eò minus, quòd initia literarũ sola memoria constant: quæ non modo iam est in paruis, sed tum etiam tenacißima est. Nec sum adeò ætatum imprudens, ut instandum teneris protinus acerbe putem, exigendamq; * plenam operam. Nam id in primis cauere oportebit, ne studia, qui amare nondum potest, oderit: & amaritudinem semel perceptam etiam ultra rudes annos reformidet. Lusus hic sit: etiam rogetur, & laudetur, & * nonnunquàm scisse se gaudeat. Aliquando ipso nolente doceatur alius, cui inuideat: contendat interim, & sæpius uincere se putet: præmijs eti[illegible], quæ * capit illa ætas, euocetur. Parua docemus, instituendum oratorem profeßi: sed est su[illegible] etiam studijs infantia: &, ut corporum mox etiam fortißimo[illegible]

*planè

unquã nõ
sse
upit: uel,
us capitur

rum

rum educatio à lacte, cunisq; initium ducit, ita futurus eloquentißimus edidit aliquando uagitum, & loqui primum incerta uo[illegible] tentauit, & hæsit circa formas literarum. Nec si quid disce[illegible] satis non est, ideo necesse non est. Quòd si nemo repre[illegible]ndit patrem, qui hæc non negligenda in suo filio putet: cur improbetur, si quis ea, quæ domi suæ recte faceret, in publicum promit? Atque eò magis, quòd minora etiam facilius minores percipiunt: &, ut corpora ad quosdam membrorum flexus formari nisi tenera non poßunt, sic animos quoque ad pleraque duriores robur ipsum facit. An Philippus Macedonum rex Alexandro filio suo prima literarum elementa tradi ab Aristotele summo eius ætatis philosopho uoluisset, aut ille suscepisset hoc officium, si non studiorum initia, à perfectißimo quoque tractari, pertinere ad summam credidisset? Fingamus igitur Alexandrum dari nobis, impositum gremio, dignum tanta cura infantem (quanquàm suus cuique dignus est) pudeat ne me in ipsis statim elementis etiam breuia docendi monstrare compendia? Neque enim mihi illud saltem placet, quod fieri in plurimis uideo: ut literarum nomina, & cõtextum prius, quàm formas paruuli discant. Obstat hoc agnitioni earum, non intendentibus mox animum ad ipsos ductus, dum an[illegible]dentem memoriam sequuntur: quæ causa est præcipientibus, ut etiam, cum satis affixisse eas pueris recto illo, quo primum scribi solent, contextu uidentur, retroagant rursus, & uaria permutatione perturbent, donec literas, qui instituuntur, facie norint, non ordine. Quapropter optime, sicut hominum, pariter & habitus, & nomina, edocebuntur. Sed quod in literis obest, in syllabis non nocebit. Non excludo autem id, quod est notum, irritandæ ad discendum infantiæ gratia eburneas etiam literarum formas in lusum offer[illegible] uel si quid aliud, quo ma[illegible]s illa ætas gaudeat, inueniri potest: quod tractare, intueri, no[illegible]nare, iucundum sit. Cum uero iam ductus sequi cœperit, non

inuti

inutile erit, eas tabellæ quamoptime insculpi, ut per illos uelut sulcos ducatur stylus. Nam neq; errabit quemadmodum in ceris (continebitur enim utrinq; marginibus) neq; extra præscriptum poterit egredi, & celerius, ac sæpius sequendo certa uestigia, firmabit articulos, neq; egebit adiutorio, manum suam manu superimposita regentis. Non est aliena res, quæ ferè ab honestis negligi solet, cura bene, ac uelociter scribendi. Nam cum sit in studijs præcipuum, quoq; solo uerus ille profectus, & altis radicibus nixus paretur, scribere ipsum, tardior stylus cogitationem moratur: rudis & confusus intellectu caret: unde sequitur alter dictandi, quæ ex his transferenda sunt, labor. Quare cum semper, & ubiq;, tum præcipue in epistolis secretis, & familiaribus delectabit, ne hoc quidem neglectum reliquisse. Syllabis nullum compendiũ est, perdiscẽdæ omnes: nec, ut fit plerunq;, difficilima quæq; earum differenda, ut in nominibus scribendis deprehendantur. Quinimò ne primæ quidẽ memoriæ temere credendum: repetere, & diu inculcare fuerit utilius: & in lectione quoq; non properare ad continuandã eam, uel accelerandam: nisi cum inoffensa, atq; indubitata literarum inter se coniunctio, suppeditare sine ulla cogitandi saltem mora poterit: tunc ipsis syllabis uerba complecti, & his sermonem connectere incipiat. Incredibile est quantum moræ lectioni festinatione adijciatur. Hinc enim accidit dubitatio, intermissio, repetitio, plus quàm possunt audentibus: deinde cum errarunt, etiam ijs, quæ iam sciunt, diffidentibus. Certa sit ergo in primis lectio, deinde coniuncta, & diu lentior: donec exercitatione contingat emendata uelocitas. Nam prospicere in dextrum (quod omnes præcipiunt) & prouidere, non rationis modò, sed usus quoque est: quoniam sequentia intuenti priora dicenda sunt: & quod difficilimum est, diuidenda intentio animi, ut aliud uoce, aliud oculis agatur. Illud non pœnitebit curasse, cum scribere nomina puer (quemadmodum moris est) cœperit, ne hanc

Bene scribẽdi studium.

Festinatio morã affert.

operam

operam in uocabulis uulgaribus, & forte occurrentibus, ponat: protinus enim potest interpretationem linguæ secretioris, id est, quas Græci γλώσσας uocant, dum aliud agitur, edisce re: & inter prima elementa consequi rem postea proprium tempus desideraturam. Et quoniam adhuc circa res tenues moramur: ij quoq; uersus, qui ad imitationem scribendi proponentur, non otiosas uelim sententias habeant: sed honestum aliquid monentes. Prosequitur hæc memoria in senectutem, & impressa animo rudi usque ad mores proficiet. Etiam dicta clarorum uirorum, & electos ex poëtis maxime (nanq; eorum paruis cognitio gratior est) locos edisce re inter lusum licet. Nam & maxime necessaria est oratori (sicut suo loco dicam) memoria: & ea præcipue firmatur, atque alitur exercitatione: & in his, de quibus nunc loquimur, ætatibus: quæ nihil dum ipsæ ex se generare queunt, propè sola est, quæ iuuare curam docentium possit. Non alienum fuerit exigere ab his ætatibus, quo sit absolutius os, & expressior sermo: ut nomina quædam, uersusq; affectatæ difficultatis ex pluribus asperrime coëuntibus inter se syllabis catenatos, & ueluti cõfragosos quàmcitatissime uoluãt: χαλεπτωὶ Græcè uocantur. res modica dictu: qua tamen omissa, multa linguæ uitia, nisi primis eximuntur annis, inemendabili in posterum prauitate durentur.

Memoria.

Vtrum utilius domi, an in scholis erudiantur. CAP. III.

SEd nobis iam paulatim accrescere puer, & exire de gremio, ac discere serio incipiat. Hoc igitur potissimum loco tractanda quæstio est, Vtilius ne sit domi, atque intra priuatos parietes studentem continere: an frequentiæ scholarum, & uelut publicis præceptoribus tradere. Quod quidem cum ijs, à quibus clarissimarum ciuitatum mores sunt instituti, tum eminentissimis autoribus uideo placuisse. Non est tamen dissimulandum, esse nonnullos, qui ab hoc propè publico more priuata

qua

quadam persuasione dissentiant. Hi duas præcipue rationes sequi uidentur: unam, quòd moribus magis consulant, fugiendæ turbam hominum eius ætatis, quæ sit ad uitia maxime prona: unde causas turpium factorum sæpius extitisse utinam falsò iactaretur: Alteram, quòd quisquis futurus est ille præceptor, liberalius tempora sua impensurus uni uidetur, quàm si eadem in plures partiatur. Prior causa prorsus grauis. Nam si studijs quidem scholas prodesse, moribus autem nocere constaret, potior mihi ratio uiuendi honeste, quàm uel optime dicendi uideretur. Sed mea quidem sententia, iuncta ista, atque indiscreta sunt. Neque enim esse oratorem, nisi bonum uirum, iudico: & fieri, etiam si posset, nolo. De hac re igitur prius. Corrumpi mores in scholis putant: nam & corrumpuntur interim, sed domi quoque: & sunt multa eius rei exempla, tam læsæ hercle, quàm conseruatæ sanctissimæ utrobique opinionis. *tantum Natura cuiusque *tamen, curaq; distat. Da mentem ad peiora facilem, da negligentiam formandi, custodiendiq; in ætate prima pudoris, non minorem flagitijs occasionem secreta præbuerint. Nam & esse potest turpis domesticus ille præceptor: nec tutior inter seruos malos, quàm ingenuos parum modestos cõuersatio est. At si bona ipsius indoles, si non cæca, ac sopita parentum socordia est, & præceptorem eligere sanctissimum quenque, cuius rei præcipua prudentibus cura est, & disciplinam, quæ maxime seuera fuerit, licet, & nihilominus amicum grauem uirum, aut fidelem libertum lateri filij sui adiungere: cuius assiduus comitatus etiam illos meliores faciet, qui timebantur. Facile erat huius metus remedium. Vtinam liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus. Infantiam statim Indulgẽtia. delicijs soluimus. Mollis illa educatio, quam indulgentiam uocamus, neruos omnes & mentis, & corporis frangit. Quid non adultus concupiscet, qui in purpuris repit? Nondum prima *coquum uerba exprimit, & iam * coccum intelligit, iam conchylium poscit

Bene scribẽdi studium.

Festinatio nocet affert.

poscit. Antè palatum eorum, * quàm os instituimus. In lectis crescunt, si terram attigerint, è manibus utrinque sustinentium pendent. Gaudemus si quid licentius dixerint. Verba ne Alexandrinis quidem permittenda delicijs, risu, & osculo excipimus. Nec mirum: nos docuimus: ex nobis audierunt: nostras amicas, nostros concubinos uident. Omne conuiuium obscœnis canticis strepit, pudenda dictu spectantur. Fit ex his consuetudo, deinde natura: discunt hæc miseri antè, quàm sciant uitia esse. Inde soluti, ac fluentes non accipiunt è scholis mala ista, sed in scholas afferunt. Verum in studijs magis uacabit unus uni. Ante omnia nihil prohibet esse istum, nescio quem, unum etiam cum eo, qui in scholis eruditur. Sed etiam si iungi utrunque non posset: lumen tamen illud conuentus honestissimi, tenebris, ac solitudini prætulissem. Nam optimus quisque præceptor frequentia gaudet, ac maiore se theatro dignum putat. At ferè minores ex conscientia suæ infirmitatis hærere singulis, & officio fungi quodammodo pædagogorum non indignantur. Sed præstet alicui uel gratia, uel amicitia, uel pecunia, ut doctissimum, atque incomparabilem magistrum domi habeat: num tamen ille totum in uno diem consumpturus est? Aut potest esse ulla tam perpetua discentis intentio, quæ nõ ut uisus oculorum obtutu continuo fatigetur? cum præsertim multo plus secreti temporis studia desiderent. Neq; enim ediscenti, scribenti, & cogitanti præceptor assistit, quorum aliquid agentibus cuiuscunq; interuentus impedimento est. Lectio quoque non omnis, nec semper præcunte, uel interpretante eget: quando enim tot autorum notitia contingeret? Ergo modicum tempus est, quo in totum diem uelut opus ordinetur. Ideoq; per plures ire possunt, etiam quæ singulis tradenda sunt. Pleraque uero hanc conditionem habent, ut eadem uoce ad omnes simul perferantur. Taceo de partitionibus, & declamationibus rhetorum: quibus certe quantuscunq; numerus adhibeatur, tamen unusquisq; totum

*quàm mores inst.

totum feret. Non enim uox illa præceptoris, ut cœna, minus ribus sufficit: sed ut sol, uniuersis idem lucis, caloriſq; lar tur. Grammaticus quoque si de ratione loquendi disserat, q stiones explicet, historias exponat, poëmata enarret: tot illa scent, quot audient. At enim emendationi, prælectioniq; nume rus obstat. Sit incommodum (nam quid ferè undique placet?) mox illud comparabimus commodis. Nec ego tamen eò mitti puerum uolo, ubi negligatur. Sed neque præceptor bonus ma iore se turba, quàm ut sustinere eam possit, onerauerit: & in primis ea habenda cura est: ut is omnino fiat nobis familiariter amicus, nec officium in docendo spectet, sed affectum: ita nun quam erimus in turba. Nec sanè quisquàm literis saltem leui ter imbutus, eum in quo studium, ingeniumq; perspexerit, non in suam quoque gloriam peculiariter fouebit. Sed ut fugiendæ sint magnæ scholæ (cui ne ipse quidem rei assentior) si ad ali quem meritò concurritur: non tamen hoc eò ualet, ut fugiendæ sint omnino scholæ: aliud est enim uitare eas, aliud eligere refutauimus quæ contrà dicuntur, iam explicemus, quid quamur. Ante omnia, futurus orator, cui in maxima celebritate & in media * Repub. uiuendum est, assuescat iam à tenero no reformidare homines, neq; illa solitaria, & uelut umbratili pallescere. Excitanda mens, & attollenda semper est, quæ in iusmodi secretis, aut languescit, & quendam uelut in opaci tum ducit, aut contrà tumescit inani persuasione. Necess enim sibi nimium tribuat, qui se nemini comparat. Deinde, cum proferenda sunt studia, caligat in sole: & omnia noua offen dit, ut qui solus didicerit, quod inter multos faciendum Mitto amicitias, quæ ad senectutem usque firmissime durant, religiosa quadam necessitudine imbutæ. Neque enim est s ctus sacris ijsdem, quàm studijs initiari. Sensum ipsum, communis dicitur, ubi discet, cum se à congressu, qui non hominibus solum, sed mutis quoque animalibus naturalis est, segre

Bene scribẽdi studium.

*Reip. luce

estinatio norã affert.

garit? Adde quòd domi ea sola discere potest, quæ ipsi præ gitur: in schola, etiam quæ alijs. Audiet multa quotidie pro multa corrigi: proderit alicuius obiurgata desidia: proderit ta industria: excitabitur laude æmulatio: turpe ducet cede ri: pulchrum superasse maiores. Accendunt omnia hæc ani os: & licet ipsa uitium sit ambitio, frequẽter tamen causa uir tutum est. Non inutilem scio seruatũ esse à præceptoribus meis morem: qui, cum pueros in classes distribuerant, ordinem dicen di secundum uires dabant: & ita superiore loco quisq; declama bat, ut præcedere profectu uidebatur. Huius rei iudicia* præbe bantur, ea nobis ingens palmæ contentio: ducere uero classem, multo pulcherrimum. Nec de hoc semel decretum erat, triceſi mus dies reddebat uicto certaminis potestatem. Ita nec superior incessu curam remittebat: & dolor uictum ad depellendã igno niam cõcitabat. Id nobis acriores ad studia dicendi faces sub didisse, quàm exhortationes docentium, pædagogorum custo ta parentum, quantum animi mei coniectura colligere contenderim. Sed sicut firmiores in literis profectus alit matio: ita incipientibus, atq; adhuc teneris, condiscipulorũ, gm præceptoris iucũdior, hoc ipso quòd facilior, imitatio est. enim se prima elementa ad spem tollere effingendæ (quam summam putant) eloquẽtiæ audebunt: proxima amplectuntur us: ut uites arboribus applicitæ, inferiores prius apprehen o ramos in cacumina euadunt. Quod adeò uerum est, ut ipsius etiam magistri (si tamen ambitiosis utilia præferet) hoc opus sit, cum adhuc rudia tractabit ingenia, nõ statim onerare summitatem discentium, sed temperare uires suas, & ad intelle audientis descendere. Nã ut uascula oris angusti superfusam moris copiam respuunt, sensim autẽ influentibus, uel etiã in antibus complentur: sic animi puerorum quantum excipere possint, uidẽdum est. Nam maiora intellectu, uelut parũ * aptos ad percipiendum animos non subibunt. Vtile igitur est habere,

Ambitio uir tutis causa.

*probabãtur

*apertos

quos imitari primum, mox uincere uelis: ita paulatim & superiorum spes erit. His adijcio, præceptores ipsos nõ idem mẽtis, ac spiritus in dicendo posse concipere singulis tantum præsentibus, quod illa celebritate audientium instinctos. Maxima enim pars eloquentiæ constat animo, hunc affici, hunc concipere imagines rerum, & transformari quodam modo ad naturam eorũ, de quibus loquimur, necesse est. Is porrò, quo generosior, celsiorq; est, hoc maioribus uelut organis commouetur: ideoq; & laude crescit, & impetu augetur, & aliquid magnũ agere gaudet. Est quædam tacita dedignatio, uim dicendi tantis comparatam laboribus ad unum auditorem demittere: pudet supra modum sermones attollere. Et sanè concipiat quis mente, uel declamantis habitum, uel orantis uocem, incessum, pronunciationem, illum deniq; animi, & corporis motum, sudorem (ut alia præteream) & fatigationem, audiente uno: non ne quiddã pati furori simile uideatur? Non esset in rebus humanis eloquẽtia, si tantùm cum singulis loqueremur.

Qua ratione puerorum ingenia dignoscantur, & quomodo tractanda sint. CAP. IIII.

TRadito sibi puero, docendi peritus ingenium eius in primis, naturamq; perspiciat. Ingenij signum in paruis præcipuum, memoria est (Eius duplex uirtus, facile percipere, & fideliter continere.) Proximum imitatio. Nam id quoq; est docilis naturæ: sic tamen, ut ea, quæ discit, effingat, non habitum forte, & incessum, & si quid in peius notabile est. Non dabit mihi spem bonæ indolis, qui hoc imitandi studio petet, ut rideatur. Nam probus quoq; in primis erit ille uere ingeniosus: alioqui prius duxerim tardi esse ingenij, quàm mali. Probus autem ab illo segni, & iacente plurimum aberit. Hic meus, quæ tradentur, non difficulter accipiet: quædam etiam interrogabit: sequetur tamen magis, quàm præcurret. Illud ingeniorum uelut præcox genus, non temere unquam peruenit ad frugem.

Hi sunt

Hi sunt, qui parua facile faciunt: & audacia prouecti, quicquid illic posunt, statim ostendunt. posunt autem id demum, quod in proximo est, uerba continuant: hæc uultu interrito, nulla tardati uerecundia proferunt: Non multum præstant, sed citò: non subest uera uis, nec penitus immissis radicibus innititur: ut quæ summo solo sparsa sunt semina, celerius se effundunt, & imitatæ spicas herbulæ, inanibus aristis ante messem flauescunt. Placent hæc annis comparata: deinde stat profectus: admiratio decrescit. Hæc cum animaduerterit, perspiciat deinceps: quo [illegible]am modo tractandus sit discentis animus. Sunt quidam, nisi institeris, remissi: quidam imperia indignantur: quosdam continet metus, quosdam debilitat: alios continuatio extundit: in alijs plus impetus facit. Mihi ille detur puer, quem laus excitet, quem gloria iuuet, qui uictus fleat. Hic erit alendus ambitu: hunc mordebit obiurgatio: hunc honor excitabit: in hoc desidiam nunquam uerebor. Danda est tamen omnibus aliqua remissio: non solum, quia nulla res est, quæ perferre possit continuum laborem, atque ea quoque, quæ sensu, & anima carent, ut seruare uim suam possint, uelut quiete alterna retenduntur: sed quòd studium discendi, uoluntate, quæ cogi non potest, constat. Itaque & uirium plus afferunt ad discendum renouati, ac recentes, & acriorem animum, qui ferè necessitatibus repugnat. Nec me offenderit lusus in pueris: est & hoc signum alacritatis, neque illum tristem, semperq; demissum, sperare possim erectæ circa studia mentis fore, cum in hoc quoq; maxime naturali ætatibus illis impetu iaceat. Modus tamen sit remissionibus, ne aut odium studiorum faciant negatæ, aut ocij consuetudinem nimiæ. Sunt etiam nonnulli acuendis puerorum ingenijs non inutiles lusus, cum positis inuicem cuiusque generis quæstiunculis æmulantur. Mores quoque se inter ludendum simplicius detegunt, modò nulla uideatur ætas tam infirma, quæ non protinus quid rectum, prauumq; sit, discat:

tum uel maxime formanda, cum simulandi nescia est, & præcipientibus facile credit. Frangas enim citius, quàm corrigas, quæ in prauum induruerunt. Protinus ergo ne quid cupide, ne quid improbe, ne quid impotenter faciat, monendus est puer. Haben dumq; in animo semper illud Vergilianum,

Georg. 2. —Adeò in teneris consuescere multum est.

Cædi uero discipulos, quanquam & receptum sit, & Chrysippus non improbet, minime uelim. Primum, quia deforme, ac seruile est, & certè quod conuenit, si ætatẽ mutes, iniuria. Deinde, quòd si cui est mens tam illiberalis, ut obiurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas, ut peßima quæq; mãcipia, durabitur. Postremo, quòd ne opus erit quidem hac castigatione, si aßiduus studiorum exactor aßiterit. Nunc ferè negligentia pædagogorum sic emendari uidentur, non ut pueri facere quæ recta sunt cogantur: sed cur non fecerint, puniantur. Deniq; cum paruulum uerberibus coëgeris, quid iuueni facias, cui nec adhiberi potest hic metus, & maiora discenda sunt? Adde quòd multa uapulantibus dictu deformia, & mox uerecundiæ futura, sæpe do-
accidunt lore, uel metu exciderunt: qui pudor refringit animũ, & abijcit, atq; ipsius lucis fugam, & tædium dictat. Iam si minor in deligendis custodum, & præceptorum moribus fuit cura: pudet dicere, in quæ probra nefãndi homines isto cædendi iure abutantur, quam det alijs quoq; nonnunquam occasionem hic miserorum metus. Non morabor in parte hac: nimium est, quod intelligitur. Quare hoc dixisse satis est, In ætatem infirmam, & iniuriæ obnoxiam, nemini debet nimium licere. Nunc quibus instituendus sit artibus, qui sic formabitur, ut fieri poßit Orator, & quæ in quaq; ætate inchoanda, dicere ingrediar.

De Grammatica. CAP. V.

PRimus, in eo qui legendi, scribendiq; adeptus erit facultatem, grãmaticis est locus: nec refert de Græco, an de Latino loquar, quanquã Græcum esse priorem placet: Vtriq; eadẽ uia est

uia est. Hæc igitur professio, cum breuißime in duas partes diuidatur, recte loquendi scientiam, & poëtarum enarrationem, plus habet in recessu, quàm fronte promittit. Nam & scribendi ratio coniuncta cum loquẽdo est, & enarrationem præcedit emendata lectio, & mixtum his omnibus iudicium est. Quo quidem ita seuere sunt usi ueteres grammatici, ut non uer Critici.
sus modò censoria quadam uirgula notare, & libros, qui falsò uiderentur inscripti, tanquam subditicios summouere familia permiserint sibi: sed autores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero. Nec poëtas legisse satis est: excutiendum omne scriptorum genus, non propter historias modò, sed uerba, quæ frequenter ius ab autoribus sumunt. Tum nec citra musicen grammatice potest esse perfecta, cum ei de metris, rhythmisq; dicendum sit. Nec si rationem syderum ignoret, poëtas intelligat: qui (ut alia mittam) toties ortu, occasuq; signorum in declarandis temporibus utuntur. Nec ignara philosophiæ, cũ propter plurimos in omnibus ferè carminibus locos, ex intima quæstionũ naturalium subtilitate repetitos, tum uel propter Empedoclem in Græcis, Varronem, ac Lucretiũ in Latinis, qui præcepta sapientiæ uersibus tradiderunt. Eloquentia quoque non mediocri est opus, ut de unaquaq; earum, quas demonstrauimus, rerũ dicat proprie, & copiose. Quo minus sunt ferendi, qui hanc artem ut tenuem, ac ieiunam cauillantur: quæ nisi oratori futuro fundamenta fideliter iecerit, quicquid superstruxeris corruet: necessaria pueris, iucunda senibus, dulcis * se- * sectatorum
cretorum comes: & quæ uel sola omni studiorum genere, plus habeat operis, quàm ostentationis.

De Literis, & earum potestate. CAP. VI.

NE quis igitur tanquam parua fastidiat grammatices elementa: non quia magnæ sit operæ consonantes à uocalibus discernere, ipsasq; eas in semiuocalium numerũ, mutarumq;

partiri:) ed quia interiora uelut ſacri huius adeuntibus, appare
bit multa rerum ſubtilitas:quæ non modo acuere ingenia pue=
rilia,ſed exercere altißimam quoque eruditionem,ac ſcientiam
poßit. An cuiuslibet auris eſt exigere literarum ſonos? non her
cle magis quàm neruorum. At grammatici ſaltem omnes in
hanc deſcendent rerum tenuitatem, deſint ne aliquæ nobis ne=
ceſſariæ literæ,non cum Græca ſcribimus (tum enim ab ijſdem
duas mutuamur) ſed proprie in Latinis,ut in his ſeruus,& uul
gus, Aeolicum digamma deſideratur, & medius eſt quidam u,
& i, literæ ſonus. Non enim ſic optimum dicimus, ut opimum:
& in here,neq; e planè,neq; i auditur. An rurſus aliæ redun=
dent, præter illam aſpirationis h : quæ ſi neceſſaria eſt, etiam
contrariam ſibi poſcit ɦ. Et q, quæ & ipſa quorundam nomi
num nota eſt,& k,cuius ſimilis effectus,ſpecies q;,niſi quòd pau
lum à noſtris obliquatur,kappa apud Græcos, nunc tantum in
numero manet:& noſtrarum ultima x, qua tamen carere po=
tuimus,ſi non quæſiſſemus. Atq; etiam in ipſis uocalibus gram=
matici eſt uidere:an aliquas pro conſonantibus uſus acceperit:
quia iam ſicut tam ſcribitur,& uos ut cos. Atq; ut uocales iun=
guntur. aut enim unam longam faciunt,ut ueteres ſcripſere,qui
geminatione earum uelut apice utebãtur:aut duas, niſi quis pu
tat etiam ex tribus uocalibus ſyllabam,quod nequit fieri,ſi non
aliquæ officio conſonantium fungantur. Quæret etiã hoc,quo=
modo duabus demum uocalibus in ſeipſas coëundi natura ſit,cũ
conſonantium coëat nulla,niſi alteram frangat. Atqui litera i,
ſibi inſidit. Conijcit enim eſt ab illo iacit. Et u, quomodo nunc
ſcribitur uulgus, & ſeruus. Sciat etiam,Ciceroni placuiſſe aijo
maijamq; geminata i,ſcribere:quod ſi eſt,etiã iungetur ut conſo
nans. Quare diſcat puer,quid in literis proprium,quid commu
ne,quæ cũ quibus cognatio:nec miretur, cur ex ſcamno fiat ſca
Scabellum. bellum:aut à pinna,quod eſt acutũ, ſecuris utrinq; habens aciẽ,
Bipennis. bipennis:ne illorum ſequatur errorẽ, qui quia à pennis duabus

hoc

hoc eſſe nomen exiſtimant,pinnas auium dici uolunt. Neq; has
modò nouerit mutationes,quas afferunt declinatio,aut præpo=
ſitio,ut ſecat ſecuit,cadit excĭdit,cædit excîdit, calcat exculcat,
& ſic à lauando lotus,& inde rurſus illotus, & mille alia: ſed
& quæ à rectis quoq; caſibus ætate tranſierũt. Nam ut Valeſij,
& Fuſij in Valerios,Furiosq; uenerũt: ita arbos,labos,uapos,
etiam & clamos ac paſſes,ætatis fuerunt. Atq; hæc ipſa s litera
ab his nominibus excluſa,in quibuſdam ipſa alteri ſucceßit:nam
mertare,atq; pultare dicebant,quomodo hordeum, fœdusq;,pro
aſpiratione,V au ſimili litera utentes:nam contra Græci ita aſpi
rare hæc ſolent,ut pro Fundano Cicero teſtem, qui primã eius
literam dicere non poſſet,irridet. Sed b, quoq; in locum aliarũ
dedimus aliquando,unde Byrrhus,& bruges, & belena, nec=
non eadem fecit ex duello bellum, unde duellios quidam dicere
bellios auſi. Quid ſtlatum,ſtlitesq;? Quid d,literæ cum t, quæ=
dam cognatio? Quare minus mirum,ſi in uetuſtis operibus ur=
bis noſtræ,& celebribus templis legantur Alexãter, & Caßan
tra. Quid o,atq; u,permutatæ inuicem? ut Hecoba, & notrix,
Culchides,& Pulixena ſcriberentur: Ac ne in Græcis id tantum
notetur,dederont,ac probaueront,ſic ὀδυσσεὺς quem ὀδυσσέα fe
cerunt Aeoles,ad Vlyßem deductus eſt. Quid? non e,quoq; i,lo
co fuit,ut Menerua,& leber,& mageſter,& dijoue, & ueio=
ue,pro dijoui,& ueioui? Sed mihi locum ſignare ſatis eſt. Non
enim doceo,ſed admoneo docturos. Inde in ſyllabas cura tranſi
bit:de quibus in orthographia pauca annotabo. tum uidebit, ad
quem hoc pertinet, quot, & quæ ſint partes orationis: quan= De partibus
quam de numero parum conuenit. Veteres enim,quorum fue= orationis.
runt Ariſtoteles, atque Theodectes, uerba modò, & nomi=
na, & conuinctiones tradiderunt:uidelicet quòd in uerbis uim
ſermonis,in nominibus materiam:quia alterum eſt,quod loqui=
mur,alterum,de quo loquimur: in conuinctionibus autem eo=
rum complexum eſſe iudicauerũt: quas coniunctiones à pleriſq;

dici ſcio: ſed hæc uidetur ex ſyndeſmo magis propria trãslatio. Paulatim à philoſophis, ac maxime Stoicis auctus eſt numerus, ac primũ cõiunctionibus articuli adiecti, pòſt præpoſitiones, no minibus appellatio, deinde pronomen, deinde mixtũ uerbo participium, ipſis uerbis aduerbia. Noſter ſermo articulos non deſiderat, ideoq; in alias partes orationis ſparguntur. Sed accedit ſuperioribus interiectio. Alij tamen ex idoneis autoribus octo duntaxat partes ſecuti ſunt, ut Ariſtarchus, & ætate noſtra Palæmon, qui uocabulum, ſiue appellationem nomini ſubiecerunt, tanquam ſpecies eius. At ij, qui aliud nomen, aliud uocabulum faciunt, nouem. Nihilominus fuerunt, qui ipſum adhuc uocabulum ab appellatione diducerent, ut eſſet Vocabulum corpus uiſu, tactuq; manifeſtum, domus, lectus: Appellatio, cui uel alterum deeſſet, uel utrunq;, uentus, cœlum, deus, uirtus. Adijciebant & aſſeuerationem, ut heu: & attractionem, ut faſceatim: quæ mihi non approbantur. Vocabulum, an appellatio dicenda ſit προσηγορία, & ſubijcienda nomini nec ne, quia parui refert, liberum opinaturis relinquo.

Declinare in primis nomina, & uerba ſcire oportere pueros, & genera noſſe, ac caſus.

CAP. VII.

NOmina declinare, & uerba in primis pueri ſciant: neque enim aliter peruenire ad intellectum ſequẽtium poßunt. Quod etiam admonere ſuperuacuum fuerat: niſi ambitioſa feſtinatione pleriq; à poſterioribus inciperent: &, dum oſtentare diſcipulos circa ſpecioſiora malunt, compendio morarentur. Atqui ſi quis & didicerit ſatis, & (quod non minus deeſſe interim ſolet) uoluerit docere, quæ didicit: non erit contentus tradere in nominibus tria genera, & ea, quæ ſunt duobus, omnibus ue communia. Nec ſtatim diligentem putabo, qui promiſcua (quæ epicœna dicũtur) oſtenderit: in quibus ſexus uterq; per alterum apparet: aut quæ fœminina poſitione mares, aut neutrali fœminas ſignificant: qualia ſunt murena, & Glycerium. Scrutabitur mille præceptor acer, atq; ſubtilis origines nominũ, ut quæ ex habitu corporis Rufos, Longoſq; fecerunt. Vbi erit aliquid ſecretius, Syllæ, Burri, Galbæ, Planci, Panſæ, Scauri, taliaq; : & ex caſu naſcentium: hinc Agrippa, & Opiter, & Cordus, & Poſthumus erunt: & ijs quæ poſt natos eueniunt, unde Vopiſcus. Iam Cottæ, Scipiones, Lenates, Serani, ſunt ex uarijs cauſis. Gentes quoq;, ac loca, & alia multa reperias inter nominum cauſas. In ſeruis iam intercidit illud genus, quod ducebatur à domino, unde marcipores, publiporesq;. Quærat etiam, ſitne apud Græcos uis quædam ſexti caſus, & apud nos quoq; ſeptimi. Nam cum dico haſta percußi, non utor ablatiui natura: nec ſi idem Græce dicam, datiui τῷ δορί.

De uerbis & uerborum appellationibus.

CAP. VIII.

SEd in uerbis quoq; quis eſt adeò imperitus, ut ignoret genera, & qualitates, & perſonas, & numeros? Literarij penè iſta ſunt ludi, & triuialis ſcientiæ. Iam quoſdam illa turbabunt, quæ declinationibus non tenentur. Nam & quædam participia, an uerbi appellatiões ſint, dubitari poteſt: quia aliud alio loco ualent, ut lectus, & ſapiens. Quædam appellationibus ſimilia, ut frondator, nutritor. Iam, itur in antiquam ſyluam, nonne propriæ cuiuſdam rationis eſt? Nam quod initium eius inuenias? cui ſimile, fletur. Accipimus aliter: ut,

Panditur interea domus omnipotentis olympi. Aliter: ut, Verg. in bu.

–Totis Vſqueadeò turbatur agris–

Eſt etiam quidam tertius modus: ut, urbs habitatur: unde &, campus curritur, mare nauigatur. Pranſus quoq;, atque potus diuerſum ualent, quàm indicant. Quid? quòd multa uerba non totum declinationis ordinem ferunt? Quædam etiam mutantur, ut fero in præterito. Quædam tertiæ demum perſonæ figura dicuntur, ut licet, piget. Quædam ſimile quiddam patiuntur

uocabulis in aduerbium transeuntibus. Nam ut noctu, & diu, ita & dicto, & facto. Sunt enim hæc quoq; uerba participialia quidem, non tamen qualia dicto, factoq;.

De uirtutibus, & uitijs orationis.

CAP. IX.

IAm cum oratio tres habeat uirtutes, ut emendata, ut dilucida, ut ornata sit: quia dicere apte (quod est præcipuum) pleriq; ornatui subijciunt: totidem uitia, quæ sunt supradictis contraria, emendate loquendi regula (quæ grammatices prior est pars) examinet. Hæc exigitur uerbis, aut singulis, aut pluribus. Verba nunc generaliter accipi uolo: nam duplex eorum intellectus est, alter, qui omnia per quæ sermo nectitur significat: ut apud Horatium:

Hor. in arte. Verbaq; prouisam rem non inuita sequentur.

Alter, in quo est una pars orationis, lego, scribo. Quam uitates ambiguitatem quidam dicere maluerunt, uoces, dictiones, locutiones. singula sunt, aut nostra, aut peregrina: aut simplicia, aut composita: aut propria, aut translata: aut usitata, aut ficta. Vni uerbo uitium sæpius, quàm uirtus inest. Licet enim dicamus aliquid propriũ, specioſum, sublime: nihil tamẽ horum, nisi in complexu loquendi, seriéq; contingit. Laudamus enim uerba rebus bene accõmodata. Sola est, quæ notari possit uelut uocalitas, quæ εὐφωνία. εὐφωνία dicitur: cuius in eo delectus est, ut inter duo, quæ idem significant, ac tantundem ualẽt, quod melius sonet, malis. Prima barbarismi, ac solœcismi fœditas absit. Sed quia interim excusantur hæc uitia, aut consuetudine, aut autoritate, aut uetustate, aut deniq; uicinitate uirtutũ (nam sæpe à figuris ea separare difficile est) ne quem tam lubrica obseruatio fallat, acriter se in illud tenue discrimen grammaticus intendat: de quo nos latius ibi loquemur, ubi de figuris orationis tractandum erit. Interim uitiũ, quod fit singulis uerbis, sit barbarismus. Occurrat mihi forsan aliquis, quid hic promissor tanti operis dignum? aut quis hoc

nescit

nescit, alios barbarismos scribendo fieri, alios loquendo? quia quod male scribitur, male etiam dici necesse est: qui uitiose dixerit, nõ utiq; & scripto peccat. Illud prius adiectione, detractione, immutatione, transmutatione: hoc secundum, diuisione, complexione, aspiratione, sono contineri? Sed ut parua sint hæc, pueri docẽtur adhuc, & grammaticos officij sui commonemus. Ex quibus si quis erit planè impolitus, & uestibulum modò artis huius ingreßus, intra hæc, quæ profitentium commentariolis uulgata sunt, consistet: doctiores multa adijcient, uel hoc primũ, quòd barbarismum pluribus modis accipimus: Vnum in gente, quale sit, si quis Afrum, uel Hispanum latinæ orationi nomen inserat, ut ferrum, quo rotæ uinciuntur dici solet canthus: quanquam eo tanquam recepto utitur Persius: sicut Catullus plexenum circa Padum inuenit, & in oratione Labieni, siue illa Cornelij Galli est, in Pollionem. Cæsar assectator è Gallia ductum est. nam mastrucam, quod Sardum est, illudens Cicero ex industria dixit. Alterum genus barbarismi accipimus, quod fit animi natura, ut is à quo insolenter quid, aut minaciter, aut crudeliter dictum sit, barbare locutus existimetur. Tertium est illud uitium barbarismi, cuius exempla uulgò sunt plurima, sibi etiam quisq; fingere potest, ut uerbo, cui libebit, adijciat literã, syllabam ue, uel detrahat, aut aliam pro alia, aut eandem alio, quàm rectum est, loco ponat. Sed quidam ferè in iactationem eruditionis sumere illa ex poëtis solent, & autores, quos prælegunt, criminantur. Scire autem debet puer, hæc apud scriptores carminum, aut uenia digna, aut etiam laude duci, potiusq; illa docendi erunt minus uulgata. Nam duos in uno nomine fãciebat barbarismos Tinca Placẽtinus (si reprehẽdenti Hortẽsio credimus) preculã pro pergulã dicẽs, & immutatione, cũ c pro g uteretur, & transmutatione, cũ r præponeret e antecedenti. At in eadẽ uitij geminatione, & Metieo Suffecieo dicens Ennius, poëtico iure defenditur. Sed in prosa quoq; est quædam

Barbarismus

iam

iam recepta immutatio. Nam Cicero Canopitarum exercitum dicit, ipsi Canobon uocant, & * Tharsomenum pro Thrasumeno, multi autores, etiam si est in eo transmutatio, uendicauerunt. similiter alia: nam siue est falsum assentior, Sisenna dixit assentio, multiq; & hunc, & analogiam secuti: siue illud uerum est, hæc quoq; pars consensu defenditur. At ille pexus, pinguisq; doctor, aut illic detractionem, aut hic adiectionem putabit. Quid? quòd quædam, quæ singula proculdubio uitiosa sunt, iuncta sine reprehensione dicuntur? Nam & dua, & tre, & pondo diuersorum generum sunt barbarismi. At duapondo, & trepondo, usq; ad nostram ætatem ab omnibus dictum est, & recte dici Messala confirmat. Absurdum forsan uideatur dicere barbarismum, quod est unius uerbi uitiũ, fieri per numeros, aut genera, sicut solœcismum: scala tamen, & scopa, contraq; hordea, & mulsa, licet literarum mutationem, detractionem, adiectionem non habeant, non aliò uitiosa sunt, quàm quòd pluralia singulariter, & singularia pluraliter efferuntur: & gladia qui dixerunt, genere exciderunt. Sed hoc quoq; notare contentus sum, ne arti, culpa quorundã peruicacium, perplexæ uidear & ipse quæstionem addidisse. Plus exigũt subtilitatis, quæ accidunt in dicendo, uitia, quia exempla eorũ tradi scripto non poßunt, nisi cum in uersus inciderunt, ut diuisio διαίρεσις Europai: & ei contrarium uitium, quod συναίρεσιν, & συναλοιφὴν Græci uocant, nos complexionem dicimus: qualis est apud P. Varronem: Cum te flagranti deiectum fulmine Phæton.

*Tarsimenũ pro Trasimeno

Nam si esset prosa oratio, easdem literas enuntiare ueris syllabis licebat. Præterea quæ fiunt spatio, siue cum syllaba correpta producitur, ut:

Italiam fato profugus— Seu longa corripitur, ut:

Vnius ob noxam, & furias— Extra carmen non deprehendas, sed nec in carmine uitia ducenda sunt. Illa uero nõ nisi aure exiguntur, quæ fiunt per sonos, quanquam per aspirationem, siue

siue adijcitur uitiose, siue detrahitur, apud nos potest quæri, an in scripto sit uitium, si h litera est, non nota: cuius quidem ratio mutata cum temporibus est sæpius. Parcißime ea ueteres usi etiã in uocalibus, cum œdos, ircosq; dicebant. Diu deinde obseruatum, ne consonantibus aspiraretur, ut in Graecis, & triumpis. Erupit breui tempore nimius usus, ut choronæ, chenturiones, præchones adhuc quibusdã inscriptionibus maneant. Qua de re Catulli nobile epigramma est. Inde durat ad nos usq; uehementer, & comprehẽdere, & mihi: nam mehe quoq; pro me apud antiquos Tragœdiarum præcipue scriptores in ueteribus libris inuenimus. Adhuc difficilior obseruatio est per tenores, quos quidem ab antiquis dictos tonores cõperi, uidelicet declinato à Græcis uerbo, qui τόνους dicũt: uel accẽtus, quas Græci προσῳδίας uocant, cum acuta, & grauis, alia pro alia ponitur, ut in hoc Cámillus, si acuitur prima: aut grauis pro flexa, ut Céthegus, & hic prima acuta. Nam si media mutatur, aut flexa pro graui, aut apice circunducta sequente, quam ex duabus syllabis in unam cogentes, & deinde flectentes dupliciter peccant. Sed id sæpius in Græcis nominibus accidit, ut Atreus: quem nobis iuuenibus doctißimi senes acuta prima dicere solebant, ut necessario secunda grauis esset. Idem Térei, Néreiq;. Hæc de accentibus tradita. Cæterum iam scio quosdam eruditos, nonnullos etiam grammaticos sic docere, ac loqui, ut propter quædam uocum discrimina, uerbum interim acuto sono finiant, ut in illis:

H, aspiratio.

—Quæ circum littora, circum Piscosos scopulos—

Ne si grauem posuerint secundam, circus dici uideatur, nõ circuitus. Item Quantum, Quale, interrogantes, graui: comparantes, acuto tenore concludunt, quod tamen in aduerbijs ferè solis, ac pronominibus uendicant, in cæteris ueterem legem sequuntur. Mihi uidetur conditionem mutare, quòd his locis uerba coniungimus. Nam cum dico, circum littora, tanquam unum enuntio dißimulata distinctione: itaq; tanquam in una uoce, una est acuta

acutá, quod idem accidit in illo:

–Troiæ qui primus ab oris.

Euenit ut metri quoq; conditio mutet accentum, ut:

–Pecudes, pictæq; uolúcres. Nam uolúcres media acuta legam, quia etsi natura breuis, tamẽ positione longa est, ne faciat iambum, quẽ non recipit uersus heroicus. Separata uero hæc à præcepto nostro non recedent, aut si consuetudo uicerit, uetus lex sermonis abolebitur. cuius difficilior apud Græcos obseruatio est: quia plura illis loquendi genera, quas διαλέκτους uocant, & quod aliàs uitiosum, interim aliàs rectum est, apud nos uero breuissima ratio: Nanq; in omni uoce, acuta intra numerum trium syllabarum continetur, siue eæ sint in uerbo solæ, siue ultimæ, & in his aut proxima extremæ, aut ab ea tertia. Triũ porrò, de quibus loquor, media longa, aut acuta, aut flexa erit. eodẽ loco breuis utiq; grauem habebit sonum: ideoq; positam ante se, id est ab ultima tertiam acuet. Est autem in omni uoce utiq; acuta, sed nunquã plus una, nec ultima unquã: ideoq; in diβsyllabis prior. Præterea nunquã in eadẽ flexa, & acuta: quia eadẽ flexa ex acuta: itaq; neutra claudet uocem latinã. Ea uero, quæ sunt syllabæ unius, erunt acuta, aut flexa, ne sit aliqua uox sine acuta. Et illa per sonos accidunt, quæ demonstrari scripto non poβsunt, uitia oris & linguæ, ἰοτακισμὸς, & λαμβδακισμὸς, & ἰχνότητας, & πλατειασμὸς feliciores fingendis nominibus Græci uocant: sicut ψελλισμόν, cũ uox quasi in receβu oris auditur. Sunt etiã prophrij quidã, & * inenarrabiles soni, quibus nonnunquã nationes reprehendimus. Remotis igitur omnibus, de quibus suprà diximus, uitijs, erit illa, quæ uocatur ὀρθοέπεια, id est, emendata cum suauitate uocum explanatio. Nam sic accipi potest recta. Cætera uitia omnia ex pluribus uocibus sunt, quorũ est solœcismus: quanquã circa hoc quoq; disputatum est. Nam etiam qui contextu uel cõplexu orationis accidere eũ confitentur, quia tamen unius emẽdatione uerbi corrigi poβit, in uerbo esse uitiũ, nõ in sermone

Accentuũ regulæ.

* ineuitabiles. Vel, innumerabiles

Solœcismus.

sermone, contendunt: cum siue amaræ corticis, seu medio cortice, per genus facit solœcismum: quorũ neutrum quidem reprehendo, cũ sit utriusq; Vergilius autor. Sed fingamus utrumlibet non recte dictum: mutatio uocis alterius, in qua uitium erat, rectam loquendi rationem sic reddit, ut amari corticis fiat, uel media cortice, quod manifestæ calumniæ est: neutrum enim uitiosum separatim est: sed compositione peccatur, quæ iam sermonis est. Illud eruditius quæritur, an in singulis quoq; uerbis poβit fieri solœcismus, ut si unum quis ad se uocans dicat, uenite: aut si plures à se dimittens, ita loquatur, abi, aut discede. Necnon cũ responsum ab interrogatione dissentit, ut si dicenti, quem uideo, ita occurras, ego. In gestu etiam nonnulli putant idem uitium ineβe, cum aliud uoce, aliud nutu, uel manu demonstratur. Huic opinioni neq; omnino accẽdo, neq; planè dissentio: nam id fateor poβe accidere uoce una, non tamen aliter, quàm si sit aliquid, quod uim alterius uocis obtineat, ad quod uox illa referatur, ut solœcismus ex cõplexu fiat eorũ, quibus res significantur, & uolũtas oστẽditur. Atq; ut omnẽ effugiã cauillationem, fit aliquãdo in uno uerbo, nunquã in solo uerbo. Per quot autem, & quas accidat species, nõ satis conuenit: qui plenißime, quadripertitã uolunt esse rationẽ, nec aliam quàm barbarismi: ut fiat Adiectione, ut: Veni de Susis in Alexandriã: Detractione, ambulo uiã, Aegypto uenio, nec hoc fecit: Trãsmutatione, qua ordo turbatur, quoq; ego enim hoc uolui, autẽ nõ habui. Ex quo genere an sit igitur in initio sermonis positũ dubitari potest: quia maximos autores in diuersa fuisse opinione uideo, cũ apud alios sit etiã frequẽs, apud alios nũquã reperiatur. Hæc tria genera quidã diducunt à solœcismo, & adiectionis uitium πλεονασμὸν, detractionis * ἔλλειψιν, inuersionis ὑπερβατὸν uocant: quæ si in speciẽ solœcismi cadãt, ὑπερβατὸν quoq; appellari eodem modo poβe. Immutatio sine controuersia est, cum aliud pro alio ponitur. Id per omnes orationis partes deprehendi-

Solœcismus in gestu.

* ἔλλειψις

Immutatio.

mus,

mus, frequentißime in uerbo, quia plurima huic accidũt: ideoq; in eo fiunt ſolœciſmi per genera, tempora, perſonas, modos, ſiue quia ſtatus eos dici, ſeu qualitates placet, uel ſex, uel, ut alij uolunt, octo: nam totidẽ uitiorũ erunt formæ, in quot ſpecies eorũ quodq; de quibus ſupradictum eſt, diuiſeris. Præterea numeros, in quibus nos ſingularẽ, ac pluralẽ habemus, Græci & δυϊκόν. Quanquam fuerunt, qui nobis quoq; adijcerent dualem, ſcripſere, legêre, quod deuitandæ aſperitatis gratia mollitum eſt, ut apud ueteres pro male mereris, male merere: ideoq; quod uocant duale, in illo ſolo genere conſiſtit, cum apud Græcos & in uerbi tota ferè ratione, & in nominibus ferè deprehendatur, & ſic quoq; rariſſimus eius ſit uſus: apud noſtrorũ uero neminem hæc obſeruatio reperiatur, quin è contrario:

Deuenere locos– &: Conticuere omnes– &: Conſedere duces– aperte nos doceant, nil horum ad duos pertinere: Dixere quoq;, quanquam id Antonius Rufus ex diuerſo ponit exemplum, de pluribus patronis præco pronuntiet. Quid? non Tit. Liuius circa initia ſtatim primi libri: Tenuere, inquit, arcem Sabini. & mox: in aduerſum Romani ſubiere? Sed quem potius ego, quàm M. Tullium ſequar? qui in Oratore, Non reprehendo, inquit, ſcripſere, ſcripſerunt eſſe uerius ſentio. Similiter in uocabulis, & nominibus fit ſolœciſmus genere, numero, proprie autem caſibus. quicquid eorum alteri ſuccedet, huic parti ſubiungatur, licet per comparationes, & ſuperlationes, itemq; in quibus patriũ pro poſſeßiuo dicitur, uel contrà. Nam uitium, quod fit per quantitatem, ut magnum peculiolum, erũt, qui ſolœciſmum putent, quia pro nomine integro poſitũ ſit diminutum. Ego dubito, an id impropriũ potius appellem, ſignificatione enim deerat. Solœciſmi porrò uitium non eſt in ſenſu, ſed in complexu. In participio per genus, & caſum, ut in uocabulo: per tempora, ut in uerbo: per numerum, ut in utroq;, peccatur. Pronomen quoq; genus, numerũ, caſus habet, quæ omnia recipiunt

recipiunt huiuſmodi errorem. Fiunt ſolœciſmi, & quidẽ plurimi per partes orationis: ſed id tradere ſatis non eſt, ne ita demũ uitiũ eſſe credat puer, ſi pro alia ponatur alia: ut uerbũ ubi nomen eſſe debuerit: uel aduerbium ubi pronomen, & ſimilia. Nã ſunt quædã cognata, ut dicunt, id eſt, eiuſdẽ generis, in qbus, qui alia ſpecie, quàm oportet, utetur, non minus q̃ ipſo genere permutato, deliquerit. Nã & an, & aut cõiunctiones ſunt: male tamen interroges, hic aut ille ſit. Et ne, ac nõ aduerbia: qui tamen dicat pro illo, ne feceris, non feceris, in idem incidat uitiũ: quia alterum negãdi eſt, alterum uetandi. Hoc amplius, intrò, & intus loci aduerbia: eo tamen intus, & intrò ſum, ſolœciſmi ſunt. Eadem in diuerſitate pronominum, interiectionum, præpoſitionum accident. Eſt enim ſolœciſmus, in oratione comprehenſionis unius ſequentium, ac priorum inter ſe inconueniens poſitio. Quædam tamen & ſpeciem ſolœciſmi habent, & dici uitioſa non poſſunt, ut tragœdia Thyeſtes, & ludi Floralia, ac Megaleſia: quanquam hæc ſequenti tempore interciderunt, nunquam aliter à ueteribus dicta. Schemata igitur nominabuntur, frequentiora quidem apud poëtas, ſed oratoribus quoq; permiſſa. Verũ ſchema ferè habebit aliquam rationẽ, ut docebimus eo, quẽ pauloantè promiſimus, loco. Sed hoc quoq;, quod ſchema uocatur, ſi ab aliquo per imprudentiam factum erit, ſolœciſmi uitio non carebit. In eadẽ ſpecie ſunt, ſed ſchemate carent, ut ſuprà dixi, nomina fœminina, quibus mares utuntur: & neutralia, quibus fœminæ. Hactenus de ſolœciſmo, neq; enim artem grãmaticam componere aggreßi ſumus: ſed cũ in ordinẽ incurreret, inhonoratam tranſire noluimus. Hoc amplius, ut inſtitutũ ordinem ſequar, uerba aut Latina, aut peregrina ſunt. Peregrina porrò ex omnibus propè dixerim gentibus, ut homines, ut inſtituta uerba. etiã multa uenerunt. Taceo de Thuſcis, & Sabinis, & Prænestinis quoq;: nam ut eo ſermone utentem Vectium Lucilius inſectatur, quemadmodum Pollio deprehendit in Liuio Patauinitatem:

Solœciſmus.

Schemata.

Peregrina

tatem:licet omnia Italica pro Romanis habeam. Plurima Gallica ualuerũt,ut rheda,ac petoritum quoq;:quorũ altero Cicero tamen,altero Horatius utitur.& mappam quoq;,usitatum circo nomen,Pœni sibi uendicant:& gurdos,quos pro stolidis accipit uulgus,ex Hispania duxisse originem audiui. Sed hæc diuisio mea,ad Græcum sermonem præcipue pertinet. nam & maxima ex parte Romanus inde conuersus est. Et confessis quoq; Græcis utimur uerbis,ubi nostra desunt: sicut illi a nobis nonnunquam mutuantur. Inde illa quæstio exoritur,an eadem ratione per casus duci externa, qua nostra,conueniat. At si reperias grãmaticum ueterum amatorem, neget quicquam ex latina ratione mutandum: quia,cum sit apud nos casus ablatiuus, quem illi non habent, parum conueniat uno casu nostro quinque Græcis uti. Quinetiam laudet uirtutem eorum, qui potentiorem facere linguam Latinam studebant,nec alienis egere institutis fatebantur. Inde Castôrem media syllaba producta pronunciarunt, quia hoc nostris nominibus accidebat, quorum prima positio in easdem, quas Castor, literas exit. Et ut Palæmo, sic Thelamo, & Plato (nam sic eum Cicero quoque appellat) dicerentur,retinuerunt: quia Latinum quod o,& n literis finiretur, non reperiebant. Nec in a quidem, atque s literas exire temere masculina Græca nomina recto casu patiebantur. Ideoq; & apud Cælium legimus,Pelia Cincinnatus:& apud Messalam,bene fecit Euthia: & apud Ciceronem, Hermagora. Nec miremur,quòd ab antiquorũ pleriſq;, Aenea, & Anchisa sit dictus. Nam si ut Mecœnas, Suffenas, Asprenas dicerentur,genitiuo casu non æ litera, sed tis syllaba terminaren tur. Inde olympo,& tyránno acutam mediam syllabam dederunt:quia una,aut duabus longis sequentibus, primam breuem acui noster sermo non patitur. Sic genitiuus Achilli, & Vlyssi fecit,sic alia plurima. Nunc recentiores instituerunt,Græcis nominibus Græcas declinationes potius dare: quod tamen ipsum non semper

Propria nomina in o.

In as.

non semper fieri potest. Mihi autem placet latinam rationẽ sequi,quousq; patitur decor. Neq; enim iam Calypsonẽ dixerim, ut Iunonem:quanquã secutus antiquos C. Cæsar utitur hac ratione declinandi. Sed autoritatem consuetudo superauit. In cæteris,quæ poterunt utroq; modo non indecẽter efferri,qui Græcam figuram sequi malit,non Latine quidem, sed citra reprehẽsionem loquetur. Simplices uoces prima positione,id est, natura sua constant:compositæ autem, præpositionibus subiungun- Cõpositio- tur,ut innocens:interdum repugnantibus inter se duabus,quale nes nomi- est imperterritus:alioqui possunt aliquando continuari duæ, ut incompositus,reconditus, & quo Cicero utitur, subabsurdum: Aut è duobus quasi corporibus coalescunt, ut maleficus. Nam ex tribus nostræ utiq; linguæ nõ concesserim: quamuis capsis, Cicero dicat compositum esse ex cape,& si uis:& inueniãtur, qui Lupercalia, æque tres partes orationis esse contendant, quasi luere per caprum:nam Solitaurilia,iam persuasum est esse ex sue, oue, & tauro. Et sanè ita se habet sacrum, quale apud Homerum quoq; est. Sed hæc non tam ex tribus, quàm ex par- In xj. Odyſ. ticulis trium coëunt. Cæterum etiam ex præpositione, & duobus uocabulis dure uidetur struxisse Pacuius:

Nerei repandirostrum incuruiceruicum pecus. Iunguntur

autẽ,aut ex duobus latinis integris,ut superfui,subterfugi:quãquam ex integris an cõposita sint quæritur: Aut ex integro,& corrupto,ut maleuolus: Aut ex corrupto, & integro, ut noctiuagus: Aut duobus corruptis, ut pedissequus: Aut ex nostro, & peregrino,ut biclinium: Aut cõtra,ut epitogium, & Anticato: Aut ex duobus peregrinis,ut epirhedium. Nam cũ sit præpositio ἐπὶ Græca,rheda Gallicum, nec Græcus tamen, nec Gallus utitur composito: Romani suum ex utroq; alieno fecerunt. Frequenter autem præpositiones quoq; copulatio ista corrumpit, inde abstulit,aufugit, amisit,cum præpositio sit ab sola: & coit,cũ sit præpositio con:sic ignaui, & crep. & similia. Sed res tota ma-

gis Græcos decet, nobis minus succedit: nec id fieri natura puto, sed alienis fauemus, ideoq; cum κυρτώχονα mirati sumus, incuruiceruicum uix à risu defendimus.

De uerbis propriis & translatis, usitatis & nouis, & de quatuor quibus sermo constat.

CAPVT X.

Propria uerba quæ. Translata.

PRopria sunt uerba, cũ id significant, in quod primũ denominata sunt. Translata, cũ alium natura intellectũ, aliũ loco præbẽt. Vsitatis tutius utimur: Noua nõ sine quodã periculo fingimus. Nam si recepta sunt, modicã laudem afferunt oratori: repudiata, etiã in iocos exeunt. Audendum tamen: nanq;, ut Cicero ait, etiã quæ primo dura uisa sunt, usu molliuntur. Sed minime nobis cõcessa est ὀνοματοποιία: quis enim ferat, si quid simile illis meritò laudatis λίγξε βιὸς, & σὶδ ἄνεμος fingere audeamus? Iam ne balare quidẽ, aut hinnire fortiter diceremus: nisi iudicio uetustatis niterẽtur. Est etiã sua loquentibus obseruatio, sua scribentibus. Sermo cõstat ratione, uetustate, autoritate, & consuetudine. Rationẽ præstat præcipue analogia, nonnunquã & etymologia. Vetera maiestas quædã, & (ut sic dixerim) religio cõmendat. Autoritas ab oratoribus, uel historicis peti solet. Nã poëtas metri necessitas excusat: nisi siquando nihil impediente in utroq; modulatione pedum alterum malunt: qualia sunt:

Home. 4. Ili.

—Imò de stirpe recisum. &:

—Aëriæ quo congessere palumbes. &:

—Silice in nuda. & similia, cum summorũ in eloquentia uirorum iudicium pro ratione, & uel error honestus est, magnos duces sequentibus. Consuetudo uero certissima loquendi magistra: utendumq; planè sermone, ut numo, cui publica forma est.

Consuetudo

Analogia.

Omnia tamen hæc exigunt acre iudicium. Analogia præcipue, quam proxime ex Græco transferentes in Latinum, proportionem uocauerunt. Eius hæc uis est, ut id quod dubium est, ad aliquid simile, de quo nõ quæritur, referat: ut incerta certis probet. Quod

bet. Quod efficitur duplici uia, cõparatione similiũ, in extremis maxime syllabis (propter quod ea, quæ sunt è singulis, negãtur debere rationẽ) & diminutione. Cõparatio in nominibus, aut genus deprehẽdit, aut declinationẽ. Genus, ut si quæratur, furis masculinũ sit, an fœmininũ, simile illi sit panis: Declinationẽ, ut si ueniat in dubiũ, hac domu dicendum sit, an hac domo, & domuũ an domorũ, similia sunt domus, anus, manus. Diminutio genus modo detegit. Et ne ab eodẽ exemplo recedã, funẽ masculinum esse funiculus ostẽdit. Eadem in uerbis quoq; ratio cõparationis, ut, si quis antiquos secutus, feruĕre breui media syllaba dicat, deprehẽdatur uitiosè loqui: quòd omnia, quæ e, & o literis fatendi modo terminantur, eadem si in infinitis e literam media syllaba acceperunt, utiq; productam habent, prandeo, pendeo, spõdeo, prandere, pẽdere, spondere. At quæ o solã habent, dummodo per eandẽ literã in infinito exeant, breuia fiunt, lego, dico, curro, legere, dicere, currere. Etiamsi est apud Lucilium:

Feruit aqua, & feruet, feruit nunc, feruet ad annum.

Sed pace dicere hominis eruditissimi liceat, si feruit putat illi simile currit, & legit, feruo dicetur, ut curro, & lego, quod nobis inauditum est. Sed non est hæc uera comparatio: nam feruit illi est simile feruit: quam proportionem sequenti dicere necesse est feruire, ut seruire. Prima quoq; aliquando positio ex obliquis inuenitur, ut memoria repeto conuictos à me, qui reprehenderant, quòd hoc uerbo usus essem pepigi. Nam id quidem dixisse summos autores confitebantur, rationem tamen negabant permittere: quia prima positio paciscor, cum haberet naturam patiendi, faceret tempore præterito pactus sum. Nos præter autoritatem oratorũ, atq; historicorum, analogia quoq; hoc dictum tuebamur. Nam cũ in XII. tabulis legerimus: Ni ita pagunt, inueniebamus simile huic cadunt. Inde prima positio, etiam si uetustate exoleuerat, apparebat pago, ut cado: unde non erat dubium, sic pepigi nos dicere, ut cecidi. Sed meminerimus, non per

omnia duci analogiæ posse rationem, cum sibi ipsa plurimis in locis repugnet. Quædam sine dubio conantur eruditi defendere, ut cũ deprehensum est lepus, & lupus simili positione, quantum casibus, numerisq; dissentiant, ita respondent, non esse paria: quia lepus epicœnũ sit, lupus masculinum: Quanquã Varro in eo libro, quo initia Romanæ urbis enarrat, lupum fœminam dicit, Ennium, Pictoremq; Fabium secutus. Illi autẽ ijdem cum interrogantur, cur aper apri, & pater patris faciat, illud nomen positũ, hoc ad aliquid esse contendunt. Præterea quoniã utrunq; à Græcis ductũ est, ad eam rationẽ recurrunt, ut πατρὸς patris, κάπρου apri faciat. Illa tamen quomodo effugient, ut nomina quãuis fœminina, singulari nominatiuo VS finita, nunquam genitiuo casu in ERIS syllabã terminantur, faciat tamen Venus Veneris? Itẽ cum ES literis finita per uarios exeant genitiuos, nunquã tamen eadẽ RIS syllaba terminatos? Ceres cogat dici Cereris? Quid uero, quæ tota positionis eiusdem in diuersos flexus exeunt? cũ Alba faciat Albanus, & Albensis, uolo, uolui, & uolaui. Nam præterito quidẽ tempore, uarie formari uerba prima persona o litera terminata, ipsa analogia confitetur. Siquidẽ facit cado cecidi, spondeo spopondi, pingo pinxi, lego legi, pono posui, frãgo fregi, laudo laudaui. Non enim cum primum fingerẽtur homines, analogia demissa cœlo, formã loquẽdi dedit: sed inuenta est postquam loquebantur, & notatum in sermone, quid quo modo caderet: itaq; non ratione nititur, sed exemplo: nec lex est loquendi, sed obseruatio: ut ipsam analogiam nulla res alia fecerit, quàm consuetudo. Inhærent tamen quidam molestissima diligentiæ peruersitate, ut audaciter potius dicant, quàm audacter, licet omnes oratores aliud sequantur: & emicauit non emicuit, & conire non coire. His permittamus & audiuisse, & sciuisse, & tribunale, & faciliter, dicere: frugalis quoque sit apud illos, non frugi: nam quo alio modo fiat frugalitas? Idem centum milia nummûm, & fidẽ deûm, ostendant duplices solœcismos esse, quãdo & casum mutant, & numerum. Nesciebamus enim, ac non consuetudini, & decori seruiebamus: sicut in plurimis, quæ Tullius in Oratore diuine, ut omnia, exequitur. Sed Augustus quoq; in epistolis ad C. Cæsarem scriptis *emendat, quòd is calidum dicere, quàm caldum malit: non quia illud non sit Latinum, sed quia sit odiosum, &, ut ipse Græco uerbo significauit, περίεργον. Atqui hanc quidam ὀρθοέπειαν solam putant: quam ego minime excludo. Quid enim tam necessarium, quàm certa locutio? imò inhærendum ei iudico, quoad licet, diu etiam mutantibus repugnãdum: sed abolita, atque abrogata retinere, insolentiæ cuiusdam est, & friuolæ in paruis iactantiæ. Multum enim est literatus, qui sine aspiratione, & producta secunda syllaba salutauit, auete, est enim: & calefăce dixerit potius, quàm quod dicimus, e conseruauisse: Iis adijciat făce, & dice, & similia. Recta est hæc uia: quis negat? sed alia est & mollior, & magis trita. Ego tamen non alio magis angor, quàm quòd obliquis casibus ducti, etiam primas sibi positiones non inuenire, sed mutare permittunt, ut cum ebur, & robur ita dicta, ac scripta in summis autoribus, in o literam secundæ syllabæ transferunt, quia sit roboris, & eboris: Sulphur autem, & guttur u literam in genitiuo seruent: ideoq; iecur etiam, & fẽmur controuersiam fecerunt. quod non minus est licentiosum, quàm si sulphuri, & gutturi subijcerent in genitiuo literã o mediam, quia esset eboris, & roboris: sicut Antonius Gnipho, qui robur quidem, & ebur, atque etiam marmur fatetur esse: uerum fieri uult ex his robura, ebura, marmura. Quòd si animaduerterent literarum affinitatem, scirent sic ab eo, quod est robur, roboris fieri, quomodo ab eo, quod est miles, limes, militis, limitis: iudex, uindex, iudicis, uindicis, & quæ suprà iam attigi. Quid? non simules quoque, ut dicebam, positiones, in lõge diuersas figuras per obliquos casus exeunt? ut uirgo, Iuno: fusus, lusus: cuspis, puppis, & mille alia: cũ

illud etiam accidat, ut quædam pluraliter nõ dicantur, quædam contrà singulari numero: quædam casibus careant, quædã à primis statim positionibus tota mutentur, ut Iupiter. Quod uerbis etiam accidit, ut fero, tuli, cuius præteritum perfectum, & ulterius non inuenitur. Nec plurimum refert, nulla hæc, an prædura sint. Nam quid progenies genitiuo singulari, quid spes plurali faciet? Quomodo autem quire, & ire, uel in præterita patiendi modo, uel in participia transibunt? Quid de alijs dicam, cum senatus senatus senatui, an senatus senati senato faciat, incertum sit? Quare mihi non inuenuste dici uidetur, aliud esse Latine, aliud grammatice loqui. Hæc de analogia nimium. Etymologia, quæ uerborum originem inquirit, à Cicerone dicta est notatio, quia nomen eius apud Aristotelem inuenitur συμβολον, quod est nota: nam uerbum ex uerbo ductum, id est, ueriloquium, ipse Cicero qui finxit, reformidat. Sũt qui uim potius intuiti, originationẽ uocent. Hæc habet aliquãdo usum necessarium, quoties interpretatione res, de qua quæritur, eget: ut cum M. Cælius se esse hominem frugi uult probare, non quia abstinens sit (nam id ne mentiri quidẽ poterat) sed quia utilis multis, id est, fructuosus, unde sit dicta frugalitas. Ideoq; in definitionibus assignatur etymologiæ locus. Nonnũquam etiam barbara ab emendatis conatur discernere, ut cum triquetram dici Siciliam, an triquedram, meridiem, an medidiem oporteat, quæritur, aliaq; quæ consuetudini seruiunt. Continet autem in se multam eruditionem, siue illa ex Græcis orta tractemus, quæ sunt plurima, præcipueq; Aeolica ratione, cui est sermo noster simillimus, declinata: siue ex historiarum ueterum notitia, nomina hominum, locorum, gentium, urbium requiramus, unde* Bruti, Publicolæ, * Pithici: cur Latium, Italia, Beneuentum: quæ Capitolium, & collem Quirinalem, & Argiletũ appellandi ratio. Iam illa minora, in quibus maxime studiosi eius rei fatigantur, qui uerba paulum declinata, uariè, & multi

Etymologia.

Cic. in Topicis.

*Brutij Pici

multipliciter ad etymon reducunt, aut correptis, aut porrectis, aut adiectis, aut detractis, aut permutatis literis, syllabisue. Inde prauis ingenijs ad fœdissima usq; ludibria labuntur: Sitne consul à consulendo, an à iudicando. Nam & hoc consulere ueteres uocauerunt. Vnde adhuc remanet illud, rogat boni consulas, id est, bonum iudices. Senatui nomen dederit ætas: nam ijdem patres sunt. & rex, & rector, & alia plurima indubitata. Nec abnuerim tegulæ, regulæq;, & similium his rationem. Iam sit & classis à calando, & lepus leuipes, & uulpes uolipes. Et etiamne à contrarijs aliqua sinamus trahi, ut lucus, quia umbra opacus parum luceat: & ludus, quia sit longissime ab lusu: & dis, quia minime dies: etiamne hominem appellari, quia sit humo natus, quasi uero non omnibus animalibus eadem origo, aut illi primi mortales antè nomen imposuerint terræ, quàm sibi: & uerba ab aëre uerberato. Pergamus. sic peruenietur eousque, ut stella, luminis stilla credatur. cuius etymologiæ autorem clarum sanè in literis nominari in ea parte, qua à me reprehenditur, inhumanum est. Qui uero talia libris complexi sunt, nomina sua ipsi inscripserunt, ingenioseq; sibi uisus est* Caius cœlibes dicere, ueluti cœlites, quòd onere grauissimo uacent, idq; Græco argumento iuuit. αἰθέρας enim eadem de causa dici affirmat. Nec ei cedit Modestus in inuentione. Nã qa Cœlio Saturnus genitalia abscidit, hoc nomine appellatos, qui uxore careant. * At Lælius pituitam, quia petit uitam. Sed cui non post Varronẽ sit uenia? qui agrum quòd in eo agatur aliquid, & graculos quia gregatim uolent, dictos Ciceroni persuadere uoluit (ad eum enim scribit) cum alterum ex Græco sit manifestum duci, alterum ex uocibus auium. Sed huic tanti fuit uertere, ut merula, quia sola uolat, quasi mera uolans nominaretur. Quidam non dubitauerunt etymologiæ subijcere omnem nominis causam, ut ex habitu, quemadmodum dixi, Longos & Rufos, ex sono, strepere, murmurare: etiam deriuata,

Consulere.

*Gabinius

*Ait Aelius

ut à uelocitate dicitur uelox : & composita pleraq; his similia, quæ sine dubio aliunde originem ducunt : sed arte non egent, cuius in hoc opere non est usus nisi in dubijs.

De uetustis uerbis, & quibus uerbis sit utendum. & de autoritate. CAP. XI.

VErba à uetustate repetita nõ solum magnos assertores habent: sed etiam afferunt orationi maiestatem aliquam nõ sine delectatione. nam & autoritatem antiquitatis habent : & quia intermissa sunt, gratiam nouitati similem parant. Sed opus est modo, ut neq; crebra sint hæc, neq; manifesta : quia nihil est odiosius affectatione: nec utiq; ab ultimis, & iam obliteratis repetita temporibus: qualia sunt toper, & antigerio, & exantlare, & prosapia, & Saliorum carmina uix sacerdotibus suis satis intellecta. Sed illa mutari uetat religio, & consecratis utendum est. Oratio uero, cuius summa uirtus est perspicuitas, quàm sit uitiosa, si egeat interprete. Ergo ut nouorum optima erunt maxime uetera, ita ueterum maxime noua. Similis circa autoritatem ratio. Nam etiã si potest uideri nihil peccare, qui utitur his uerbis, quæ summi autores tradiderunt : multum tamen refert, nõ solum quid dixerint, sed etiam quid persuaserint. Neq; enim tuburchiabundum, & lurchiabundum iam in nobis quisquam ferat, licet Cato sit autor: Nec hos lodices, quanquam id Pollioni placeat: nec gladiola, atqui Messala dixit: nec parricidatum, quod in Cælio uix tolerabile uidetur : nec collos mihi Caluus persuaserit, quæ nec ipsi iam dicerent.

De consuetudine. CAP. XII.

SVpereſt igitur consuetudo : nam fuerit penè ridiculum, malle sermonem, quo locuti sint homines, quàm quo loquantur. Et sanè quid est aliud uetus sermo, quàm uetus loquẽdi consuetudo ? Sed huic ipsi necessarium est iudicium, constituendumq; in primis idipsum, quid sit, quod consuetudinem uocemus. Quæ si ex eo, quod plures faciũt, nomen accipiat, periculosissi

culosissimum dabit præceptum, non orationi modò, sed (quod maius est) uitæ. Vnde enim tantum boni, ut pluribus, quæ recta sunt, placeant? Igitur ut uelli, & comam in gradus frãgere, & in balneis perpotare, quamlibet hæc inuaserint ciuitatem, non erit cõsuetudo, quia nihil horum caret reprehensione : at laudamur, & tondemur, & conuiuimus ex consuetudine. Sic in loquendo, non si quid uitiose multis insederit, pro regula sermonis accipiendum erit. Nam ut transeam quemadmodum uulgò imperiti loquuntur, tota sæpe theatra, & omnem circi turbam exclamasse barbare scimus. Ergo consuetudinẽ sermonis uocabo consensum eruditorum: sicut uiuendi, consensum bonorum. Cõsuetudo.

De orthographia. CAP. XIII.

NVnc, quoniam diximus quæ sit loquendi regula, dicendum, quæ scribentibus custodienda. quod Græci ὀρθογραφίαν uocant, nos recte scribendi scientiam nominemus. Cuius ars non in hoc posita est, ut nouerimus, quibus quæq; syllaba literis constet (nam id quidem infra grammatici officium est) sed totam, ut mea fert opinio, subtilitatem in dubijs habet: ut longis syllabis omnibus apponere apicem ineptissimum est, quia plurimæ natura ipsa uerbi, quod scribitur, patent: sed interim necessarium, cum eadem litera alium, atque alium intellectum, prout correpta, uel producta est, facit: ut malus, utrum arborem significet, an hominem non bonũ, apice distinguitur. Palus aliud priore syllaba longa, aliud sequenti significat. Et cũ eadem litera nominatiuo casu breuis, ablatiuo longa est, utrũ sequamur, plerunq; hac nota monendi sumus. Similiter putauerunt illa quoq; seruanda discrimina, ut ex præpositionem, si uerbum sequeretur specto, adiecta secundæ syllabæ s litera, exspecto : sed si pecto, remota s scriberemus. Illa quoque seruata est à multis differentia, ut ad, cum esset præpositio, d literam : cum autem coniunctio, t acciperet. Item cum, si tempus significaret, per q: si comitẽ, per c: si uero causam per q, ac

duas

duas sequentes u u scriberetur. Frigidiora his alia, ut quicquid, c, quartam haberet, ne interrogare bis uideremur. Et quotidie, non cotidie, ut sit quot diebus. Verum hæc iam etiã inter ipsas ineptias euanuerunt. Quæri solet, in scribendo præpositiones sonum quem iunctæ efficiunt, an quem separatæ, obseruare conueniat: ut cum dico obtinuit, secundam enim b literam ratio poscit, aures magis audiunt p. Et immunis, illud n, quod ueritas exigit, sequentis syllabæ sono uictum, m gemino commutatur. Est etiam in diuidendis uerbis obseruatio, mediam literam consonantem priori, an sequenti syllabæ adiungas. Aruspex enim, quia pars eius posterior à spectãdo est, s literã tertiæ dabimus: Abstemius, quia ex abstinentia temeti composita uox est, primæ relinquetur. Nam k quidẽ in nullis uerbis utendum puto, nisi quæ significat, etiam ut sola ponatur. Hoc eò non omisi, quòd quidam eam, quoties a sequatur, necessariam credũt: cum sit c litera, quæ ad omnes uocales uim suam perferat. Verum orthographia quoq; cõsuetudini seruit, ideoq́; sæpe mutata est. Nam illa uetustißima transeo tempora, quibus & pauciores literæ, nec similes his nostris earum formæ fuerunt, & uis quoq; diuersa: sicut apud Græcos o litera, quæ interim longa, ac breuis, ut apud nos: interim pro syllaba, quam nomine suo exprimit, posita est. Et Latinis ueteribus d plurimis in uerbis ultimã adiectam, quod manifestum est etiam ex columna rostrata, quæ est *D. Iulio in foro posita. Interim g quoq;, ut in puluinari Solis, qui colitur iuxta ædem Quirini, uespurg. quod uesperuginẽ accipimus. De mutatione etiam literarum, de qua suprà dixi, nihil repetere hic necesse est. Fortasse enim sicut scribebant, etiam ita loquebantur. Semiuocales non geminare diu fuit usitatißimi moris: atq; econtrario usq; ad Accium, & ultra, porrectas syllabas geminis, ut dixi, uocalibus scripserunt. Diutius durauit, ut e i iungendis eadem ratione, qua Græci ει uterentur, ea casibus, numerisq́; discreta est, ut Lucilius præcipit:

Duillio.

Iam puerei

Iam puerei uenere, e postremum facito atque i,
Vt puerei plures fiant. ac deinceps idem:
Mendacei, fureiq́; addes e, cum dare furi Iusseris.

Quod quidem cum superuacuum est, quia i tam longæ, quàm breuis naturam habet, tum incommodum aliquando. Nam in ijs, quæ proximam ab ultima literam e habebunt, & i longa terminabuntur, illam rationem sequẽtes utemur e gemina: qualia sunt hæc, aureei, argenteei, & similia. idq́; ijs præcipue, qui ad lectionem instituentur, etiam impedimento erit, sicut in Græcis accidit adiectione i literæ: quam non solum datiuis casibus in parte ultima ascribunt, sed quibusdam etiam interponunt, ut in ληϊςηι, quia etymologia ex diuisione in duas syllabas facta desideret eam literam. Ai syllabam, cuius secundam nunc e literam ponimus, uariè per a, & i efferebant, quidam semper, ut Græci, quidam singulariter tantum, cum in datiuum, uel genitiuum casum incidissent. Vnde, Pictai uestis. & aulai Vergilius amantißimus uetustatis carminibus inseruit. In ijsdem plurali numero e utebantur, hi Syllæ, Galbæ. Est in hac quoq; parte Lucilij præceptum, quod quia pluribus explicatur uersibus, si quis parum credat, apud ipsum in nono requirat. Quid, quòd Ciceronis temporibus, paulumq́; infrà, ferè quoties s litera media uocalium longarum, uel subiecta longis esset, geminabatur? ut Caussæ, cassus, diuißiones, quo modo & ipsum, & Vergilium quoq; scripsisse manus eorum docent. Atqui paululum superiores, etiam illud quod nos gemina dicimus, iußi, una dixerunt iusi. Etiam optimus, maximus, ut mediam i literam, quæ ueteribus u fuerat, acciperent, Caij primum Cæsaris inscriptione traditur factum. Here nunc e litera terminamus: at ueterũ Comicorũ adhuc libris inuenio, Heri ad me uenit: quod idem in epistolis Augusti, quas sua manu scripsit, aut emendauit, deprehenditur. Quid? non Cato Censorius, dicam, & faciam, dicem, & faciem scripsit, eundemq́; in cæteris, quæ similiter

Caussa.
Cassus.

liter cadunt, modum tenuit? quod ex ueteribus eius libris manifestum est. Et à Messala in libro de s litera positum sibe, & quase scriptum in multorum libris est. Sed an hoc uoluerint autores nescio. T. Liuium ita his usum ex Pædiano comperi, qui & ipse eum sequebatur. hæc nos i litera finimus. Quid dicam uortices, & uorsus, cæteraq; ad eundem modum, quæ primo Scipio Africanus in e literam secundam uertisse dicitur? Nostri præceptores ceruom, seruomq; u, & o literis scripserunt, quia subiecta sibi uocalis in unum sonum coalescere, & cõfundi nequiret: nunc u gemina scribuntur ea ratione, quam reddidi: neutro sanè modo uox, quã sentimus, efficitur. Nec inutiliter Claudius Aeolicam illam F ad hos usus literam adiecerat. Illud nunc melius, quòd cui tribus, quas præposui, literis enotamus, in quo pueris nobis ad pinguem sanè sonum, quoi utebantur, tantum ut ab illo qui distingueretur. Quid, quæ scribũtur aliter, quàm enuntiantur? Nam & Caius C. litera notatur, quæ inuersa mulierem declarat, quia tam Caias esse uocitatas, quàm Caios, etiã ex nuptialibus sacris apparet. Nec Cneus eam literam in prænominis nota accipit, qua sonat, & columa, exempta n litera, & Consules geminata s s coss. legimus: & suburra cũ tribus literis notatur, c tertiam ostendit. Multa sunt generis huius. Sed hæc quoque uereor, ne modum tam paruæ quæstionis excesserint. Iudicium autem suum grammaticus interponat his omnibus. Nam hoc ualere plurimum debet. Ego, nisi quod consuetudo obtinuerit, sic scribendum quicque iudico, quo modo sonat. Hic enim est usus literarum, ut custodiant uocem, & uelut depositum reddant legentibus. Itaq; id exprimere debent, quod dicturi sumus. Hæ fere sunt emẽdate loquendi, scribendiq; partes, duas reliquas, significanter, ornateq; dicendi, non equidem grammaticis aufero: Sed cum mihi officia rhetoris supersint, maiori operi reseruo. Redit autem illa cogitatio, quosdam fore, qui hæc, quæ diximus, parua nimium, & impedimẽta quoq; ma-

Sibe.

Quase.

ius aliquid agendi, putent. Nec ipse usq; ad extremam anxietatem, & ineptas cauillationes descendendum, atque his ingenia concidi, & comminui credo. Sed nihil ex grammatica nocuerit, nisi quod superuacuum est. An ideo minor est M. Tullius orator, quòd idem artis huius diligentissimus fuit, & in filio, ut epistolis apparet, recte loquendi usquequaq; asper quoque exactor? Aut uim C. Cæsaris fregerũt editi de analogia libri? Aut ideo minus Messala nitidus, quia quosdam totos libellos, non de uerbis modo singulis, sed etiam literis dedit? Non obstant hæ disciplinæ per illas euntibus, sed circa illas hærentibus.

De lectione pueri. CAP. XIIII.

SVpereſt lectio, in qua puer ut sciat ubi suspendere spiritum debeat, quo loco uersum distinguere, ubi claudatur sensus, unde incipiat, quando attollenda, uel submittenda sit uox, quid quo flexu, quid lentius, celerius, concitatius, lenius dicendum, demonstrari nisi in opere ipso non potest. Vnum est igitur, quod in hac parte præcipiam, ut omnia ista facere possit, intelligat. Sit autem in primis lectio uirilis, & cum suauitate quadam grauis, & non quidem prosæ similis, quia carmen est, & se poëtæ canere testantur: non tamen in canticum dissoluta, nec *psalmate (ut nunc à pleriſq; fit) effœminatã. De quo genere optime C. Cæsarẽ prætextatum adhuc accepimus dixisse: Si cantas, male cantas: si legis, cantas. Nec prosopopœias, ut quibusdã placet, ad comicum morem pronunciari uelim. Esse tamen flexum quendam, quo distinguantur ab ijs, in quibus poëtæ persona sua utẽtur. Cætera admonitione magna egent, in primis, ut teneræ mentes, tracturæq; altius quicquid rudibus, & omnium ignaris insederit, non modo quæ diserta, sed uel magis, quæ honesta sunt, discant: ideoq; optime institutum est, ut ab Homero, atq; Vergilio lectio inciperet: quanquam ad intelligendas eorũ uirtutes, firmiori iudicio opus esset. Sed huic rei supereſt tempus, nec enim semel legentur. Interim & sublimitate heroici

*plasmate

Homerus.

Vergilius.

carminis animus assurgat, & ex magnitudine rerũ spiritum ducat, & optimis imbuatur. Vtiles tragœdiæ, alunt & Lyrici: si tamen in ijs nõ autores modò, sed etiam partes operis elegeris. Nam & Græci licenter multa, & Horatiũ in quibusdam nolim interpretari. Elegia uero (utiq; quæ amat) & hendecasyllabica, quibus sunt cõmata Sotadeorum (nam de Sotadeis ne præcipiendum quidem est) amoueantur, si fieri potest: si minus, certe ad firmius ætatis robur reseruentur. Comœdiæ, quæ plurimum ad eloquentiam conferre potest, cum per omnes personas, & affectus eat, quem usum in pueris putem, paulò pòst suo loco dicam. Nam cum mores in tuto fuerint, inter præcipua legenda erit: de Menandro loquor, nec tamen excluserim alios. Nam Latini quoq; autores afferent utilitatis aliquid. Sed pueris, quæ maxime ingenium alant, atq; animum augeant, prælegẽda: cæteris, quæ ad eruditionem modo pertinent, longa ætas spatium dabit. Multum autem ueteres etiam Latini conferunt, quanquã pleriq; plus ingenio, quàm arte ualuerunt, in primis copiã uerborum: quorum in tragœdijs grauitas, in comœdijs elegantia, & quidam uelut ἀστικισμὸς inueniri potest. Oeconomia quoq; in his diligentior, quàm in pleriſq; nouorum erit, qui omnium operum solam uirtutem sententias putauerunt. Sanctitas certe, & (ut sic dicam) uirilitas ab his petenda, quando nos in omnia delitiarum uitia, dicendi quoq; ratione defleximus. Deniq; credamus summis oratoribus, qui ueterũ poëmata, uel ad fidẽ causarum, uel ad ornamentum eloquentiæ assumunt. Nam præcipue quidem apud Ciceronem, frequenter tamen apud Asinium etiam, & cæteros, qui sunt proximi, uidimus Ennij, Accij, Pacuuij, Lucilij, Terentij, Cæcilij, & aliorum inseri uersus: summa non eruditionis modò gratia, sed etiam iucunditatis, cum poëticis uoluptatibus aures à forensi asperitate respirent: quibus accedit non mediocris utilitas, cum sententijs eorum, uelut quibusdam testimonijs, quæ proposuere, confirment. Verum priora illa

Lyrici.

Horatius.

Comœdiæ.

ra illa ad pueros magis, hæc sequentia ad robustiores pertinebunt: cum grammatices amor, & usus lectionis, non scholarum temporibus, sed uitæ spatio terminentur. In prælegendo, grammaticus & illa quidem minora præstare debebit, ut partes orationis reddi sibi soluto uersu desideret, & pedum proprietates, quæ adeò debent esse notæ in carminibus, ut etiam in oratoria compositione desiderentur: deprehendantq; quæ barbara, quæ impropria, quæ contra legem loquendi sunt posita: non ut ex his utiq; improbentur Poëtæ (quibus, quia plerunq; seruire metro coguntur, adeò ignoscitur, ut uitia ipsa alijs in carmine appellationibus nominentur. Metaplasmos enim, & schematismos, & schemata, ut dixi, uocamus, & laudem uirtutis necessitati damus) sed ut cõmoneat artificialium, & memoriam agitet. Id quoque inter prima rudimenta non inutile, demonstrare quot quæq; uerba modis intelligenda sint. Circa glossemata etiam, id est, uoces minus usitatas, non ultima eius professionis diligẽtia est. Enimuero maiore cura iam doceat tropos omnes, quibus præcipue non poëma modò, sed etiam oratio ornatur, schemata utraque, id est, figuras, quæq; λέξεως, quæq; διανοίας uocantur, quorum ego sicut troporum tractatum in eum locum differo, quo mihi de ornatu orationis dicendum erit. Præcipue uero illa infigat animis, quæ in Oeconomia uirtus, quæ in decoro rerum, quid personæ cuiq; conuenerit, quid in sensibus laudandum, quid in uerbis, ubi copia probabilis, ubi modus. His accedat enarratio historiarum, diligens quidem illa, non tamen usque ad superuacuum laborem occupata. Nam receptas, aut certe claris * oratoribus memoratas exposuisse satis est. Persequi quidem quod quisq; unquam uel contemptissimorum hominum dixerit, aut nimiæ miseriæ, aut inanis iactantiæ est, & detinet, atq; obruit ingenia, melius alijs uacatura. Nam qui omnes etiã indignas lectione schedas excutit, anilibus quoq; fabulis accommodare operam potest. Atqui pleni sunt eiusmodi impedimẽtis

* autoribus

grammaticorum commentarij, uix ipsis, qui composuerunt, satis noti. Nam Didymo quoq;, quo nemo plura scripsit, accidisse compertum est, ut cũ historiæ cuidam tanquam uanæ repugnaret, ipsius proferretur liber, qui eam continebat. quod euenit præcipue in fabulosis usq; ad deridicula, quædam etiam pudenda, unde improbissimo cuiq; pleraq; fingendi licentia est, adeò ut de libris totis, & autoribus, ut succurrit, mentiatur tutò, quia inueniri, qui nunquam fuere, non possunt. Nam in notioribus frequentissime deprehenduntur à curiosis. Ex quo mihi inter uirtutes grammatici habebitur, aliqua nescire.

De officio Grammatici, & quæ primordia sint dicendi. CAP. XV.

ET finitæ quidem sunt partes duæ, quas hæc professio pollicetur, id est, ratio loquendi, & enarratio autorum: quarum illam methodicen, hanc historicen uocant. Adijciamus tamen eorum curæ quædam dicendi primordia, quibus ætates nondum rhetorem capienteis instituant. Igitur Aesopi fabellas, quæ fabulis nutricularum proxime succedunt, narrare sermone puro, & nihil se supra modum extollente: deinde eandem gracilitatem stylo exigere condiscant, uersus primo soluere, mox mutatis uerbis interpretari, tum paraphrasi audacius uertere, qua et breuiare quædam, & exornare, saluo modò Poëtæ sensu, permittitur. Quod opus, etiam consummatis professoribus difficile, qui commode tractauerit, cuicunq; discendo sufficiet. Sententiæ quoq; & Chriæ, & Ethologiæ, subiectis dictorum rationibus, apud Grammaticos scribantur, quia initium ex lectione ducũt. Quorum omnium similis est ratio, forma diuersa: quia sententia uniuersalis est uox, ethologia personis continetur. Chriarum plura genera traduntur: Vnum simile sententiæ, quod est positum in uoce simplici, dixit ille, aut, dicere solebat. Alterum quod est in respondendo, interrogatus ille, uel cum hoc ei dictum esset, respondit. Tertium huic non dissimile, cum quis non dixisset, sed aliquid

Chriæ.

aliquid uel fecisset, etiam in ipsorum factis Chriam esse putant: ut Crates, cum indoctum puerũ uidisset, pædagogum eius percussit. Et aliud penè par ei, quod tamẽ eodem nomine appellare non audent, sed dicunt χρείας, ut Milo, quem uitulum assueuerat ferre, taurum ferebat. In his omnibus & declinatio * per eosdem ducitur casus, & tam factorũ, quàm dictorum ratio est. Narratiunculas à Poëtis celebratas, notitiæ causa, non eloquentiæ, tractandas puto. Cætera maioris operis ac spiritus, Latini rhetores relinquendo, necessaria grammaticis fecerunt. Græci magis operum suorum & onera, & modum norunt.

*per omnes duc.

An oratori futuro necessaria sit plurium artium scientia. CAP. XVI.

HAec de grammatica quàm breuissime potui, non ut omnia dicerem, sectatus, quod infinitum erat, sed ut maxime necessaria: nunc de cæteris artibus, quibus instituendos priusquam tradantur rhetori, pueros existimo, strictim subiungam, ut efficiatur orbis ille doctrinæ, quẽ Græci ἐγκυκλοπαιδείαν uocant. Nam ijsdem ferè annis aliarum quoque disciplinarum studia ingredienda sunt: quæ quia & ipsæ artes sunt, & esse perfecta sine his orandi scientia non potest, nec rursus ad efficiendum oratorem satis ualent solæ, an sint huic operi necessariæ, quæritur. Nam quid, inquiunt, ad agendam causſam, dicendam ue sententiam pertinet scire, quemadmodum *in data linea constitui triangula æquis lateribus possint? Aut quo melius, uel defendet reum, uel reget consilia, qui citharæ sonos nominibus, & spatijs distinxerit? Enumerent fortasse multos, quãlibet utiles foro, qui nec geometren audiuerunt, nec musicos, nisi hac cõmuni uoluptate aurium, intelligant. Quibus ego primum hoc respondeo, quod & M. Cicero scripto ad Brutũ libro frequentius testatur, non eum à nobis institui oratorẽ, qui sit, aut fuerit, sed imaginem quandam concepisse nos animo perfecti illius, ex nulla parte cessantis. Nam & sapientem formantes, cum qui sit

*inducta.

futurus consummatus undique, &, ut dicunt, mortalis quidam deus, non modo cognitione cœlestium uel mortalium putant instituendum, sed per quædam parua sanè, si ipsa demum æstimes, ducunt, sicut exquisitas interim ambiguitates: non quia ceratinæ, aut crocodilinæ possint facere sapientem, sed quia illum ne in minimis quidem oporteat falli. Similiter oratorem, qui debet esse sapiens, non Geometres faciet, aut Musicus, quæq; his alia subiungam, sed hæ quoq; artes, ut sit consummatus, iuuabunt. Nisi forte antidotum quidem, atque alia, quæ morbis, aut uulneribus medentur, ex multis, atq; interim contrarijs quoq; inter se effectibus componi uidemus, quorum ex diuerso fit illa mixtura una, quæ nulli earum similis est, quibus constat, sed proprias uires ex omnibus sumit: & muta animalia mellis illum inimitabilem humanæ rationi saporem, uario florum ac succorum genere perficiunt: nos mirabimur, si oratio, qua nihil præstantius homini dedit prouidentia, pluribus artibus eget? quæ etiam cum se non ostendunt in dicendo, nec proferunt, uim tamen occultam suggerunt, & tacitè quoque sentiuntur. Fuit aliquis sine his disertus: Ast ego oratorem uolo. Non multum adijciunt: Sed æquè non erit totum, cui uel parua deerunt, & optimum hoc esse conueniet, cuius etiam si in arduo spes est, nos tamen præcipiamus omnia, ut saltem plura fiant. Sed cur deficiat animus? natura enim perfectum Oratorem esse non prohibet. Turpiterq; desperatur, quicquid fieri potest.

De Musice, & eius laudibus.

CAP. XVII.

ATque ego uel iudicio ueterũ poteram esse contentus. Nam quis ignorat Musicen (ut de hac primum loquar) tantum iam illis antiquis temporibus non studij modò, uerumetiam uenerationis habuisse, ut ijdem musici, & uates, & sapientes iudicarentur? Mittam alios, Orpheus & Linus, quorum utrunque dijs genitum: alterum uero, quia rudes quoq; atque agrestes animos admiratione mulceret, non feras modò, sed saxa etiam, syluasq; duxisse posteritatis memoriæ traditum est. Et Timagenes. Timages antor est, omnium in literis studiorum antiquissimã musicen extitisse. Et testimonio sunt clarissimi Poëtæ, apud quos inter regalia conuiuia laudes heroum, atque deorum ad citharam canebantur. Iopas uero ille Vergilij, non ne canit

–Errantem lunam, solisq; labores? & cætera. Aeneid. 1.

Quibus certe palàm confirmat autor eminentissimus, musicen cum diuinarum etiam rerum cognitione esse cõiunctam. Quod si datur, erit etiam oratori necessaria: siquidem, ut diximus, hæc quoque pars, quæ ab oratoribus relicta, à philosophis est occupata, nostri operis fuit, ac sine omnium talium scientia non potest esse perfecta eloquentia. Atque claros nomine sapientiæ uiros nemo dubitauerit studiosos musicæ fuisse, cum Pythagoras, atque eum secuti, acceptam sine dubio antiquitus opinionẽ uulgauerint, mundum ipsum eius ratione esse compositum, quam postea sit lyra imitata. Nec illa modò contenti dissimilium concordia, quam uocant ἁρμονίαν, sonum quoque his motibus dederunt. Nam Plato cum in alijs quibusdam, tum præcipue in Timæo, ne intelligi quidem, nisi ab ijs, qui hanc quoque partem disciplinæ diligenter perceperint, potest. Quid de philosophis loquor? quorum fons ipse Socrates iam senex institui lyra non erubescebat. Duces maximos & fidibus, & tibijs cecinisse tradi tum, & exercitus Lacedæmoniorũ musicis accẽsos modis. Quid autem aliud in nostris legionibus cornua, ac tubæ faciunt? quorum concentus quanto est uehementior, tanto Romana in bellis gloria cæteris præstat. Non igitur frustra Plato ciuili uiro, quem πολιτικὸν uocant, necessariam musicen credidit. Et eius sectæ, quæ alijs seuerissima, alijs asperrima uidetur, principes in hac fuere sententia, ut existimarent sapientum aliquos nonnullam operã his studijs accommodaturos. Et Lycurgus durissimarum Lacedæmonijs legum autor, musices disciplinã probauit.

Atq; eam natura ipsa uidetur ad tolerandos facilius labores, ue lut muneri nobis dedisse. Siquidem & remiges cantus hortatur, nec solum in his operibus, in quibus plurium conatus præeunte aliqua iucunda uoce cõspirant, sed etiam singulorum fatigatio, quamlibet se rudi modulatione solatur. Laudem adhuc dicere artis pulcherrimæ uideor, nondum eam tamen oratori coniungere. Transeamus igitur id quoq;, quòd grammatice quondã, ac musice iunctæ fuerunt. Siquidem Architas, atq; Aristoxenus, etiam subiectam grammaticen musicæ putauerunt, & eosdem utriusq; rei præceptores fuisse, cum Sophron ostendit, Mimorum quidem scriptor, sed quem Plato adeò probauit, ut suppositos capiti libros eius, cum moreretur, habuisse tradatur: tum Eupolis, apud quem Prodamus & musicen, & literas docet. Et Maricas qui est Hyperbolus, nihil se ex musicis scire, nisi literas confitetur. Aristophanes quoque non uno libro, sic instituti pueros antiquitus solitos esse demonstrat. Et apud Menandrum in Hypobolimæo senex, qui reposcenti filium patri uelut rationem impendiorum, quæ in educationem contulerat, *opponens, se psaltis & Geometris multa dicit dedisse. Vnde etiam ille mos, ut in conuiuijs post cœnam circumferretur lyra: cuius se imperitum cum Themistocles confessus esset, ut uerbis Ciceronis utar, habitus est indoctior. Sed ueterum quoq; Romanorum epulis fides ac tibias adhibere moris fuit. Versus quoq; Saliorum habent carmen. Quæ cum omnia sint à Numa rege instituta, faciunt manifestum, ne illis quidem, qui rudes ac bellicosi uidentur, curam musices, quantam illa recipiebat ætas, defuisse. Denique in prouerbium usque Græcorum celebratum est, indoctos à Musis, atque Gratijs abesse. Verum quid ex ea propric petat futurus Orator, disseramus. Numeros musice habet duplices, in uocibus & in corpore: utriusque enim rei aptus quidam modus desideratur. Vocis rationem Aristoxenus musicus diuidi *in ῥυθμὸν & μέλος ἐμμελὲς, quorum alterum modulatione, can

Sophron.

*exponens.

Lyra in cœnis.

* Alias, in ῥυθμὸν & ἐμμελὲς.

ne, canore alterum, ac sonis constat. Num igitur non hæc omnia oratori necessaria? quorum unum ad gestum, alterum ad collocationem uerborum, tertium ad flexus uocis, qui sunt in agendo quoq; plurimi, pertinet. Nisi forte in carminibus tantum, & in canticis exigitur structura quædam, & inoffensa copulatio uocum: in agendo superuacua est: aut non compositio, & sonus in oratione quoque uarie pro rerum modo adhibetur, sicut in musice. Nanq; & uoce, & modulatione grandia elatè, iucunda dulciter, moderata leniter canit, totáq; arte consentit cum eorum, quæ dicuntur, affectibus. Atqui in orando quoq; intensio uocis, remissio, flexus, pertinet ad mouendos audientiũ affectus. Alia quoq; & collocationis, & uocis, ut eodem utar uerbo, modulatione concitationẽ iudicum, alia misericordiam petimus, cũ etiam organis, quibus sermo exprimi non potest, affici animos in diuersum habitũ sentiamus. Corporis quoq; decens, & aptus motus, qui dicitur εὐρυθμία, est necessarius, nec aliunde peti potest, in quo pars actionis non minima consistit, qua de re sepositus nobis est locus. Age, si habebit in primis curam uocis orator, quid tam Musices propriũ? Sed ne hæc quidem præsumenda pars est, ut uno interim contenti simus exemplo C. Gracchi, præcipui suorum temporum oratoris, cui concionanti consistens post eũ musicus, fistula, quam Tonarion uocant, modos, quibus deberet intendi, ministrabat. Hæc ei cura inter turbidissimas actiones, uel terrenti optimates, uel iam timenti fuit. Libet propter quosdam imperitiores, etiam crassiore, ut uocant, musa, dubitationem huius utilitatis eximere: nam Poëtas certe legendos oratori futuro cõcesserint. Num igitur hi sine Musice? At si quis tam cæcus animi est, ut de alijs dubitet: illos certe, qui carmina ad lyram composuerunt? Hæc diutius forent dicenda, si hoc studium uelut nouum præciperem. Cum uero antiquitus à Chirone, atque Achille usque ad nostra tempora apud omnes, qui modò legitimã disciplinam non sint perosi, duraue-

rit,non est committendum, ut illa dubia faciam, defensionis solicitudine. Quamuis autem satis iam ex ipsis,quibus sum modò usus,exemplis, credam esse manifestum, quæ mihi, & quatenus Musice placeat, apertius tamen proferendum puto, non hanc à me præcipi,quæ nunc in scenis effœminata, & impudicis modis fracta, non ex parte minima, si quid in nobis virilis roboris manebat, excidit,sed qua laudes fortium canebantur, quaq; & ipsi fortes canebant: Nec psalteria, & spadicas etiam virginibus probis recusanda, sed cognitionem rationis,quæ ad mouendos, leniendosq; affectus plurimum ualet. Nam & Pythagoram accepimus, concitatos ad uim pudicæ domui afferendam iuuenes,iussa mutare in spondeum modos tibicina,composuisse.Et Chrysippus etiam nutricum, quæ adhibentur infantibus,allectationi,suum quoddam carmen assignat.Est etiam non ineruditè ad declamãdum ficta materia,in qua ponitur tibicen, qui sacrificanti Phrygium cecinerat, acto illo in insaniam, & per præcipitia delato, accusari, quòd causa mortis extiterit. Quæ si dici debent ab oratore, nec dici citra scientiam Musices poßunt, quomodo non hanc quoq; artem necessariam esse usui nostro,uel iniqui consentient?

Commodam Geometriam Oratori.

CAP. XVIII.

IN Geometria partem fatentur esse utilem teneris ætatibus: agitari nanq; animos,atq; acui ingenia, & celeritatem percipiendi uenire inde concedunt:sed prodesse eam,non ut cæteras artes, cum perceptæ sint, sed cum discatur,existimant. Id uulgaris opinio est,nec sine causa summi uiri etiam impensam huic scientiæ operam dederunt.Nam cum sit Geometria diuisa in numeros atque formas, numerorum quidem notitia non oratori modò,sed cuicunq; primis saltem literis erudito necessaria est. In causis uero uel frequentißime uersari solet, in quibus actor, non dico si circa summas trepidat,sed si digitorum saltem incer

to,aut

to,aut indecoro gestu à computatione dissentit,iudicatur indoctus.Illa uero linearis ratio,& ipsa quidem cadit frequenter in causas:nam de terminis,mensurisq; sunt lites. Sed habet maiorẽ quandam aliam cum arte oratoria cognationem. Iam primùm ordo est Geometriæ necessarius,non'ne & eloquentiæ?Ex prioribus geometria probat insequentia, & certis incerta : non'ne id in dicendo facimus? Quid illa propositarum quæstionum conclusio, non tota ferè constat syllogismis ? Propter quod plures inuenies,qui dialecticæ similem, quàm qui rhetoricæ fateantur hanc artem. Verum & orator etiam si raro, non tamen nunquam probabit dialectice. Nam & syllogismis si res poscet utetur,& certe enthymemate, qui rhetoricus est syllogismus. Deniq; probationum quæ sunt potentißimæ,grãmaticæ ἀποδείξεις uulgò dicuntur. Quid autem magis oratio,quàm probationem petit? Falsa quoq; ueri similia geometria ratione deprehendit. Fit hoc & in numeris per quasdam,quas ψευδογραφίας uocant, quibus pueri ludere solebamus. Sed alia maiora sunt. Nam quis non ita proponenti credat ? Quorum locorum extremæ lineæ eandem mensuram colligunt,eorum spatium quoq; quod his lineis continetur,par sit necesse est. at id falsum est. Nam plurimum refert,cuius sit formæ ille circuitus:reprehensiq; à geometris sunt historici, qui magnitudinem insularũ satis significari nauigationis ambitu crediderunt. Nam ut quæq; forma perfectißima,ita capacißima est. Ideoq; illa circũcurrens linea, si efficiet orbem, quæ forma est in planis maxime perfecta, amplius spatium complectetur,quàm si quadratum paribus oris efficiat. Rursus quadrata triangulis,triangula ipsa plus æquis lateribus, quàm inæqualibus. Sed alia forsitan obscuriora, nos facillimum etiam imperitis sequamur experimentum. Iugeri mensuram du centos & quadraginta longitudinis pedes esse,dimidioq; in latitudinem patere,non ferè quisquam est qui ignoret: & qui sit circuitus, & quantum campi claudat, colligere expeditum. At Iugerum.

centeni & octogeni in quanq; partem pedes idem ſpatium ex
*clauſæ tremitatis,ſed multo amplius*diuiſæ quatuor lineis areæ faciũt.
Id ſi computare quem piget, breuioribus numeris idem diſcat:
nam deni in quadram pedes,quadraginta per oram,intrà,cen=
tum erũt. At ſi quinideni per latera,quini in fronte ſint,ex illo
quod amplectuntur quartam partẽ deducent eodem circumdu=
ctu. Si uero porrecti utrinq; undeuiceni ſingulis diſtent, nõ plu
res intus quadratos habebunt,quàm per quot longitudo duce=
tur:quæ circumibit autẽ linea, eiuſdem ſpatij erit, cuius ea quæ
centum continet. Ita quicquid formæ quadrati detraxeris,ampli
tudini quoq; peribit. Ergo etiam id fieri poteſt, ut maiore cir=
cuitu minor loci amplitudo claudatur. Hoc in planis: Nã in col=
libus uallibusq; etiam imperito patet, plus ſoli eſſe quàm cœli.
Quid? quòd ſe eadem Geometria tollit ad rationem uſq; mũdi?
quæ cum ſyderum certos conſtitutosq; curſus numeris docet,
diſcimus nihil eſſe inordinatum atq; fortuitum,quod ipſum nõ=
nunquam pertinere ad oratorem poteſt. An uero cum Pericles
Athenienſes Solis obſcuratione territos,redditis eius rei cauſis,
metu liberauit: Aut cum Sulpitius ille Gallus in exercitu L. Pau
li de lunæ defectione diſſeruit,ne uelut prodigio diuinitus facto
militum animi terrerentur, non uidetur eſſe uſus oratoris offi=
cio? Quod ſi Nicias in Sicilia ſciſſet,non eodem confuſus metu,
pulcherrimum Athenienſium exercitũ perdidiſſet. Sicut Dion,
cum ad deſtruendam Dionyſij tyrannidem uenit,nõ eſt tali ca=
*extra ſu deterritus. Sint*exempla licet uſus bellici,tranſeamusq; quòd
Archimedes unus obſidionem Syracuſarum in longius traxit:
illud utiq; iam proprium eſt ad efficiendum quod intendimus,
plurimas quæſtiones,quarum difficilior alia ratione explicatio
eſt,ut de ratione diuidendi,de ſectione in infinitum,de celerita=
te augendi, linearibus illis probationibus ſolui ſolere, ut ſi eſt
oratori,quod proximus demõſtrabit liber, de omnibus rebus di
cendum,nullo modo ſine Geometria eſſe poſſit orator.

De pri

De prima pronuntiatione, & geſtus inſti=tutione. CAP. XIX.

DAndum aliquid Comœdo quoq;,dum eatenus, qua pronũ
tiandi ſcientiam futurus orator deſiderat. Non enim pue
rum,quem in hoc inſtituimus, aut fœmineæ uocis exilitate fran
gi uolo,aut ſeniliter tremere: nec uitia ebrietatis effingat, nec
ſeruili uernilitate imbuatur,nec amoris, auaritiæ, metus, diſcat
affectum, quæ neq; oratori ſunt neceſſaria, & mentem præci=
pue in ætate prima teneram adhuc, & rudem inficiunt. Nam
frequens imitatio, tranſit in mores. Nec geſtus quidem omnis,
ac motus à comœdis petendus eſt, quanquam enim utrunq; eo=
rum ad quendam modum præſtare debet orator, plurimum ta=
men aberit à ſcenico, nec uultu, nec manu, nec excurſionibus
nimius. Nam ſi qua in his ars eſt dicentium,ea prima eſt,ne ars
eſſe uideatur. Quod eſt igitur huius doctoris officium? In pri=
mis uitia,ſiqua ſunt,oris emendet,ut expreſſa ſint uerba,ut ſuis
quæq; literæ ſonis enuntientur. Quarundam enim uel exilitate,
uel pinguitudine nimia laboramus: quaſdam uelut acriores pa=
rum*efficimus,& aliis non diſſimilibus, ſed quaſi hebetioribus *efferimus
permutamus. Quippe ρ literæ qua Demoſthenes quoq; labo=
rauit, λ ſuccedit,quarum uis eſt apud nos quoq;: & cum c, ac
ſimiliter t non ualuerũt,in g ac d molliuntur. Ne puero qui
dem illas circa s literam delicias hic magiſter fieret, nec uerba
in faucibus patietur audiri, nec oris inanitate reſonare, nec
quod minime ſermoni puro conueniat, ſimplicem uocis naturã
pleniore quodam ſono circũlinire, quod Græci καταπεπλασμέ=
νον dicũt. Sic appellatur cantus tibiarum,quæ præcluſis quibus
clareſcunt foraminibus, recto modo exitu grauiorem ſpiritum
reddunt. Curabit etiam,ne extremæ ſyllabæ intercidant,ut par
ſibi ſermo ſit,ut quoties exclamandum erit,laterum conatus ſit
ille,non capitis: ut geſtus ad uocem,uultus ad geſtum accõmode
tur. Obſeruandum erit etiam,ut recta ſit facies dicẽtis,ne labra

detor

detorqueantur, ne immodicus hiatus rictum distendat, ne supinus uultus, ne deiecti in terram oculi, ne inclinata utrolibet cer uix: Nam frons pluribus generibus peccat. Vidi multos, quorũ supercilia ad singulos uocis conatus alleuarentur, aliorum constricta, aliorum etiam dißidentia, cum altero in uerticem tenderent, altero penè oculus ipse premeretur. Infinitum autem, ut mox dicemus, in his quoq; rebus momentum est. Et nihil potest placere, quod nõ decet. Debet etiam docere Comœdus, quo modo narrandum, qua sit autoritate suadendum, qua concitatione consurgat ira, quis flexus deceat miserationem. Quod ita optime faciet, si certos ex comœdijs elegerit locos, & ad hoc maxime idoneos, id est, actionibus similes. Iidem autem ad pronuntiandum non modo utilißimi, uerum ad augendam quoq; eloquentiam maxime accõmodati erunt. Et hæc dum infirma ætas maiora non capiet. Cæterum cum legere orationes oportebit, cum uirtutes earum iam sentiet, tum mihi diligẽs aliquis, ac peritus aßistat, neq; solum lectione formet, uerum edisce re etiã electa ex his cogat, & ea dicere stantem clare: & quemadmodum agere oportebit, ut protinus pronuntiatione uocem & memoriam exerceat. Ne illos quidem reprehendendos puto, qui paulum etiam palæstricis uacauerunt. Non de ijs loquor, quibus pars uitæ in oleo, pars in uino consumitur, qui corporis curam mentem obruerunt. Hos enim abesse ab eo, quem instituimus quãlongißime uelim. Sed nomen est idem ijs à quibus gestus motusq; formantur, ut recta sint brachia, ne indoctæ rusticæue manus, ne status indecorus, ne qua in proferendis pedibus inscitia, ne caput oculiq; ab alia corporis inclinatione dißideant. Nam neq; hoc esse in parte pronũtiationis negauerit quisquam, nec ipsam pronuntiationem ab oratore secernet. Et certè quod facere oporteat, nõ indignandum est discere, cum præsertim hæc chironomia, quæ est, ut nomine ipso declaratur, lex gestus, & ab illis tẽporibus heroicis orta sit, & à summis Græciæ uiris, & ab ipso

Palæstrica.

ab ipso etiam Socrate probata, à Platone quoq; in parte ciuilĩ posita uirtutum, & Chrysippo in præceptis de liberorũ educatione compositis nõ omissa. Nam Lacedæmonios quidẽ etiã saltationem quandã, tanquam ad bella quoq; utilem, habuisse inter exercitationes accepimus. Neq; id ueteribus Romanis dedecori fuit. Argumentum est sacerdotum nomine, ac religione durans ad hoc tẽpus saltatio. Et illa in tertio Ciceronis de Oratore lib. uerba Crassi, quibus præcepit, ut orator utatur laterum inclinatione fõrti, ac uirili, non à scena & histrionibus, sed ab armis, aut etiam à palæstra, cuius etiam disciplinæ usus in nostrã usq; ætatem sine reprehensione descendit. A me tamen nec ultra pueriles annos retinebitur, nec in ijs ipsis diu: neq; enim gestũ oratoris componi ad similitudinem saltationis uolo, sed subesse aliquid ex hac exercitatione puerili, unde nos non id agentes, furtim decor ille discentibus traditus prosequatur.

An prædicta discenda sint eodem tempore.

CAP. XX.

QVæri solet, an, etiam si discenda sint hæc, eodem tempore tamen tradi omnia, & percipi posßint. Negant enim quidam, quia confundatur animus, ac fatigetur, tot disciplinis in diuersum tendentibus, ad quas nec mens, nec corpus, nec dies ipse sufficiat. Etsi maxime patiatur hæc ætas robustior, tamẽ pueriles annos onerari non oporteat. Sed non satis perspiciunt, quãtum natura humani ingenij ualeat, quæ ita est agilis, & uelox, sic in omnem partẽ, ut ita dixerim, spectat, ut ne posßit quidem aliquid agere tantũ unum, in plura uero nõ eodẽ die modò, sed eodem temporis momento, uim suã impendat. An uero citharœdi, non simul & memoriæ, & sono uocis, & pluribus flexibus seruiunt? cum interim alios neruos dextra percutiũt, alios leua trahunt, cõtinent, probant, ne pes quidẽ otiosus certã legẽ temporum seruat. Et hæc pariter omnia. Quid nos agendi subita necessitate deprehensi? non'ne alia dicimus, alia prouidemus? cum

cum pariter inuentio rerum, electio uerborum, compositio, gestus, pronuntiatio, uultus, motusq; desiderentur. Quæ si uelut uno conatu tam diuersa parent simul, cur nõ plurimis curis horas patiamur? cum præsertim reficiat animos, ac reparet uarietas ipsa, contraq; sit aliquanto difficilius in labore uno perseuerare? Ideo & stylus lectione requiescit, & ipsius lectionis tædium uicibus leuatur. Quamlibet multa egerimus, quodã tamen modo recentes sumus ad id quod incipimus. Quis non obtundi posit, si per totum diem cuiuscunq; artis unum magistrum ferat? mutatione recreabitur: sicut in cibis, quorum diuersitate reficitur stomachus, & pluribus minore fastidio alitur. Aut dicant isti mihi, quæ sit alia ratio discendi, si grammatico soli deseruiamus, deinde geometræ tantum. Omittamus interim quod didicimus, mox transeamus ad musicum, excidant priora, & cùm Latinis studebimus literis, non respiciamus ad Græcas, & ut semel finiam, nihil faciamus nisi nouissimum. Cur non idem suademus agricolis, ne arua simul & uineta, & olcas, & arbustũ colant: ne pratis, & pecoribus, & hortis, & aluearibus auibusq; accõmodent curam? Cur ipsi aliquid forẽsibus negotijs, aliquid desiderijs amicorũ, aliquid rationibus domesticis, aliquid curæ corporis, nonnihil uoluptatibus quotidie damus? quarum nos unaquælibet nihil intermittentes fatigaret. Adeò facilius est multa facere, quàm diu. Illud quidẽ minime uerendum est, ne laborẽ studiorum pueri difficilius tolerẽt: neq; enim ulla ætas minus fatigatur. Mirum sit forsitan, sed experimentis deprehendas. Nã & dociliora sunt ingenia prius quàm obduruerunt. Id uel hoc argumento patet, quòd intra biennium quàm uerba recte formare potuerunt, quamuis nullo instante, omnia ferè loquuntur. At nouitijs nostris, per quot annos sermo latinus repugnat? Magis scias, si quẽ iam robustum instituere literis cœperis, non sine causa dici παιδαγωγὸς eos, qui in sua quidq; arte optime faciant. Et patientior est laboris natura pueris, quàm iuuenibus.

Videli

Videlicet ut corpora infantium, nec casus, quo in terram toties defrũtur, tam grauiter affligit: nec illa per manus, & genua reptatio, nec post breue tẽpus continui lusus, & totius diei discursus, quia pondus illis abest, nec se ipsi grauant: sic animi quoq;, quia minore conatu mouentur, nec suo nisu studijs insistunt, sed formandos se tantummodo præstant, non similiter fatigãtur. Præterea secundum aliam ætatis illius facilitatẽ, uelut simplicius docentes sequuntur, nec quæ iam egerint, metiuntur. Abest illis etiam adhuc laboris iudiciũ. Porrò ut frequenter experti sumus, minus afficit sensus fatigatio, quàm cogitatio. Sed ne tẽporis quidem unquã plus erit, quia his ætatibus omnis in audiendo profectus est. Cùm ad stylum secedet, cùm generabit ipse aliquid atq; componet, tum inchoare hæc studia uel non uacabit, uel non libebit. Ergo cum grammaticus totum diem occupare nõ posit, nec debeat, ne discẽtis animum tædio auertat, quibus potius studijs hæc temporũ uelut succisiua donabimus? Nam nec ego consumi studentẽ in his artibus uolo, nec ut moduletur, aut musicis notis cantica excipiat, nec uti ad minutissima usq; Geometriæ opera descendat. Non comœdum in pronũtiando, nec saltatorẽ in gestu facio: quæ si omnia exigerem, suppeditabit tamen tempus: longa est enim quæ discit ætas, & ego non de tardis ingenijs loquor. Deniq; cur in his omnibus, quæ discenda oratori futuro puto, eminuit Plato? qui non contentus disciplinis, quas præstare poterant Athenæ, nõ Pythagoreorum, ad quos in Italiam nauigauerat, Aegypti quoq; sacerdotes adijt, atq; eorum arcana perdidicit. Difficultatis patrocinia præteximus segnicie. Neq; enim nobis operis amor est, nec quia sit honesta, atq; rerum pulcherrima eloquẽtia, petitur ipsa, sed ad uilem usum, & sordidum lucrum accingimur. Dicant sine his in foro multi, & acquirant, dũ sit locupletior aliquis sordidæ mercis negotiator, & plus uoci suæ debeat præco: ne uelim quidem lectorem dari mihi quid studia referant computaturum. Qui uero imaginem

Plato.

ipsam

ipſam eloquentiæ diuina quadam mente cõceperit, quiq; illam, ut ait Sophocles non ignobilis tragicus, reginam rerum oratio nem ponet ante oculos, fructumq; non ex ſtipe aduocationum, ſed ex animo ſuo, & cõtemplatione, ac ſcientia petet, perpetuũ illum, nec fortunæ ſubiectum, facile perſuadebit ſibi ut tempora, quæ ſpectaculis, campo, teſſeris, ocioſis deniq; ſermonibus, ne di cam ſomno, & conuiuiorũ mora conterunt, Geometræ potius, ac Muſico impendat, quãto plus delectationis habiturus, quàm ex illis ineruditis uoluptatibus? Dedit enim hoc Prouidentia ho minibus munus, ut honeſta magis iuuarent. Sed nos hæc ipſa dulcedo lõgius duxit. Hactenus ergo de ſtudijs, quibus antequã maiora capiat, puer inſtituendus eſt: proximus liber uelut nouũ ſumet exordium, & ad rhetoris officia tranſibit.

M. FAB. QVINTILIANI DE INSTITVTIONE Oratoria, Liber ſecundus.

Quando Rhetori ſit tradendus puer.

CAP. I.

VENIT conſuetudo, quæ quotidie magis inualeſcit, ut præceptoribus eloquentiæ, Latinis quidem ſemper, ſed etiam Græcis interim diſcipuli ſerius, quàm ratio poſtulat traderentur. Eius rei duplex eſt cauſa, quòd & rhetores utiq; noſtri ſuas partes omiſerunt, & grammatici alienas occupauerunt. Nam & illi declamare modò, & ſcientiã declamandi, ac facultatem tradere, officij ſui ducunt, idq; intra deliberatiuas, iudiciales q; materias: nam cætera, ut profeſſione ſua minora, deſpiciunt. Et hi non ſatis credunt excepiſſe, quæ derelicta erant, quo nomine gratia quoq; his habẽda eſt: ſed ad Proſopopœias uſq;, & ad ſuaſorias, in quibus onus dicendi uel maximum

ximum eſt, irrumpunt. Hinc ergo accidit, ut quæ alterius artis prima erant opera, facta ſint alterius nouiſſima, & ætas altioribus iam diſciplinis debita, in ſchola minore ſubſidat, ac rhetoricen apud grãmaticos exerceat. Itaq; quod eſt maxime ridiculũ, non antè ad declamandi magiſtrum mittendus uidetur puer, quàm declamare ſciat. Nos ſuum cuiq; profeſſioni modum demus, & grãmatice, quam in Latinũ transferẽtes Literaturã uocauerunt, fines ſuos norit, præſertim tantũ ab hac appellationis ſuæ paupertate, intra quam primi illi cõſtitere, prouecta. Nam tenuis à fonte, aſſumptis poëtarum hiſtoricorumq; uiribus, pleno iam ſatis alueo fluit, cum præter rationẽ recte loquendi non parum alioqui copioſam, propè omniũ maximarũ artium ſcientiam amplexa ſit: & rhetorice, cui nomen uis eloquendi dedit, officia ſua non detrectet, nec occupari gaudeat pertinentem ad ſe laborem, quæ dum opere cedit, iam penè poſſeſſione depulſa eſt. Nec inficiabor, aliquem ex ijs qui grammaticen profiteantur, eouſq; ſcientiæ progredi poſſe, ut ad hæc quoq; tradenda ſufficiat. Sed cũ id aget, rhetoris officio fungetur, non ſuo. Nos porrò quærimus, quãdo ijs, quæ rhetorice præcipit, percipiendis, puer maturus eſſe uideatur. In quo quidem non id eſt æſtimandum, cuius quiſq; ſit ætatis, ſed quantum in ſtudijs iam effecerit. Et ne diutius diſſeram, quando ſit rhetori tradendus, ſic optime finiri credo, cũ poterit. Sed hoc ipſum ex ſuperiore pendet quæſtione. Nam ſi grammatices munus uſq; ad ſuaſorias, quæ ſunt apud rhetorem materiæ inter rudimẽta dicendi, prorogatur, tardius rhetore opus eſt. At ſi rhetor prima officia operis ſui non recuſat, à narrationibus ſtatim, & laudandi uituperandiq; opuſculis cura eius deſideratur. An ignoramus, antiquis hoc fuiſſe ad augendam eloquentiam genus exercitationis, ut theſis dicerent, & cõmunes locos, & cætera citra complexum rerum perſonarumq;, quibus ueræ fictæq; controuerſiæ cõtinentur? Ex quo palàm eſt, quàm turpiter deſerat eam partem rhe-

torices institutio, quam & primã habuit, & diu solam. Quid autem est ex ijs, de quibus suprà dixi, quod nõ tum in alia quæ sunt rhetorum propria, tum certe in illud iudiciale causæ genus incidat? An nõ in foro narrandũ est? qua in parte nescio an sit uel plurimum. Non ne laus ac uituperatio certaminibus illis frequenter inseritur? Non cõmunes loci? siue qui sunt in uitia dicti, quales legimus à Cicerone compositos: seu quibus quæstiones generaliter tractantur? quales sunt editi à Quinto quoq; Hortensio, ut, sit ne paruis argumentis credendũ, & pro testibus, & in testes in medijs litium medullis uersantur. Arma sunt hæc quodammodo præparanda semper, ut his, cùm res poscat, utaris. Quæ qui pertinere ad oratorem non putabit, is ne statuã quidem inchoari credet, cum eius membra fundẽtur. Neq; hãc, ut aliqui putabunt, festinationem meam sic quisquam calumnietur, tanquam eum qui sit rhetori tradendus, abducendum proti nus à grammaticis putem. Dabuntur illis tum quoq; tempora sua, neq; erit uerendum, ne binis præceptoribus oneretur puer. Non enim crescet, sed diuidetur, qui sub uno miscebatur labor, & erit sui quisq; operis magister utilior, quod adhuc obtinẽt Græci, & à Latinis omissum est, & fieri uidetur excusate, quia sunt, qui labori isti successerint.

De moribus & officijs præceptorum.

CAP. II.

ERgo cum ad eas in studijs uires peruenerit puer, ut quæ prima esse præcepta rhetorum diximus, mẽte cõsequi possit, tradendus eius artis magistris erit. Quorũ in primis inspici mores oportebit. Quod ego non idcirco potissimum in hac parte tractare sum aggressus, quia non in cæteris quoq; doctoribus, idem hoc examinandum quàmdiligentissime putem, sicut testatus sum libro priore, sed quòd magis eius rei necessariam mentionem facit ætas ipsa discentium. Nam & adulti ferè pueri ad hos præceptores transferuntur, & apud eos iuuenes etiam facti

facti perseuerant. Ideoq; maior adhibenda tum cura est, ut & teneriores animos ab iniuria sanctitas docentis custodiat, & ferociores à licentia grauitas deterreat. Neq; uero satis est summam præstare abstinentiam, nisi disciplinæ seueritate conuenientiũ quoq; ad se mores astrinxerit. Sumat igitur ante omnia parentis erga discipulos suos animũ, ac succedere se in eorundẽ locum, à quibus sibi liberi tradantur, existimet. Ipse nec habeat uitia, nec ferat. Non austeritas eius tristis, nõ dissoluta sit comitas: ne inde odium, hinc contemptus oriatur. Plurimus ei de honesto, ac bono sermo sit. Nam quo sæpius monuerit, hoc rarius castigabit. Minime iracundus: nec tamen eorum quæ emendanda erunt dissimulator: Simplex in docendo, patiens laboris, assiduus potius, quàm immodicus. Interrogantibus libenter respondeat, non interrogantes percontetur ultrò. In laudandis discipulorum dictionibus nec malignus, nec effusus: quia res altera tædium laboris, altera securitatem parit. In emẽdando, quæ corrigenda erũt, non acerbus, minimeq; cõtumelioſus. Nam id quidem multos à proposito studendi fugat, quòd quidam sic obiurgant, quasi oderint. Ipse aliquid, imò multa quotidie dicat, quæ secum audita referant. Licet enim satis exemplorum ad imitandum ex lectione suppeditet, tamen uiua illa, ut dicitur, uox alit plenius, præcipueq; eius præceptoris, quem discipuli (si modò rectè sunt instituti) & amant, & uerentur. Vix autem dici potest, quanto libentius imitemur eos, quibus fauemus. Minime uero permittenda pueris (ut fit apud pleroſq;) assurgendi, exultandiq; in laudando licẽtia. Quinetiam iuuenum modicum esse, cum audient, testimonium debet. Ita fiet ut ex iudicio præceptoris discipulus pendeat, atq; id se dixisse recte, quod ab eo probabitur, credat. Illa uero uitioſissima, quæ etiam iam humanitas uocatur, inuicem qualiacunq; laudandi, cum est indecora, & theatralis, & seuere institutis in scholis aliena, tum studiorum perniciosissima hostis. Superuacua enim uidentur cura, ac

Vultus præceptoris.

labor, parata quicquid effuderint laude. Vultum igitur præceptoris intueri, tam qui audiunt debent, quàm ipse qui dicit. Ita enim probanda atq; improbanda discernĕt, sic stylo facultas cõtinget, auditioni iudicium. At nunc proni atq; succincti, ad omnem clausulam non exurgunt modò, uerumetiam excurrũt, & cum indecora exultatione cõclamant. Id mutuum est, & ibi declamationis fortuna. Hinc tumor, & uana de se persuasio, usq; adeò, ut illo condiscipulorum tumultu inflati, si parum à præceptore laudentur, ipsi de illo male sentiant. Sed se quoq; præceptores intente, ac modeste audiri uelint. Non enim iudicio discipulorum dicere debet magister, sed discipuli magistri. Quin, si fieri potest, intẽdendus animus in hoc quoq;, ut perspiciat quæ quisq;, & quomodo laudet, ut placere quæ bene dicet, non suo magis, quàm eorum nomine delectetur, qui recte iudicabũt. Pueros adolescentibus sedere permixtos, non placet mihi. Nam etiã si uir talis, qualem esse oportet studijs, moribusq; præpositum, modestam habere potest etiam iuuentutem, tamen uel infirmitas à robustioribus separanda est, & carendum non solum crimine turpitudinis, uerumetiã suspitione. Hæc notanda breuiter existimaui: nam ut absit ab ultimis uitijs ipse præceptor, ac schola, ne præcipiendum quidem credo. Ac si quis est, qui flagitia manifesta in deligendo filij præceptore non euitet, iam hinc sciat cætera quoq;, quæ ad utilitatem iuuentutis componere conamur, esse sibi, hac parte omissa, superuacua.

An protinus præceptore optimo sit utendum. CAP. III.

NE illorum quidem persuasio silentio transeunda est, qui etiam cum idoneos rhetori pueros putauerunt, non tamẽ continuo tradendos eminentissimo credunt: Sed apud minores aliquãdiu detinent, tanquam instituendis artibus magis sit apta mediocritas præceptoris, cum ad intellectum atq; imitationẽ facilior, tum ad suscipiẽdas elementorũ molestias minus superba.

Qua

Qua in re mihi non arbitror diu laborandũ, ut ostendam quãto sit melius optimis imbui, quantáq; in eluendis, quæ semel insederint, uitijs difficultas consequatur, cum geminatum onus succedentes premat. Et quidem dedocendi grauius, ac prius, quàm docendi. Propter quod Timotheum clarum in arte tibiarum, ferunt duplices ab ijs, quos alius instituisset, solitum exigere mercedes, quàm si rudes traderentur. Error tamen est in re duplex: unus, quòd interim sufficere illis minores existimant, & bono sani stomacho contenti sunt. Quæ quanquam & ipsa reprehẽsione digna securitas, tamen esset utcunq; tolerabilis, si eiusmodi præceptores minus docerent, non peius. Alter error, ille etiã frequentior, quòd eos qui ampliorem dicendi facultatem sint cõsecuti, non putant ad minora descendere. Idq; interim fieri, quia fastidiant præstare hanc inferioribus curã, interim quia omnino nõ possint. Ego porrò cum qui nolit, in numero præcipientium non habeo: posse autem maximè si uelit, optimum quenq; contendo. Primùm, quòd cum qui eloquentia cæteris præstet, illa quoq;, per quæ ad eloquentiam peruenitur, diligentissime percepisse credibile est: deinde, quia plurimum in præcipiendo ualet ratio, quæ doctissimo cuiq; planissima est. Postremo, quia nemo sic in maioribus eminet, ut cum minora deficiant. Nisi forte Iouem quidem Phidias optime fecit, illa autem quæ in ornamẽtum eius operis accedunt, alius melius elaborasset: aut orator lo qui nesciet, aut leuiores morbos curare nõ poterit præstantissimus medicus. Quid ergo? non est quædam eloquentia maior, quàm ut eam intellectu consequi puerilis infirmitas possit? Ego uero confiteor, sed hunc difertum præceptorem, prudentẽ quoque, & non ignarum docendi esse oportebit, submittentem se ad mensuram discentis, ut uelocissimus quisq;, si forte iter cum paruulo faciat, det manum, & gradum suum minuat, nec procedat ultra, quàm comes possit. Quid? si plerunq; accidit, ut faciliora sint ad intelligendum, & lucidiora multo, quæ à doctissi-

mo quoq; dicuntur? Nam & prima est eloquentiæ uirtus perspicuitas: & quo quisq; ingenio minus ualet, hoc se magis attollere, & dilatare conatur: ut statura breues in digitos erigũtur, & plura infirmi minantur. Nam tumidos, & corruptos, & tinnulos, & quocunq; alio cacozeliæ genere peccantes, certũ habeo non uirium, sed infirmitatis uitio laborare, ut corpora non robore, sed ualetudine inflantur, & recto itinere lapsi, plerũq; diuertunt. Erit ergo etiam obscurior quo quisq; deterior. Non excidit mihi scripsisse me in libro priore, cum potiorem in scholis eruditionem esse, quàm domi dicerem, libentius se prima studia, teneros q; profectus ad imitationem condiscipulorum quæ facilior esset, erigere: Quod à quibusdam sic accipi potest, tanquã hæc, quam nunc tueor, sententia priori diuersa sit. Id à me procul aberit: nanq; ea causa uel maxima est, cur optimo cuiq; præceptori sit tradendus puer, quòd apud eum discipuli quoq; melius instituti, aut dicent quod inutile non sit imitari, aut si quid errauerint, statim corrigentur. At indoctus ille etiam probabit fortasse uitiosa, & placere audientibus iudicio suo coget. Sit ergo tam eloquentia, quàm moribus præstantissimus, qui ad Phœnicis Homerici exemplum dicere, ac facere doceat. Lib. x. Iliad.

De primis apud Rhetorem exercitationibus. CAP. IIII.

HInc iam quas primas in docendo partes rhetorũ putem, tradere incipiam, dilata parumper illa, quæ sola uulgò uocatur, arte rhetorica. Ac mihi opportunus maxime uidetur ingressus ab eo, cuius aliquid simile apud grãmaticos puer didicerit. Et quia narrationũ, excepta qua in causis utimur, tres accepimus species: Fabulam, quæ uersatur in Tragœdijs atq; carminibus, nõ à ueritate modò, sed etiam à forma ueritatis remotam: Argumentum, quod falsum, sed uerisimile Comœdiæ fingunt: Historiam, in qua est gestæ rei expositio. Grammaticis autem poëticas dedimus: apud rhetorem initium sit historia, tanto robustior Narrationũ tres species.

bustior, quanto uerior. Sed narrandi quidem, quæ nobis optima ratio uideatur, tum demonstrabimus, cũ de iudiciali parte dicemus. Interim admonere illud sat est, ut sit ea neq; arida prorsus, neq; ieiuna. Nam quid opus erat tantum studijs laboris impendere, si res nudas atq; inornatas indicare satis uideretur? Neq; rursus sinuosa, & accersitis descriptionibus, in quas pleriq; imitatione poëticæ licẽtiæ ducũtur, lasciuiat. Vitiũ utrunq;, peius tamen illud quod ex inopia, quàm quod ex copia uenit. Nam in pueris oratio perfecta nec exigi, nec sperari potest: melior autem est indoles læta generosiq; conatus, & uel plura iusto cõcipiens interim spiritus. Nec unquam me in his discentis annis offendat, si quid superfuerit: quin ipsis doctoribus hoc esse curæ uelim, ut teneras adhuc mentes moræ nutricũ mollius alant, & satiari ueluti quodã iucũdioris disciplinæ cibo lacteq; patiantur. Erit illud plenius interim corpus, quod mox adulta ætas astringat: hinc spes roboris. Maciem nanq; & infirmitatẽ in posterum minari solet, protinus omnibus membris expressus infans. Audeat hæc ætas plura, & inueniat, & inuẽtis gaudeat, sint licet illa nõ satis sicca interim ac seuera. Facile remediũ est ubertatis, sterilia nullo labore uincuntur. Illa mihi in pueris natura minimum spei dederit, in qua ingeniũ iudicio præsumitur. Materiam esse primum uolo uel abundantiorem, atque ultrà quàm oporteat fusam. Multum inde decoquent anni, multũ ratio limabit, aliquid uelut usu ipso deteretur. Sit modò unde excidi possit, & quod excalpi: Erit autem, si non ab initio tenuem nimium laminam duxerimus, & quam cælatura altior rumpat. Quod me de his ætatibus sentire minus mirabitur, qui apud Ciceronem legerit: Volo enim se efferat in adolescente fœcunditas. Quapropter in primis euitãdus, & in pueris præcipue, magister aridus, nõ minus quàm teneris adhuc plãtis siccũ & sine humore ullo solum. Inde fiunt humiles statim, & uelut terram spectantes, qui nihil supra quotidianum sermonẽ attollere audeant * animus De orat. 2.

deant. Macies illis pro ſanitate, & iudicij loco infirmitas eſt: & dum ſatis putant uitio carere, in idipſum incidunt uitium, quòd uirtutibus carent. Quare ma[illegible] ne maturitas quidē ipſa feſtinet, nec muſta in lacu ſtatim auſtera ſint: ſic & annos ferent, & uetuſtate proficiēt. Ne illud quidē quod admoneamus indignū eſt, ingenia puerorū nimia interim emēdationis ſeueritate deficere: nam & deſperant, & dolent, & nouißime oderunt: & quod maxime nocet, dum omnia timent, nihil conantur. Quod etiam ruſticis notum eſt, qui frondibus teneris non putant adhibēdam eſſe falcem, quia reformidare ferrum uidentur, & nondum cicatricem pati poſſe. Iucundus ergo tum maxime debet eſſe præceptor, ut remedia, quæ alioqui natura ſunt aſpera, molli manu & leui leniantur, laudare aliqua, ferre quæda, mutare etiā, reddita cur id fiat ratione, illuminare, interponēdo aliquid ſui. Nōnunquam hoc quoq; erit utile, totas ipſum dictare materias, quas & imitetur puer, & interim tanquam ſuas amet. At ſi tam negligens ei ſtylus fuerit, ut emendationem non recipiat, expertus ſum prodeſſe, quoties eandem materiam rurſus à me retractatam ſcribere de integro iuberem: poſſe enim eū adhuc melius, quatenus nullo magis ſtudio, quàm ſpe gaudēt. Aliter autē alia ætas emendanda eſt, & pro modo uirium, & exigendū, & corrigendum opus. Solebam ego dicere pueris aliquid auſis licentius aut lætius, laudare illud me adhuc, uenturum tempus, quo idem non permutterem: ita & ingenio gaudebant, & iudicio nō fallebantur. Sed ut eò reuertar unde egreſſus ſum, narrationes ſtylo componi, quanta maxima poſſit adhibita diligentia, uolo. Nam ut primo cum ſermo inſtituitur, dicere quæ audierint, utile eſt pueris ad loquendi facultatem, ideoq; & retro agere expoſitionem, & à media in utranq; partem diſcurrere ſanè meritò cogantur, ſed ad gremium præceptoris, & dum aliud non poſſunt, & dum res ac uerba connectere incipiunt, ut protinus memoriam firment: ita cum iam formam rectè loquendi, atque

emenda

emendatæ orationis accipient, extemporalis garrulitas, nec expectata cogitatio, & uix ſurgendi mora, circulatoriæ uerè iactationis eſt. Hinc parentū imperitorū inane gaudium, ipſis uero contemptus operis, & inuerecūda frons, & cōſuetudo peßime dicendi, & malorum exercitatio, & quæ magnos quoq; profectus frequenter perdidit, arrogans de ſe perſuaſio innaſcitur. Erit ſuum parandæ facilitatis tempus, neq; à nobis negligenter locus iſte tranſibitur. Interim ſatis eſt, ſi puer omni cura & ſummo (quantū illa ætas capit) labore aliquid probabile ſcripſerit, in hoc aſſueſcat, huius rei ſibi naturam faciat. Ille demum in id quod quærimus, aut ei proximum, poterit euadere, qui antè diſcet rectè dicere, quàm cito. Narrationibus nō inutiliter ſubiungitur opus deſtruendi cōfirmandiq; eas, quòd ἀνασκευὴ καὶ κατασκευὴ uocatur. Id porrò non tantum in fabuloſis, & carmine traditis fieri poteſt, uerumetiam in ipſis annalium monimentis, ut ſi quæratur, an ſit credibile ſuper caput Valerij pugnantis ſediſſe coruum, qui os oculoſq; hoſtis Galli roſtro atq; alis euerberaret. Sit in utranq; partem ingens ad dicendū materia, ut de ſerpente quo Scipio traditur genitus, & Lupa Romuli, & Aegeria Numæ. Nam Græcis hiſtoricis plerunq; Poëticæ ſimilis eſt licētia. Sæpe etiā quæri ſolet de tēpore, de loco, quo geſta res dicitur, nonnunquam de perſona quoq;, ſicut Liuius frequentißime dubitat, & alij ab alijs hiſtoricis diſſentiūt. Inde paulatim ad maiora tendere incipiet, laudare claros uiros, & uituperare improbos, quod non ſimplicis utilitatis opus eſt. Nanq; & ingenium exercetur multiplici uariaq; materia, & animus cōtemplatione recti, prauiq; formatur, & multa inde cognitio rerū uenit, exemplisq;, quæ ſunt in omni genere cauſarū potentißima, iam tum inſtruitur, cū res poſcet uſurus. Hinc illa quoq; exercitatio ſubit cōparationis, uter melior, uterue deterior: quæ quanquam uerſatur in ratione ſimili, tamen & duplicat materiam, & uirtutum uitiorumq;, nō tantum naturam, ſed

etiam modũ tractat. Verum de ordine laudis, cõtraq́;, quoniam tertia hæc rhetorices pars est, præcipiemus suo tempore. Et cõmunes loci (de his loquor, quibus citra personas in ipsa uitia moris est perorare, ut in adulterũ, aleatorem, peculatorẽ) ex me-
* abijcias dijs sunt iudicijs, & si reum * adijcias, accusationes, quanquã hi quoq; ab illo generali tractatu ad quasdã deduci species solent, ut si ponatur adulter cæcus, aleator pauper, petulans senex. Habent autẽ nonnũquam etiã defensionẽ. Nam & pro luxuria & pro amore dicimus, & leno interim parasitusq; defenditur, sic ut nõ homini patrocinemur, sed crimini. Theses autem quæ sumuntur ex rerum cõparatione, ut rustica ne uita, an urbana potior: iurisperiti, an militaris uiri laus maior, mire sunt ad exercitationem dicendi spatiosæ atq; uberes, quæ uel ad suadendi officium, uel etiam ad iudicium disceptationemq; iuuant plurimum. Nam posterior ex prædictis locus, in causa Murænæ copiosissime à Cicerone tractatur. Sunt & illæ penè totæ ad deliberatiuum pertinẽtes genus, ducenda ne uxor, petendi ne sint magistratus. Nanq; hæ personis modò adiectis suasoriæ erunt. Solebant præceptores mei, nec inutili, & nobis etiã iucundo genere exercitationis, præparare nos coniecturalibus causis, cũ quærere atq; exequi iuberent, cur armata apud Lacedæmonios Venus, & quid ita crederetur Cupido puer, ac uolucer, & sagittis ac face armatus, & similia. In quibus scrutabamur uoluntatẽ, cuius in cõtrouersijs frequens quæstio est, quod genus chriæ uideri possit. Nam locos quidem, quales sunt de testibus, semper ne his credẽdum, & de argumentis, an habenda etiã paruis fides, adeò manifestũ est ad forenses actiones pertinere, ut quidam nec ignobiles in officijs ciuilibus, scriptos eos, memoriæq; diligentissime mandatos, in promptu habuerint, ut quoties esset occasio, extẽporales eorũ dictiones his uelut emblematis exornarentur. Quo quidem (nec enim huius rei iudicium differre sustineo) summam uidebantur mihi infirmitatem de se confiteri.

Nam

Nam quid hi possint in causis, quarũ uaria ac noua semper est facies, propriũ inuenire? quomodo propositis ex parte diuersa respondere? altercationibus uelociter occurrere? testem rogare? qui etiam in ijs, quæ sunt communia, & in plurimis causis tractantur, uulgatissimos sensus uerbis, nisi tanto antè præparatis, prosequi nequeant? Necesse est his, cum eadem iudicijs pluribus dicunt, aut fastidiũ moueant, ueluti frigidi & repositi cibi, aut pudorem, deprehensa toties audientiũ memoria, infelix supellex, quæ sicut apud pauperes ambitiosos, pluribus & diuersis officijs cõteratur, cũ eo quidem, quòd uix ullus est tam communis locus, qui possit cohærere cũ causa, nisi aliquo propriæ quæstionis uinculo copulatus: appareatq; eum non tam insertum quàm applicitum, uel quòd dissimilis est cæteris, uel quòd plerũq; assumi etiam parũ apte solet, non quia desideratur, sed quia paratus est, ut quidam sententiarũ gratia uerbosissimos locos arcessunt, cum ex locis debeat nasci sentẽtia. Ita sunt autem speciosa hæc & utilia, si oriuntur ex causa. Cæterum quãlibet pulchra locutio, nisi ad uictoriam tendit, utiq; superuacua, sed interim etiam cõtraria est. Verum hactenus euagari satis fuerit. Legũ laus & uituperatio iam maiores, ac propè summis operibus suffecturas uires desiderant, quæ quidẽ suasorijs, an controuersijs magis accõmodata sit exercitatio, cõsuetudine & iure ciuitatũ differt. Apud Græcos enim lator earũ ad iudicẽ uocabatur, Romanis pro concione suadere, ac dissuadere moris fuit. Vtroq; autem modo pauca de his, & ferè certa dicuntur. Nam & genera sunt tria, sacri, publici, priuati iuris. Quæ diuisio ad laudẽ magis spectat, si quis eam per gradus augeat, quòd lex, quòd publica, quòd ad religionem deũm cõparata sit. Ea quidẽ de quibus quæri solet, cõmunia omnibus. Aut enim de iure dubitari potest eius qui rogat, ut de P. Clodij qui non rite creatus Tribunus arguebatur: aut de ipsius rogationis, quod est uariũ, siue non trino fortè nundino promulgata, siue non idoneo die,

siue

legitimis. siue cõtra intercessiones, uel auspicia, aliud'ue quid quod legitime obstet, dicitur lata esse, uel ferri, siue alicui manentiũ legum repugnare. Sed hæc ad illas primas exercitationes non pertinent: nam sunt hæ citra cõplexum personarum, temporum, causarum. Reliqua eadem ferè uero fictoq; certamini huiusmodi tractantur. Nam uitium, aut in uerbis, aut in rebus est. In uerbis quæritur, an satis significent, an sit in his aliquid ambiguum: In rebus, an lex sibi ipsa consentiat, an in præteritum referri debeat, an in singulos homines. Maxime uero cõmune est quærere, an sit honesta, an utilis. Nec ignoro plures fieri à pleriscq; partes, sed nos iustum, pium, religiosum, cæteraq; his similia, honesto cõplectimur. Iusti tamen species non simpliciter excuti solet. Aut enim de re ipsa quæritur, ut digna'ne pœna, uel præmio sit: aut de modo præmij pœnæ'ue, qui tam maior quàm minor culpari potest. Vtilitas quoq; interim natura discernitur, interim tempore. Quædam an obtineri possint, ambigi solet. Ne illud quidem ignorare oportet, leges aliquando totas, aliquando ex parte reprehendi solere, cùm exemplum rei utriusq; nobis claris orationibus præbeatur. Nec me fallit, eas quoq; leges esse, quæ non in perpetuum rogentur, sed de honoribus, aut imperijs, qualis Manilia fuit, de qua Ciceronis oratio est. Sed de his nihil hoc loco præcipi potest. Constant enim propria rerum, de quibus agitur, non communi qualitate. His ferè ueteres facultatem dicendi exercuerunt, assumpta tamen à dialecticis argumentandi ratione. Nam fictas ad imitationem fori, consiliorumq; materias apud Græcos dicere, circa Demetrium Phalerea institutum ferè constat. An ab ipso id genus exercitationis sit inuentum, ut alio quoq; libro sum confessus, parum compereri. Sed ne ij quidem, qui hoc fortissime affirmant, ullo satis idoneo autore nituntur. Latinos uero dicendi præceptores, extremis L. Crassi temporibus cœpisse Cicero autor est, quorum insignis maxime Plotius fuit.

Plotius.

De lectione

De lectione Oratorum, & Historicorum apud Rhetorem. CAP. V.

SEd de ratione declamandi post paulùm interim, quia prima rhetorices rudimenta tractamus, non omittendum uidetur id quoq;, ut moneam, quantum sit collaturus ad profectum discentium rhetor, si quemadmodum à grãmaticis exigitur Poëtarum enarratio, ita ipse quoq; historiæ, atq; etiam magis orationum lectione, susceptos à se discipulos instruxerit, quod nos in paucis, quorum id ætas exigebat, & parentes utile esse crediderant, seruauimus. Cæterum sentientibus iam tum optima, duæ res impedimento fuerunt, quòd & longa consuetudo aliter docendi fecerat legem, & robusti ferè iuuenes, nec hunc laborem desiderantes, exemplum nostrum sequebantur. Nec tamẽ etiam si quid noui uel sero inuenissem, præcipere in posterum puderet. Nunc uero scio id fieri apud Græcos, sed magis per adiutores, quia non uidentur tempora suffectura, si legentibus singulis præire semper ipsi uelint. Et hercle prælectio, quæ in hoc adhibetur, ut facile atq; distincte pueri scripta oculis sequantur, etiam illa quæ uim cuiusq; uerbi, si quid minus usitatum incidat, docet, multum infra rhetoris officium existimanda est. At demonstrare uirtutes, uel siquando ita incidat, uitia, id professionis eius atq; promissi, qui se magistrum eloquentiæ pollicetur, maxime proprium est: eò quidem ualidius, quòd non utiq; hunc laborem docentium postulo, ut ad gremium reuocatis cuius quisq; eorum uelit libri lectioni deseruiant. Nam mihi cùm facilius, tum etiam multo uidetur magis utile, facto silentio, unum aliquem (quod ipsum imperari per uices optimũ est) constituere lectorem, ut protinus pronuntiationi quoq; assuescant, tum exposita causa, in quam scripta legitur oratio (nam sic clarius quæ dicentur, intelligi poterunt) nihil otiosum pati, quodq; in inuentione, quodq; in elocutione annotandum erit, quæ in proœmio conciliandi iudicis ratio, quæ narrandi lux, breuitas,

fides,

fides, quod aliquando consilium, & quàm occulta calliditas. Nanq; ea sola in hoc ars est, quæ intelligi, nisi ab artifice non possit. Quanta deinceps in diuidendo prudentia, quàm subtilis & crebra argumẽtatio, quibus uiribus inspiret, qua iucunditate permulceat, quanta in maledictis asperitas, in iocis urbanitas, ut deniq; dominetur in affectibus, atq; in pectora irrumpat, animumq; iudicum simulem ijs, quæ dicit, efficiat. Tum in ratione eloquẽdi, quod uerbũ proprium, ornatũ, sublime, ubi amplificatio laudanda, quæ uirtus ei cõtraria, quod speciose translatum, quæ figura uerborũ, quæ lenis & quadrata, sed uirilis tamẽ compositio. Ne id quidem inutile, etiam corruptas aliquando & uitiosas orationes, quas tamẽ pleriq; iudiciorum prauitate mirantur, legi palàm pueris, ostendiq; in his quàm multa impropria, obscura, tumida, humilia, sordida, lasciua, effœminata sint, quæ nõ laudantur modò à plerisq;, sed, quod peius est, propter hoc ipsum, quòd sunt praua, laudantur. Nam sermo rectus, & secundum naturam enuntiatus, nihil habere ex ingenio uidetur. Illa uero, quæ utcunq; deflexa sunt, tanquàm exquisitiora miramur, nõ aliter quàm distortis, & quocũq; modo prodigiosis corporibus, apud quosdam maius est pretium, quàm ijs quæ nihil ex cõmunis habitus bonis perdiderũt. Atq; etiam qui specie capiuntur, uulsis, leuatisq;, & inustas comas acu comentibus, & non suo colore nitidis, plus esse formæ putant, quàm posit tribuere incorrupta natura, ut pulchritudo corporis uenire uideatur ex malis moribus. Nec solum hæc ipse debebit docere præceptor, sed frequenter interrogare, & iudicium discipulorum experiri. Sic audientibus securitas aberit, nec quæ dicentur præterfluent aures, simulq; ad id perducẽtur, quod ex hoc quæritur, ut inueniant ipsi & intelligant. Nam quid aliud agimus docendo eos, quàm ne semper docendi sint? Hoc diligentiæ genus ausim dicere plus collaturum discentibus, quàm omnes omnium artes, quæ iuuant sine dubio multum, sed latiore quadam comprehensione,

sione, per omnes quidem species rerum quotidie penè nascentium ire qui possunt? Sicut de re militari, quanquàm sunt tradita quædam præcepta communia, magis tamen proderit scire, qua ducum quisque ratione, in quali loco, tempore sit usus sapienter, aut contrà. Nam in omnibus ferè minus ualent præcepta quàm experimẽta. An uero declamabit quidem præceptor, ut sit exemplo suis auditoribus? non plus contulerint lecti Cicero aut Demosthenes? Corrigetur palàm, si quid in declamando discipulus errauerit. Non potentius erit emendare orationem? quinimò etiam iucundius: aliena enim uitia quisque reprehendi mauult quàm sua. Nec deerant plura, quæ dicerem, sed neminem hæc utilitas fugit, atque utinam tam non pigeat facere istud, quàm non displicebit.

Qui primi legendi. CAP. VI.

QVod si potuerit obtineri, non ita difficilis supererit quæstio, qui legendi sint incipientibus. Nam quidam illos minores, quia facilior eorum intellectus uidebatur, probauerunt: alij floridius genus, ut ad alenda primarum ætatum ingenia magis accõmodatum. Ego optimos quidem & statim, & semper, sed tamen eorum candidissimum quenq;, & maxime expositum uelim, ut Liuium à pueris magis quàm Sallustium, & hic historiæ maioris est autor, ad quem tamen intelligendum iam profectu opus sit. Cicero, ut mihi quidem uidetur, & iucundus, incipientibus quoq;, & apertus est satis, nec prodesse tantum, sed etiam amari potest: tum quemadmodum Liuius præcipit, ut quisq; erit Ciceroni simillimus. Duo autem genera maxime caueuenda pueris puto. Vnum, ne quis eos antiquitatis nimius admirator, in Gracchorum, Catonisq;, & aliorum similium lectione durescere uelit: fient enim horridi atq; ieiuni. Nam neq; uim eorum adhuc intellectu consequentur, & elocutione, quæ tum sine dubio erat optima, sed nostris temporibus aliena, contenti, quod est pessimum, similes sibi magnis uiris uidebuntur.

Alterum,

Alterum, quod huic diuersum est, ne recentis huius lasciuiæ flosculis capti uoluptate quadam praua deliniantur: ut prædulce illud genus, & puerilibus ingenijs hoc gratius, quò propius est, adament. Firmis autem iudicijs, iamq; extra periculum positis, suaserim & antiquos legere, ex quibus si assumatur solida ac uirilis ingenij uis, detersa rudis seculi squalore, tum noster hic cultus clarius enitescet, & nouos, quibus & ipsis multa uirtus adest. Nec enim nos tarditatis natura damnauit, sed dicendi mutauimus genus, & ultra nobis quàm oportebat indulsimus: ita non tam ingenio illi nos superauerunt, quàm proposito. Multa ergo licebit eligere. Sed curandum erit, ne ijs, quibus permixta sunt, inquinentur. Quosdam uero etiã, quos totos imitari oporteat, & fuisse nuper, & nũc esse quidẽ, libenter non cõcesserim modò, uerumetiam cõtenderim. Sed hi qui sint, non cuiusq; est pronunciare. Tutius circa priores uel erratur. Ideoq; hanc nouorum distuli lectionem, ne imitatio iudicium antecederet.

Vel err. Vel pro, etiam: assertiuè.

De diuisione. CAP. VII.

FVit etiam in hoc diuersum præcipientium propositum, quòd eorum quidam materias, quas discipulis ad dicendum dabant, non contenti diuisione dirigere, latius dicendo prosequebantur: nec solum probationibus implebant, sed etiam affectibus. Alij, cùm primas modò lineas duxissent, post declamationes quid omisisset quisq; tractabant: quosdam uero locos non minore cura, quàm cum ad dicendũ ipsi surgerent, excolebant. Vtile utrunq;, & ideo neutrũ ab altero separo. Sed si facere tantum alterũ necesse sit, plus proderit demonstrasse rectã protinus uiam, quàm reuocare ab errore iam lapsos. Primum, quia emendationem auribus modò accipiũt, diuisionem uero ad cogitationem etiam & stylum perferunt. Deinde etiam quòd libentius præcipientem audiunt, quàm reprehendentem. Si qui uero paulò sunt uiuaciores, in his præsertim moribus, etiam irascuntur admonitioni, & taciti repugnant. Nec ideo tamen minus uitia aperte

aperte coarguenda sunt. Habenda enim ratio cæterorũ, qui recta esse, quæ præceptor nõ emẽdauerit, credent. Vtraq; autẽ ratio miscenda est, & ita tractanda, ut res ipsæ postulabũt. Nanq; incipientibus danda erit uelut præformata materia, secundum cuiusq; uires. At cum satis composuisse se ad exemplum uidebuntur, breuia quædam demonstranda uestigia, quæ persecuti, iam suis uiribus sine adminiculo progredi possint. Nonnunquàm credi sibi eos oportebit, ne mala consuetudine semper alienum laborem sequẽdi, nihil per se conari & quærere sciant. Quòd si satis prudenter dicenda uiderint, iam propè consummata fuerit præcipientis opera. Si quid errauerint, adhuc erunt ad ducem reducendi. Cui rei simile quiddam facientes aues cernimus, quæ teneris infirmisq; fœtibus cibos ore suo collatos partiuntur. At cum uisi sunt adulti, paulum egredi nidis, & circumuolare sedem illam præcedentes ipsæ docent, tum expertas uires libero cœlo, suæq; ipsorum fiduciæ permittunt.

De ediscendo. CAP. VIII.

ILlud ex consuetudine mutandum prorsus existimo in his, de quibus nũc disserimus ætatibus, ne omnia quæ scripserint ediscant, & certa, ut moris est, die dicãt. Quod quidem maxime patres exigunt: atq; ita demum studere liberos suos, si quamfrequentissime declamauerint, credunt: cùm profectus præcipue Profectus diligentia constet. Nam ut scribere pueros, plurimumq; esse in ligentia con hoc opere planè uelim, sic ediscere electos ex orationibus, uel stat. historijs, alioue quo genere dignorum ea cura uoluminum locos, multo magis suadeam. Nam & exercebitur acrius memoria, aliena complectendo quàm sua: & qui erunt in difficiliore huius generis labore uersati sine molestia, quæ ipsi composuerunt, iam familiarius animo suo affigent, & assuescent optimis, semperq; habebunt intra se quod imitentur. Etiam non sentientes formam orationis illam, quam mẽte penitus acceperint, expriment. Abundabunt autem copia uerborum optimorum, &

compositione, ac figuris iam non quæsitis, sed sponte & ex re-
posito uelut thesauro se offerentibus. Accedit his & iucunda in
sermone bene à quoq; dictorũ relatio & in causis utilis. Nam
& plus autoritatis afferunt ea, quæ non præsentis gratia litis
sunt comparata, & laudem sæpe maiorem, quàm si nostra sint,
conciliant. Aliquãdo tamen permittendum quæ ipsi scripserint
dicere, ut laboris sui fructũ, etiam ex illa, quæ maxime petitur,
laude plurimum capiant. Verum id quoq; tum fieri oportebit,
cum aliquid commodius limauerint, ut eo uelut præmio studij
sui donentur, ac se meruisse, ut dicerent, gaudeant.

An secundum sui quisq; ingenij docendus sit naturam. CAP. IX.

VIrtus præceptoris haberi solet, nec immeritò, diligenter
in ijs quos erudiendos susceperit, notare discrimina in-
geniorum, & quò quenq; natura maxime ferat, scire. Nam est
in hoc incredibilis quædam uarietas, nec pauciores animorum
penè quàm corporum formæ. Quod intelligi etiã ex ipsis ora-
toribus potest, qui tantum inter se distant genere dicendi, ut
nemo sit alteri similis, quamuis plurimi se ad eorum, quos pro-
bant, imitationẽ composuerint. Vtile deinde plerisq; uisum est,
ita quenque instituere, ut propria naturæ bona doctrina foue-
rent, & in id potissimũ ingenia quò tenderent, adiuuarentur.
Vt si quis palæstræ peritus, cùm in aliquod plenum| pueris
gymnasium uenerit, expertus eorum omni modo corpus ani-
mumq;, discernat, cui quisque certamini præparandus sit: Ita
præceptorem eloquentiæ cum sagaciter fuerit intuitus, cuius
ingenium presso limatoq; genere dicendi, cuius acri, graui,
dulci, aspero, nitido, urbano maxime gaudeat, ita se commoda-
turum singulis, ut in eo quo quisque eminet prouehatur, quod
& adiuta cura natura magis eualescat: & si in diuersa duca-
tur, nec in ijs quibus minus aptus est, satis possit efficere, &
ea in quæ natus uidetur, deserendo faciat infirmiora. Quod
mihi

mihi (libera enim uel cõtra receptas persuasiones rationem se-
quenti sententia est) in parte uerum uidetur. Nam proprieta-
tes ingeniorum dispicere prorsus necessarium est. In his quoq;
certum studiorum facere delectum, nemo dissuaserit. Nanq; erit
alius historiæ magis idoneus, alius compositus ad carmen, alius
utilis studio iuris, ut nonnulli rus fortasse mittendi. Sic discernet
hæc dicendi magister, quo modo palæstricus ille cursorẽ faciet,
aut pugilem, aut luctatorẽ, aliud'ue quid ex ijs, quæ sunt sacro-
rum certaminum. Verum ei, qui foro destinabitur, non in unam
partem aliquam, sed in omnia quæ sunt eius operis, etiã siquæ
difficiliora uidebuntur, elaborandum est. Nam & omnino su-
peruacua erat doctrina, si natura sufficeret. An siquis ingenio
corruptus, ac tumidus, ut pleriq; sunt, inciderit, in hoc eum ire
patiemur? Aridum atq; ieiunũ non alemus, & quasi uestiemus?
Nam si quædam detrahere necessarium est, cur non sit adijcere
concessum? Neq; ego contra naturã pugno: non enim deseren-
dum id bonũ, si quod ingenitũ est, existimo, sed augendum ad-
dendumq; quod cessat. An nõ clarissimus ille præceptor Isocra-
tes, quem non magis libri bene dixisse, quàm discipuli bene do-
cuisse testantur, cũ de Ephoro atq; Theopompo sic iudicaret,
ut alteri frenis, alteri calcaribus opus esse diceret, aut in illo len
tiore tarditatem, aut in hoc penè præcipiti, concitationem adiu-
uandam docendo existimauit, cùm alterum alterius natura mi-
scendum arbitraretur? Imbecillis tamen ingenijs sanè sic obse-
quendum sit, ut tantum in id quò uocat natura, ducantur. Ita
enim quod solum possunt, melius efficient. Si uero liberalior na
tura contigerit, & in qua meritò ad spem oratoris simus ag-
gressi, nulla dicendi uirtus omittenda est. Nam licet sit aliquam
in partẽ pronior, ut necesse est, cæteris tamen non repugnabit,
atque ea cura paria faciet ijs, in quibus eminebit. Sicut ille (ne
ab eodem exemplo recedamus) exercendi corpora peritus, non
si docendum pancratiasten susceperit, pugno ferire, uel calce

tantum,aut nexus modò, atq; in his certos aliquos docebit, sed omnia quæ sunt eius certaminis. Erit qui ex his aliqua nõ possit: in id maxime quod poterit incumbet. Nam sunt hæc duo uitanda prorsus: Vnum,ne tentes,quod effici non possit: Alterũ,ne ab eo quod quis optime facit, in aliud, cui minus est idoneus,transeras. At si fuerit qui docebitur,ille,quem adolescentes senem uidimus, Nicostratus, omnibus in eo docendi partibus similiter utetur,efficietq; illum,qualis hic fuit,luctando,pugnandoq;, quorũ utroq; certamine ijsdem diebus coronabatur, inuictum. Et quanto id magis oratoris futuri magistro prouidendum erit? Non enim satis est dicere presse tantum,aut subtiliter,aut asperè,non magis quàm phonasco, acutis tantum, aut medijs,aut grauibus sonis, aut horum etiam particulis excellere. Nam sicut cithara,ita oratio perfecta non est,nisi ab imo ad summum omnibus intenta neruis consentiat.

Nicostratus.

De officio discipulorum. CAP. X.

PLura de officijs docentium locutus,discipulos id unum interim moneo, ut præceptores suos non minus quàm ipsa studia ament, & parentes esse,nõ quidem corporũ, sed mentiũ credant. Multum hæc pietas confert studio. Nam ita & libenter audient,& dictis credent,& esse similes concupiscent. In ipsos deniq; cœtus scholarũ læti & alacres cõuenient: emendati non irascentur,laudati gaudebunt,ut sint charissimi studio merebũtur. Nam ut illorum officium est docere, sic horum præbere se dociles. Alioqui neutrum sine altero sufficit. Et sicut hominis ortus ex utroq; gignentium confertur, & frustra sparseris semina,nisi illa præmollitus fouerit sulcus, ita eloquẽtia coalescere nequit,nisi sociata tradentis,accipientisq; concordia.

De utilitate & ratione declamandi. CAP. XI.

IN his primis operibus,quæ non ipsa parua sunt, sed maiorum quasi membra atq; partes,bene instituto atq; exercitato,iam

to,iam ferè tempus appetet aggrediendi suasorias, iudicialesq; materias: quarum antequã uiam ingrediar, pauca mihi de ipsa declamandi ratione dicenda sunt,quæ quidẽ ut ex omnibus nouissime inuẽta,ita & multo est utilissima. Nam & cuncta illa de quibus diximus,in se ferè cõtinet,& ueritati proximã imaginẽ reddit. Ideoq; ita est celebrata,ut plerisq; uideretur ad formandam eloquentiã uel sola sufficere. Neq; enim uirtus ulla,perpetuæ dũtaxat orationis,reperiri potest,quæ non sit cũ hac dicendi meditatione cõmunis. Eò quidem res ista culpa docentiũ recidit,ut inter præcipuas quæ corrumperent eloquentiam causas, licentia,atq; inscitia declamantium fuerit. Sed eo,quod natura bonum est, bene uti licet. Sint ergo & ipsæ materiæ,quæ fingentur,quàm simillimæ ueritati. Et declamatio in quantũ maxime potest,imitetur eas actiones, in quarũ exercitationẽ reperta est. Nam magos & pestilentiã,& responsa,& sæuiores tragicis nouercas,aliaq; magis adhuc fabulosa,frustra inter sponsiones,& interdicta quæremus. Quid ergo? Nunquàm hæc supra fidẽ, & poëtica, ut uere dixerim,themata iuuenibus pertractare permittemus,ut expatientur,& gaudeant materia,& quasi in corpus eant? Optimum: Sed certe sint grandia & tumida,nõ stulta etiã & acrioribus oculis intuenti ridicula: ac si iam cedendum est,impleat se declamator aliquando,dum sciat, ut quadrupedes cũ uiridi pabulo distentæ sunt, sanguinis detractione curantur,& sic ad cibos uiribus cõseruandis idoneos redeunt,ita sibi quoq; tenuandos adipes, & quicquid humoris corrupti cõtraxerit, emittendum, si esse sanus, ac robustus uolet. Alioqui tumor ille inanis, primo cuiuscunq; ueri operis conatu deprehendetur. Totum autem declamandi opus,qui diuersum omnino à forensibus causis existimant, ij profectò ne rationem quidem,qua ista exercitatio inuenta sit,peruident. Nam si foro non præparat,aut scenicæ ostentationi,aut furiosæ uociferationi similimum est. Quid enim attinet iudicem præparare, qui nullus

est? narrare quod omnes sciant falsum? probationes adhibere causæ, de qua nemo sit pronunciaturus? Et hæc quidem otiosa tantum. Affici uero ira, uel luctu permouere, cuius est ludibrij? nisi quibusdam pugnæ simulacris ad uerum discrimen aciemq; iustam cõsuescimus. Nihil ergo inter forense genus dicendi, atq; hoc declamatorium intererit? Si profectus gratia dicimus, nihil.

N Vtinamq; adijci ad consuetudinem posset, ut nominibus uteremur, & perplexæ magis, & longioris aliquando actus cõtrouersiæ fingerẽtur, & uerba in usu quotidiano posita minus timeremus, & iocos inserere moris esset, quæ nos, quamlibet per alia in scholis exercitati sumus, tyrones in foro inueniunt. Si uero in ostentationem comparetur declamatio, sanè paululum aliquid *inclamare ad uoluptatem audientium debemus. Nam & in ijs actionibus, quæ in aliqua fine dubio ueritate uersantur, sed sunt ad popularem aptatæ delectationẽ, quales legimus Panegyrici. Panegyricos, totumq; hoc demõstrationum genus, permittitur adhibere plus cultus, omnemq; artẽ, quæ latere plerunq; in iudicijs debet, & non confiteri modò, sed ostentare etiam hominibus in hoc aduocatis. Quare declamatio, quoniam est iudiciorum, cõsiliorumq; imago, simlis esse debet ueritati: quoniam autem aliquid in se habet ἐπιδεικτικὸν, nonnihil sibi nitoris assumere, quod faciunt actores comici, qui nec ita prorsus ut nos uulgò loquimur, pronuntiant, quod esset sine arte, nec tamen procul à natura recedunt, quo uitio periret imitatio, sed morem cõmunis huius sermonis decore quodam scenico exornant. Sic quoq; aliqua nos incõmoda ex ijs quas finxerimus materijs cõsequentur, in eo præcipue, quòd multa in his relinquuntur incerta, quæ sumimus, ut uidentur ætates, facultates, liberi, parentes, urbium ipsarum uires, iura, mores, alia his simlia. Quin aliquando etiam argumenta ex ipsis positionum uitijs ducimus. Sed hæc suo quæq; loco. Quamuis enim omne propositũ operis à nobis destinati eò spectet, ut orator instituatur, tamen ne quid stu-

quid studiosi requirant, etiam siquid erit, quod ad scholas pertineat proprie, in transitu non omittemus.

An artis necessaria cognitio sit.

CAP. XII.

IAm hinc ergo nobis inchoanda est ea pars artis, ex qua cæpere initium solent, qui priora omiserunt, quanquàm uideo quosdam in ipso statim limine obstaturos, qui nihil egere eiusmodi præceptis eloquentiam putent, sed natura sua, & uulgari modo, & scholarum exercitatione contenti, rideant etiam diligentiam nostram, exemplo magni quoq; nominis professorũ, quorum aliquis, ut opinor, interrogatus quid esset schema & noëma, nescire se quidem, sed si ad rem pertineret, esse in sua declamatione, respondit. Alius percontanti, Theodoreus an Apollodoreus esset, Ego, inquit, parmularius sum. Nec sanè potuit urbanius ex confessione insciti sui elabi. Porrò hi, quia & beneficio ingenij præstantes sunt habiti, & multa etiã memoria digna exclamauerunt, plurimos habent similes negligentiæ suæ, paucissimos naturæ. Igitur impetu dicere se, & uiribus uti gloriantur. Nec enim opus esse probatione, aut dispositione in rebus fictis, sed cuius rei gratia plenum sit auditorium sententijs grandibus, quarum optima quæq; à periculo petatur. Quinetiam in cogitando, nulla ratione adhibita, aut tectum intuentes, magnum aliquid quod ultrò se offerat pluribus sæpe diebus expectant: aut murmure incerto, uelut classico instincti, concitatissimum corporis motum, non enuntiandis, sed quærendis uerbis accommodant. Nonnulli certa sibi initia priusquam sensum inuenerint, destinant, quibus aliquid diserti subiungendum sit, eaq; diu secum ipsi clareq; meditati, desperata connectendi facultate deserunt, & ad alia deinceps, atque inde alia non minus communia atq; nota diuertunt. Qui plurimum uidentur habere rationis, non in causas tantum laborem suum, sed in locos intendunt, atq; in his non corpori prospiciunt, sed

abrupta quædam, ut fortè ad manum uenere, iaculantur. Vnde fit, ut dissoluta & ex diuersis congesta oratio cohærere non possit, similisq; sit cõmentarijs puerorum, in quos ea quæ alijs declamantibus laudata sunt, regerunt. Magnas tamen sententias, & res bonas (ita enim gloriari solent) elidunt: nã & barbari, & serui: & si hoc sat est, nulla est ratio dicendi.

Quare ineruditi ingeniosiores uulgò habeantur. CAP. XIII.

NE hoc quidem negaucrim, sequi plerunq; hanc opinionem, ut fortius dicere uideantur indocti. Primùm, uitio male iudicantium, qui maiorem habere uim credunt ea, quæ nõ habẽt artem: ut effringere quàm aperire, rumpere quàm soluere, trahere quàm ducere putant robustius. Nam & gladiator, qui armorum inscius in rixam ruit, & luctator, qui totius corporis nixu in id quod semel inuasit incumbit, fortior ab his uocatur: cum interim & hic frequenter suis uiribus ipse prosternitur, & illum uehementis impetus, excipit aduersarij mollis articulus. Sed sunt in hac parte quæ imperitos etiam naturaliter fallant: nam & diuisio cum plurimum ualeat in causis, speciem uiriũ minuit, & rudia politis maiora, & sparsa cõpositis numerosiora creduntur. Est præterea quædam uirtutum uitiorumq; uicinia, qua maledicus pro libero, temerarius pro forti, effusus pro copioso accipitur. Maledicit autẽ ineruditus apertius, & sæpius uel cum periculo suscepti litigatoris, frequẽter etiã suo. Affert & ista res opinionem, quia libentissime homines audiũt ea, quæ dicere ipsi noluissent. Illud quoq; alterũ quod est in elocutione ipsa periculũ, minus uitat, conaturq; perdite. Inde euenit nõnunquam, ut aliquid grande inueniat, qui semper quærit quod nimium est: uerũ & raro euenit, & cætera uitia nõ pẽsat. Propter hoc quoq; interdum uidentur indocti copiam habere maiorem, quòd dicunt omnia: doctis est electio & modus. His accedit, quòd à cura docendi quod intenderint, recedunt. Itaq; illud

illud quæstionum & argumentorum apud corrupta iudicia frigus euitant, nihilq; aliud, quàm quo uel prauis uoluptatibus aures assistentium permulceant, quærunt. Sententiæ quoq; ipsæ, quas solas petunt, magis eminent, cum omnia circa illas sordida, & abiecta sint, ut lumina non inter umbras, quemadmodum Cicero dicit, sed planè in tenebris clariora sunt. Itaq; ingeniosi uocentur, ut libet, dum tamen constet, contumeliose sic laudari disertum. Nihilominus confitendum est etiam detrahere doctrinam aliquid, ut limam rudibus, & cotes hebetibus, & uino uetustatem, sed uitia detrahit, atq; eo solo minus est, quod literæ perpolierunt, quo melius. Verum hi pronunciatione quoq; famam dicendi fortius quærunt. Nam & clamãt ubiq;, & omnia leuata, ut ipsi uocant, manu emugiunt, multo discursu, anhelitu, iactatione, gestu, motu capitis furentes. Iam collidere manus, terræ pedem incutere, femur, pectus, frontem cædere, mire ad pullatum circulum facit: cum ille eruditus, ut in oratione multa submittere, uariare, disponere: ita etiam in pronunciando suum cuiq; eorum, quæ dicet, colori accommodare actum sciat: & si quid sit perpetua obseruatione dignũ, modestus & esse & uideri malit. At illi hãc uim appellant, quæ est potius uiolẽtia. Cũ interim non actores modò aliquos inuenias, sed (quod est turpius) præceptores etiam, qui breuem dicendi exercitationẽ consecuti, omissa ratiõe, ut tulit impetus, passim tumultuẽtur: eosq;, qui plus honoris literis tribuerũt, ineptos & ieiunos, & tepidos, & infirmos, ut quodq; uerbum cõtumeliossissimum occurrit, appellent. Verum illis quidem gratulemur, sine labore, sine ratione, sine disciplina disertis. Nos quando & præcipiendi munus iam pridem deprecati sumus, & in foro quoque dicẽdi, quia honestissimum finem putabamus, desinere dum desideraremur, inquirendo scribendoq; talia, consolemur ocium nostrũ, quæ futura usui bonæ mentis iuuenibus arbitramur, nobis certe sunt uoluptati.

Violentia.

Quis modus sit in arte. CAP. XIIII.

NEmo autem à me exigat id præceptorum genus, quod est à plerisq; scriptoribus artium traditum, ut quasi quasdã leges immutabili necessitate* cõstrictas studiosis dicendi feram. Vtiq; proœmium, & id quale, proxima huic narratio, quæ lex deinde narrandi: propositio post hanc, uel ut quibusdã placuit, excursio: tum certus ordo quæstionum, cæteraq; : quæ uelut si aliter facere fas non sit, quidam tanquàm iussi sequuntur. Erat enim Rhetorice res prorsus facilis ac parua, si uno & breui præscripto contineretur. Sed mutantur pleraq; causis, temporibus, necessitate, occasione. Atq; ideo res in oratore præcipua consilium est, quia uarie, & ad rerum momenta conuertitur. Quid enim si præcipias Imperatori, quoties aciem instruit, dirigat frontem, cornua utrinq; promoueat, equites pro cornibus locet? Erit hæc quidem rectissima fortasse ratio, quoties licebit: sed mutabitur natura loci, si mons occurret, si flumen obstabit, si collibus, syluis, aliáue asperitate prohibebitur. Mutabit hostium genus, mutabit præsentis conditio discriminis, nũc acie directa, nunc cuneis, nunc auxilijs, nunc legione pugnabitur, nonnunquam terga etiam dedisse simulata fuga proderit. Ita, proœmium necessarium an superuacuum, breue an longius, ad iudicem omni sermone directo, an aliquando auerso per aliquã figuram, dicendum sit: constricta an latius fusa narratio, continua an diuisa, recta an ordine permutato, causæ docebũt. Itemq; de quæstionum ordine, cum in eadem controuersia aliud alij parti prius quæri frequenter expediat. Neq; enim rogationibus plebisue scitis sancta sunt ista præcepta, sed hoc quicquid est, utilitas excogitauit. Non negabo autẽ sic utile esse plerũq;, alioqui nec scriberem: uerum si eadem illa nobis aliud suadebit utilitas, hanc, relictis magistrorum autoritatibus, sequemur. Equidẽ id maxime præcipiam, ac repetẽs iterũq; iterumq; monebo, Res duas in omni actu spectet orator, quid deceat, quid expediat

*conscriptas

expediat. Expedit autẽ sæpe mutare ex illo cõstituto, traditoq; ordine aliqua, & interim decet, ut in statuis atq; picturis uidemus, uariari habitus, uultus, status. Nã recti quidẽ corporis uel minima gratia est. Nempe enim aduersa sit facies, & demissa brachia, & liũcti pedes, & à summis ad ima rigens opus: flexus ille, & (ut sic dixerim) motus, dat actũ quẽdam effictis. Ideo nec ad unũ modum formatæ manus, & in uultu mille species. Cursum habent quẽdam & impetum, sedent alia, uel incumbunt: nuda hæc, illa uelata sunt, quædam mixta ex utroq;. Quid tam distortũ & elaboratũ, quàm est ille Discobolos Myronis? Si quis tamen ut parum rectum improbet opus, non'ne ab intellectu artis abfuerit, in qua uel præcipue laudabilis est illa ipsa nouitas ac difficultas? Quam quidẽ gratiam & delectationem afferunt figuræ, quæq; in sensibus, quæq; in uerbis sunt. Mutant etiã aliquid à recto, atq; hanc præ se uirtutẽ ferunt, quòd à consuetudine uulgari recesserũt. Habet in pictura speciẽ tota facies. Apelles tamen imaginem Antigoni latere tantum altero ostendit, ut *amissi oculi deformitas lateret. Quid? non in oratione operiẽda sunt quædam, siue ostẽdi non debẽt, siue exprimi pro dignitate nõ possunt? ut fecit Timãtes, ut opinor, Cithnius in ea tabula, qua Coloten Teium uicit. Nam cũ in Iphigeniæ immolatione pinxisset tristem Calchantẽ, tristiorem Vlyssem addidisset, Menelao quẽ summum poterat ars efficere mœrorẽ, cõsumptis affectibus non reperiens quo digne modo patris uultum posset exprimere, uelauit eius caput, & suo cuiq; animo dedit æstimãdum. Non'ne huic est illud simile Sallustianũ? Nã de Carthagine tacere satius puto, quàm parũ dicere. Propter quæ mihi semp moris fuit quã minime alligare me ad præcepta, quæ καθολικὰ uocãt, id est, ut dicamus quomodo possumus, uniuersalia, uel perpetualia. Raro enim reperitur hoc genus, ut non labefactari parte aliqua, & subrui possit. Sed de his plenius suo qcq; loco tractabimus. Interim nolo se iuuenes satis instructos, si quẽ ex ijs qui breues

*omissi

breues plerunq; circũferuntur, artis libellũ edidicerint, & uelut decretis technicorũ, tutos putent: Multo labore, aſsiduo ſtudio, uaria exercitatione, pluribus experimentis, altiſsima prudentia, præſentiſsimo cõſilio cõſtat ars dicẽdi. Sed adiuuatur his quoq;, ſi tamen rectã uiam, nõ unã orbitam monſtrent, à qua declinare qui crediderit nefas, patiatur neceſſe eſt illam per ſunes ingredientium tarditatẽ. Itaq; & ſtratum militari labore iter ſæpe deſerimus compendio ducti: & ſi rectũ limitem rupti torrentibus pontes inciderint, circuire cogemur: & ſi ianua tenebitur incẽdio, per parietem exibimus. Late fuſum opus eſt, & multiplex, & propè quotidie nouũ, & de quo nunquã dicta erũt omnia. Quæ ſunt tamen tradita, quid ex ijs optimũ, & ſi qua mutari, adijci, detrahi melius uidebitur, dicere experiar.

Diuiſio totius operis. CAP. XV.

RHetoricen in latinum transferentes, tum Oratoriam, tum Oratricem nominauerunt. Quos equidem non fraudauerim debita laude, quòd copiam Romani ſermonis augere tentauerunt. Sed non omnia nos ducentes ex Græco ſequuntur, ſicut ne illos quidẽ, quoties ſuis utiq; uerbis ſignare noſtra uoluerũt: & hæc interpretatio nõ minus dura eſt, quàm illa Flauij, eſſentia atq; entia. Sed ne propria quidem: nam oratoria ſic efferetur, ut elocutoria, oratrix, ut elocutrix. Illa autẽ de qua loquimur rhetorica talis eſt, qualis eloquentia. Nec dubie apud Græcos quoq; duplicẽ intellectũ habet. Nanq; uno modo ſit appoſitum ars rhetorica, ut nauis piratica: altero, nomen rei, qualis eſt philoſophia, amicitia. Nos ipſam nunc uolumus ſignificare ſubſtantiã, ut grãmatice literatura eſt, nõ literatrix, quẽadmodũ oratrix, nec literatoria quemadmodũ oratoria: uerũ in rhetorice nõ fit. Non pugnemus igitur, cũ præſertim plurimis alioqui Græcis ſit utendum. Nam certe & Phyſicos, Muſicos, & Geometras dicam, ne uim afferam his nominibus, indecora in latinũ ſermonẽ mutatione. Deniq; cũ M. Tullius etiã ipſis librorũ, quos hac

quos hac de re primũ ſcripſerat, titulis Græco nomine utatur, profectò non eſt uerendum, ne temere uideamur oratori maximo de nomine artis ſuæ credidiſſe. Igitur rhetorice (iã enim ſine metu cauillationis utemur hac appellatione) ſic, ut opinor, optime diuidetur, ut de arte, de artifice, de opere dicamus. Ars erit quæ diſciplina percipi debet, ea eſt bene dicẽdi ſcientia. Artifex eſt qui præcipit hanc artem, id eſt orator, cuius eſt ſumma, bene dicere. Opus quod efficitur ab artifice, id eſt, bona oratio. Hæc omnia rurſus diducuntur in ſpecies. Sed illa ſequentia ſuo loco, nunc quæ de prima parte tractanda ſunt, ordiar.

Quid ſit Rhetorice, & quis eius finis. CAP. XVI.

ANte omnia quid ſit Rhetorice: quæ finitur quidem uarie, ſed quæſtionem habet duplicẽ: aut enim de qualitate ipſius rei, aut de comprehẽſione uerborũ diſſenſio eſt. Prima, ac præcipua opinionum circa hæc differentia, quòd alij malos quoq; uiros poſſe oratores dici putant: Alij (quorũ nos ſententiæ accedimus) nomen hoc, artemq; de qua loquimur, bonis demũ tribui uolunt. Eorum autem, qui dicendi facultatem à maiore, ac magis expetenda uitæ laude ſecernunt, quidam rhetoricen uim tantum, quidam ſcientiam, ſed non uirtutem, quidam uſum, quidam artem quidem, ſed à ſcientia, & uirtute ſeiunctam, quidam etiam prauitatem quandam artis, id eſt, κακοτεχνίαν nominauerunt. Hi ferè aut in perſuadendo, aut in dicendo appoſite ad perſuadendum, poſitum orandi munus ſunt arbitrati: id enim fieri poteſt ab eo quoq;, qui uir bonus non ſit. Eſt igitur frequẽtiſsimus finis rhetoricæ, uis perſuadendi. Quod ego uim appello, pleriq; poteſtatem, nonnulli facultatẽ uocant: quæ res ne quid afferat ambiguitatis, uim dico τὴν δύναμιν. Hæc opinio originem ab Iſocrate (ſi tamen re uera ars, quæ circunfertur, eius eſt) duxit. Qui cùm longe ſit à uoluntate infamantium oratoris officia, finem artis temere comprehendit, dicens eſſe rhetoricen perſuadendi

persuadendi opificem, id est, πειθοῦς δημιουργόν. Neq; enim mihi permiserim eadem uti declaratione, qua Ennius M. Cethegum Suadæ medullam uocat. Apud Platonem quoq; Gorgias in libro, qui nomine eius inscriptus est, idem ferè dicit, sed hanc Plato illius opinionem uult accipi, non suam. Cicero pluribus locis scripsit oratoris officium esse, dicere apposite ad persuadendū. In rhetoricis etiam, quos sine dubio ipse non probat, finem facit persuadere. Verum & pecunia persuadet, & gratia, & auctoritas dicentis, & dignitas, postremo aspectus etiam ipse sine uoce, quo uel recordatio meritorū cuiusq;, uel facies aliqua miserabilis, uel formæ pulchritudo sententiam dictat. Nam & M. Aquilium defendens Antonius, cum scissa ueste cicatrices quas is pro patria pectore aduerso susceperisset, ostēdit, non orationis habuit fidutiam, sed oculis populi Romani attulit uim, quē illo ipso aspectu, maxime motū in hoc ut absolueret reum, creditum est. Sergium quidē Galbam miseratione sola, qua non suos modò liberos paruulos in concionem produxerat, sed Galli etiam Sulpitij filium suis ipse manibus circūtulerat, elapsum esse, cum aliorum monumentis, tum Catonis oratione testatum est. Et Phrynen non Hyperidis actione, quanquā admirabili, sed conspectu corporis, quod illa speciosissimum alioqui, diducta nudauerat tunica, putant periculo liberatam. Quæ si omnia persuadent, non est hic, de quo locuti sumus, idoneus finis. Ideoq; diligentiores sunt uisi sibi, qui cum de rhetorice idem sentirent, existimarunt eam uim dicendo persuadendi. Quem finem Gorgias in eodem, de quo suprà diximus libro, uelut coactus à Socrate facit. A quo non dissentit Theodectes, siue ipsius id opus est, quod de rhetorice nomine eius inscribitur, siue, ut creditum est, Aristotelis: in quo est, finem esse rhetorices, ducere homines dicendo in id, quod actor uelit. Sed ne hoc quidem satis est comprehensum. Persuadent enim dicēdo, uel ducunt in id quod uolūt alij quoq;, ut meretrices, adulatores, corruptores. At cōtrà non

Aristotelis libri ad Theodecten.

trà non persuadet semper orator, ut interim non sit proprius hic finis eius, interim sit communis cum ijs qui ab oratore procul absunt. Atqui non multum ab hoc fine abest Apollodorus, dicens, iudicialis orationis primum & super omnia esse, persuadere iudici, & sentētiam eius ducere in id quod uelit. Nam & ipse oratorē fortunæ subijcit, ut si non persuaserit, nomen suum retinere non possit. Quidam recesserunt ab euentu, sicut Aristoteles, qui dicit, Rhetorice est uis inueniendi omnia in oratione persuasibilia. Qui finis & illud uitium, de quo suprà diximus, habet: & insuper, quod nisi inuentionē complectitur, quæ sine elocutione non est oratio. Hermagoræ, qui finem eius esse ait persuasibiliter dicere, & alijs, qui eandē sententiam non ijsdem tamen uerbis explicant, ac finem esse demonstrant, dicere quæ oporteat omnia ad persuadendum, satis respōsum est, cū persuadere non tantum oratoris esse conuicimus. Addita sunt his alia uariè. Quidam enim circa res omnes, quidam circa ciuiles modò uersari rhetoricen putauerunt, quorum uerius utrum sit, in eo loco, qui huius quæstionis proprius est, dicam. Omnia subiecisse oratori uidetur Aristoteles, cū dixit, uim esse dicēdi, quid in quaq; re posit esse persuasibile. Et Patrocles, qui non quidē adijcit in quaq; re, sed nihil excipiendo idem ostēdit, uim enim uocat inueniēdi quod sit in oratione persuasibile, qui fines & ipsi solā amplectuntur inuentionē. Quod uitiū fugiens Theodorus, uim putat inueniendi & eloquēdi cum ornatu credibilia in omni oratione. Sed cum eodem modo credibilia, quo persuasibilia etiam non orator inueniat, adijciendo in omni oratione, magis quàm superiores concedit scelera quoq; suadentibus, pulcherrimæ rei nomen. Gorgias apud Platonem suadendi se artificē in iudicijs & alijs cœtibus esse ait: De iustis quoq; & iniustis tractare: cui Socrates persuadēdi, nō docendi cōcedit facultatē. Qui uero non omnia subijciebant oratori, solicitius ac uerbosius, ut necesse erat, adhibuerunt discrimina: quorū fuit Ariston, Cri-

ſton,Critolai Peripatetici diſcipulus,cuius hic finis eſt: ſcientia uidendi,& agendi in quæſtionibus ciuilibus per orationem popularis perſuaſionis.Hic ſcientiam, quia Peripateticus eſt, non ut Stoici,uirtutis loco ponit:popularem autem comprehendendo perſuaſionem, etiam contumelioſus eſt aduerſus artem orandi, quam nihil putat doctis perſuaſuram. Illud de omnibus qui circa ciuiles demum quæſtiones oratorem iudicant uerſari, dictum ſit,excludi ab his plurima oratoris officia, illam certe laudatiuam totam,quæ eſt rhetorices pars tertia.Cautius Theodorus Gadaræus,ut iam ad eos ueniamus, qui artem quidem eſſe eam,ſed non uirtutem putauerunt: Ita enim dicit, ut ipſis eorum uerbis utar, qui hoc ex Græco transtulerunt, Ars inuentrix, & iudicatrix, & enunciatrix, decente ornatu ſecundum menſionẽ eius,quod in quoq; poteſt ſumi perſuaſibile in materia ciuili.Itemq; Cornelius Celſus qui finem rhetorices ait, dicere perſuaſibiliter in dubia uel ciuili materia. Quibus ſunt nõ
*uidendi diſſimiles,qui ab alijs traduntur,qualis eſt & ille:Vis * dicendi & eloquendi de rebus ciuilibus ſubiectis ſibi,cum quadam perſuaſione,& quodam corporis habitu,& eorum quæ dicet pronuntiatione.Mille alia,ſed aut eadem,aut ex ijſdem compoſita, quibus item cum de materia rhetorices dicendum erit, reſpondebimus.Quidam eam neq; uim,neq; ſcientiam,neq; artem putauerunt.Sed Critolaus uſum dicẽdi.Nam hoc πιθὼ ſignificat. Athenæus fallendi artem. Pleriq; autem dum pauca ex Gorgia Platonis à prioribus imperite excerpta,legere cõtenti,neq; hoc totum,neq; alia eius uolumina euoluunt, in maximum errorem inciderunt: creduntq; eum in hac eſſe opinione, ut rhetoricen non artem,ſed peritiam quandã gratiæ ac uoluptatis exiſtimet: & alio loco,ciuilitatis particulæ ſimulacrum,& quartam partem adulationis, quòd duas partes ciuilitatis corpori aſſignet, medicinam,& quam interpretantur exercitatricem: duas animo,legalem atq; iuſtitiam: Adulationem autem medicinæ,uocet coquo

cet coquorum artificium, & exercitatricis mangonum, qui colorem fuco, & uerum robur inani ſagina mentiantur: legalis, cauillatricem:iuſtitiæ,rhetoricen. Quæ omnia ſunt quidem ſcripta in hoc libro, dictaq; à Socrate, cuius perſona uidetur Plato ſignificare quid ſentiat. Sed alij ſunt eius ſermones ad coarguendos, qui contrà diſputant compoſiti, quos ἐλεγκτικοὺς uocant: alij ad præcipiendum, qui διδασκαλικοὶ appellantur. Socrates autem, ſeu Plato, eam quidem, quæ tum exercebatur, rhetoricen talem putat, nam & dicit his uerbis: τοῦτον τὸν τρόπον, ὃν ὑμεῖς πολιτεύεσθε. Non ueram autem & honeſtam intelligit. Itaque diſputatio illa contra Gorgiam ita clauditur: ἀνάγκη τὸν ῥητορικὸν δίκαιον εἶναι, τὸν δὲ δίκαιον βούλεσθαι δίκαια, καὶ πράττειν. Ad quod ille quidem conticeſcit, ſed ſermonem ſuſcipit Polus iuuenili calore inconſideratior,contra quem illa de ſimulacro & adulatione dicuntur. Tum Callicles adhuc concitatior, qui tamen ad hanc perducitur clauſulam, τὸν μέλλοντα ὀρθῶς ῥητορικὸν ἔσεσθαι, δίκαιον ἄρα δεῖ εἶναι καὶ ἐπιστήμονα τῶν δικαίων,ut appareat Platoni non rhetoricẽ uideri malum,ſed eam ueram,niſi iuſto ac bono non contingere. Adhuc autem in Phædro manifeſtius facit,hãc artem conſummari citra iuſtitiæ quoque ſcientiam non poſſe:cui opinioni nos quoq; accedimus. An aliter defenſionem Socratis, & eorum qui pro patria cecidẽrãt laudem ſcripſiſſet? quæ certè ſunt oratoris opera. Sed in illud hominum genus, quod facultate dicendi male utebatur, inuectus eſt. Nam & Socrates inhoneſtam ſibi credidit orationem,quam ei Lyſias reo compoſuerat, & tum maxime ſcribere litigatoribus quæ illi pro ſe ipſi dicerẽt,erat moris:atq; ita iuri, quo non licebat pro altero agere,fraus adhibebatur.Doctores quoq; eius artis,parum idonei Platoni uidebantur, qui rhetoricen à iuſtitia ſepararent,& ueris* incredibilia præferrent. Nam id quoq; *credibilia
dicit in Phædro.Conſenſiſſe autem illis ſuperioribus uideri poteſt etiam Cornelius Celſus,cuius hæc uerba ſunt: Orator ſimile

Socratis perſona in Platone.

tantum ueri petit. Deinde paulò pòst: Non enim bona conscientia, sed uictoria litigantis est præmium. Quæ si uera essent, pessimorum hominum foret, hæc tam pernitiosa nocentissimis moribus dare instrumenta, & nequitiam præceptis adiuuare. Sed illi rationem opinionis suæ uiderint. Nos autem ingressi formare perfectum oratorem, quem in primis esse bonum uirum uolumus, ad eos, qui de hoc opere melius sentiunt, reuertamur. Rhetoricen autem quidam eandem ciuilitatem esse iudicauerunt. Ciuilis scientia. cero scientiæ ciuilis partẽ uocat: ciuilis autem scientia idẽ quod sapientia est. Quidam etiam philosophiæ, quorum est Isocrates. Huic eius substantiæ maxime cõuenit finitio, rhetoricẽ esse bene dicendi scientiã. Nam & orationis omnes uirtutes simul complectitur, & protinus mores etiam oratoris, cùm bene dicere non possit, nisi uir bonus. Idem ualet Chrysippi finis ille ductus à Cleanthe, scientia recte dicendi. Sunt plures eiusdẽ, sed ad alias quæstiones magis pertinent. Idem sentiret finis hoc modo comprehensus, persuadere quod oporteat, nisi quòd artẽ ad exitum alligat. At bene Areus, dicere secundũ uirtutem orationis. Excludunt à rhetorice malos & illi, qui scientiã ciuilium officiorum eam putauerũt, si scientiam uirtutem iudicant: sed angustè intra ciuiles quæstiones coërcent. Albutius. Albutius nõ obscurus professor atq; autor, scientiã bene dicendi esse cõsentit, sed exceptionibus peccat, adijciendo circa ciuiles quæstiones, & credibiliter, quarum iam utriq; responsum est. Probabilis & illi uoluntatis, qui recte sentire & dicere rhetorices putauerunt. Hi sunt ferè fines maxime illustres, & de quibus præcipue disputatur. Nam omnes quidem persequi nec attinet, nec possum, cum prauum quoddã, ut arbitror, studium circa scriptores artiũ extiterit, nihil ijsdem uerbis, quæ prior aliquis occupasset, finiendi: quæ ambitio procul aberit à me. Dicam enim non utiq; quæ inuenero, sed quæ placebunt: sicut hoc, Rhetoricen esse bene dicendi scientiam, cùm reperto quod est optimum, qui quærit aliud, peius uelit.

His

His approbatis, simul manifestum est illud quoq;, quem finem, uel quid summum & ultimum habeat rhetorice, quod τέλος dicitur, ad quod omnis ars tendit. Nam si est ipsa bene dicendi scientia, finis eius & summum est, bene dicere.

An utilis sit Rhetorice. CAP. XVII.

SEquitur quæstio, an utilis Rhetorice: nam quidam uehementer in eam inuehi solent, & quod sit indignissimum, in accusationem orationis utuntur orandi uiribus: eloquentiã esse, quæ pœnis eripiat scelestos, cuius fraude damnentur interim boni, consilia ducantur in peius, nec seditiones modò, turbæq; populares, sed bella etiam inexpiabilia excitẽtur, cuius deniq; tum maxime sit usus, cùm pro falsis contra ueritatem ualet. Nam & Socrati obijciunt comici, docere eum quomodo peiorem causam meliorem faciat, & contra * Lysiam, & Gorgiam similia dicit polliceri Plato. Et his adijciunt exempla Græcorum Romanorumq;, & enumerãt, qui pernitiosa non singulis tantũ, sed rebus etiam publicis, usi eloquẽtia, turbauerint ciuitatũ status, uel euerterint: eoq; & Lacedæmoniorum ciuitate expulsam, & Athenis quoq;, ubi actor mouere affectus uetabatur, uelut reciſam orandi potestatẽ. Quo quidem modo nec duces erunt utiles, nec magistratus, nec medicina, nec deniq; ipsa sapientia. Nam & dux Flaminius, & Gracchi, Saturnini, Glauciæ magistratus, & in medicinis uenena, & in ijs qui philosophorũ nomine male utuntur, grauissima nonnunquam flagitia deprehensa sunt. Cibos aspernemur, attulerunt sæpe ualetudinis causas: nunquàm tecta subeamus, super habitantes aliquando procumbunt. Non fabricetur miliți gladius, potest uti eodem ferro latro. Quis nescit, ignes, aquas, sine quibus nulla sit uita, & ne terrenis immorer, solem lunamq; præcipua siderum, aliquando etiã nocere? Num igitur negabitur deformem Pyrrhi pacem cæcus ille Appius dicendi uiribus diremisse? Aut nõ diuina M. Tullij eloquentia, & cõtra leges Agrarias popularis fuit? & Catilinæ fregit audaciã?

*Thysiam

& ſupplicationes, qui maximus honor victoribus bello ducibus datur, in toga meruit? Non ne perterritos militum animos frequenter à metu reuocat oratio? & tot pugnãdi pericula ineuntibus, laudem uita potiorem eſſe perſuadet? Nec uero me Lacedæmonij, aut Atheniẽſes magis mouerint, quàm populus Romanus, apud quẽ ſumma ſemper oratoribus dignitas fuit. Equidem nec urbium conditores reor aliter effecturos fuiſſe, ut uaga illa multitudo coiret in populos, niſi docta uoce cõmota: nec legum repertores ſine ſumma ui orandi conſecutos, ut ſe ipſi homines ad ſeruitutẽ iuris aſtringerent. Quin ipſa uitæ præcepta, etiã ſi natura ſunt honeſta, plus tamẽ ad formãdas mẽtes ualẽt, quoties pulchritudinẽ rerũ, claritas orationis illuminat. Quare etiamſi in utranq; partẽ ualent arma facundiæ, non tamen eſt æquum id haberi malum, quo bene uti licet. Verum hæc apud eos forſitan quærantur, qui ſummam rhetorices ad perſuadendi uim retulerunt. Si uero eſt bene dicendi ſcientia, quem nos finẽ ſequimur, ut ſit orator in primis uir bonus, utilem certe eſſe eam confitendum eſt. Et hercle deus ille princeps, parens rerum, fabricatorq; mundi, nullo magis hominem ſeparauit à cæteris, quæ quidem mortalia eſſent, animalibus, quàm dicendi facultate. Nam corpora quidem magnitudine, uiribus, firmitate, patientia, uelocitate, præſtantiora in illis mutis uidemus, eadem minus egere acquiſitæ extrinſecus opis. Nam & ingredi citius, & paſci, & tranare aquas, citra docentẽ natura ipſa ſciunt. Et pleraq; cõtra frigus ex ſuo corpore ueſtiuntur, & arma his ingenita quædam, & ex obuio ferè victus, circa quæ omnia multus hominibus labor eſt. Rationem igitur nobis præcipuam dedit, eiusq; nos ſocios eſſe cum dijs immortalibus uoluit. Sed ipſa ratio neq; tam nos iuuaret, neq; tam eſſet in nobis manifeſta, niſi quæ concepiſſemus mente, promere etiã loquendo poſſemus, quod magis deceſſe cæteris animalibus, quàm intellectum & cogitationem quandam uidemus. Nam & moliri cubilia, & nidos texere, & educare

educare fœtus, & excludere, quinetiam reponere in hyemem alimenta, opera quædam nobis inimitabilia, qualia ſunt cerarũ, ac mellis, efficere, nonullius fortaſſe rationis eſt: ſed quia carent ſermone quæ id faciunt, muta atq; irrationabilia uocantur. Deniq; homines, quibus negata uox eſt, quantulum adiuuat animus ille cœleſtis? Quare ſi nihil à dijs oratione melius accepimus, quid tam dignum eſſe cultu ac labore ducamus, aut in quo malimus præſtare hominibus, quàm quo ipſi homines cæteris animalibus præſtent? Eò quidem magis, quòd nulla in parte plenius labor gratiam refert. Id adeò manifeſtum erit, ſi cogitauerimus & unde, & quouſq; iam prouecta ſit orandi facultas, & adhuc augeri poteſt. Nam ut omittam defendere amicos, regere conſilijs ſenatum, populum, exercitũ in quæ uult ducere, quàm ſit utile, cõueniatq; bono uiro, non ne pulchrum uel hoc ipſum eſt, ex communi intellectu uerbisq;, quibus utuntur omnes, tantum aſſequi laudis & gloriæ, ut non loqui & orare, ſed quod Pericli contigit, fulgurare, ac tonare uideare?

An Rhetorice ſit ars. CAP. XVIII.

FInis non erit ſi expatiari parte in hac, & indulgere uoluptati uelim. Tranſeamus igitur ad eam quæſtionem quæ ſequitur, an rhetorice ars ſit. Quod quidẽ adeò ex ijs quæ præcepta dicendi tradiderunt, nemo dubitauit, ut etiam ipſis librorum titulis teſtatum ſit, ſcriptos eos de arte rhetorica: Cicero uero etiam eam, quæ rhetorice uocetur, eſſe artificioſam eloquentiam dicat. Quod non oratores tantum* uendicauerunt, ut ſtudijs aliquid ſuis præſtitiſſe uideãtur, ſed cum his philoſophi, & Stoici, & Peripatetici plerunq; conſentiunt. Ac me dubitaſſe confiteor, an hanc partem quæſtionis tractandam putarem. Nam quis eſt adeò non ab eruditione modò, ſed à ſenſu remotus hominis, ut fabricandi quidem & texendi, & è luto uaſa ducendi artem putet: rhetoricen autem, maximum ac pulcherrimum (ut ſuprà diximus) opus, in tam ſublime faſtigiũ exiſtimet

*indicauerunt

ſine arte uenisse? Equidem illos, qui contrà disputarũt, non tam id sensisse quod dicerent, quàm exercere ingenia materiæ difficultate credo uoluisse, sicut Polycratem cum Busirim laudaret, & Clytemnestram: quanquàm is, quod his dissimule non esset, composuisse orationem, quæ est habita contra Socratẽ, dicitur. Quidam naturalem esse rhetoricen uolunt, & tamen adiuuari exercitatione non diffitentur, ut in libris Ciceronis de Oratore dicit Antonius, obseruationem quandam esse, non artem. Quod non ideò, ut pro uero accipiamus, est positum, sed ut Antonij persona seruetur, qui dissimulator artis fuit. Hanc autem opinionem habuisse Lysias uidetur, cuius sententiæ talis defensio est, quòd indocti & barbari, & serui pro se cum loquũtur, aliquid dicant simile principio, narrent, probẽt, refutent, & (quod uim habeat epilogi) deprecentur. Deinde adijciunt illas uerborum cauillationes, nihil quod ex arte fiat, ante artem fuisse: atqui dixisse homines pro se, & in alios semper: doctores artis sero iam, & circa Thysiam & Coraca primũ repertos: orationem igitur ante artem fuisse, eoq; artem non esse. Nos porrò quando cœperit huius rei doctrina, non laboramus exquirere, quanquàm apud Homerum etiã præceptorem Phœnicem, tum agendi, tum & eloquendi, & oratores plures, & omne in tribus dicibus orationis genus, & certamina quoq; proposita eloquentiæ inter iuuenes inuenimus. Quin in cælatura clypei Achillis, & lites sunt, & actores. Illud enim admonere satis est, omnia quæ ars consummarit, à natura initia duxisse: aut tollatur medicina, quæ ex obseruatione salubrium, atq; his contrariorum, reperta est: & ut quibusdam placet, tota constat experimentis. Nam & uulnus deligauit aliquis, antequàm hæc ars esset, & febrem quiete & abstinentia, non quia rationem uidebat, sed quia id ualetudo ipsa coëgerat, mitigauit. Nec fabrica sit ars, casas enim primi illi sine arte fecerunt. Nec musica, cantatur ac saltatur per omnes gentes aliquo modo. Ita si rhetorice uocari debet

Antonij persona apud Ciceronem.

debet sermo quicunq;, fuisse eam antequàm esset ars, confitebor. Si uero non quisquis loquitur orator est, & tum non tanquam oratores loquebãtur, necesse est oratorem factum arte, nec ante artem fuisse fateantur. Quo illud quoq; excluditur, quod dicũt, Non esse artis id quod faciant qui non didicerint: dicere autem homines, & qui non didicerint. Ad cuius rei confirmationem afferunt Demadem remigem, & Aeschinẽ hypocriten oratores fuisse: falsò. Nam neq; orator esse qui nõ didicit, potest, & hos sero potius, quàm nunquam didicisse quis dixerit: quanquàm Aeschines ab initio sit uersatus in literis, quas pater eius etiam docebat: Demadem neq; non didicisse certũ sit, & continua dicendi exercitatio potuerit tantum, quantuscunq; postea fuit, fecisse. Nam id potentissimũ discendi genus est. Sed adhuc præstantiorem, si didicisset, futurum fuisse, dicere licebit. Neq; enim orationes scribere est ausus, ut eum multum ualuisse in dicẽdo sciamus. Aristoteles, ut solet, quærendi gratia quædam subtilitatis suæ argumenta excogitauit in Gryllo: sed idem & de arte rhetorica tres libros scripsit, & in eorum primo non artem solum eam fatetur, sed ei particulam ciuilitatis, sicut dialecticis, assignat. Multa Critolaus contrà, multa Rhodius Athenodorus. Agnon quidem detraxit sibi inscriptione ipsa fidem, qua rhetorices accusationem professus est. Nam de Epicuro, qui discipli- Epicurus dinas omnes fugit, nihil miror. Hi complura dicunt, sed ex paucis sciplinas fulocis ducta. Itaq; potentissimis eorum breuiter occurrã, ne in in- git. finitum quæstio euadat. Prima his argumentatio ex materia est: Omnes enim artes aiunt habere materiã, quod est uerum: rhetorices nullam esse propriã, quod esse falsum in sequẽtibus probabo. Altera est calumnia, Nullam artem falsis assentire opinionibus, quia constitui sine præceptione nõ possit, quæ semper uera sit: rhetoricen assentiri falsis, nõ esse igitur artem. Ego rhetoricen nonnunquàm dicere falsa pro ueris confitebor, sed non ideo in falsa quoq; esse opinione concedam, quia longe diuersum est

sibijpsi quid uideri, & ut alij uideatur efficere. Nam & imperator falsis utitur sæpe, ut Hannibal, cum inclusus à Fabio, sarmentis circa cornua boum deligatis, incensisq; per noctẽ in aduersos montes agens armenta, speciem hosti abeuntis exercitus dedit: sed illum fefellit, ipse quid uerum esset, non ignorauit. Nec uero Theopompus Lacedæmonius, cum permutato cum uxore habitu, è custodia ut mulier euasit, falsam de se opinionem habuit, sed custodibus præbuit. Itidem orator cum falso utitur pro uero, scit falsum esse, eoq; se pro uero uti: non ergo falsam habet ipse opinionẽ, sed fallit alium. Nec Cicero cùm se tenebras offudisse iudicibus in causa Cluentij gloriatus est, nihil ipse uidit. Et pictor cum ui artis suæ efficit, ut quædã eminere in opere, quædam receßisse credamus, ipse ea plana esse non nescit. Aiunt etiã omnes artes habere finem aliquem propositũ ad quem tendãt, hunc modò nullum esse in rhetorice, modò non præstari eũ qui promittatur, mentiuntur. Nos enim esse finẽ iam ostendimus, & quis esset diximus: præstabit hunc semper orator, semper enim bene dicet. Firmum autẽ hoc quod opponitur, aduersus eos fortasse sit, qui persuadere finem putauerunt. Noster orator, arsq; à nobis finita non sunt posita in euentu. Tendit quidem ad uictoriã qui dicit, sed cum bene dixit, etiamsi non uincat, id quod arte continetur, effecit. Nam & gubernator uult salua naue in portũ peruenire si tamen tempestate fuerit abreptus, non ideo minus erit gubernator, dicetq; notũ illud, Dum clauum rectum teneam. Et medicus sanitatẽ ægri petit, si tamen aut ualetudinis ui, aut intemperãtia ægri, alioue quo casu summa non cõtigit, dum ipse omnia secundum rationẽ fecerit, medicinæ fine nõ excidit. Ita oratori bene dixisse finis est. Nã est ars ea, ut post paulum clarius ostendemus, in actu posita, non in effectu. Ita falsum erit illud quoq; quod dicitur, Artes scire quãdo sint finem consecutæ, rhetoricen nescire. Nam se quisq; bene dicere intelligit. Vti etiam uitijs rhetoricen, quod ars nulla faciat, criminantur, quia

Dum clauũ rectũ teneã.

quia & falsum dicat, & affectus moueat. Quorũ neutrũ est turpe, cum ex bona ratione proficiscitur, ideoq; nec uitiũ. Nam & mendacium dicere etiã sapienti aliquando cõcessum est: & affectus, si aliter ad æquitatem perduci iudex nõ poterit, necessariò mouebit orator. Imperiti enim iudicãt, & qui frequẽter in hoc ipsum fallendi sunt, ne errent. Nam si mihi sapiẽtes iudices dentur, sapientum conciones, atq; omne concilium, nihil inuidia uæleat, nihil gratia, nihil opinio præsumpta, falsiq; testes, perquàm sit exiguus eloquentiæ locus, & propè in sola delectatione ponatur. Sin & audientium mobiles animi, & tot malis obnoxia ueritas, arte pugnandũ est, & adhibẽda quæ prosunt: nec enim qui recta uia depulsus est, reduci ad eam, nisi alio flexu potest. Plurima uero ex eo contra rhetoricen cauillatio est, quòd ex utraq; causæ parte dicatur. Inde hoc, Nullam esse artem sibi cõtrariam, rhetoricen esse contrariam sibi. Nullam artẽ destruere quod effecerit, accidere hoc rhetorices operi. Item, & dicenda eam docere, & nõ dicenda: ita uel per hoc non esse artem, quòd non dicenda præcipiat, uel per hoc, quòd cum dicenda præcepe rit, etiam cõtraria his doceat. Quæ omnia apparet de ipsa rhetorice dici, quæ sit à bono uiro, atque ab ipsa uirtute seiuncta: alioqui ubi iniusta causa est, ibi rhetorice nõ est: adeo, ut uix ex admirabili quodã casu possit accidere, ut ex utraq; parte orator, id est uir bonus, dicat: tamen quoniã hoc quoq; in rerum natura cadit, ut duos sapientes aliquando iustæ causæ in diuersum trahant, quandoq; etiã pugnaturos inter se eos, si ratio ita duxerit, credunt, respondebo propositis, atq; ita quidẽ, ut appareat hæc aduersus eos quoq; frustra excogitata, qui malis moribus nomen oratoris indulgent. Nam rhetorice nõ est contraria sibi, causa enim cũ causa, nõ illa secum ipsa componitur. Nec si pugnent inter se qui idem didicerint, idcirco ars, quæ utriq; tradita est, nõ erit: alioqui nec armorũ, quia sæpe gladiatores sub eodem magistro eruditi inter se cõponuntur: nec gubernandi,

quia naualibus prælijs gubernator est gubernatori aduersus: nec imperatoria, quia imperator cũ imperatore contendit. Itẽ non euertit opus rhetorice quod efficit: neq; enim positum à se argumentum soluit orator, sed ne rhetorice quidẽ. Quia apud eos, qui in persuadendo finem putant, aut si quis, ut dixi, casus, duos inter se bonos uiros composuerit, uerisimilia quærentur. Non autem si quid est altero credibilius, id ei contrarium est, quod fuit credibile. Nam ut candido candidius, & dulci dulcius non est aduersum, ita nec probabili probabilius. Nec præcipit unquam non dicenda, nec dicendis contraria, sed quæ in quaq; causa dicenda sint. Non semper autẽ, etiamsi frequentißime ueritas tuenda erit, sed aliquando exigit cõmunis utilitas, ut etiã falsa defendantur. Ponuntur hæ quoq; in secundo Ciceronis de Oratore libro cõtradictiones, artem earum rerũ esse quæ sciantur, oratoris omnem actionẽ opinione nõ scientia cõtineri, quia & apud eos dicat, qui nesciant: & ipse dicat aliquãdo quæ ne sciat. Ex his alterũ, id est, an sciat iudex de quo dicatur, nihil ad oratoris artẽ: alteri respondendũ. Ars earũ rerum est, quæ sciuntur: rhetorice est ars bene dicendi, bene autẽ dicere scit orator. Sed nescit an uerum sit, quod dicit. Ne hi quidem, qui ignẽ, aut aquam, aut quatuor elementa, aut corpora insecabilia esse, ex quibus res omnes initium duxerunt, tradunt: nec qui interualla

*rerum

syderum, & mensuras * solis, ac terræ colligunt, disciplinam tamen suam artem uocant. Quòd si ratio efficit, ut hæc non opinari, sed propter uim probationum scire uideantur, eadẽ ratio idem præstare oratori potest. Sed an causa uera sit, nescit. Ne medicus quidem, an dolorem capitis habeat, qui hoc se pati dicet, curabit tamen tanquam id uerum sit, & erit ars medicina. Quid? quòd rhetorice nõ utiq; propositum habet semper uera dicendi, sed semper uerisimilia, scit autem esse uerisimilia quæ dicit. Adijciunt hi qui contrà sentiunt, quòd sæpe quæ in alijs litibus impugnarunt actores causarum, eadem in alijs defendant, quod

quod non artis, sed hominis est uitium. Hæc sunt præcipua, quæ contra rhetoricen dicantur: alia & minora, & tamen ex his fontibus deriuata. Confirmatur autem eam esse artem breuiter. Nã siue, ut Cleanthes uoluit, ars est potestas, uia, id est ordine, efficiens esse certam uiam atq; ordinem in bene dicendo, nemo dubitauerit: siue ille ab omnibus ferè probatus finis obseruatur, artẽ constare ex præceptionibus consentientibus, & coëxercitatis ad finem utilem uitæ, iam ostẽdimus nihil nõ horũ in rhetorice inesse. Quid quòd & inspectione, & exercitatione, ut artes cæteræ, constat? Nec potest ars non esse, si est ars dialectice, quod ferè constat, cum ab ea specie magis quàm genere differat. Sed nec illa omittẽda sunt, qua in re alius se inartificialiter, alius artificialiter gerat, in ea esse artem, & in eo quòd qui didicerit, melius faciat, quàm qui non didicerit, esse artem. Atqui non solum doctus indoctum, sed etiam doctior doctum in rhetorico opere superabit, nec eßent eius aliter tam multa præcepta, tamq; magni qui docerẽt, id quod cũ omnibus cõfitendum est, tum nobis præcipue, qui rationẽ dicendi à bono uiro non separamus.

Generalis diuisio artium, & ex quibus sit Rhetorica. CAP. XIX.

CVm sint autem artium aliæ positæ in inspectione, id est, cognitione & æstimatione rerum, qualis est astrologia, nullum exigens actum, sed ipso rei, cuius studium habet, intellectu contenta, quæ θεωρητικὴ uocatur: Aliæ in agẽdo, quarum in hoc finis est, & ipso actu perficitur, nihilq; post actum operis relinquit, quæ Practice dicitur, qualis est saltatio: Aliæ in effectu, quæ operis, quod oculis subijcitur, consummatione finem accipiunt, quã Poëticen appellamus, qualis est pictura ferè, iudicandũ est, rhetoricen in actu cõsistere. Hoc enim quod est officij sui perfecit, atq; ita ab omnibus dictum est. Mihi autem uidetur etiã ex illis cæteris artibus multum aßumere. Nam & potest aliquãdo ipsa res per se inspectione esse contenta. Erit enim rhetorice in

orato

oratore etiam tacente, & si desierit agere, uel proposito, uel aliquo casu impeditus, non magis desinet esse orator, quàm medicus, qui curandi fecerit finem. Nam est aliquis, ac nescio an maximus, etiam ex secretis studijs fructus: ac tum pura uoluptas literarum, cum ab actu, id est, opere recesserunt, & contemplatione sui fruuntur. Sed effectiue quoq; aliquid simile scriptis orationibus, uel historijs, quod ipsum opus in parte oratoria meritò ponimus, consequetur. Si tamen una ex tribus artibus habenda sit, quia maximus eius usus actu continetur, atq; est in eo frequentissima, dicatur actiua, uel administratiua. Nam & hoc eiusdem rei nomen est.

Vtrum plus conferat eloquentiæ ars, an natura. CAP. XX.

SCio quæri etiam, natura'ne plus ad eloquentiam conferat, an doctrina. Quod ad propositum quidē nostri operis nihil pertinet: nec enim consummatus orator, nisi ex utroq; fieri potest: plurimum tamen referre arbitror, quam esse quæstionem in hoc loco uelimus. Nam si parti utrilibet omnino alteram detrahas, natura etiam sine doctrina multum ualebit, doctrina nulla esse sine natura poterit. Sin ex pari coëant, in mediocribus quidem utriſq; maius adhuc naturæ credam esse momentum, consummatos autem plus doctrinæ debere, quàm naturæ putabo. Sicut terræ nullam fertilitatem habenti, nihil optimus agricola profuerit, è terra uberi utile aliquid etiam nullo colente nascetur. At in solo fœcundo plus cultor, quàm ipsa per se bonitas soli efficiet. Et si Praxiteles signum aliquod ex molari lapide conatus esset exculpere, Parium marmor mallem rude. At si illud idem artifex expolisset, plus in manibus fuisset, quàm in marmore. Deniq; natura materiæ, ars doctrinæ est. Hæc fingit, illa fingitur. Nihil ars sine materia. Materiæ etiam sine arte pretium est. Ars summa, materia optima melior.

An uirtus sit Rhetorica. CAP. XXI.

Illa

ILla quæstio est maior, an ex medijs artibus, quæ neq; laudari per se, neq; uituperari poßunt, sed utiles, aut secus secundum mores utentium fiunt, habenda sit rhetorice: an sit, ut cōpluribus etiā philosophorum placet, uirtus. Equidē illud quod in studijs dicendi pleriq; exercuerunt & exercent, aut nullā artem, quæ ἀτεχνίαν nominatur, puto (multos enim uideo sine ratione, sine literis, quà uel impudentia, uel fames duxit, ruentes) aut malam quasi artem, quam κακοτεχνίαν dicimus. Nam & fuisse multos, & esse nonnullos existimo, qui facultatem dicēdi ad hominum perniciem conuerterunt. μετωνυμοτεχνία quoq; est quædam, id est superuacua artis imitatio, quæ nihil sanè nec boni, nec mali habeat, sed uanum laborem: qualis illius fuit, qui grana ciceris ex spatio distante missa, in acum continuò, & sine frustratione inserebat. Quem cum spectasset Alexāder, donasse dicitur eiusdem leguminis modio. Quod quidē præmium fuit illo opere digniſsimum. His ego comparandos existimo, qui in declamationibus, quas esse ueritati diſsimilimas uolunt, ætatē multo studio ac labore consumunt. Verum hæc, quam instituere conamur, & cuius imaginem animo concepimus, quæ bono uiro cōuenit, quæq; est uera rhetorice, uirtus erit. Quod philosophi quidem multis & acutis cōclusionibus colligunt: mihi uero etiā planiore hac proprieq; nostra probatione uidetur esse perspicuum. Ab his hæc dicuntur: Si consonare sibi in faciendis, ac nō faciendis uirtutis est, quæ pars eius prudentia uocatur, eadē in dicendis, ac non dicendis erit. Et si uirtutes sunt, ad quas nobis etiam antequā doceremur, initia quædā, ac semina sunt cōcessa natura, ut ad iustitiam, cuius rusticis quoq; ac barbaris apparet aliqua imago, nos certe sic esse ab initio formatos, ut possemus orare pro bonis, etiam si nō perfecte, tamē ut ineſsent quædā, ut dixi, semina eius facultatis, manifestum est. Non eadē autē his natura artibus est, quæ à uirtute sunt remotæ. Itaq; cū duo sint genera orationis, altera perpetua, quæ rhetorice dicitur: altera cō

cisa

cisa,quæ dialectice:quas quidem Zeno adeò coniunxit, ut hanc compressæ in pugnum manus, illam explicitæ diceret simulem, etiam disputatrix uirtus erit:adeò de hac quæ speciosior, atque apertior tanto est,nihil dubitabitur. Sed plenius hoc idem, atq; apertius intueri ex ipsis operibus uolo. Nã quid orator in laudando faciet,nisi honestorum,ac turpium peritus? Aut in suadendo,nisi utilitate perspecta? aut in iudicijs,si iustitiæ sit ignarus? Quid? non fortitudinem postulat res eadem,cum sæpe contra turbulentas populi minas, sæpe cum periculosa potentium offensa,nonnunquam,ut in iudicio Miloniano,inter circumfusa militum arma dicendum sit? ut si uirtus non est, nec perfecta quidem esse possit oratio. Quod si ea in quoq; animaliũ est uirtus,qua præstat cætera,uel pleraq;,ut in leone impetus,in equo uelocitas:hominem porrò ratione atq; oratione excellere cæteris certum est:cur non tam in eloquentia, quàm in ratione uirtutem eius esse credamus? Rectèq; hoc apud Ciceronem disserit Crassus: Est enim eloquentia una de summis uirtutibus. Et ipse Cicero sua persona,cum ad Brutum in epistolis, tum etiam alijs locis, uirtutem eam appellat. At procœmium aliquando, & narrationem dicit malus homo, & argumenta, sic, ut nihil sit in his requirendum. Nam & latro pugnabit acriter, uirtus tamen erit fortitudo, & tormenta sine gemitu feret malus seruus, tolerantia tamen doloris laude sua non carebit. Multa fiunt eadem,sed aliter. Sufficiant igitur hæc,quia de utilitate superà tractauimus.

Quæ sit materia Rhetorices. CAP. XXII.

MAteriam Rhetorices quidam dixerunt esse orationem, quam sententiam ponit apud Platonem Gorgias: Quæ si ita accipitur,ut sermo quacunq; de re compositus dicatur oratio,non materia,sed opus est,ut statuarij,statua: nam & oratio efficitur arte,sicut statua. Sin hac appellatione uerba ipsa significari putamus,nihil hæc sine rerum substantia faciunt. Quidam argu

argumenta persuasibilia, quæ & ipsa in parte sunt operis,& arte fiunt,& materia egent. Quidam ciuiles quæstiones,quorum opinio non qualitate,sed modo erranit. Est enim hæc materia rhetorices,sed non sola. Quidam, quia uirtus sit rhetorice, materiam eius totam uitam uocant: Alij,quia non omnium uirtutum materia sit tota uita,sed pleræq; earum uersentur in partibus,sicut iustitia, fortitudo, continentia, proprijs officijs, & suo fine intelliguntur: rhetoricen quoq; dicunt in una aliqua parte ponendam,eiq; locum in ethice negotialem assignant, id est πραγματικόν. Ego (neq; id sine autoribus) materiam esse rhetorices iudico omnes res, quæcunq; ei ad dicendũ subiectæ erũt. Nam Socrates apud Platonẽ dicere Gorgiæ uidetur, nõ in uerbis esse materiam,sed in rebus. Et in Phædro,palàm non in iudicijs modò & concionibus,sed in rebus etiam priuatis,ac domesticis rhetoricen esse demonstrat. Quo manifestum est,hanc opinionem ipsius Platonis fuisse. Et Cicero quodam loco materiã rhetorices uocat res,quæ subiectæ sunt ei, sed certas demum putat esse subiectas:alio uero de omnibus rebus oratori dicendum arbitratur,his quidem uerbis: Quanquam uis oratoris, professioq; ipsa bene dicendi hoc suscipere ac polliceri uideatur,ut omni de re,quæcunq; sit proposita,ornate ab eo copioseq; dicatur. Atq; adhuc alibi: Enimuero oratori, quæ sunt in hominum uita (quandoquidem in ea uersatur orator,atq; ea est ei subiecta materia) omnia quæsita,audita,lecta,disputata,tractata,agitata esse debent. Hanc autem, quam nos materiam uocamus, id est res subiectas,quidam modò infinitam,modò nõ propriam rhetorices esse dixerunt,eamq; artẽ circũcurrentem uocauerũt, quòd in omni materia diceret: cum quibus mihi minima pugna est. Nam de omni materia dicere eam fatentur, propriam habere materiam,quia multiplicẽ habeat,negant. Sed neq; infinita est,etiamsi est multiplex: & aliæ quoq; artes minores habẽt multiplicem materiã,uelut architectonice. Nam ea in omnibus

De Orat. 1.

De Orat. 3.

quæ

quæ sunt in ædificio utilia uersatur. Et cælatura, quæ auro, argẽto, ære, ferro, opera efficit. Nam sculptura etiam lignũ, ebur, marmor, uitrũ, gẽmas, præter ea quæ suprà dixi, complectitur. Nec protinus nõ est materia rhetorices, si in eadẽ uersatur & alius. Nã si quærã, quæ sit materia statuarij, dicetur æs: si quæram quæ sit * excusoris, id est eius fabricæ, quam Græci uocant χαλκοῦ πηξιν, similiter æs esse respondeant. Atqui plurimum statuis differunt uasa. Nec medicina ideo non erit ars, quia unctio & exercitatio cum palæstrica, ciborum uero qualitas etiã cum coquorum ei sit arte communis. Quod uero de bono, utili, iusto differere, philosophiæ officiũ esse dicunt, nõ obstat. Nam cũ philosophum dicunt, hoc accipi uolunt, uirum bonum. Cur igitur oratorem, quẽ à bono uiro nõ separo, in eadem materia uersari mirer? Cum præsertim primo libro iam ostẽderim, philosophos omissam hanc ab oratoribus partem occupasse, quæ rhetorices propria semper fuisset, ut illi potius in nostra materia uersentur. Deniq; cum sit dialectices materia de rebus subiectis disputare, sit autem dialectices oratio concisa, cur nõ eadẽ perpetuæ quoq; materia uideatur? Solet à quibusdam & illud poni: Omnium igitur artium peritus erit orator, si de omnibus ei dicendum est. Posßem hic Ciceronis respondere uerbis, apud quẽ hæc inuenio: Mea quidem sentẽtia, nemo esse poterit omni laude cumulatus orator, nisi erit omniũ rerum magnarũ, atq; artiũ scientiam cõsecutus. Sed mihi satis est, eius esse oratorẽ rei, de qua dicit, nõ insciũ. Neq; enim omnes causas nouit, & debet posse de omnibus dicere. De quibus ergo dicet? de quibus didicit. Similiter de artibus quoq;, de quibus dicendum erit, interim discet, & de quibus didicerit, dicet. Quid ergo, nõ aut faber de fabrica melius, aut de musice musicus? Si nesciat orator quid sit, de quo quæratur, planè melius. Nã & litigator rusticus illiteratusq; de causa sua melius quàm orator, qui nesciet quid in lite sit, dicet. Sed accepta à musico, à fabro, sicut à litigatore, melius orator, quàm

*scalptoris

De Oratore primo.

quàm ipse qui docuerit. Verum & faber cũ de fabrica, & musicus cũ de musica, si quid confirmationẽ desiderauerit, dicet: non erit quidẽ orator, sed faciet illud quasi orator. Sicut cũ uulnus imperitus deligabit, non erit medicus, sed faciet ut medicus. An huiusmodi res, nec in laudẽ, nec in deliberationẽ, nec in iudiciũ ueniunt? Ergo cum de faciendo portu Hostiensi deliberatũ est, non debuit dicere sententiã orator? Atqui opus erat ratione architectorum. Liuores & tumores in corpore, cruditatis, an uenẽni signa sint, nõ tractat orator? At est id ex ratione medicinæ. Circa mẽsuras, & numeros nõ uersabitur? Dicamus has geometriæ esse partes. Equidẽ omnia credo posse ferè casu aliquo uenire in officium oratoris: quod si nõ accidet, nõ erũt ei subiecta. Ita sic quoq; recte diximus materiam rhetorices esse, omnes res ad dicendum ei subiectas. Quod quidẽ probat etiã sermo cõmunis. Nam cũ aliquid de quo dicamus accepimus, positã nobis esse materiã frequẽter etiã præfatione testamur. Gorgias quidẽ adeò rhetori de omnibus putauit esse dicendũ, ut se in auditorijs interrogari pateretur, qua quisque de re uellet. Hermagoras quoq;, dicendo materiã esse in causa, & in quæstionibus, omnes res subiectas erat cõplexus. Sed quæstiones si neget ad rhetoricen pertinere, dissentit à nobis. Si autẽ ad rhetoricen pertinent, ab hoc quoq; adiuuamur. Nihil est enim, quod non in causam, aut in quæstionẽ cadat. Aristoteles tres faciendo partes orationis, iudicialẽ, deliberatiuã, demonstratiuã, penè & ipse oratori subiecit omnia: nihil enim nõ in hæc cadit. Quæsitũ à paucißimis etiã de instrumento est. Instrumentũ uoco, sine quo formari materia, in id quod uelimus effici opus nõ posßit. Verũ hoc ego non artem credo agere, sed artificem. Neq; enim scientia desiderat instrumentũ, quæ potest esse cõsummata, etiã si nihil faciat: sed ille opifex, ut cælator cælum, & pictor penicilla. Itaq; hæc in cum locum, quo de oratore dicturi sumus, differamus.

Libri secundi finis.

M. FAB. QVINTILIANI DE INSTITVTIONE Oratoria, Liber tertius.

De scriptoribus artis Rhetoricæ.

CAP. I.

QVONIAM in secundo libro quæsitũ est, quid esset Rhetorice, & quis finis eius: artem quoq; esse eam, & utilem, & uirtutem, ut uires nostræ tulerũt, ostendimus: materiamq; ei res omnes de quibus dicere oporteret, subiecimus: iam hinc unde cœperit, quibus constet, quo quæq; in eo modo inuenienda, atq; tractanda sint, exequar. Intra quem modũ pleriq; scriptores artium constiterunt, adeò ut Apollodorus cõtentus solis iudicialibus fuerit. Nec sum ignarus hoc à me præcipue, quod hic liber inchoat opus, studiosos eius desiderasse, ut inquisitione opinionum, quæ diuersissimæ fuerunt, longe difficilimum, ita nescio, an minime legentibus futurum uoluptati, quippe quod propè nudam præceptorum traditionem desideret. In cæteris enim admiscere tentauimus aliquid nitoris, non iactandi ingenij gratia, nanq; in id eligi materia poterat uberior, sed ut hoc ipso alliceremus magis iuuentutem ad cognitionẽ eorum, quæ necessaria studijs arbitrabamur, si ducti iucunditate aliqua lectionis libentius discerent ea, quorum ne ieiuna, atq; arida traditio auerteret animos, & aures, præsertim tam delicatas, raderet, uerebamur. Qua ratione se Lucretius dicit præcepta philosophiæ carmine esse complexum. Nanq; hac, ut est notum, similitudine utitur:

Ac ueluti pueris absinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Aspirant mellis dulci flauoq; liquore. Et quæ sequuntur.

Sed

Sed nos ueremur, ne parum hic liber mellis, & absinthij multum habere uideatur, sitq; salubrior studijs, quàm dulcior. Quin etiam hoc timeo, ne ex eo minorem gratiam ineat, quòd pleraque non inuenta per me, sed ab alijs tradita continebit: habeat etiam quosdam qui contrà sentiant, & aduersentur, propterea quòd plurimi autores, quamuis eodem tenderent, diuersas tamen uias * munierunt, atque in suam quisque induxit sequentes. Illi autem probant qualecunq; ingressi sunt iter: nec facile inculcatas pueris persuasiones mutaueris, quia nemo non didicisse mauult, quàm discere. Est autem, ut procedente libro patebit, infinita dissensio autorum, primo ad ea quæ rudia atq; imperfecta adhuc erant, adijcientibus quod inuenissent scriptoribus: mox, ut aliquid sui uiderentur afferre, etiam recta mutantibus. Nam primus post eos quos poëtæ tradiderunt, mouisse aliqua circa rhetoricen Empedocles dicitur. Artium autem scriptores antiquissimi Corax & Thysias Siculi, quos insecutus est uir eiusdem insulæ Gorgias Leontinus, Empedoclis, ut traditur, discipulus. Is beneficio longissimæ ætatis (nã centũ & nouẽ uixit annos) cũ multis simul floruit. Ideoq; & illorũ, de quibus suprà dixi, fuit æmulus, & ultra Socratẽ usq; durauit. Thrasymachus Chalcedonius cũ hoc, & Prodicus Chius, & Abderites Protagoras, à quo decẽ milibus denariorum didicisse artẽ quam edidit, Euathlus dicitur, & Hippias Elæus, & quem Palamedã Plato appellat, Alcidamas Eleates. Antiphon quoq; & primus omnium orationem scripsit, & nihilominus artem & ipse composuit, & pro se dixisse optime est creditus. Etiam Polycrates, à quo scriptam in Socratem diximus orationem. Et Theodorus Byzantius, ex his & ipse, quos Plato appellat λογοδαιδάλους. Horum primi communes locos tractasse dicuntur, Protagoras, Gorgias, Prodicus & Thrasymachus. Cicero in Bruto negat ante Periclem scriptum quicquam, quod ornatũ oratorium haberet, eius aliqua ferri. Equidem non reperio quicquã tantæ elo-

*inuenerunt

Logodædali

quentiæ fama dignum. Ideoq; minus miror, esse qui nihil ab eo scriptum putent: hæc autem quæ feruntur, ab alijs esse composita. His succesſere multi, sed clarissimus Gorgiæ auditor Isocrates, quanquam de præceptore eius inter autores non conuenit. Nos autem Aristoteli credimus. Hinc uelut diuersæ secari cœperunt uiæ. Nam & Isocratis præstantissimi discipuli fuerũt in omni studiorum genere, eoq; iam seniore (octauum enim & nonagesimum impleuit annum) pomeridianis scholis Aristoteles præcipere artem oratoriam cœpit, noto quidem illo, ut traditur, uersu ex Philocteta frequenter usus:

Αἰσχρὸν σιωπᾶν, κοὐκ Ισοκράτη λέγειν.

Turpe esse tacere, & Isocratem pati dicere. Ars est utriusq;, sed pluribus eam libris Aristoteles complexus est. Eodẽ tempore Theodectes fuit, de cuius opere suprà dictum est. Theophrastus quoq; Aristotelis discipulus, de rhetorice diligẽter scripsit, atq; hinc uel studiosius philosophi quàm rhetores, præcipueq; Stoicorum atq; Peripateticorum principes. Fecit deinde uelut propriã Hermagoras uiam, quam plurimi sunt secuti, cui maxime par, atq; æmulus uidetur Athenæus fuisse. Multa pòst Apollonius Molon, multa Areus, multa Cæcilius, & Halicarnasseus Dionysius. Præcipuè tamen in se conuerterunt studia Apollodorus Pergamenus, qui præceptor Apolloniæ Cæsaris Augusti fuit, & Theodorus Gadaræus, qui se dici maluit Rhodiũ, quem studiose audisse, cum in eam insulam secessisset, dicitur Tyberius Cæsar. Hi diuersas opiniones tradidẽrũt, appellatiq; inde Apollodorei, & Theodorei, ad morem certas in philosophia sectas sequendi. Sed Apollodori præcepta magis ex discipulis cognoscas, quorum diligentissimus in tradendo latinè fuit C. Valgius, græcè Atticus. Nam ipsius sola uidetur ars edita ad Matium, quia cæteras missa ad Domitiũ epistola non agnoscit. Plura scripsit Theodorus, cuius auditorẽ Hermagorã sunt qui uiderint. Romanorum primus (quantũ ego quidem sciam) cõdidit aliqua in hac

in hac materia M. Cato ille Cẽsorius: pòst M. Antonius inchoauit. Nam hoc solum opus eius, atq; idipsum imperfectum manet. Secuti minus celebres, quorum memoriam, si quo loco res poscet, non omittam. Præcipuum uero lumen sicut eloquentiæ, ita præceptis quoq; eius dedit unicum apud nos specimen orandi, docendiq; oratorias artes M. Tullius, pòst quem tacere modestissimum foret, nisi & rhetoricos suos ipse adolescenti sibi ela-psos diceret, & in Oratorijs hæc minora, quæ plerique desiderant, sciens omisisset. Scripsit de eadẽ materia nõ pauca Cornificius, aliqua Stertinius, nonnihil pater Gallio, accuratius uero priores Gallione Celsus, & Lenas, & ætatis nostræ Virginius, Plinius, Rutilius. Sunt & hodie clari eiusdẽ operis autores, qui si omnia cõplexi forent, cõsuluissent labori meo, sed parco nominibus uiuentium. Veniet eorum laudi suum tempus, ad posteros enim uirtus durabit, nõ perueniet inuidia. Non tamen pòst tot ac tantos scriptores pigebit meam quibusdã locis posuisse sentẽtiam. Neq; enim me cuiusquam sectæ, uelut quadã superstitione imbutus, addixi, & electuris quæ uolent facienda copia fuit. Sicut ipse plurium in unum confero inuenta, ubicunq; ingenio nõ erit locus, curæ testimonium meruisse contentus.

Quod initium Rhetorices. CAP. II.

NEc diu nos moretur quæstio, quæ rhetorices origo sit. Nam cui dubium est, quin sermonẽ ab ipsa rerum natura geniti protinus homines acceperint? quod certe principium est eius rei. Huic studium & incrementum dederit utilitas: summã, ratio & exercitatio. Nec uideo quare curam dicẽdi putant quidam inde cœpisse, quòd hi qui in discrimen aliquod uocabãtur, accuratius loqui defendẽdi sui gratia instituerint. Hæc enim ut honestior causa, ita non utiq; prior est, cum præsertim accusatio præcedat defensionem: nisi quis dicit etiam gladium fabricatum ab eo prius, qui ferrum in tutelam sui, quam qui in perniciem alterius compararit. Initium ergo dicendi dedit natura,

initium artis obseruatio. Homines enim, sicut in medicina, cum uiderent alia salubria, alia insalubria, ex obseruatione eorum effecerunt artem: ita cum in dicendo, alia utilia, alia inutilia deprehenderent, notarunt ea ad imitandum uitandumq;, & quædam secundum rationem eorum adiecerunt ipsi quoq;: hæc confirmata sunt usu, tum quæ sciebat quisq; docuit. Cicero quidem initium orandi conditoribus urbiũ, ac legumlatoribus dedit, in quibus fuisse uim dicendi necesse est: cur tamen hanc primã originem putet, non uideo, cum sint adhuc quædam uagæ, & sine urbibus, ac sine legibus gentes, & tamẽ qui sunt in his nati, & legationibus fungantur, & accusent aliqua, ac defendant, & deniq; alium alio melius loqui credant.

Quinque esse partes Rhetoricæ. CAP. III.

OMnis autem orandi ratio, ut plurimi maximiq; autores tradiderunt, quinque partibus constat, inuentione, dispositione, elocutione, memoria, pronũciatione, siue actione: utroque enim modo dicitur. Omnis enim sermo, quo quidem uoluntas aliqua enunciatur, habeat necesse est rem & uerba. Ac si est breuis, & una conclusione finitus, nihil fortasse ultra desideret. At oratio longior plura exigit. Non enim tantum refert, quid, & quomodo dicamus, sed etiam quo loco. Opus ergo est & dispositione. Sed neq; omnia quæ res postulat, dicere, neq; suo quæq; loco poterimus, nisi adiuuante memoria: quapropter ea quoque pars quarta erit. Verum hæc cuncta corrumpit, ac propemodum perdit indecora uel uoce, uel gestu pronunciatio: huic quoq; tribuẽdus est necessariò quintus locus. Nec audiendi quidam, quorum est Albutius, qui treis modo primas esse partes uolunt, quia memoria atque actio natura, non arte contingant, quarum nos præcepta suo loco dabimus, licet Thrasymachus quoq; idem de actione crediderit. His adiecerunt quidam sextam partem, ita ut inuentioni iudicium subnecterent, quia primum esset inuenire, deinde iudicare. Ego porrò ne inueniss quidem

quidem credo eum, qui non iudicauit: nec enim contraria, communia, stulta inuenisse dicitur quisquam, sed non * uitasse. Et Ci *iudicasse
cero quidem in Rhetoricis, iudicium subiecit inuentioni. Mihi autem adeò primis tribus partibus uidetur esse permixtum, nam neq; dispositio sine eo, neq; elocutio fuerit, ut pronũciationem quoq; uel plurimum ab eo mutuari putem. Quod hoc audacius dixerim, quòd in partitionibus oratorijs ad easdem, de quibus suprà dictum est, quinque peruenit partes: Nam cum dupliciter primum diuisisset in inuẽtionem atq; elocutionem, res ac dispositionem inuentioni, uerba & pronunciationem elocutioni dedit, quintam quoque constituit communem, ac uelut custodem omnium, memoriam. Idem in Oratore, quinque rebus constare eloquentiam dicit, in quibus postea scriptis certior eius sententia est. Non minus mihi cupidi nouitatis alicuius uidẽtur fuisse, qui adiecerunt ordinem, cum dispositioně dixissent: quasi aliud sit dispositio, quàm rerum in ordinem optima collocatio. Dion inuentionem modò & dispositionem tradidit, sed utranq; duplicem, rerum ac uerborum, ut sit elocutio inuẽtionis, pronunciatio dispositionis: his quinta pars memoria accedat. Theodorei rè inuentionem duplicẽ, rerum atq; elocutionis, deinde treis partes cæteras. Hermagoras, iudicium, partitionem, ordinẽ, quæq; elocutionis sunt, subiecit Oeconomiæ, quæ Græce appellata ex cura rerum domesticarum, & hic per abusionem posita, nomine latino caret. Est & circa hoc quæstio, quòd memoriam in ordine partium quidam inuentioni, quidam dispositioni subiunxerunt, nobis quartus eius locus placet. Non enim tantum inuenta tenere ut disponamus, nec disposita, ut eloquamur, sed etiam uerbis formata, memoriæ mandare debemus. Hac enim omnia quæcunq; in orationem collata sunt, cõtinentur. Fuerunt etiam in hac opinione non pauci, ut has non rhetorices partes esse existimarent, sed opera oratoris. Eius enim esse, inuenire, disponere, eloqui, & cætera. Quod si accipimus, nihil arti relin

quemus. Nam bene dicere est oratoris, rhetorice tamen est bene dicendi scientia: Vel, ut alij putant, artificis est persuadere, uis autem persuadendi artis: ita inuenire quidem & disponere oratoris, inuentio autem & dispositio rhetorices propria uideri potest. In eo plures dissenserunt, utrum ne hæ partes essent rhetorices, an eiusdem operæ, an, ut Athenæus credit, elementa, quæ uocantur στοιχεῖα. Sed neq; elementa recte quis dixerit, alioqui tantum initia erunt, ut mundi, uel humor, uel ignis, uel materia, uel corpora insecabilia: nec operum recte nomẽ accipient, quæ non ab alijs perficiuntur, sed aliud ipsa perficiunt. Partes igitur. Nam cum ex his rhetorice, fieri non potest, ut cùm totum ex partibus constet, non sint partes totius, ex quibus constet. Videntur autem mihi, qui hæc opera dixerunt, eo quoq; moti, quòd in alia rursus diuisione nollent in idem nomen incidere: partes enim rhetorices esse dicebant laudatiuã, deliberatiuam, iudicialem. Quæ si partes sunt, materiæ sunt potius, quàm artis. Nanq; in his singulis rhetorice tota est, quia & inuentionẽ, & dispositionem, & elocutionem, & memoriam, & pronunciationem quæcunq; earum desiderat. Itaq; quidam genera ea tria rhetorices dicere maluerunt: optime autem ij, quos secutus est Cicero, qui genera causarum.

Tria esse genera causarum. CAP. IIII.

SEd tria, an plura sint, ambigitur: nec dubie propè omnes utiq; summæ apud antiquos autoritatis scriptores Aristotelem secuti, qui nomine tantum alio concionalem pro deliberatiua appellat, hac partitione contenti fuerunt. Verum & tunc leuiter est tentatum, tum apud Græcos quosdam, tum apud Ciceronem in libris de Oratore, & nunc maximo temporũ nostrorum autore propè impulsum, ut non modo plura hæc genera, sed etiã penè innumerabilia uideantur. Nam si laudãdi ac uituperandi officiũ in parte tertia ponimus, in quo genere uersari uidebimur, si querimur, consolamur, mitigamus, concitamus, terre

terremus, confirmamus, præcipimus, obscure dicta interpretamur, narramus, deprecamur, gratias agimus, gratulamur, obiurgamus, maledicimus, describimus, mandamus, renuntiamus, optamus, opinamur: & plurima alia: ut mihi in illa uetere persuasione permanẽti, uelut petenda sit uenia: quærendumq;, quo moti priores, rem tam late fusam, tam breuiter astrinxerint. Quos qui errasse putant, hoc secutos arbitrantur, quòd in his ferè uersari tum oratores uidebant. Nam & laudes, & uituperationes scribebantur, & ἐπιτάφιος dicere erat moris, & plurimum in cõsilijs ac iudicijs insumebatur operæ, ut scriptores artium pro solis comprehenderint frequẽtißima. Qui uero defendunt, tria faciunt genera auditorum: unum quod ad delectationem conueniat, alterum quod consilium accipiat, tertium quod de causis iudicet. Mihi cuncta rimanti, talis quædam ratio succurrit, quòd omne oratoris officiũ, aut in iudicijs est, aut extra iudicia. Eorũ de quibus in iudicio quæritur, manifestum genus est: ea quæ ad iudicem non ueniunt, aut præteritum habent tempus, aut futurum: Præterita laudamus, aut uituperamus: de futuris deliberamus. Item omnia, de quibus dicendum est, aut certa sint necesse est, aut dubia. Certa, ut cuiq; est animus, laudat, aut culpat: ex dubijs partim nobis ipsis ad electionem sunt libera, de his deliberatur: partim aliorũ sententiæ cõmissa, de his lite contenditur. Anaximenes iudicialem & concionalẽ generales partes esse uoluit. Septem autem species hortandi, dehortandi, laudandi, uituperandi, accusandi, defendendi, exquirendi, quod & ἐξεταστικὸν dicit: quarum duæ primæ deliberatiui, duæ sequentes demonstratiui: tres ultimæ iudicialis generis sunt partes. Protagoram transeo, qui interrogandi, respondendi, mandandi, precandi, quod εὐχωλὴν dixit, partes solas putat. Plato in Sophiste, iudiciali, & concionali tertiam adiecit προσομιλητικὴν, quam sanè permittamus nobis dicere sermocinatricem, quæ à fòrensi ratione disiũgitur, & est accõmodata priuatis disputationibus,

cuius uis eadem profectò est, quæ dialecticæ. Isocrates in omni genere inesse laudem ac uituperationem existimauit. Nobis autem & tutissimum est autores plures sequi, & ita uidetur ratio dictare. Est igitur, ut dixi, unum genus, quo laus ac uituperatio continetur, sed est appellatum à parte meliore laudatiuũ, idem alij demonstratiuum uocant, utrunq; nomen ex Græco creditur fluxisse. Nam & ἐγκωμιαστικὸν & ἐπιδεικτικὸν dicunt. Sed mihi ἐπιδεικτικὸν nõ tam demonstrationis uim habere, quàm ostentationis uidetur, & multum ab illo ἐγκωμιαστικῷ differre: nam ut cõtinet laudatiuum in se genus, ita nõ intra hoc solum consistit. An quisquam negauerit Panegyricos ἐπιδεικτικοὺς esse? Atqui formam suadendi habent, & plerunq; de utilitatibus Græciæ loquuntur: ut causarũ quidem genera tria sint, sed ea tum in negotijs, tum in ostentatione posita. Nisi fortè non ex Græco mutuantes demonstratiuum uocant, uerum id sequuntur, quòd laus ac uituperatio quale sit quicq; demonstrat. Alterum est deliberatiuum, tertium iudiciale. Cæteræ species in hæc tria incidunt genera. Nec inuenietur ex his ulla, in qua non laudare aut uituperare, suadere aut dissuadere, intendere quid uel depellere debeamus. Illa quoq; sunt communia, conciliare, narrare, docere, augere, minuere, concitandis, componendis ue affectibus animos audientium fingere. Ne ijs quidem accesserim, qui laudatiuam materiam honestorum, deliberatiuam utilium, iudicialem iustorum, quæstione cõtineri putant, celeri magis, ac rotunda usi distributione, quàm uera. Stant enim quodammodo mutuis auxilijs omnia. Nam & in laude iustitia, utilitas q; tractantur, & in consilijs honestas: & raro iudicialem inueneris causam, in cuius non parte aliquid eorum, quæ suprà diximus, reperiatur.

Quibus contineatur omnis ratio dicendi.

CAP. V.

OMnis autem oratio constat, aut ex ijs quæ significantur, aut ex ijs quæ significant, id est, rebus & uerbis. Facultas orandi

orandi consummatur natura, arte, exercitatione, cui quartam partem adijciunt quidam imitationis, quam nos arti subijcimus. Tria sunt item quæ præstare debeat orator, ut doceat, moueat, delectet. Hæc enim clarior diuisio, quàm eorum qui totum opus in res, & in affectus partiuntur. Non semper autem omnia in eam quæ tractabitur materiam cadent. Erunt enim quædam remotæ ab affectibus, qui ut nõ ubiq; habent locum, ita quocunq; irruperint, plurimum ualent. Præstantissimis autoribus placet, alia in rhetorica esse, quæ probationem desiderent, alia quæ nõ desiderent, cum quibus ipse consentio. Quidam uero, ut Celsus, de nulla re dicturum oratorem, nisi de qua quæritur, existimãt, cui cùm maxima pars scriptorũ repugnet, tum etiam ipsa partitio. nisi fortè laudare, quæ constet esse honesta, & uituperare, quæ ex confesso sunt turpia, non est oratoris officium. Illud iam omnes fatentur, esse quæstiones aut in scripto, aut in non scripto: in scripto, sunt de iure, in nõ scripto, de re: illud legale, hoc rationale genus. Hermagoras, atq; eum secuti, uocant νομικὸν & λογικὸν. Idem sentiunt, qui omnem quæstionem ponunt in rebus & in uerbis. Item cõuenit quæstiones esse aut infinitas, aut finitas. Infinitæ sunt, quæ remotis personis, & tẽporibus, & locis, cæterisq; similibus, in utranq; partẽ tractantur, quod Græci θέσεις dicunt, Cicero propositum, alij quæstiones uniuersales ciuiles, alij quæstiones philosopho conuenientes. Athenæus partẽ causæ appellat. Hoc genus Cicero scientia & actione distinguit: ut sit scientiæ, an prouidentia mundus regatur: Actionis, an accedendum ad rempub. administrandam. Prius trium generum, an sit, quid sit, quale sit: omnia enim hæc ignorari poßunt. Sequẽs duorum, quomodo adipiscamur, quomodo utamur. Finitæ autem sunt ex complexu rerum, personarum, temporum, cæterorumq;, hæ ὑποθέσεις à Græcis dicuntur, causæ à nostris. In his omnis quæstio uidetur circa res, personasq; consistere. Amplior est semper infinita, inde enim finita descendit. Quod ut exemplo

Imitatio arti subiecta.

exemplo pateat, infinita est, an uxor ducenda: finita, an Catoni ducenda. Ideoq; esse suasoria potest. Sed etiam remotæ à personis proprijs, ad aliquid referri solent. Est enim simplex, an Respub. administranda. Refertur ad aliquid, an in tyrannide administranda. Sed hic quoq; subest uelut latens persona, tyrannus enim gemunat quæstionem, subestq; & temporis, & qualitatis tacita uis, nondum tamen hoc proprie dixeris causam. Hæ autem quas infinitas uoco, & generales appellantur, quod si est uerum, finitæ speciales erunt. In omni autem speciali utiq; inest generalis, ut quæ sit prior. Ac nescio, an in causis quoq; quicquid in quæstionẽ uenit uelut qualitatis, generale sit: Milo Clodium occidit: iure occidit insidiatorem. Non ne hoc quæritur, an sit ius insidiatorem occidi? Quid in coniecturis? non illa generalia, an causa sceleris odium, cupiditas: an tormentis credendum: testibus, an argumẽtis maior fides habenda? Nam finitione quidem comprehendi nihil non in uniuersum certum erit. Quidam putant etiam eas posse theseis aliquando nominari, quæ personis causisq; cõtineantur, aliter tantũmodo positas, ut causa sit cum Orestes accusatur: Thesis, an Orestes recte sit absolutus. Huius generis est, an Cato recte Martiam Hortensio tradiderit. Hi thesim à causa sic distinguunt, ut illa sit spectatiuæ partis, hæc actiuæ: Illic enim ueritatis gratia tantũ disputari, hic negotium agi. Quanquam inutiles quidam oratori putant uniuersales quæstiones, quia nihil prosit, quòd constet ducendam esse uxorem, uel administrandam rempu. si quis uel ætate, uel ualetudine impediatur. Sed nõ in omnibus eiusmodi quæstionibus sic occurri potest, ut illis, sit ne uirtus finis: regatur ne mundus prouidentia. Quinetiam in ijs, quæ ad personam referuntur, ut non est satis generalem tractasse quæstionem, ita perueniri ad speciem, nisi illa prius excussa, non potest. Nam quomodo, an sibi uxor ducenda sit, deliberabit Cato, nisi cõstiterit uxores esse ducendas? Et quomodo an ducere debeat Martiam quæretur, nisi

nisi Catoni ducenda uxor est? Sunt tamen inscripti nomine Hermagoræ libri, qui confirment illam opinionem, siue falsus est titulus, siue alius hic Hermagoras fuit. Nam eiusdẽ esse quomodo possunt, qui de hac arte mirabiliter multa cõposuit? Cũ sicut ex Ciceronis quoq; Rhetorico primo manifestum est, materiã rhetorices in theseis, & causas diuiserit. Quod reprehẽdit Cicero, ac thesim nihil ad oratorẽ pertinere contendit, totumq; hoc genus quæstionis ad philosophos uocat ac refert. Sed me liberauit reprehendendi uerecũdia, & quòd ipse hos libros improbat, & quòd in Oratore, & in ijs, quos de Oratore scripsit libris, & Topicis præcipit, ut à proprijs personis atq; tẽporibus auocemus controuersiam, quia latius liceat dicere de genere, quàm de specie, & quod in uniuerso probatũ est, id in parte probatũ esse necesse sit. Status autẽ in hoc omne genus materiæ ijdem, qui in causam cadunt. Adhuc adijcitur, alias esse quæstiones in rebus ipsis, alias quæ ad aliud referantur. Illud, an uxor ducenda: hoc, an seni ducẽda: illud, an fortis: hoc, an fortior, & similia. Causam finit Apollodorus, ut interpretatione Valgij discipuli eius utar, ita: Causa est negotium omnibus suis partibus spectans ad quæstionem: aut, causa est negotiũ cuius finis est controuersia. Ipsum deinde negotiũ sic finit: Negotium est congregatio personarum, locorum, temporum, causarum, modorum, casuum, factorum, instrumentorum, sermonum, scriptorum, & nõ scriptorum. Causam nunc intelligimus ὑπόθεσιν, negotium περίστασιν. Sed ipsam causam quidam similiter finierunt, ut Apollodorus negotium. Isocrates causam esse ait, quæstionem finitam, ciuilem, aut rerum controuersiam in personarum finitarũ complexu. Cicero his uerbis: Causa certis personis, locis, temporibus, actionibus, negotijs, cernitur, aut in omnibus, aut in pleriſq; eorum.

Quid sit status. CAP. VI.

ERgo cum omnis causa cõtineatur aliquo statu, prius quàm dicere aggrediar, quomodo genus quodq; causæ sit tractandum,

ctandum,id quod cõmune eſt omnibus,quid ſit Status, & unde ducatur, & quot, & qui ſint, intuendum puto : quanquam id nonnulli ad iudiciales tantum pertinere materias putauerunt. Quorum inſcitiam,cum omnia tria genera fuero executus, res ipſa deprehendet. Quod nos Statum, id quidam conſtitutionem uocant, alij quæſtionẽ,alij quod ex quæſtione appareat. Theodorus generale caput,id eſt, κεφάλαιον* χυικότατον,ad quod referuntur omnia. Quorum diuerſa appellatio,uis eadem eſt : nec intereſt diſcentium, quibus quidq; nominibus appelletur, dum res ipſa manifeſta ſit. Statum Græci στάσιν uocant, quod nomen primum ab Hermagora traditum putant, ſed alij ab Naucrate Iſocratis diſcipulo,alij à Zopyro Clazomenio. Quanquam uidetur Aeſchines quoq; in oratione contra Cteſiphontem uti hoc uerbo,cum à iudicibus petit, ne Demoſthenem permittant euagari,ſed eum dicere de ipſo cauſæ ſtatu cogant. Quæ appellatio dicitur ducta uel ex eo, quòd ibi ſit primus cauſæ cõgreſſus,uel quòd in hoc cauſa cõſiſtat. Et nominis quidem hæc origo. Nunc quid ſit. Statum quidam dixerunt primam cauſarum conflictionẽ : quos recte ſenſiſſe,ſed parum elocutos puto. Non enim eſt ſtatus prima conflictio, feciſti,non feci:ſed quod ex prima conflictione naſcitur, id eſt, genus quæſtionis, feciſti, non feci,an fecerit:Hoc feciſti,non hoc feci,quid fecerit : quia ex his apparet,illud coniectura,hoc finitione quærendum:atq; in quo pars utraq; inſiſtit,erit quæſtio coniecturalis,uel finitiui ſtatus. Quid enim? ſi dicat quis, Sonus eſt duorum corporum inter ſe conflictio:erret,ut opinor:non enim ſonus eſt conflictio, ſed ex conflictione. Et hoc leuius : intelligitur enim utcunq; dictum: inde uero ingens male interpretantibus innatus eſt error, qui quia primam conflictionem legerant, crediderunt ſtatum ſemper ex prima quæſtione ducẽdum,quod eſt uitioſiſſimum. Nam quæſtio nulla non habet utiq; ſtatum: conſtat enim ex intẽtione & depulſione, ſed aliæ ſunt propriæ cauſarum, de quibus ferenda

* τεχνικώτερον

renda ſententia eſt : aliæ adductæ extrinſecus,aliquid tamen ad ſummam cauſæ conferentes,uelut auxilia quædam: quo fit,ut in controuerſia una plures quæſtiones eſſe dicãtur. Harum porrò plerũq; leuiſſima quæq; primo loco fingitur. Nam & illud frequens eſt, ut ea quibus minus confidimus, cum tractata ſint, omittamus,interim ſponte noſtra uelut donantes, interim ad ea quæ ſunt potẽtiora gradum ex his feciſſe cõtenti. Simplex autẽ cauſa etiamſi uarie defenditur, non poteſt habere plus uno de quo pronuncietur, atq; inde erit ſtatus cauſæ, quod & orator præcipuæ ſibi obtinẽdum, & iudex ſpectandum maxime intelligit. In hoc enim cauſa conſiſtet. Cæterum quæſtionum poſſunt eſſe diuerſi. Quod ut breuiſſimo pateat exemplo, cũ dicit reus, etiamſi feci,recte feci,qualitatis utitur ſtatu:cum adijcit, ſed non feci, coniecturam mouet. Semper autem firmius eſt non feciſſe. Ideoq; ſtatum eſſe in eo iudicabo : quod dicerem, ſi mihi plus quàm unum dicere non liceret. Recte igitur eſt appellata cauſarum prima conflictio,non quæſtionum. Nam & pro Rabirio Poſthumo Cicero prima parte orationis in hoc intẽdit,ut actionem competere in equitem Romanum neget : Secunda nullam ad eum pecuniam perueniſſe confirmat. Statum tamen dicam in eo fuiſſe,quod eſt potentius. Nec in cauſa Milonis circa primas quæſtiones, quæ ſunt poſt Procœmium poſitæ, iudicabo conflixiſſe cauſam:ſed ubi totis uiribus inſidiator Clodius,ideoq; iure interfectus oſtenditur. Et hoc eſt quod ante omnia conſtituere in animo ſuo debeat orator, etiam ſi pro cauſa plura dicturus eſt,quod maxime liquere iudici uelit. Quod tamen ut primum cogitandum,ita non utiq; primum dicendum erit.

Vnde ducatur ſtatus, & reus, an actor ſtatum faciat. CAP. VII.

ALij ſtatum crediderunt primam eius, cum quo ageretur, * deprecationem. Quam ſententiam his uerbis Cicero complectitur : In quo primum conſiſtit, quaſi ad repugnandum

* depulſionẽ In Topicis.

gnandum congressa defensio. Vnde rursus alia quæstio, an eum semper is faciat, qui respondet. Cui rei præcipue repugnat Cornelius Celsus, dicens non à depulsione sumi, sed ab eo qui propositionem suam confirmet: ut si hominem occisum reus negat, status ab accusatore nascatur, quia is uelit probare: si iure occisum reus dicit, translata probationis necessitate idem à reo fiat, & sit eius intentio. Cui non accedo equidem: nam est uero propius quod contrà dicitur, nullam esse litem, si is cum quo agitur nihil respondeat, ideoq; fieri statum à respondente. Mea tamen sententia uarium id est, & accidit pro conditione causarum, quia uideri potest propositio aliquando statum facere, ut in coniecturalibus causis, utitur enim coniectura magis qui agit. Quo moti quidam, eundem à reo inficialem esse dixerunt, & in syllogismo tota ratiocinatio ab eo est qui intendit. Sed quia uidetur illis quoq; necessitatem hos status exequendi facere qui negat (is enim si dicat non feci, coget aduersariũ coniectura uti: & si dicat, nõ habet legem, syllogismo) concedamus ex depulsione nasci statũ, nihilominus enim res eò reuertetur, ut modò is qui agit, modò is cum quo agitur, statum faciat. Sit enim accusatoris intentio, hominem occidisti: si neget reus, faciet statum qui negat. Quid si confitetur, sed iure à se adulterum dicit occisum? nempe legem esse certum est, quæ permittat, nisi aliquid accusator ei respõdeat, nulla lis est. Nõ fuit, inquit, adulter. Ergo depulsio incipit esse actoris, ille statum faciet. Ita erit quidẽ status ex prima depulsione, sed ea fiet ab accusatore, non à reo. Quid quòd eadẽ quæstio potest eundem uel accusatorẽ facere, uel reũ? Qui artem ludicrã exercuerit, in quatuordecim primis ordinibus ne sedeat: qui se Prætori in hortis ostenderat, neq; erat productus, sedit in quatuordecim ordinibus. Nempe intẽtio est, artem ludicram exercuisti: depulsio, nõ exercui artẽ ludicram: quæstio, quid sit artẽ ludicram exercere. Si accusabitur theatrali lege, depulsio erit rei: si excitatus fuerit de spectaculis, & aget iniuriarum, depulsio erit accusatoris. Frequentius tamen illud accidet, quod est à pluribus traditum. Effugerunt has quæstiones, qui dixerunt statum esse id, quod appareat ex intẽtione & depulsione: ut, feci sti: non feci, aut rectè feci. Viderimus tamen, utrum id sit status, an in eo status. Hermagoras statum uocat, per quem subiecta res intelligatur, & ad quẽ probationes etiam partium referãtur. Nostra opinio semper hæc fuit, ut cum essent frequẽter in causa diuersi quæstionũ status, in eo credere statũ causæ, quod esset in eo potentissimũ, & in quo maxime res uerteretur. Id si quis generalẽ quæstionem, uel caput generale dicere malit, cum hoc mihi non erit pugna, nõ magis quàm si aliud adhuc, quo idem intelligatur, eius rei nomẽ inuenerit: quanquã tota uolumina in hanc disputationem impendisse multos sciam, nobis statum dici placet. Sed cum in alijs omnibus inter scriptores summa dissensio est, tum in hoc uidetur mihi præcipuum studium quoq; diuersa tradendi fuisse, adeò nec qui sit numerus, nec quæ nomina, nec qui generales, quíue speciales sint status, cõuenit. Ac primum Aristoteles elementa decem constituit, circa quæ uersari uideatur omnis quæstio. οὐσίαν, quam Flauius essentiam uocat: nec sanè aliud est eius nomen latinum. Sed ea quæritur, an sit. Qualitatem, cuius apertus intellectus est. Quantitatem, quæ dupliciter à posterioribus diuisa est, quàm magnum, & quàm multũ sit. Ad aliquid, unde ductæ trãslatio, & cõparatio. Post hæc, Vbi, & Quãdo: deinde Facere, Pati, Habere, quod est quasi armatum esse, & uestitum esse: nouissime συγκείσθαι, quod est compositum esse quodãmodo, ut *calefacere, stare, irasci. Sed ex his omnibus prima quatuor ad status pertinere, cætera ad quosdam locos argumentorũ uidentur. Alij nouem elementa posuerunt: personã, qua de animo, corpore, & extra positis quæratur, quod pertinere ad coniecturæ & qualitatis instrumẽta uideo: Tempus, quod χρόνον uocant, ex quo quæstio, an is, quem dum addicta est mater, peperit, seruus

*al's: sedere, stare, iacere

ſit natus: Locus, unde controuerſia uidetur, an fas fuerit tyrannum in templo occidere: an exulauerit, qui domi latuit: Tempus iterum, quod καιρὸν appellant, hanc autẽ uideri uolunt ſpeciem illius temporis, ut æſtatem, uel hyemem. Huic ſubijcitur ille in peſtilentia comeſſator: Actum, id eſt, πρᾶξιν, quod eò referunt, ſciens commiſerit, an inſciens: neceſsitate, an caſu, & talia: Numerum, qui cadit in ſpeciem quantitatis, an Thraſybulo triginta præmia debeantur, qui tot tyrannos ſuſtulerit: Cauſam, cui plurimæ ſubiacent lites, quoties factum non negatur, ſed quia iuſta ratione ſit factum defenditur: πρόσωπον, cum id quod alio modo fieri licet, alio dicitur factum, hinc eſt adulteris cæſus, uel fame necatus: Occaſionem factorum, quod eſt apertius, quàm ut uel interpretandum, uel exemplo ſit demonſtrandum, tamen ἀφορμὰς ἔργων uocant. Hi quoq; nullam quæſtionem extra hæc putant. Quidam detrahunt duas partes, numerũ & occaſionem, & pro illo quem dixi actu ſubijciunt res, id eſt, πράγματα. Quæ ne præteriſſe uiderer, ſatis habui attingere. Cæterum his nec ſtatus ſatis oſtendi, nec omnes contineri locos credo: quod apparebit diligentius legentibus, quæ de utraque re dicam. Erunt enim plura multò, quàm quæ his elemẽtis comprehenduntur. Apud plures autores legi, placuiſſe quibuſdam, unum omnino ſtatum eſſe coniecturalem. Sed quibus placuerit, neq; illi tradiderunt, neq; ego uſquam reperire potui. Rationem tamen hanc ſecuti dicũtur, quòd res omnes ſignis colligantur quomodolibet: qualitatis quoq; ſolum ſtatum faciant: quia ubiq; qualis ſit cuiuſq; rei natura, quæri poteſt: ſed utrocunq; modo, ſequetur ſumma confuſio. Neq; intereſt unum quis ſtatum faciat, an nullum, ſi omnes cauſæ ſint conditionis eiuſdem. Coniectura dicta eſt à coniectu, id eſt, directione quadam rationis ad ueritatem: unde etiam ſomniorum, atq; ominum interpretes, coniectores uocamus. Appellatum tamen eſt hoc genus uarie, ſicut in ſequentibus apparebit.

Quot,

Quot, & qui ſtatus. CAP. VIII.

FVerunt, qui duos ſtatus facerent. Archidemus coniecturalem & finitiuũ, excluſa qualitate, quia ſic de ea quæri exiſtimabat, quid eſſet iniquum, quid iniuſtum, quid dicto audientem non eſſe, quod uocat de eodem, & alio. Huic diuerſa ſententia eorum fuit, qui duos quidem ſtatus eſſe uoluerunt, ſed unum inficialem, alterum iuridicialem. Inficialis, quẽ nos dicimus coniecturalem, cui ab inficiendo nomen alij in totum dederunt, alij in partem, quia accuſatorem coniectura, reum inficiatione uti putauerunt. Iuridicialis eſt, qui δικαιολογικὸς Græce dicitur. Sed quemadmodũ ab Archidemo qualitas excluſa eſt, ſic ab his repudiata finitio. Nam ſubijciunt eam iuridiciali, quærendumq; arbitrantur, iuſtum ne ſit ſacrilegium appellari, quod obijciatur, uel furtum, uel amentiã. Qua in opinione Pamphilus fuit: ſed qualitatem in plura partitus eſt. Plurimi deinceps, mutatis tantum nominibus, in rem, de qua nõ conſtet, & in rem, de qua cõſtet, partiti ſunt. Nam eſt uerum, nec aliter fieri poteſt, quàm ut aut certum ſit factum eſſe quid, aut non ſit: ſi non eſt certũ, coniectura ſit: ſi certũ eſt, reliqui ſtatus. Nam idem dicit Apollodorus, cum quæſtionem aut in rebus extrà poſitis, quibus cõiectura explicatur, aut in noſtris opinionibus exiſtimet poſitã, quorum illud πραγματικὸν, hoc περὶ ἐννοίας uocat: idemq; ἄποροv καὶ προληπτικὸν dicunt, quibus dubium, & præſumptũ ſignificatur, de quo liquet. Item Theodorus, qui de eo an ſit, & de accidentibus ei, quod eſſe cõſtat, id eſt, περὶ οὐσίας, καὶ συμβεβηκότων exiſtimat quæri. Nam in his omnibus prius genus coniecturam habet, ſequẽs reliqua. Sed hæc reliqua Apollodorus duo uult eſſe, qualitatẽ, & de nomine, id eſt, finitiuam. Theodorus, quid, quale, quantũ, ad aliquid. Sunt & qui de eodem, & de alio, modò qualitatẽ eſſe, modò finitionem uelint. In duo & Poſidonius diuidit, uocem & res. In uoce quæri putat, an ſignificet quicquã multa, quomodo rebus coniecturam, quod κατάστασιν uocat, &

qualitatem,& finitionem,cui nomen dat κατ' ἔννοιαν, & ad aliquid. Vnde & alia diuiſio eſt, alia eſſe ſcripta, alia inſcripta. Celſus Cornelius duos & ipſe fecit ſtatus generales, an ſit, quale ſit.Priori ſubiecit finitionem,quia æque quæratur, an ſit ſacrilegus, qui nihil ſe ſuſtuliſſe de templo dicit, & qui priuatam pecuniam confitetur ſe ſuſtuliſſe.Qualitatẽ in rem,& ſcriptum diuidit. Scripto quatuor partes legales, excluſa translatione: quantitatem, & mentis quæſtionem coniecturæ ſubiecit. Eſt etiam alia in duos diuidendi ſtatus ratio, quæ docet aut de ſubſtantia controuerſiã eſſe,aut de qualitate.Ipſam porrò qualitatem, aut in ſummo genere conſiſtere, aut in ſuccedentibus. De ſubſtantia eſt coniectura.Quæſtio enim tractatur rei,an facta ſit,an fiat,an futura ſit.Interdum etiam mẽtis, idq; melius, quàm quod ijs placuit,qui ſtatum eundem facti nominauerunt, tanquam de præterito tantum, & tantum de facto quæreretur. Pars qualitatis, quæ eſt de ſummo genere,raro in iudicium uenit,quale eſt,idne ſit honeſtum,quod uulgò laudatur.Succedentium autem aliæ de cõmuni appellatione, ut ſitne ſacrilegus, qui pecuniam priuatam ex templo furatus eſt : aut de re denominata, ubi & factum eſſe certum eſt, nec dubitatur quid ſit quod factum eſt.Cui ſubiacẽt omnes de honeſtis, iuſtis, utilibus quæſtiones.His etiam cæteri ſtatus contineri dicuntur, quia & quantitas modò ad coniecturã referatur, ut maiorne ſol quàm terra:modò ad qualitatem,quanta pœna quempiam, quanto ue præmio ſit affici iuſtum: & translatio uerſetur circa qualitatẽ, & definitio pars ſit translationis. Quin & cõtrariæ leges,& ratiocinatiuus ſtatus,id eſt,ſyllogiſmus,& plerunq; ſcripti, & uoluntatis,æquo nitantur:niſi quòd hic tertius aliquando coniecturam accipit,quid ſenſerit legis conſtitutor.Ambiguitatẽ uero ſemper cõiectura explicari neceſſe ſit,quia cum ſit manifeſtum, uerborum duplicẽ eſſe intellectum, de ſola quæritur uoluntate. A plurimis tres ſunt facti generales ſtatus,quibus & Cicero in Oratore

Oratore utitur.Et omnia,quæ aut in controuerſiam,aut in contentionem ueniant, contineri putat, ſitne, quid ſit, quale ſit, quorum nomina apertiora ſunt, quàm ut docenda ſint. Idem Patrocles ſentit. Tres fecit & M.Antonius,his quidem uerbis: Paucæ res ſunt,quibus ex reblus omnes orationes naſcuntur,factum,non factum:ius,iniuria:bonum, malum. Sed quoniã quod iure dicimur feciſſe,non hunc ſolum intellectum habet,ut lege, ſed illum quoq;,ut iuſte feciſſe uideamur, ſecuti Antonium aperтius uoluerunt eoſdem ſtatus diſtinguere. Itaq; dixerunt coniecturalem,legalem,iuridicialem.Qui & Virginio placent. Horum deinde fecerunt ſpecies,ita ut legali ſubijcerent finitionem, & alios qui ex ſcripto dicuntur legum contrariarũ,quæ ἀντινομία dicitur, & ſcripti, & ſententiæ,uel uoluntatis, id eſt, κατὰ ῥητὸν, καὶ διάνοιαν,& μετάληψιν, quam nos uarie translatiuam, tranſumptiuam,tranſpoſitiuam uocamus:συλλογισμὸν,quẽ accipimus ratiocinatiuũ,uel collectiuũ ambiguitatis,quæ ἀμφιβολία nominatur.Quos poſui,quia & ipſi à pleriſq; ſtatus appellantur,quibuſdam legales potius quæſtiones eas dici placuit.Quatuor fecit Athenæus, προτρεπτικὸν ſtatum, uel παραινετικὸν, id eſt, exhortatiuum,qui ſuaſoriæ eſt proprius: σωτηλικὸν,qua coniecturam ſignificari magis ex ijs quæ ſequũtur,quàm ex ipſo nomine apparet: ὑπαλλακτικὸν,ea finitio eſt,mutatione enim nominis conſtat, Iuridicialẽ, eadem appellatione Græca qua cæteri uſus. Nam eſt,ut dixi,multa in nominibus differentia. Sunt qui ὑπαλλακτικὸν translationem eſſe exiſtimẽt, ſecuti hanc mutationis ſignificationẽ.Fecerunt alij totidem ſtatus, ſed alios,an ſit, quid ſit,quale ſit,quantum ſit,ut Cæcilius & Theon.Ariſtoteles in Rhetoricis etiam ſic omne opus diuidit in ueritatẽ, & petenda,ac fugienda,quod eſt ſuaſoriæ,& de eodẽ,atq; alio partiendo,ad hoc peruenit,ut an ſit,quid,quale,quantũ, & quàm multum ſit,quærendum putet. Quodam tamen loco finitionis quoq; uim intelligit, quo dicit quædam ſic defendi : Suſtuli,ſed

non furtum feci: percußi, sed non iniuriam feci. Posuerat & Cicero in libris Rhetoricis, facti, nominis, generis, actionis: ut in facto coniectura, in nomine finitio, in genere qualitas, in actione ius intelligeretur: iuri subiecerat translationem. Verum hic legales quoq; quæstiones alio loco tractat, ut species actionis. Fuerunt qui facerent quinq;, coniecturam, finitionem, qualitatem, quantitatem, ad aliquid. Theodorus quoq;, ut dixi, ijsdem generalibus capitibus uritur, an sit, quid sit, quale sit, quantum sit, ad aliquid. Hoc ultimũ maxime in comparatiuo genere uersari putat, quoniã melius ac peius, maius ac minus, nisi aliò relata, non intelliguntur. Sed in illas quoq; translatiuas, ut suprà signaui, quæstiones incidunt, an huic ius agendi sit, uel facere aliquid cõueniat, an cõtra hunc, an hoc tempore, an sic. Omnia enim ista referri ad aliquid necesse est. Alij sex status putant, cõiecturam, quam γένεσιν uocant, & qualitatem, & proprietatem, id est, ἰδιότητα, quo uerbo finitio ostenditur, & quantitatem, quam ὀξίαν dicunt, & comparationem, & translationem, cuius ab hoc nouum nomen inuentũ est μετάστασις, nouũ tanquã in statu, alioqui ab Hermagora inter species iuridiciales usitatũ. Alijs septẽ esse placuit, à quibus nec translatio, nec quãtitas, nec comparatio recepta est. Sed in horum trium locum subditæ quatuor legales, adiectæq; illis tribus rationalibus. Alij peruenerunt usq; ad octo, translatione ad septem superiores adiecta. A quibusdam deinde diuisa ratio est, ut status rationales appellarent quæstiones, quemadmodũ suprà dixi, legales: in illis de re, in his de scripto quæreretur. Quidam in diuersum, hos status esse, illas quæstiones maluerunt. Sed alij rationales tres putauerunt, an sit, quid sit, quale sit. Hermagoras solum quatuor, coniecturam, proprietatem, translationẽ, qualitatẽ, quam per accidentia, id est, κατὰ συμβεβηκὸς uocat, hac interpretatione, an illi accidat uiro bono esse, uel malo. Hanc ita diuidit, de appetẽdis, & fugiendis, quæ est pars deliberatiua: de persona, ea ostenditur lau

tur laudatiua: negotialẽ, quam πραγματικὴν uocat, in qua de rebus ipsis quæritur remoto personarum complexu: ut, sit ne liber, qui est in assertione: an diuitiæ superbiã pariant: an iustum quid, an bonũ sit: iuridicialem, in qua ferè eadem, sed certis destinatisq; personis quærantur, an ille iuste hoc fecerit, uel bene. Nec me fallit in primo Ciceronis Rhetorico, aliam esse loci negotialis interpretationẽ, cum ita scriptum sit: Negotialis est, in qua quid iuris ex ciuili more, & æquitate sit consideratur, cui diligentiæ præesse apud nos iurecõsulti existimantur. Sed quod ipsius de his libris iudicium fuerit, suprà dixi. Sunt enim uelut regestæ in hos commentarios, quos adolescens deduxerat, scholæ: & siqua est in his culpa, tradentis est. Siue cum mouit, quòd Hermagoras prima in hoc loco posuit exempla ex quæstionibus iuris, siue quòd Græci πραγματικὸς uocant iuris interpretes. Sed Cicero quidẽ his pulcherrimos illos de Oratore substituit, ideoq; culpari tanquam falsa præcipiat, nõ potest. Nos ad Hermagoram. Translationem hic primus omnium tradidit, quanquam semina eius quædam citra nomen ipsum apud Aristotelem reperiuntur. Legales autem quæstiones has fecit, scripti & uoluntatis, quam ipse uocat κατὰ ῥητὸν, καὶ ὑπεξαίρεσιν, id est, dictũ, & exceptionem, quorum prius ei cum omnibus commune est, exceptionis nomen minus usitatum: ratiocinatiuum, ambiguitatis, legum contrariarum. Albutius eadem diuisione usus detrahit translationem, subijciens eam iuridiciali. In legalibus quoque quæstionibus nullum putat esse, qui dicatur ratiocinatiuus. Scio plura inuenturos adhuc, qui legere antiquos studiosius uolent. Sed ne hæc quoq; excesserint modum, uereor. Ipse me paulum in alia, quàm prius habuerim, opinione nunc esse cõfiteor. Et fortasse tutißimum erat famæ modò studenti, nihil ex eo mutare, quod multis annis non sensissem modò, uerumetiam approbassem. Sed non sustineo esse conscius mihi dißimulanti, in eo præsertim opere, quod ad bonorum iuuenum aliquam uti-

litatem componimus,in ulla parte iudicij mei. Nam & Hippocrates clarus arte medicinæ, uidetur honestißime fecisse, quòd quosdam errores suos,ne posteri errarent,confessus est. Et M. Tullius nõ dubitauit aliquos suos iam editos libros,alijs posteà scriptis ipse damnare:Sicut Catulum atq; Lucullũ,& hos ipsos de quibus modò sum locutus,artis rhetorices. Etenim superuacuus foret in studijs longior labor, si nihil liceret melius inuenire præteritis. Neq; tamẽ ex his quicquã,quæ tum præcepi, superuacuum fuit:ad easdem enim particulas hæc quoq;,quæ nũc præcipiam,reuertentur. Ita neminẽ didicisse pœniteat. Colligere tantum eadem,ac disponere paulò significantius conor. Omni-
*patefactum bus autem * satisfactum uolo, non me hæc serius demonstrare alijs,quàm mihijpsi demonstrauerim ac persuaserim. Secundum plurimos autores seruabam treis rationales status, cõiecturam, finitionem,qualitatem:unum legalem. Hi mihi status generales erant. Legalem in quinq; species partiebar, scripti, & uoluntatis, legum contrariarum collectiuum, ambiguitatis, translationis: nunc quartum ex generalibus intelligo posse remoueri. Sufficit enim prima diuisio,qua diximus alios legales,alios rationales esse:ita non erit status, sed quæstionum genus, alioqui & rationalis status esset. Ex his etiam quos speciales uocabam, remoui translationem:frequenter quidem, sicut omnes qui me secuti sunt,meminisse possunt, testatus, & in ipsis etiã illis sermonibus,me nolente uulgatis,hoc tamen complexus,uix in ulla controuersia translationis statum posse reperiri,ut nõ & alius in eadem re recte dici uideretur,ideoq; à quibusdam eum exclusum. Neq; ignoro multa transferri, cum in omnibus ferè causis,in quibus cecidisse quis formula dicitur, hæ sint quæstiones, an huic,an cum hoc,an hac lege,an apud hunc, an hoc tempore liceat agere,& si qua sunt talia. Sed personæ,tẽpora, actiones,cæteraq; propter aliquam causam transferuntur. Ita non est in translatione quæstio,sed in eo,propter quod transferuntur. Non

tur. Non debes apud Prætorẽ petere fideicommissum,sed apud Consules,maior enim prætoria cognitione summa est. Quæritur,an maior summa sit:facti cõtrouersia est. Non licet tibi agere mecũ,cognitor enim fieri nõ potuisti:iudicatio est,an potuerit. Non debuisti interdicere,sed petere:an recte interdictũ sit, ambigitur. Quæ omnia succedunt legitimis quæstionibus. An uero præscriptiones,etiam in quibus maxime uidetur manifesta translatio,easdem omnes species habent,quas eæ leges, quibus agitur,ut aut de nomine,aut scripto, & sententia, uel ratiocinatione quæratur,deinde status ex quæstione oritur: Trãslatio non habeat quæstionem,non de qua contendit orator,sed propter quam cõtendit? Hoc apertius:Occidisti hominẽ, Non occidi:quæstio,an occiderit:status,cõiectura. Nõ est tale,Habeo ius actionis,non habes:ut sit quæstio,an habeat,& inde status. Accipiat enim actionẽ nec ne,ad euentum pertinet, nõ ad causam: & ad id quod pronuntiat iudex,non id,propter quod pronuntiat. Hoc illi simile est,puniendus es,nõ sum:uidebit iudex an puniendus sit. Sed nõ hic erit quæstio,nec hic status. Vbi ergo? puniẽdus es,hominẽ occidisti,non occidi:an occiderit. Honorãdus sum,non es,num statum habet? non,ut puto. Honorandus sum, quia tyrannum occidi:nõ occidisti,quæstio,& status. Similiter, non recte agis,recte ago,nõ habet statũ. Vbi est ergo? non recte agis ignominiosus, quæritur an ignominiosus sit, aut an agere ignominioso liceat,& quæstio est,& status. Ergo translatiuum genus causæ,ut comparatiuũ, & mutuæ accusationis. At enim simile est illi,ius habeo,non habes:occidisti, recte occidi,nõ nego. Sed nec hæc res statum facit. Nõ enim sunt hæ propositiones,alioqui causa nõ explicabitur,sed cum suis rationibus. Scelus commisit Horatius,sororem enim occidit:non commisit, debuit enim occidere eam,quæ hostis morte mœrebat:quæstio, an hæc iusta causa. Ita qualitas. At similiter in translatione,nõ habes ius abdicandi,quia ignominioso nõ est actio:habeo ius,quia

abdicatio actio non est: quæritur quid sit actio: finiemus, non licet abdicare filios: syllogismus. Item cætera per omnes, & rationales, & legales status. Nec ignoro fuisse quosdam, qui trãslationem in rationali quoq; genere ponerent, hoc modo, Hominem occidi iussus ab imperatore, dona templi cogenti tyranno dedi, deseruì tempestatibus, fluminibus, ualetudine impeditus, id est non per me stetit, sed per illa. A quibus etiam liberius dissentio. Nõ enim actio trãsfertur, sed causa facti, quod accidit penè in omni defensione. Deinde is, qui tali utitur patrocinio, nõ recedit à forma qualitatis, dicit enim se culpa uacare, ut magis qualitatis duplex ratio facienda sit, altera qua & factum defenditur, altera qua tantum reus. Credendum est igitur ijs, quorum autoritatem secutus est Cicero, Tria esse, quæ in omni disputatione quærantur, an sit, quid sit, quale sit. Quod ipsa nobis etiã natura præscribit. Nam primum oportet subesse aliquid, de quo ambigitur: quod, quid sit, & quale sit, certe nõ potest existimari, nisi prius esse constiterit. Ideoq; ea prima quæstio, sed nõ statim quod esse manifestum est, etiam quid sit apparet. Hoc quoq; constituto, nouissima qualitas supereſt, nec his exploratis aliud est ultrà. His infinitæ quæstiones, his finitæ continentur. Horum aliqua in demonstratiua, deliberatiua, iudiciali materia utique tractantur. Hæc rursus iudiciales causas, & rationali parte, & legali continet. Nec enim ulla iuris disceptatio, nisi finitione, qualitate, coniectura potest explicari. Sed instituentibus rudes, non erit inutilis latius primo fusa ratio, etsi nõ statim rectissima linea tensa, facilior tamen & apertior uia. Discant igitur ante omnia quadripertitam in omnibus causis esse rationẽ, quã primam intueri debeat, qui acturus est. Nam ut à defensore potissimum incipiam, longe fortissima tuendi se ratio est, si quod obijcitur, negari potest. Proxima, si nõ id quod obijcitur, factũ esse dicitur. Tertia honestissima, qua recte factũ defenditur. Quibus si deficiamur, ultima quidem, sed iam sola supereſt salus, aliquo

iuris

iuris adiutorio elabendi ex crimine, quod nec negari, nec defendi potest, ut non uideatur iure actio intendi. Hinc illæ quæstiones siue actionis, siue translationis. Sunt enim quædam nõ laudabilia natura: sed iure concessa, ut in XII. tabulis debitoris corpus inter creditores diuidi licuit, quam legẽ mos publicus repudiauit: Est aliquid æquum, sed prohibitum iure, ut libertas testamentorũ. Accusatori nihilo plura intuenda sunt, quàm ut probet, factũ esse, hoc esse factũ, non recte factum, iure se intendere. Ita circa species eadẽ lis omnis uersabitur, trãslatis tantum aliquãdo partibus, ut in causis, quibus de præmio agitur, recte factum petitor probat. Hæc quatuor uelut propositæ formæq; actionis, quæ tum generales status uocabam, in duo, ut ostẽdi, genera descendunt, rationale & legale. Rationale simplicius est, quia ipsius tantũ naturæ cõtemplatione cõstat. Itaq; in eo satis est ostendisse coniecturã, finitionem, qualitatẽ. Legalium plures sint species necesse est, propterea quòd multæ sunt leges, & uarias habẽt formas: alia est cuius uerbis nitimur, alia cuius uoluntate: alias nobis, cũ ipsi nullam habemus, adiũgimus, alias inter se comparamus, alias in diuersum interpretamur. Sic nascuntur hæc ueluti simulacra ex illis tribus, interim simplicia, interim & mixta, propriã tamen faciẽ ostendentia: ut scripti, & uoluntatis, quæ sine dubio, aut qualitate, aut coniectura cõtinentur: & syllogismus, qui est maxime qualitatis: & leges contrariæ, quæ ijsdem, quibus scriptum, & uoluntas cõstant: & ἀμφιβολία, quæ semp cõiectura explicatur. Finitio quoq; utriq; generi, quodq; rerum, quodq; scripti cõtemplatione constat, cõmunis est. Hæc omnia etiamsi in illos tres status ueniunt, tamen quia, ut dixi, habent aliquid uelut propriũ, uidentur demonstranda discentibus, & permittendũ ea dicere uel status legales, uel quæstiones, uel capita quædam minora, dum sciant, nihil ne in his quidem, præter tria, quæ prædiximus, quæri. At quãtũ, & quàm multũ, & ad aliquid, & ut nõnulli putauerunt, comparatiuus, nõ eandem

dem rationem habent. Sunt enim hæc non ad uarietatem iuris, ſed ad ſolam rationem referenda. Ideoq; ſemper in parte aut coniecturæ, aut qualitatis ponenda ſunt, ut qua mente, & quo tempore, & quo loco. Sed de ſingulis dicemus quæſtionibus, cum tractare præcepta diuiſionis cœperimus. Hoc inter omnes conuenit, in cauſis ſimplicibus ſingulos ſtatus eſſe cauſarum: quæſtionum autem quæ uelut ſubiacẽtes, & ad illud quo iudicium continetur, referuntur, ſæpe in unam cadere plures poſſe. Etiam credo aliquãdo dubitari, quo ſtatu ſit utendum, cum aduerſus unam intentionem plura opponuntur: & ſicut in colore dicitur narrationis, eum eſſe optimum, quẽ actor optime tueatur: ita hic quoq; poſſe dici, eum ſtatum eſſe faciendum, in quo tuendo plurimum adhibere uiriũ poſit orator. Ideoq; pro Milone aliud Ciceroni agenti placuit, aliud Bruto, cum exercitationis gratia componeret orationẽ, cum ille iure tanquã inſidiatorem occiſum, & tamen nõ Milonis cõſilio dixerit, hic etiã gloriatus ſit occiſo malo ciue. In coniunctis uero poſſe duos uel tres inueniri, uel diuerſos, ut ſi quis aliud ſe nõ feciſſe, aliud recte feciſſe defendat: uel generis eiuſdẽ, ut ſi quis duo crimina, uel omnia neget. Quod accidit etiã ſi de una re quæratur aliqua, ſed eã plures petãt: uel eodẽ iure, ut proximitatis: uel diuerſo, ut cum hic teſtamẽto, ille proximitate nitatur. Quoties autẽ aliud alij petitori opponitur, diſſimiles eſſe ſtatus neceſſe eſt, ut in illa cõtrouerſia: Teſtamenta legibus facta, rata ſint. Inteſtatorũ parentũ liberi hæredes ſint. Abdicatus, ne quid de bonis patris capiat. Nothus ante legitimũ natus, legitimus filius ſit: poſt legitimũ natus, tantũ ciuis. In adoptionẽ dare liceat. In adoptionem dato redire in familiã liceat, ſi pater naturalis ſine liberis deceſſerit. Qui ex duobus legitimis alterũ in adoptionẽ dederat, alterũ abdicauerat, ſuſtulit nothum, inſtituto hærede abdicato deceſſit. Tres omnes de bonis contendunt. Νόθον, qui non ſit legitimus, Græci uocant, Latinum rei nomen, ut Cato quoq; in oratione

Bruti oratio pro Milone.

Nothus.

oratione quadã teſtatur, nõ habemus, ideoq; utimur peregrino. Sed ad propoſitum. Hæredi ſcripto opponitur lex, Abdicatus ne quid de bonis patris capiat: fit ſtatus ſcripti, & uoluntatis, an ullo modo capere poſſit, an ex uolũtate patris, an hæres ſcriptus. Notho duplex fit quæſtio, quòd poſt legitimos natus ſit, & quòd nõ ſit ante legitimos natus. Prior ſyllogiſmum habet, an pro non natis ſint habẽdi qui à familia ſunt alienati. Altera ſcripti, & uoluntatis. Non enim eſſe hunc natum ante legitimum conuenit: ſed uoluntate legis ſe tuebitur, quam dicet talem fuiſſe, ut legitimus eſſet nothus, tum natus, cum alius legitimus in domo non eſſet. Scriptum quoq; legis excludet, dicens, non utiq; ſi poſtea legitimus natus non ſit, notho nocere: uteturq; hoc argumento, Finge ſolum natum nothum, cuius conditionis erit? tantum ciuis? atqui nõ erit poſt legitimum natus. filius? atqui non erit ante legitimos natus. quare ſi uerbis legis ſtari nõ poteſt, uoluntate ſtandum eſt. Nec quenquam turbet, quòd ex una lege duo ſtatus fiant: duplex eſt, ita uim duarum habet. Redire in familiã uolenti dicitur ab altero, Primũ, ut tibi redire liceat, hæres ſum: idem ſtatus, qui in petitione abdicati: quæritur enim, an poſſit eſſe hæres abdicatus. Adijcitur cõmuniter à duobus, redire tibi in familiã non licet, non enim pater ſine liberis deceſſit. Sed in hoc propria quiſq; eorũ quæſtione nitetur. Alter enim dicet, abdicatũ quoq; inter liberos eſſe, & argumentũ ducet ex ipſa, qua repellitur, lege. Superuacuũ enim fuiſſe prohiberi patris bonis abdicatum, ſi eſſet numero alienorum: nunc quia filij iure futurus fuerit inteſtati hæres, oppoſitam eſſe legẽ, quæ tamen id non efficiat, ne filius ſit, ſed ne hæres. Status finitiuus, quid ſit filius. Rurſus nothus eiſdem colligit argumentis, non ſine liberis patrem deceſſiſſe, quibus in petitione uſus eſt, ut probaret ſe eſſe filium, niſi forte & hic finitionem mouet, an liberi ſint etiã non legitimi. Cadent ergo in unam controuerſiã, uel ſpecialiter duo legitimi ſtatus, ſcripti, & uolũtatis, & ſyllogiſmus,

gismus, & præterea finitio: uel tres illi, qui natura soli sunt, coniectura in scripto, & uoluntate, qualitas in syllogismo, & quæ per se est aperta finitio. Causa quoq; & iudicatio, & cõtinens est in omni genere causarum. Nihil enim dicitur, cui non insit ratio, & quo iudicium referatur, & quod rẽ maxime contineat. Sed quia magis hæc uariantur in litibus, & ferè tradita sunt ab ijs, qui de iudicialibus causis aliqua composuerunt, in illam partem differantur. Nunc quia in tria genera causas diuisi, ordinem sequar.

De Demonstratiuo, quod constat laude & uituperatione. CAP. IX.

AC potißimum incipiam ab ea quæ constat laude ac uituperatione. Quod genus uidetur Aristoteles, atq; cum secutus Theophrastus, à parte negotiali, hoc est πραγματικῆς remouisse, totamq; ad solos auditores relegasse, & id eius nominis, quod ab ostentatione ducitur, proprium est. Sed mos Romanus, etiam negotijs hoc munus inseruit. Nam & funebres laudationes pendent frequenter ex publico aliquo officio, atq; ex senatusconsulto magistratibus sæpe mãdantur, & laudare testem, uel contrà pertinet ad momentũ iudiciorũ, & ipsis etiam reis dare laudatores licet, & editi in cõpetitores, in L. Pisonem, in Clodium & Curionem libri, uituperationem cõtinent, & tamen in senatu loco sunt habiti sententiæ. Neq; inficias eo, esse quasdam ex hoc genere materias ad solam compositas ostentationem, ut laudes deorum, uirorumq;, quos priora tempora tulerunt. Quo soluitur quæstio suprà tractata, manifestumq; est errare eos, qui nunquam oratorẽ dicturum, nisi de re dubia, putauerunt. An laudes Capitolini Iouis, perpetua sacri certaminis materia, uel dubiæ sunt, uel non oratorio genere tractantur? Vt desiderat autem laus, quæ negotijs adhibetur, probationẽ, sic etiam illa quæ ostentationi componitur, habet interim aliquam speciem probationis. Vt qui Romulum Martis filium, educatumq; à lupa dicat, in

cat, in argumentum cœlestis ortus utatur his, quòd abiectus in profluentem non potuerit extingui, quòd omnia sic egerit, ut genitum præside bellorum deo incredibile non sit, quòd ipsum quoq; cœlo receptum temporis eius homines non dubitauerint. Quædam uero etiã in defensionis speciem cadent, ut si in laude Herculis, permutatum cum regina Lydiæ habitũ, & imperata, ut traditur, pensa orator excuset. Sed proprium laudis est res amplificare, & ornare, quæ materia præcipue quidem in deos & homines cadit: est tamen & aliorũ animalium, & carentiũ anima. Verũ in Deis, generaliter primum maiestatẽ ipsius eorum naturæ uenerabimur: deinde propriam uim cuiusq;, & inuenta, quæ utile aliquid hominibus attulerunt. Vis ostenditur, ut in Ioue, * regundorum hominum: in Marte, belli: in Neptuno, * rege omniũ maris: Inuenta, ut artium in Minerua: Mercurio, literarũ: medicinæ, Apolline: Cerere, frugũ: Libero, uini. Tũ si qua ab his acta uetustas tradidit cõmemoranda. Addunt etiam dijs honorem parentes, ut si quis sit filius Iouis. Addit antiquitas, ut ijs qui sunt ex chao. Progenies quoq;, ut Apollo, ac Diana Latonæ. Laudandum in quibusdam, quòd geniti immortales: in quibusdam, quòd immortalitatem uirtute sint consecuti, quod pietas principis nostri, præsentium quoque temporum decus, fecit. Magis est uaria laus hominum. Nam primum diuiditur in tempora, quodq; ante eos fuit, quodq; ipsi uixerunt. In ijs autem qui fato sunt functi, etiam quod est insecutum. Ante hominem patria ac parentes, maiorescq; erunt, quorum duplex tractatus est. Aut enim respondisse nobilitati pulchrum erit, aut humilius genus illustrasse factis. Illa quoq; interim ex eo, quod ante ipsum fuit, tempore trahentur, quæ responsis uel augurijs futuram claritatem promiserunt. Vt eum, qui ex Thetide natus esset, maiorem patre suo futurum cecinisse dicuntur oracula. Ipsius uero laus hominis ex animo & corpore, & extrà positis peti debet. Et corporis quidem fortuitorumq; cum leuior, tum non laus.

Hominis

uno modo

uno modo tractanda est. Nam & pulchritudinem interim roburq; prosequimur, honore uerborũ, ut Homerus in Agamẽnone atq; Achille. Interim confert admirationi multum etiã infirmitas, ut cum idem Tydea paruum, sed bellatorem dicit fuisse. Fortuna uero, tum dignitatẽ affert, ut in regibus principibusq;: namq; est hæc materia ostẽdendæ uirtutis uberior, tum quo minores opes fuerunt, eo maiorem benefactis gloriam parit. Sed omnia quæ extra nos bona sunt, quæq; hominibus forte obtigerunt, non ideo laudantur, quòd habuerit quis ea, sed quòd his honeste sit usus. Nam diuitiæ, & potentia, & gratia, cum plurimum uirium dent in utranq; partem, certißimum faciunt morum experimentũ: aut enim meliores propter hæc, aut peiores sumus. Animi uero semper uera laus. Sed non una per hoc opus uia ducitur. Nanq; aliàs ætatis gradus, gestarumq; rerũ ordinẽ sequi speciosius fuit: ut in primis annis laudaretur indoles, tum disciplinæ: post hoc operum, id est factorum dictorumq; contextus: Aliàs in species uirtutum diuidere laudem fortitudinis, iustitiæ, cõtinentiæ, cæterarumq;, ac singulis aßignare, quæ secundũ quanq; earum gesta erunt. Vtra sit autem harũ uia utilior, cum materia deliberabimus, dum sciamus gratiora esse audiẽtibus, quæ solus quis, aut primus, aut certe cum paucis feciße dicetur: si quid præterea supra spem, aut expectationẽ, præcipue quòd aliena potius causa, quàm sua. Tempus quod finẽ hominis insequitur, non semper tractare contingit, nõ solum quòd uiuentes aliquando laudamus, sed quòd rara hæc occasio est, ut referri poßint diuini honores, & decreta, ut publice statuæ constitutæ. Inter quæ enumerauerim ingeniorum monumenta, quæ seculis probarentur. Nam quidam, sicut Menander, iustiora posterorum, quàm suæ ætatis iudicia sunt consecuti. Afferunt laudem liberi parentibus, urbes conditoribus, leges latoribus, artes inuentoribus, nec non instituta quoq; autoribus, ut à Numa traditum deos colere, à Publicola fasces populo submittere.

Qui

Qui omnis etiam in uituperatione ordo constabit, tamen in diuersum. Nam & turpitudo generis opprobrio multis fuit, & quosdam claritas ipsa notiores circa uitia, & inuisos magis fecit, & in quibusdam, ut in Paride traditum est, prædicta pernicies & corporis, & * fortunæ: quibusdam mala, contemptum, ut Thersitæ: At uero quibusdam bona uitijs corrupta odium attulerunt: ut Nirea imbellem, * Plistinem impudicum, à Poëtis acce pimus. Et animi totidem uitia, quot uirtutes sunt, nec minus quàm in laudibus, duplici ratione tractantur. Et post mortem adiecta quibusdam ignominia est, ut Melio, cuius domus solo æquata: Marcoq; Manlio, cuius prænomen è familia in posterum exemptũ est. Et parentes malorũ odimus, & est conditoribus urbium infamiæ, contraxisse aliquam pernicioſam cæteris gentẽ, qualis est primus Iudaicæ superstitionis autor, & Graecchorum leges inuisæ. Et si quod est exemplum deforme posteris traditum, quale libidinis uir Perses, in * muliere Samia instituere ausus dicitur primus. Sed in uiuentibus quoq; iudicia hominum uelut argumẽta sunt morũ, & honos aut ignominia, ueram esse laudem, uel uituperationem probat. Interesse tamen Aristoteles putat, ubi quisq; laudetur, aut uituperetur. Nam plurimum refert, qui sint audientiũ mores, quæ publice recepta persuasio, ut illa maxime quæ probant esse in eo qui laudabitur, credant: aut in eo cõtra quem dicemus, ea quæ oderunt: ita nõ dubiũ erit iudiciũ, quod orationẽ præcesserit. Ipsorũ etiam iudicum permiscenda laus semper: nam id beneuolos facit. Quoties autem fieri poterit, cũ materiæ utilitate iungenda. Minus Lacedæmone studia literarũ, quàm Athenis honoris merebuntur: plus patientia, fortitudo. Rapto uiuere quibusdã honestum, alijs cura legum. Frugalitas apud Sybaritas forsitan odio foret: ueteribus Romanis summũ luxuriæ crimen. Eadem in singulis differentia. Maxime fauet iudex, qui sibi dicentẽ assentari putat. Idem præcipit illud quoq;, quod mox Cornelius Celsus propè supra modum

k inuasit,

* formæ

* Clisthenem

* matre sua instit.

Sybaritæ.

inuaſit, quia ſit quædam uirtutibus ac uitijs uicinitas, utendum proxima deriuatione uerborũ, ut pro temerario fortẽ, pro prodigo liberalem, pro auaro parcũ uocemus: quæ eadẽ etiam contrà ualent. quod quidem orator, id eſt, uir bonus, nunquam faciet, niſi forte cõmuni utilitate ducatur. Laudantur autem urbes ſimiliter atq; homines. Nam pro parente eſt conditor, & multum autoritatis affert uetuſtas, ut ijs qui terra dicuntur orti, & uirtutes, ac uitia circa res geſtas, eademq; in ſinguli. Illa propria, quæ ex loci poſitione, aut munitione ſunt. Ciues illis, ut hominibus liberi, decori. Eſt laus & operum, in quibus honor, utilitas, pulchritudo, autor ſpectari ſolet. Honor, ut in templis: Vtilitas, ut in muris: Pulchritudo uel autor, utrobiq;. Eſt & locorum, qualis Siciliæ apud Ciceronem: in quibus ſimiliter ſpeciem, & utilitatẽ intuemur: ſpeciem maritimis, planis, amœnis: utilitatem, ſalubribus, fertilibus. Erit etiã dictorum honeſtorum factorumq; laus generalis, erit & rerum omnis modi. Nam & ſomni, & mortis ſcriptæ laudes, & quorundam à medicis ciborum. Itaq; ut non conſenſi hoc laudatiuum genus circa ſolam uerſari honeſti quæſtionem, ſic qualitate maxime contineri puto, quanquàm omnes tres ſtatus cadere in hoc opus poſſe, ijſq; uſum C. Cæſarem in uituperando Catone, notauerit Cicero. Totum autem habet aliquid ſimile ſuaſorijs, quia plerunq; eadem illic ſuaderi, hic laudari ſolent.

De ſuaſoria, ſeu deliberatiua, & proſopopœia.

CAP. X.

Deliberatiuas quoq; miror à quibuſdam ſola utilitate finitas. Ac ſi quid in his unum ſequi oporteret, potior fuiſſet apud me Ciceronis ſententia, qui hoc materiæ genus, dignitate maxime contineri putat. Nec dubito quin ij, qui ſunt in illa priore ſentẽtia, ſecundũ opinionem pulcherrimam, ne utile quidem, niſi quod honeſtum eſſet, exiſtimarint. Et eſt hæc ratio ueriſſima, ſi conſilium contingat ſemper bonorum, atq; ſapientũ. Verum

Verum apud imperitos, apud quos frequenter dicenda ſententia eſt, populumq; præcipue, qui ex pluribus conſtat indoctis, diſcernenda ſunt hæc, & ſecundum cõmunes magis intellectus loquendum. Sunt enim multi, qui etiam quæ credunt honeſta, non tamen ſatis eadem utilia quoq; exiſtiment, quæ turpia eſſe dubitare non poſſunt, utilitatis ſpecie ducti probent, ut fœdus Numantinum, iugumq; Caudinum. Ne qualitatis quidem ſtatu, in quo & honeſtorũ, & utilium quæſtio eſt, cõplecti eas ſatis eſt. Nam frequẽter in his etiam coniecturæ locus eſt. Nonnunquàm etiam tractatur aliqua finitio. Aliquando etiam incidere poſſunt legales tractatus in priuata maxime conſilia, ſi quando ambigitur, an liceat. De cõiectura paulò pòſt pluribus. Interim eſt finitio apud Demoſthenẽ, det Haloneſum Philippus an reddat. Apud Ciceronẽ in Philippicis, quid ſit tumultus. Quid? non illa ſimilis iudicialium quæſtio, de ſtatua Seruij Sulpitij? an ijs demũ ponenda ſit, qui in legatione ferro ſunt interempti? Ergo pars deliberatiua (quæ eadem ſuaſoria dicitur, de tẽpore futuro cõſultans, quærit etiã de præterito) officijs conſtat duobus, ſuadendi & diſſuadendi. Proœmio, quale eſt in iudicialibus, non ubiq; eget, quia cõciliatus eſt ei quiſq; quem cõſulit. Initium tamen quodcunq; debet habere aliquã proœmij ſpeciem: nec enim abrupte, nec unde libuit incipiendũ, quia eſt aliquid in omni materia naturaliter primũ. In ſenatu, & utiq; in cõcionibus eadẽ ratio, quæ apud iudices, acquirẽdæ ſibi plerũq; eorũ apud quos dicendũ ſit beneuolentiæ. Nec mirum, cũ etiam in Panegyricis petatur audientiũ fauor, ubi emolumentum nõ utilitate aliqua, ſed in ſola laude cõſiſtit. Ariſtoteles quidem, nec ſine cauſa putat & à noſtra, & ab eius, qui diſſentiet, perſona duci frequenter in cõſilijs exordium, quaſi mutuantibus hæc nobis à iudiciali genere, nonnunquam etiam, ut minor res maior ue uideatur. In demonſtratiuis uero proœmia eſſe maxime libera exiſtimat. Nam & lõge à materia duci hoc, ut in Helenes laude Iſocrates

fecerit,& ex aliqua rei uicinia,ut idē in Panegyrico,cum quæritur plus honoris corporum, quàm animorum uirtutibus dari. Et Gorgias in Olympico laudans eos, qui primi tales instituerunt cōuentus. Quos secutus uidelicet Crispus Sallustius in bello Iugurthino & Catilinario,nihil ad historiam pertinentibus principijs orsus est. Sed nunc ad suasoriam, in qua etiam cum proœmio utemur,breuiore tamen,& uelut,quodam capite tantum,& initio debebimus esse contenti. Narrationem uero nunquàm exiget priuata deliberatio,eius duntaxat rei,de qua dicenda sententia est: quia nemo ignorat id de quo consulit. Extrinsecus posunt pertinentia ad deliberationem multa narrari. In concionibus sæpe est etiam illa,quæ ordinem rei docet,necessaria:& affectus,ut quæq; maxime postulabit. Nam & concitanda, & lenienda frequenter est ira, & ad metum, cupiditatem, odium,cōciliationem impellendi animi. Nonnunquam etiā mouenda miseratio, siue ut auxiliū obsessis feratur, suadere oportebit,siue sociæ ciuitatis euersionem deflebimus. Valet autem in consilijs autoritas plurimum. Nam & prudentissimus esse haberiq; & optimus debet, qui sententiæ suæ de utilibus atq; honestis credere omnes uelit. In iudicijs enim uulgò fas habetur indulgere aliquid studio suo:cōsilia nemo est,qui neget secundū mores dari. Græcorum quidem plurimi omne hoc officium concionale esse iudicauerunt,& in sola Reipublicæ administratione posuerunt. Quin & Cicero in hac maxime parte uersatur. Ideoq; suasuris de pace,bello, copijs,operibus,uectigalibus,hæc duo præcipue nota esse uoluit, uires ciuitatis, & mores: ut ex natura tum ipsarū rerum,tum audientium ratio suadendi ducaretur. Nobis maior in re uidetur uarietas:nam & consultantiū, & consiliorum plurima sunt genera. Quare in suadendo & dissuadendo tria primū spectanda erunt: Quid sit de quo deliberetur,qui sint qui deliberēt,qui sit qui suadeat. Rem de qua deliberatur, aut certum est posse fieri, aut incertum. Si incertum, hæc

Sallustij proœmia.

In suadendo quæ sint spectanda.

hæc erit quæstio sola, aut potentissima: sæpe enim accidet, ut prius dicamus,ne si posit quidē fieri,esse faciendū, deinde fieri nō posse. Cum autē de hoc quæritur, coniectura est,an Isthmos intercidi,an siccari palus Pontina, an portus fieri Hostiæ possit,an Alexander terras ultra Oceanū sit inuenturus. Sed in ijs quoq;,quæ constabit posse fieri,coniectura erit aliquando: ut si quæratur,an utiq; futurum sit,ut Carthaginē superent Romani:ut redeat Annibal, si Scipio exercitum in Africam transtulerit:ut seruent fidem Samnites, si Romani arma deposuerint. Quædam & fieri posse, & futura esse credibile est:sed aut alio tempore,aut alio loco, aut alio modo. Vbi coniecturæ non erit locus,alia sunt intuēda. Et primum, aut propter ipsam rem, de qua sententiæ rogantur,cōsultabitur,aut propter alias interuenientes extrinsecus causas. Propter ipsam deliberant P.C.an stipendium militi cōstituant. Hæc materia simplex erit. Accedunt causæ,aut faciendi,ut deliberant P.C.an Fabios dedant Gallis bellum minitantibus:aut non faciendi,ut deliberat C.Cæsar, an perseueret in Germaniam ire,cum milites passim testamenta facerent. Hæ suasoriæ duplices sunt. Nam & illic causa deliberandi est,quòd bellum Galli minitentur,esse tamen quæstio potest, dedendi ne fuerint etiā citra hāc denunciationē, quia cōtra fas, cum legati missi essent,prælium inierint,regemq; ad quem mandata acceperant,trucidarent. Et hic nihil Cæsar sine dubio deliberet,nisi propter hanc militū perturbationem:est tamen locus quærēdi,an citra hunc quoq; casum penetrandū in Germaniam fuerit. Semper autem de eo prius loquemur, de quo deliberari, etiā detractis sequentibus posset. Partes suadendi quidam putauerūt honestum,utile,necessarium. Ego non inuenio huic tertiæ locū. Quantalibet enim uis ingruat, aliquid fortasse pati necesse sit,nihil facere:de faciēdo autem deliberatur. Quòd si hanc uocant necessitatē,in quam homines grauiorū metu cogūtur,utilitatis erit quæstio. Vt enim si obsessi,& impares,& aqua ciboq;

deficti, de facienda ad hostem deditione deliberent, & dicatur necesse est, nempe sequitur ut hoc subijciatur, alioqui pereundum est: ita propter idipsum non est necesse, quia perire potius licet. Deniq; non fecerunt Saguntini, nec in rate Opitergina circunuenti. Igitur in his quoq; causis, aut de sola utilitate ambigetur, aut quæstio inter utile atq; honestum consistet. At enim si quis liberos procreare uolet, necesse habeat uxorem ducere, quis dubitat? sed ei qui pater uult fieri, liqueat necesse est uxorem esse ducendam. Itaq; mihi ne consilium quidem uidetur, ubi necessitas est: non magis quàm ubi constat, quid fieri omnino nõ posse. Omnis enim deliberatio de dubijs est. Melius igitur, qui tertiam partem dixerunt λυσιτελῆ, quod nostri posibile nominant, quæ ut dura uideatur appellatio, tamen sola est. Quas partes non omnes in omnem cadere suasoriam, manifestius est, quàm ut docendum sit. Tamen apud plerosq; earum numerus augetur, à quibus ponuntur ut partes, quæ species sunt partium: Nam fas, iustum, pium, æquum, mansuetum quoq;, sic enim sunt interpretati τὸ ὅσιον, & si qua adhuc adijcere quis eiusdem generis uelit, subijci posunt honestati. An sit autem facile, magnum, iucundum, sine periculo, ad quæstionem pertinet utilitatis, qui loci oriuntur ex contradictione: Est quidem utile, sed difficile, paruum, iniucundum, periculosum. Tamen quibusdam uidetur esse nonnunquam de iucunditate sola consultatio, ut si de ædificando theatro, instituendis ludis, deliberetur. Sed neminem adeò solutum luxu puto, ut nihil in causa suadendi sequatur præter uoluptatem. Præcedat enim semper aliquid necesse est, ut in ludis honor deorum, in theatro nõ inutilis laborum remissio, deformis & incommoda turbæ: si id non sit, conflictatio, & nihilominus eadem illa religio, cum theatrum ueluti quoddam illius sacri templum uocabimus. Sæpe uero & utilitatem despiciendam esse dicimus, ut honesta faciamus, ut cũ illis Opiterginis damus consiliũ, ne se hostibus dedant, quanquã perituri sint, nisi fecerint:

fecerint: & utilia honestis præferimus, ut cum suademus ut bello Punico serui armentur. Sed tamen neq; hic planè concedendum est, esse id inhonestum. Liberos enim natura omnes, & ijsdem constare elementis, & fortasse antiquis etiam nobilibus ortos dici potest. Et illic, ubi manifestum periculum est, opponenda alia, ut crudelius etiam perituros affirmemus, si se dediderint, siue hostis non seruauerit fidem, siue Cæsar uicerit, quod est uero similius. Hæc autem, quæ tantum inter se pugnant, plerunq; nominibus deflecti solent. Nam & utilitas ipsa expugnatur ab ijs, qui dicunt non solum potiora esse honesta, quàm utilia, sed ne utilia quidem esse, quæ non sunt honesta: & contrà, quod nos honestum, illi uanum, ambitiosum, stolidum, uerbis quàm re probabilius uocant. Nec tantum inutilibus comparantur utilia, sed inter se quoq; ipsa, ut si è duobus eligamus, in altero quid sit magis, in altero quid sit minus. Crescit hoc adhuc. Nam interim triplices etiã suasoriæ incidunt, ut cum Pompeius deliberauit, Parthos, an Africam, an Aegyptum peteret: ita non tantum utrum melius, sed quid sit optimum quæritur. Itemq; contrà. Nec unquam incidet in hoc genere materiæ dubitatio rei, quæ undiq; secundum nos sit. Nam ubi contradictioni locus non est, quæ potest esse causa dubitandi? Ita ferè omnis suasoria nihil est aliud, quàm comparatio. Videndumq; quid consecuturi simus, & per quid, ut æstimari posit, plus in eo, quod petimus, sit commodi, an uero in eo propter quod petimus, incommodi. Est utilitatis & in tempore quæstio. Expedit, sed non nunc. Et in loco, Non hic. Et in persona, Non nobis, non contra hos. Et in genere agendi, Non sic. Et in modo, Non in tantum. Sed personam sæpius decoris causa intuemur, quæ & in nobis, & in ijs qui deliberant, spectanda est. Itaq; quamuis exempla plurimum in consilijs posint, quia facilime ad consentiendum homines ducuntur experimentis, refert tamen, quorum autoritas, & quibus adhibeatur. Diuersi sunt enim deliberantium animi, duplex con-

ditio. Nam consultant aut plures, aut singuli, sed in utrisq; differentia: quia & in pluribus multum interest, senatus sit, an populus: Romani, an Fidenates: Græci, an Barbari. Et in singulis, Catoni petendos honores suadeamus, an C. Mario. De ratione belli Scipio prior, an Fabius deliberet. Proinde intuenda, sexus, dignitas, ætas. Sed mores præcipue discrimen dabunt. Et honesta quidē honestis suadere facilimum est: si uero apud turpes recta obtinere conabimur, ne uideamur exprobrare diuersam uitæ sectam, cauendum est. Et animus deliberantis, non ipsa honesti natura, quam ille non respicit, permouendus, sed laude uulgi, opinione, & si parum proficiet hæc uanitas, secutura ex his utilitate: aliquanto uero magis obijciendo aliquos, si diuersa fecerit, metus. Nam præter id quòd his leuissimi cuiusq; animus facilime terretur, nescio an etiā naturaliter apud plurimos plus ualeat malorum timor, quàm spes bonorū: sicut facilior eisdem turpium, quàm honestorū intellectus est. Aliquādo bonis quoq; suadentur parum decora, dantur parum bonis consilia, in quibus ipsorum, qui consulunt, spectatur utilitas. Nec me fallit, quæ statim cogitatio subire possit legentem. Hoc ergo præcipis? & * hoc fas putas? Poterat me liberare M. Cicero, qui ita scribit ad Brutum, Propositis plurimis quæ honeste suaderi Cæsari possent, Sim ne bonus uir, si hoc suadeam? minime. Suasoris enim est finis utilitas eius, cui quisq; suadet. At recta sunt. quis negat? sed nō est semper rectis in suadendo locus. Sed quia est altior quæstio, nec tantū ad suasorias pertinet, destinatus est mihi hic locus duodecimo, qui summus futurus est, libro. Nec ego quicquàm fieri turpiter uelim, uerum interim hæc uel ad scholarū exercitationes pertinere credantur: nam & iniquorū ratio noscenda est, ut melius æqua tueamur. Interim si quis bono inhonesta suadebit, meminerit nō suadere tanquam inhonesta, ut quidam declamatores Sextum Pompeium ad piraticam, propter hoc ipsum, quòd turpis ac crudelis sit, impellunt. Sed

*& hoc fas, pietas?

dandus

dandus illis deformibus color, idq; etiam apud malos: nec enim est quisquam tam malus, ut uideri uelit. Sic Catilina apud Sallustium loquitur, ut rem sceleratissimam non malitia, sed indignatione uideatur audere. Sic Atreus apud Varium:

Iam fero, inquit, infandissima, iam facere cogor.

Quanto magis eis, quibus fuit aliqua cura famæ, conseruandus est hic uel ambitus? Quare & cum Ciceroni dabimus consiliū, ut Antonium roget, uel etiam ut Philippicas (ita uitam pollicente eo) exurat, non cupiditatem lucis allegabimus (hoc enim si ualet in animo eius, tacentibus quoq; nobis ualet) sed ut se *Reipub. seruet, hortabimur. Hac illi opus est occasione, ne cum talium precum pudeat. Et C. Cæsari suadentes regnum, affirmabimus stare iam Rempub. nisi uno regente non posse. Nam qui de re nefaria deliberat, id solum quærit, quomodo quàm minimū peccare uideatur. Multum refert etiam quæ sit persona suadentis, quia anteacta uita, si illustris fuit, aut clarius genus, aut ætas, aut fortuna, affert expectationem. Prouidendum est, ne quæ dicuntur, ab eo qui dicit, dissentiant. At his contraria summissiorem quendam modum postulant. Nam quæ in alijs libertas est, in alijs licentia uocatur. Et quibusdam sufficit autoritas, quosdā ratio ipsa ægre tuetur. Ideoq; longe mihi uidentur difficilimæ prosopopœiæ, in quibus ad reliquum suasoriæ laborem, accedit etiam personæ difficultas. Nanq; idem illud aliter Cæsar, aliter Cicero, aliter Cato suadere debebit. Vtilissima uero hæc exercitatio, uel quòd duplicis est operis, uel quòd Poëtis quoq;, aut historiarum futuris scriptoribus plurimum cōfert. Verum & oratoribus necessaria. Nam sunt multæ à Græcis Latinisq; compositæ orationes, quibus alij uterentur, ad quorum conditionem uitamq; aptanda, quæ dicebantur, fuerunt. An eodem modo cogitauit, aut eandem personam induit Cicero, cum scriberet Cn. Pompeio, & cum C. Domitio, & Appio, cæterisue, ac nō uniuscuiusq; eorum fortunam, dignitatem, res gestas intuitus, omniū

*Romano populo

quibus uocem dabat etiam imaginem expreßit? ut melius quidem, sed tamen ipsi dicere uiderentur. Neq; enim minus uitiosa est oratio, si ab homine, quàm si à re, cui accommodari debuit, dißidet. Ideoq; Lysias optime uidetur in ijs quæ scribebat indoctis, seruasse ueritatis fidem. Enimuero præcipue declamatoribus considerandum est, quid cuiq; personæ conueniat, qui paucißimas controuersias ita dicunt, ut aduocati, plerunq; filij, patres, diuites, senes, asperi, lenes, auari, deniq; superstitiosi, timidi, derisores fiant, ut uix comœdiarum actoribus plures habitus in pronunciando concipiendi sint, quàm his in dicēdo: quæ omnia uideri poßunt prosopopœiæ, quas ego suasorijs subieci, quia nullo alio ab his quàm persona distant. Quanquam hoc aliquando etiam in controuersias ducitur, quæ ex historijs cōpositæ, certis agentium nominibus continentur. Neque enim ignoro, plerunq; exercitationis gratia poni & Poëticas historias, ut Priami uerba apud Achillem, aut Syllæ dictaturam deponentis in concione. Sed hæc in partem cedent trium generum, in quæ causas diuisimus. Nam & rogare, indicare, rationē reddere, & alia de quibus suprà dictum est, uarie, atq; ut res uult, in materia iudiciali, deliberatiua, demonstratiua subijcere solemus. Frequentißime * tamen in his utimur ficta personarū, quas ipsi substituimus, oratione, ut apud Ciceronē pro Cælio in Clodiam, & Cæcus Appius, & Clodius frater, ille in castigationem, hic in rationem morum compositus, alloquitur. Solent in scholis fingi materiæ ad deliberandum similiores controuersijs, & ex utroq; genere commixtæ, ut cum apud C. Cæsarem consultatio de pœna Theodoti ponitur. Constat enim accusatione & defensione causæ, quod est iudicialium proprium. Permixta autem est & utilitatis ratio, an pro Cæsare fuerit occidi Pompeium, an timendum à rege bellum, si Theodotus sit occisus, an id minime opportunum hoc tempore, & periculosum, & certe longum sit futurum. Quæritur & de honesto, deceat'ne Cæsarem

*uero

sarem ultio Pompeij, an sit uerendum ne peiorem faciat suarum partium causam, si Pompeium indignum morte fateatur. Quod genus accidere etiam ueritati potest. Non simplex autem circa suasorias error in plerisq; declamatoribus fuit, qui dicendi genus in his diuersum, atq; in totum illi iudiciali contrarium esse existimauerunt. Nam & principia abrupta, & concitatam sem per orationem, & in uerbis effusiorem, ut ipsi uocant, cultum affectauerunt, & earum breuiores utiq; commentarios, quàm *iudicialis materiæ facere elaborarunt. Ego porrò ut proœmio uideo non utique opus esse suasorijs, propter quas dixi suprà causas, ita cur initio furiose sit exclamandum, non intelligo: cum proposita consultatione rogatus sententiam, si modò est sanus, non quæritet, sed quàmmaxime potest ciuili & humano ingreßu, mereri assensum deliberantis uelit. Cur autem torrens, & utiq; æqualiter concitata sit in ea dicentis oratio, cum uel præcipue moderationem, rationemq; consilia desiderent? Neq; ego negauerim sæpius subsidere in controuersijs impetū dicendi proœmio, narratione, argumentis: quem si detrahas, id ferè supererit, quo suasoriæ constant. Verum id quoque * æqualius erit, nō tumultuosius atq; turbidius. Verborum autem magnificentia non ualidius est affectanda suasorias declamantibus, sed contingit magis. Nam & personæ ferè magnæ fingentibus placent, regum, principum, populi, senatus, & res ampliores: ita cū uerba rebus aptentur, ipso materiæ nitore clarescunt. Alia ueris consilij ratio est. Ideoq; Theophrastus quàmmaxime remotum ab omni affectatione, in deliberatiuo genere uoluit esse sermonem, secutus in hoc autoritatem præceptoris sui, quanquàm dissentire ab eo non timide solet. Nanq; Aristoteles idoneā maxime ad scribendum demonstratiuā, proximamq; ab ea iudicialem putauit, uidelicet, quoniam prior illa tota esset ostentationis, hæc secunda egeret artis, uel quòd ad fallendum, si ita poposcisset utilitas, consilia fide, prudentiaq; constarent. Quibus in demon

*legalis

*æqualitatis

demonstratiua consentio. Nam & omnes alij scriptores idem tradiderunt. In iudicijs autem consilijsq;, secundum conditionẽ ipsius quæ tractabitur rei, accommodandam dicendi credo rationem. Nam & Philippicas Demosthenis ijsdem quibus habitas in iudicijs orationes, uideo eminere uirtutibus. Et Ciceronis sententiæ, & conciones, non minus clarum quàm est in accusationibus ac defensionibus eloquentiæ lumen ostendunt. Dicit tamen de suasoria idem hoc modo: Tota autem oratio simplex & grauis, & sententijs debet esse ornatior, quàm uerbis. Vsum exemplorum nulli materiæ magis conuenire, meritò ferè omnes consentiunt, cum plerunq; uideantur respondere futura præteritis, habeaturq; experimentum, uelut quoddam rationis testimonium. Breuitas quoq;, aut copia non genere materiæ, sed modo constant. Nam ut in consilijs plerũq; simplicior quæstio est, ita sæpe in causis minor. Quæ omnia uera esse sciet, si quis non orationes modò, sed historias etiam (nanq; in his conciones ac sententiæ plerunq; suadendi ac dissuadendi funguntur officio) legere maluerit, quàm in commentarijs rhetorum consenescere. Inueniet enim nec in consilijs abrupta initia, & concitatius sæpe in iudicijs dictum, & uerba aptata rebus in utroq; genere, & breuiores aliquando causarum orationes quàm sententiarum. Ne illa quidem in his uitia deprehendet, quibus quidã declamatores laborant, quòd & contrà sentientibus inhumane conuitiantur, & ita plerunq; dicunt, tanquam ab ijs qui deliberant, utiq; dissentiant. Itaq; obiurgãtibus, similiores sunt, quàm suadentibus. Hæc adolescentes sibi scripta sciant, ne aliter quàm dicturi sint, exerceri uelint, & in desuescendis morentur. Cæterum cum aduocari cœperint in consilia amicorum, dicere sententiam in senatu, suadere si quid consulet princeps, quod præceptis fortasse non credunt, usu docebuntur.

De partibus causarum iudicialium.

CAP. XI.

Nunc

NVnc de iudiciali genere, quod est præcipue multiplex, sed officijs constat duobus, intentionis ac depulsionis. Cuius partes, ut plurimis autoribus placuit, quinq; sunt, proœmiũ, narratio, probatio, refutatio, peroratio. His adiecerunt quidam partitionem, propositionem, excessum: quarũ priores duæ probationi succedunt. Nam proponere quidẽ quæ sis probaturus, necesse est, sed & concludere. Cur igitur si illa pars causæ est, nõ & hæc sit? Partitio uero dispositionis est species, ipsa dispositio pars rhetorices, & per omnes materias, totumq; earum corpus æqualiter fusa, sicut inuentio & elocutio. Ideoq; eã non orationis tantum partem unam esse credendum est, sed quæstionum etiam singularum. Quæ nãq; est quæstio, in qua nõ promittere possit orator, quid primo, quid secundo, quid tertio sit loco dicturus? quod est proprium partitionis. Quàm ergo ridiculum est quæstionem quidem speciem esse probationis, partitionem autem quæ sit species quæstionis, partem totius orationis uocari? Egressio uero, uel (quod usitatius esse cœpit) excessus, siue est extra causam, non potest esse pars causæ: siue est in causa, adiutorium, uel ornamentum partium earum est, ex quibus egreditur. Nam si quicquid in causa est, pars causæ uocabitur, cur non argumentum, similitudo, locus communis, affectus, exempla, partes uocentur? Tamen neq; his assentior, qui detrahunt refutationem, tanquam probationi subiectam, ut Aristoteles. Hæc enim est quæ constituat, illa quæ destruat. Hoc quoq; idem aliquatenus nouat, quòd proœmio non narrationẽ subiungit, sed propositionem. Verum id facit, quia propositio genus, narratio species uidetur: & hac nõ semper, illa semper & ubiq; credit opus esse. Verum ex his, quas constitui partibus, non ut quicq; primum dicendum, ita primum cogitandum est. Sed ante omnia intueri oportet, quod sit genus causæ, quid in ea quæratur, quæ prosint, quæ noceant, deinde quid cõfirmandum sit ac refellendum, tum quomodo narrandum. Expositio enim probationum

tionum est præparatio, nec esse utilis potest, nisi prius constiterit, quid debeat de probatione promittere. Postremo intuendũ, quemadmodum iudex sit conciliandus. Neq; enim nisi totis causæ partibus diligenter inspectis, scire possumus, qualem nobis facere animum cognoscentis expediat, seuerum an mitem, concitatum an remissum, aduersum gratiæ, an obnoxium. Nec ideo tamen eos probauerim, qui scribendum quoq; proœmium nouissime putant. Nam ut conferri materiam omnem oportet, & quid quoq; loco sit opus constare debet, antè quàm dicere aut scribere ordiamur, ita incipiẽdum ab ijs, quæ prima sunt. Nam nec pingere quisquam aut fingere cœpit à pedibus. Nec deniq; ars ulla consummatur ibi, unde ordiendum est. Quid fiet alioqui si spatium componendi orationem stylo non fuerit? non ne nos hæc inuersa consuetudo deceperit? Inspicienda igitur materia est, quo præcipimus ordine, scribenda quo dicimus.

De generibus iudicialium controuersiarum. CAP. XII.

CAeterum causa omnis, in qua pars altera agentis est, altera recusantis, aut unius rei controuersia constat, aut plurium. Hæc simplex dicitur, illa coniuncta. Vna controuersia est per se furti, per se adulterij. Plures aut eiusdem generis, ut in pecunijs repetundis: aut diuersi, ut si quis sacrilegij & homicidij simul accusetur, quod nunc in publicis iudicijs non accidit, quoniam Prætor certa lege sortitur: principum autem & senatus cognitionibus frequens est, & populi fuit. Priuata quoque iudicia, sæpe unum iudicem habere multis & diuersis formulis solent, nec aliæ species erunt, etiam si unus à duobus duntaxat eãdem rem, atq; ex eadem causa petet: aut duo ab uno, aut plures à pluribus, quod accidere in hæreditarijs litibus interim scimus: quia quamuis in multis personis, causa tamen una est, nisi conditio personarum quæstiones uariauerit. Diuersum his tertium genus, quod dicitur comparatiuum, cuius rei tractatus in parte

parte causæ frequens est: ut cum apud Centumuiros post alia quæritur & hoc, uter dignior hæreditate sit. Rarum est autem, ut in foro iudicia propter id solum constituantur, sicut diuinationes, quæ fiunt de accusatore constituendo, & nonnunquam inter delatores, uter præmium meruerit. Adiecerunt quidam numero mutuam accusationem, quæ ἀντιγραφὴ uocatur, alijs uidelicet succedere hanc quoq; comparatiuo generi existimantibus. cui similis erit petitionum inuicem diuersarum, quod accidit uel frequentissime. Id si & ipsum uocari debet ἀντιγραφὴ (nam proprio caret nomine) duo erunt genera eius: alterum, quo litigatores idem crimen inuicem intentant: alterum, quo aliud atq; aliud. cui & petitionum conditio par est. Cum apparuerit genus causæ, tum intuebimur, negetur ne factum, quod intenditur, an defendatur, an alio nomine appelletur, an à genere actionis repellatur, unde sunt status. Diuinatio.

Quid quæstio, & quæ sit ratio, iudicatio, continens, & quatenus necessaria. CAP. XIII.

HIs inuentis, inuentum deinceps Hermagoræ uidetur, quid sit quæstio, ratio, iudicatio, cõtinens, id est στοιχεῖον, uel ut alij uocant, firmamentũ. Quæstio latius intelligitur omnis, de qua in utranq; partem, uel in plures dici credibiliter potest. In iudiciali autem materia dupliciter accipienda est: altero modo, quo dicimus multas quæstiones habere controuersiam, quo etiam minores omnes complectimur: Altero, quo significamus summam illam, in qua causa uertitur: de hac nunc loquor, ex qua nunc nascitur status, an factum sit, quid factum, an recte factum sit. Has Hermagoras & Apollodorus, & alij plurimi scriptores proprie quæstiones uocant. Theodorus, ut dixi, capita generalia, sicut illas minores: aut ex illis pendentes, specialia. Nam & quæstionem ex quæstione nasci, & speciem in species diuidi conuenit. Hanc igitur quæstionem ueluti principalem uocant ὑπόθεσιν. Ratio autem est, qua id quod factum esse cõ- Quæstio. Ratio.

stat

ſtat,defenditur.Et cur non utamur eodem,quo ſunt uſi ferè omnes exemplo?Oreſtes matrem occidit.Hoc cõſtat. Dicit ſe iuſte feciſſe. Status erit qualitatis: Quæſtio, an iuſte fecerit. Ratio, quòd Clytemneſtra maritũ ſuũ,patrẽ Oreſtis occidit,hoc ἄπορ dicitur: **Iudicatio.** κρινόμενον autem iudicatio,an oportuerit uel nocentem matrem à filio occidi. Quidã diuiſerunt ἄπορ & ἀπίαν,ut eſſet altera propter quam iudicium conſtitutum eſt, ut occiſa Clytemneſtra:altera,qua factũ defenditur,ut occiſus Agamemnon: Sed tanta eſt circa uerba diſſenſio,ut alij ἀπίαν cauſam iudicij, ἄδικον autem facti uocent:alij eadem in contrarium uertant. Latinorum quidam hæc initium,& rationem uocauerunt,quidam utrunq; eodem nomine appellant. Cauſa quoq; ex cauſa, id eſt ἄπορ ἐξ ἀπίας naſci uidetur:quale eſt, occidit Agamemnonem Clytemneſtra,quia ille filiam communem immolauerat,& captiuam pellicem adducebat.Iidem putant & ſub una quæſtione plures eſſe rationes,ut ſi Oreſtes & alteram afferat cauſam matris necatæ,quòd reſponſis ſit impulſus. Quot autem cauſas faciendi,totidem iudicationes. Nam & hæc erit iudicatio, an reſponſis parere debuerit. Sed & una cauſa plures habere quæſtiones & iudicationes,ut ego arbitror,poteſt, ut in eo, qui cũ adulteram deprehenſam occidiſſet, adulterũ qui tum effugerat, poſtea in foro occidit.Cauſa enim eſt una,adulter fuit,quæſtiones & iudicationes,an illo tempore, an illo loco licuerit occidere.Sed ſicut,cum ſint plures quæſtiones, omneſq; ſuos ſtatus habeant,cauſæ tamen ſtatus unus ſit, ad quem referẽtur omnia, ita iudicatio maxime propria,de qua pronũtiatur. Σωίχον au- **Firmamentum.** tem quod,ut dixi,continens alij,firmamentum alij putant, Cicero firmiſſimam argumentationem defenſoris,& appoſitiſſimam ad iudicationem,quibuſdã id uidetur eſſe,poſt quod nihil quæritur,quibuſdam id quod ad iudicationem firmiſſimum affertur. Cauſa facti non in omnes controuerſias cadit. Nam quæ fuerit cauſa faciendi ubi factum negatur ? At ubi cauſa tractatur, negant

gant eodem loco eſſe iudicationem,quo quæſtionem,idq; & in Rhetoricis Cicero,& in Partitionibus dicit. Nam & in coniectura eſt quæſtio ex illo, factum, non factum, an factum ſit,ibi ergo iudicatio,ubi quæſtio : quia in eadẽ re prima quæſtio,& extrema diſceptatio. At in qualitate,matrem Oreſtes occidit, recte,non recte, an recte occiderit, quæſtio, nec ſtatim iudicatio. quando ergo?illa patrem meum occiderat.Sed non ideo tu matrem debuiſti occidere:an debuerit, hic iudicatio. Firmamẽtum autem uerbis ipſius ponam:Si uelit Oreſtes dicere eiuſmodi animum matris ſuæ in patrem ſuum, in ſeipſum ac ſorores, in regnum,in famam generis ac familiæ, ut meritò ab ea pœnas liberi ſui potiſſimum petere debuerint. Vtuntur alij & talibus exemplis:Qui bona paterna conſumpſerit,ne concionetur:in opera publica conſumpſit,quæſtio,an quiſquis conſumpſerit, prohibendus ſit:iudicatio,an qui ſic.Velut in cauſa militis Aruncij, qui*Lucium tribunum uim ſibi inferẽtem interfecit:quæſtio,an *Cuſium iure fecerit:ratio,quòd is uim afferebat:iudicatio, an indemnatum, an Tribunum à milite occidi oportuerit. Alterius etiam ſtatus quæſtionem,alterius iudicationẽ putant. Quæſtio qualitatis,an recte Clodium Milo occiderit: iudicatio coniecturalis, an Clodius inſidias fecerit.Ponunt & illud,ſæpe cauſam in aliquam rem dimitti,quæ non ſit propria quæſtionis,& de ea iudicari.A᾽ quibus multum diſſentio. Nam & illa quæſtio,an omnes qui paterna bona conſumpſerint,concione ſint prohibendi,habeat oportet ſuam iudicationem. Ergo non alia quæſtio, alia iudicatio erit, ſed plures quæſtiones, & plures iudicationes. Quid? nõ in cauſa Milonis ipſa coniectura refertur ad qualitatem? Nam ſi eſt inſidiatus Clodius,ſequitur ut recte ſit occiſus.Cum uero in aliquam rem miſſa cauſa, eſt receſſum à quæſtione,quæ erat cõſtituta,hic quæſtio,ubi iudicatio eſt.Paulũ in his ſecum etiam Cicero diſſentit.Nam in Rhetoricis,quẽadmodum ſuprà dixi, Hermagoram eſt ſecutus, in Topicis ex ſtatu

effectam cõtentionem τὸ κρινόμενον existimat, idq; Trebatio, qui iuris erat consultus, alludens, qua de re agitur appellat: quibus id contineatur, continentia, quasi firmamenta defensionis, quibus sublatis defensio nulla sit. At in Partitionibus oratorijs firmamentũ, quod opponitur defensioni, quia continens quod primum sit, ab accusatore dicatur, ratio à reo, ex rationis & firmamenti quæstione disceptatio sit iudicationum. Verius igitur & breuius qui statum, & continens & iudicationem, idem esse uoluerunt. Continens autem id esse, quo sublato, lis esse nõ posit. Hoc mihi uidetur utrãq; causam complecti, & quòd Orestes matrem, & quòd Clytemnestra Agamemnonem occiderit. Iidem iudicationem & statum consentire semper existimarunt. Neq; enim aliud eorum rationi conueniens fuisset. Verum hæc affectata subtilitas, cum circa nomina rerum, ambitiose laboret, à nobis in hoc aßumpta solum, ne parum diligenter inquisisse de opere, quod aggressi sumus, uideremur. Simplicius autem instituenti non est necesse, per tam minutas rerum particulas rationem dicendi concidere. Quo uitio multi quidẽ laborarunt, præcipue tamẽ Hermagoras, uir alioqui subtilis, & in plurimis admirandus, tantum diligentiæ nimium solicitæ, ut ipsa eius reprehensio laude aliqua non indigna sit. Hæc autem breuior, & uel ideo lucidior multò uia, nec discentem per ambages fatigabit, nec corpus orationis in parua momenta diducendo consumet. Nam qui uiderit quid sit quod in cõtrouersiam ueniat, quid in eo, & per quæ uelit efficere pars diuersa, quid nostra (quod in primis est intuendum) nihil eorum ignorare, de quibus suprà diximus, poterit. Nec est ferè quisquam, modò non stultus, atq; ab omni prorsus usu dicendi remotus, quin sciat, & quid litem faciat (quod ab illis causa, uel continens dicitur) & quæ sit inter litigantes quæstio, & de quo iudicari oporteat, quæ omnia idem sunt. Nam & de eo quæstio est, quod in controuersiam uenit: & de eo iudicatur, de quo quæstio est. Sed nõ perpetuò intendi

tendimus in hæc animum, & cupiditate laudis utcunq; acquirendæ, uel dicendi uoluptate euagamur, quando uberior semper extra causam materia est, quia in controuersia pauca sunt, extrà omnia: & hic dicitur de ijs quæ accepimus, illic de quibus uolumus. Nec tam hoc præcipiendum est, ut quæstionem, continens, iudicationem inueniamus (nam id quidẽ facile est) quàm ut intueamur semper, aut certe si digressi fuerimus, saltem respiciamus, ne plausum affectantibus arma excidãt. Theodori schola, ut dixi, omnia refert ad capita. His plura intelliguntur. Vno modo summa quæstio, item ut status: altero cæteræ, quæ ad summam referãtur: tertio propositio cum affirmatione, ut dicimus, Caput rei est apud Menandum, κεφάλαιόν ἐστιν. In uniuersum autem quicquid probandum est, erit caput, sed id maius aut minus. Et quoniam quæ de his erant à scriptoribus artium tradita, uerbosius etiã quàm necesse erat exposuimus: præterea quæ partes essent iudicialium causarum, suprà dictum est: proximus liber, proœmia, id est, exordia concipiet.

M. FAB. QVINTILIANI DE INSTITVTIONE Oratoria, ad Marcellum Victorium Liber quartus, Qui est de Exordio, Narratione, Egressione, Propositione, Partitione.

PROLOGVS.

PERFECTO Marcelle Victori operis tibi dedicati tertio libro, & iam quarta ferè laboris parte transacta, nouæ insuper mihi diligentiæ causa, & altior solicitudo, quale iudicium hominum emererer, accessit. Adhuc enim uelut studia inter nos conferebamus, & si parum nostra institutio probaretur à cæteris, contenti fore domestico usu uidebamur

mur, ut tui meiq; filij disciplinam formare satis putaremus. Cum uero mihi DOMITIANVS Augustus fororis suæ nepotum delegauerit curam, non satis honorem iudiciorum cœlestium intelligam, nisi ex hoc oneris quoq; magnitudinẽ metiar. Quis enim mihi aut mores excolendi sit modus, ut eos non immerito probauerit sanctißimus censor? aut studia, ne fefelliſſe in his uidear principem, ut in omnibus, ita in eloquentia quoq; eminentißimum? Quòd si nemo miratur Poëtas maximos sæpe feciſſe, ut non solum initijs operum suorum Musas inuocarẽt, sed prouecti quoque longius, cum ad aliquem grauiorem ueniſſent locum, repeterent uota, & uelut noua precatione uterentur, mihi profecto poterit ignoſci, si quod initio, quo primum hanc materiam inchoaui, non fecerim, nunc omnes in auxilium deos, ipsumq; in primis, quo neq; præsentius aliud, neq; studijs magis propitium numen est, inuocem: ut quantum nobis expectationis adiecit, tantum ingenij aspiret, dexteráq; ac uolens adsit, & me qualem esse credidit, faciat. Cuius mihi religionis nõ hæc sola ratio, quæ maxima est, sed alioqui sic procedit ipsum opus, ut maiora præteritis, ac magis ardua sint, quæ ingredior. Sequitur enim, ut iudicialium causarum, quæ sunt maxime uariæ ac multiplices, ordo explicetur: quod proœmij sit officium: quæ ratio narrandi, quæ probationum sit fides, seu proposita confirmamus, seu contrà dicta dissoluimus: quanta uis in perorando, seu reficienda breui repetitione rerum, memoria est iudicis, siue affectus (quod est longe potentißimum) commouendi. De quibus partibus singulis quidam separatim scribere maluerunt, uelut onus totius corporis ueriti, & sic quoq; complureis de unaquaque earum libros ediderunt: quas ego omnes ausus contexere, propè infinitum mihi laborem prospicio, & ipsa cogitatione suscepti muneris fatigor. Sed durandum est, quia cœpimus: & si uiribus deficiemur, animo tamen perseuerandum.

De ex

De exordio. CAP. I.

QVOD principium latinè, uel exordium dicitur, maiore quadam ratione Græci uidentur προοίμιον nominasse, quia à nostris modo initiũ significatur, illi satis clare partẽ hanc esse ante ingressum rei, de qua dicendum sit, ostendunt. Nam siue propterea quòd οἶμος cantus est, & citharœdi pauca illa, quæ antequam legitimum certamen inchoẽnt, emerendi fauoris gratia canunt, proœmium uocauerunt: oratores quoq; ea quæ prius quàm causam exordiantur, ad cõciliandos sibi iudicum animos præloquuntur, eadem appellatione signarunt: siue quòd οἶμος ijdem Græci uiam appellant, id quod ante ingressum rei ponitur, sic uocare est institutum: certe proœmium est, quod apud iudicẽ dici, priusquàm causam cognouerit, * prosit. Vitioseq; in scholis facimus, quòd exordio semper sic utimur, quasi causam iudex iam nouerit. Cuius rei licentia ex hoc est, quòd ante declamationem, illa uelut imago litis exponitur. Sed in foro quoq; cõtingere istud principiorũ genus secundis actionibus potest, primis quidem raro, nunquam nisi forte apud eũ, cui res aliunde iam nota sit, dicimus. Causa principij nulla alia est, quàm ut auditorem, quo sit nobis in cæteris partibus accõmodatior, præparemus. Id fieri tribus maxime rebus inter autores plurimos constat, si beneuolum, attentum, docilem fecerimus: non quia ista per totam actionem nõ sint custodienda, sed quia in initijs maxime necessaria, per quæ in animũ iudicis, ut procedere ultrà possimus, admittimur. Beneuolentiã, aut à personis ducimus, aut à causis accipimus. Sed personarum non est, ut pleriq; crediderunt, triplex tantum ratio, ex litigatore, aduersario, & iudice. Nam exordium duci nonnunquam etiam ab actore causæ solet. Quãquàm enim pauciora de seipso dicit, & parcius, plurimum tamen ad omnia momẽti est in hoc positum, si uir bonus creditur: sic enim continget, ut non studium aduo-

* possit

Beneuolentia.

cati uideatur afferre, sed penè testis fidem. Quare in primis exi
stimetur uenisse ad agendum ductus officio uel cognationis, uel
amicitiæ, maximeq; si fieri poterit, Reipub. aut alicuius certe
non mediocris exempli. Quod sine dubio multo magis ipsis li-
tigatoribus faciendum est, ut ad agendum magna atq; honesta
ratione, aut etiam necessitate accessisse uideantur. Sed ut præci-
pua in hoc dicentis autoritas, si omnis in subeundo negotio su-
spicio sordium, aut odiorum, aut ambitionis abfuerit: ita quædã
in his quoq; cõmendatio tacita, si nos infirmos & impares agẽ-
tium contrà ingenijs dixerimus, qualia sunt pleraq; Messalæ
proœmia. Est enim naturalis fauor pro laborantibus, & iudex
religiosus libentissime patronum audit, quẽ iustitiæ suæ minime
timet. Inde illa ueterũ circa occultandam eloquẽtiam simulatio,
multum ab hac nostrorum temporũ iactatione diuersa. Vitan-
dum etiam ne contumelioſi, maligni, superbi, maledici in quen-
quam hominem ordinem ue uideamur, præcipue eorum, qui læ-
di, nisi aduersa iudicum uoluntate, non possunt. Nam in iudi-
cem ne quid dicatur, non modò palàm, sed quod omnino intel-
ligi possit, stultum erat monere, nisi fieret. Etiam partis ad-
uersæ patronus dabit exordio materiam, interim cum honore,
si eloquẽtiam eius, ac gratiam nos timere fingendo, ut ea suspe-
cta sint iudici, fecerimus: interim per contumeliam, sed hoc per-
quàm raro, ut Asinius pro Vrbiniæ hæredibus, Labienum ad-
uersarij patronum inter argumenta causæ male posuit. Negat
hæc esse proœmia Corn. Celsus, quæ sint extra litem. Sed ego
cùm autoritate summorum autorũ magis ducor, tum pertinere
ad causam puto, quicquid ad dicentem pertinet: cũ sit naturale,
ut iudices ijs quos libentius audiunt, etiã facilius credant. Ipsius
autem litigatoris persona tractanda uarie est. Nam tum digni-
tas eius allegatur, tum cõmendatur infirmitas, nonnunquàm cõ-
tingit relatio meritorum, de quibus uerecundius dicendum erit
sua, quàm aliena laudanti. Multum agit sexus, ætas, conditio, ut
in fœ

minis, senibus, pupillis, liberos, parentes, coniuges allegan-
tibus. Nam sola rectum quoq; iudicem inclinat miseratio. Degu
standa tamen hæc proœmio, non consummanda. Aduersarij uero
persona propè ijsdem omnibus, sed è contrario ductis, impugna
ri solet. Nam & potentes sequitur inuidia, & humiles abie-
ctosq; contemptus, & turpes ac nocẽtes odium. Quæ tria sunt
ad alienandos iudicum animos potẽtissima. Neq; hæc dicere sa-
tis est, quod datur etiã imperitis, pleraq; augenda aut minuen-
da, ut expediet: hoc enim oratoris est, illud causæ. Iudicem con-
ciliabimus nobis, non tantum laudando eum, quod & fieri cum
modo debet, & est tamen parti utriq; commune: sed si laudem
eius ad utilitatem causæ nostræ cõiunxerimus, ut allegemus pro
honestis dignitatem* illi suam, pro humilibus iustitiam, pro infe- *illæsam
licibus misericordiam, pro læsis seueritatem, & similiter cætera.
Mores quoque, si fieri potest, iudicis uelim nosse. Nam prout
asperi, lenes, iucundi, graues, duri, remissi erunt, aut assumere in
causam naturas eorum, qua competent, aut mitigare, qua repu
gnabunt, oportebit. Accidit autem interim hoc quoq;, ut aut no
bis inimicus, aut aduersario sit amicus, qui iudicat, quæ res utri-
que parti tractanda est, ac nescio, an & ei magis, in quam uide
tur propensior. Est enim nõnunquàm prauis iudicibus hic am-
bitus, aduersus amicos, aut pro ijs, quibuscum simultates gerãt,
pronunciandi faciendiq;, iniuste ne fecisse uideantur. Fuerunt
etiam quidam rerum suarum iudices. Nam & in libris Obserua
tionum à Septimio editis, affuisse Ciceronẽ tali causæ inuenio.
Et ego pro regina Berenice apud ipsam causam dixi. Simulis
hic quoq; superioribus ratio est: aduersarius enim fiduciã par-
tis suæ iactat, patronus timet cognoscentis uerecundiam. Præ-
terea detrahenda, uel confirmanda opinio, siquam præcipue
domo uidebitur iudex attulisse. Metus etiam nonnunquam est
amouendus, ut Cicero pro Milone, ne arma Pompeij disposita
contra se putarẽt, laborauit. Nonnunquàm adhibendus, ut idem

in Verrem facit. Sed adhibendi modus alter ille frequens & fa=
*Prætor uorabilis, ne male sentiat *populus Romanus, ne iudicia transfe
rantur: alter autem asper & rarus, quo minatur corruptis accu
sationem, & id quidem in concilio ampliore, utcũq; tutius: nam
& mali inhibentur, & boni gaudent. Apud singulos uero nun=
quam suaserim, nisi defecerint omnia. Quòd si necessitas exigit,
non erit iam ex arte oratoria, non magis quàm appellare, etiã
si id quoq; sæpe utile est, aut antequam pronunciet, reũ facere.
Nam & minari, & deferre etiam non orator potest. Si causa
conciliandi nobis iudicis materiã dabit, ex hac potissimũ aliqua
in usum principij, quæ maxime fauorabilia uidebuntur, decerpi
oportebit. Quo in loco Virginius fallitur, qui Theodoro place
re tradit, ut ex singulis quæstionibus, singuli sensus in proœmiũ
conferantur. Nam ille non hoc dicit, sed ad potentissimas quæ=
stiones iudicem præparandum. In quo uitij nihil erat, nisi in
uniuersum id præciperet, quod nec omnis actio patitur, nec o=
mnis causa desiderat. Nam protinus à petitore primo loco, dum
ignota iudici lis est, quomodo ex quæstionibus ducemus senten=
tias? nimirum res erunt iudicandæ prius. Demus aliquas, nam id
exigit ratio nonnunquam, etiam ne potentissimas omnes, id est
totam causam? sic erit in proœmio peracta narratio. Quid ue=
ro si (ut frequenter accidit) paulò est durior causa, non bene=
uolentia iudicis petenda ex alijs partibus erit? sed non nisi an=
tè conciliato eius animo, nuda quæstionum committetur aspe=
ritas: quæ si recte semper initio dicendi tractarentur, nihil proœ
mio opus esset. Aliqua ergo nonnunquam, quæ erunt ad conci=
liandum nobis iudicem potentissima, non inutiliter interim ex
quæstionibus in exordio locabuntur. Quæ sint porrò in causis
fauorabilia, enumerare non est necesse, quoniam & manifesta
erunt cognita cuiusq; controuersiæ cõditione, & omnia colligi
in tanta litium uarietate nõ possunt. Vt autem hoc inuenire &
augere, ita quod lædit, aut omnino repellere, aut certe minuere,

ex cau

ex causa est. Miseratio quoq; aliquando ex eodem uenit, siue
quid passi sumus graue, siue passuri. Neq; enim sum in hac opi=
nione, qua quidam, ut eò distare proœmiũ ab epilogo credam,
quòd in hoc præterita, in illo futura dicantur. Sed quòd in in=
gressu parcius & modestius prætentanda est iudicis misericor=
dia, in epilogo uero liceat totos effundere affectus, et fictã ora=
tionem induere personis, & defunctos excitare, & pignora eo=
rum producere, quæ minus exordijs sunt usitata. Sed hæc quæ
suprà dixi, non *mouere tantum, uerũ ex diuerso amoliri quoq; *tentare
proœmio opus est. Vt autem nostrum miserabilem, si uincamur,
exitum, ita aduersariorum superbum, si uicerint, utile est credi.
Sed ex ijs quoq;, quæ non sunt personarũ nec causarum, uerùm
adiuncta personis & causis, duci proœmia solent. Personis ap=
plicantur non pignora modo, de quibus suprà dixi, sed propin=
quitates, amicitiæ interim, regiones etiã, ciuitatesq;, & si quid
aliud eius, quem defendimus, casu dici potest. Ad causam extrà
pertinet tempus, unde principium pro Cælio. Locus, unde pro
Deiotaro. Habitus, unde pro Milone. Opinio, unde in Verrem.
Deinceps ne omnia enumerentur, fama iudiciorum, expectatio
uulgi, nihil enim horum in causa est, ad causam tamen pertinet.
Adijcit Theophrastus ab actione principiũ, quale uidetur esse
Demosthenis pro Ctesiphonte, ut sibi dicere suo potius arbitrio
liceat rogantis, quàm eo modo, quem accusator actione præ=
scripserat. Fiducia ipsa solet opinione arrogantiæ laborare. Fa=
ciunt fauorem & illa penè communia, nõ tamen omittenda: uel
ideo ne occupentur, optare, abominari, rogare, solicitum agere.
Quæ plerunq; attentũ quoq; iudicem faciunt, si res agi uidetur
noua, magna, atrox, pertinens ad exemplum, præcipue tamen
si iudex, aut sua uice, aut Reipub. commouetur, cuius animus
spe, metu, admonitione, precibus, uanitate deniq;, si id profutu=
rum credimus, agitandus est. Sunt & illa excitandis ad audien=
dum non inutilia, si nos neq; diu moraturos, neq; extra causam

Docilitas. dicturos existiment. Docilem sine dubio & hæc ipsa præstat attentio: sed & illud, si breuiter & dilucide summã rei, de qua cognoscere debeat, indicauerimus, quod Homerus atq; Vergilius operum suorum principijs faciũt. Nam istius rei modus est, ut propositioni similior sit, quàm expositioni, nec quomodo quicq; sit actum, sed de quibus sit dicturus, orator ostendat. Nec uideo quod huius rei apud oratores poßit reperiri melius exemplum, quàm Ciceronis pro A. Cluentio: Animaduerti iudices omnem accusatoris orationẽ, in duas diuisam esse partes: quarũ altera mihi niti, & magnopere cõfidere uidebatur inuidia iam inueterata iudicij Iuniani: altera tantummodo cõsuetudinis causa, timide & diffidenter attingere rationẽ ueneficij criminum, qua de re lege hæc est quæstio cõstituta. Id tamen totum respondenti facilius est, quàm proponẽti, quia hic admonendus iudex, illic docendus est. Nec me quanquam magni autores in hoc duxerint, ut non semper facere attentum, ac docilem iudicẽ uelim, non quia nesciam id quod ab illis dicitur, esse pro mala causa, qualis ea sit, non intelligi: uerũ quia istud non negligentia iudicis contingit, sed errore. Dixit enim aduersarius, & fortasse persuasit: nobis opus est eius diuersa opinione, quæ mutari non potest, nisi illũ fecerimus ad ea quæ dicemus, docilem & attentum. Quid ergo? imminuenda quædam & leuanda, & quasi contemnenda esse consentio ad remittendam intentionem iudicis, quam aduersario præstat, ut fecit pro Ligario Cicero. Quid enim agebat aliud ironia illa, quàm ut Cæsar minus se in rem, tanquam non nouam intenderet? Quid pro Cælio, quàm ut res expectatione minor uideretur? Verũ ex ijs quæ proposui, aliud

Genera causarum. in alio genere causæ desiderari palàm est. Genera porrò causarum plurimi quinq; fecerunt, honestum, humile, dubium, uel anceps, admirabile, obscurum, id est, ἔνδοξον, ἄδοξον, ἀμφίδοξον, παράδοξον, δυσπαρακολούθητον. Sunt quibus recte uideatur adijci turpe, quod alij humili, alij admirabili subijciunt. Admirabile autem

autem uocant, quod est præter opinionem hominum constitutum. In ancipiti maxime beneuolum iudicem, in obscuro docilem, in humili attẽtum parare debemus. Nam honestum quidem ad conciliationem satis per se ualet. In admirabili, & turpi, remedijs opus est. Et eò quidẽ exordium in duas diuidunt partes, in principium, & insinuationem: ut sit in principijs recta beneuolentiæ, & attentionis postulatio, quæ esse in turpi genere causæ nõ poßit: Insinuatio surrepat animis, maxime ubi frons causæ non satis honesta est: uel quia res sit improba, uel quia hominibus parum probetur. Aut si facie ipsa quoq; premitur, uel inuidia consistentis ex diuerso patroni, aut patris, uel miserabilis senis, cæci, infantis. Et quidã, quibus aduersus hæc modis sit medendum, uerbosius tradunt, materiasq; sibi ipsi fingunt, & ad morem actionum prosequuntur. Sed hæc cum oriantur ex causis, quarum species consequi omnes non poßumus, nisi generaliter comprehendantur, in infinitum sunt extrahenda. Quare singulis consilium ex propria ratione nascetur. Illud in uniuersum sit præceptum, Vt ab ijs quæ lædunt, ad ea quæ prosunt, refugiamus. Si causa laborabimus, persona subueniat: si persona, causa: si nihil quod nos adiuuet erit, quæramus quid aduersariũ lædat. Nam ut optabile est plus fauoris mereri: sic proximum, odij minus. In ijs quæ negari nõ poterunt, elaborandũ ut aut minora quàm dictũ est, ut alia mẽte facta, aut nihil ad præsentem quæstionẽ pertinere, aut emendari posse pœnitẽtia, aut satis iam punita uideantur. Ideoq; agere aduocato, quàm litigatori facilius: quia & laudat sine arrogãtiæ crimine, & aliquando utiliter etiam reprehẽdere potest. Nam se quoq; moueri interim fingit, ut pro Rabirio Posthumo Cicero, dum aditum sibi ad aures facit, & autoritatem induit uera sentientis, quo magis credatur uel defendẽti eadẽ uel negãti. Ideoq; primũ hoc intueamur, litigatoris an aduocati persona sit utendũ, quoties utrũq; fieri potest. Nam id in schola liberum est, in foro rarum, ut sit idoneus

Principium.

Insinuatio.

idoneus suæ rei quisq; defensor. Declamaturus autem maxime positas in affectibus causas, proprijs personis debet induere. Hi sunt enim qui mandari nõ possunt, nec eadẽ ui perferũtur alieni animi, qua sui, motus. His etiam de causis insinuatione uidetur opus esse, si aduersarij actio iudicum animos occupauerit, uel si dicendum apud fatigatos est, quorum alterum promittendo no-
*eludendo strας probationes, & aduersas * eluendo, uitabimus: alterum & spe breuitatis, & ijs quibus attentum fieri iudicem docuimus. Et urbanitas opportuna reficit animos, & undecũq; petita iudicis uoluptas leuat tædium. Non inutilis etiam est ratio occupandi, quæ uidentur obstare, ut Cicero dicit scire se, mirari quosdam, quòd is qui per tot annos defenderit multos, læserit neminem, ad accusandum Verrem descenderit. Deinde ostendit hãc ipsam sociorum defensionem: quod schema Prolepsis dicitur. Id cum sit utile aliquando, nunc à declamatoribus quibusdam penè sem per assumitur, qui fas non putant, nisi à contrario incipere. Negant Apollodorum secuti, tres esse (de quibus diximus) præparandi iudicis partes, sed multas species enumerãt, ut ex moribus iudicis, ex opinionibus ad causam extrà pertinentibus, ex opinione de ipsa causa, quæ sunt propè infinitæ: tum ijs ex quibus omnes constant cõtrouersiæ, personis, factis, dictis, causis, tempo ribus, locis, occasionibus cæteris. Quas ueras esse fateor, sed in hæc genera recidere. Nam si iudicem beneuolum, attentum, docilem habeo, quid amplius debeam optare, non reperio: cum metus ipse, qui maxime uidetur esse extra hæc, & attentũ iudicem faciat, & ab aduerso fauore deterreat. Verum quoniam non est satis demonstrare discentibus, quæ sint in ratione proœmij: sed dicendum etiam quomodo perfici facilime possint: hoc adijcio, ut dicturus intueatur, quid, apud quem, pro quo, contra quem, quo tempore, quo loco, quo rerum statu, qua uulgi fama dicendum sit: quid iudicẽ sentire credibile sit antequam incipiamus: tum quid aut desideremus, aut deprecemur, ipsa illum natura eò ducet,

ducet, ut sciat quid primum dicendum sit. At nunc omne, quod cœperint, proœmium putant: & ut quicq; succurrerit, utiq; si aliqua sententia blandiatur, exordium. Multa autem sine dubio ex alijs partibus sunt, aut alijs partibus causæ communia, nihil tamen in quoquam melius dicitur, quàm quod æque bene dici alibi non possit. Multum gratiæ exordio est, quod ab actione aduersæ partis materiam trahit: hoc ipso, quòd nõ compositum domi, sed ibi, atq; ex re natum, & facilitate famam ingenij auget, & facie simplicis sumptiq; ex proximo sermonis fidẽ quoque acquirit: adeò ut etiã si reliqua scripta atq; elaborata sint, tamen plerunq; uideatur tota extemporalis oratio, cuius initium nihil præparatum habuisse manifestum est. Frequentissime uero proœmium decebit, & sententiarum, & compositionis, & uocis, & uultus modestia, adeò ut in genere causæ etiam indubitabili, fiducia seipsam nimium exerere non debeat. Odit enim iudex fere litigantis securitatem, cumq; ius suum intelligat, tacitus reuerentiam postulat. Nec minus diligẽter, ne suspecti simus in ulla parte, uitandum, propter quod minime ostentari debet in principijs cura, quia uidetur ars omnis dicentis contra iudicem abhiberi. Sed ipsum istud euitare summæ artis est. Nam id sine dubio ab omnibus & quidem optime præceptum est: uerum ali quatenus temporũ conditione mutatur, quia iam quibusdã iudicijs, maximeq; capitalibus, ut apud Centumuiros, ipsi iudices exigunt solicitas & accuratas actiones: cõtemniq; se, nisi in dicendo etiam diligentia appareat, creduṭ: nec doceri tantum, sed etiam delectari uolunt. Et est difficilis huius rei moderatio, quæ tamen ita temperari potest, ut uideamur accurate, nõ callide dicere. Illud ex præceptis ueteribus manet, ne quod insolens uerbum, ne audacius translatum, ne aut obsoleta uetustate, aut poëtica licentia sumptum in principio deprehendatur. Nondum enim recepti sumus, & custodit nos recens audientiũ intentio: magis cõciliatis animis, & iam calentibus hæc libertas feretur, maximeq;

maximeq; cum in locos fuerimus ingreſsi, quorũ naturalis uber-
tas licentiã uerbi notari circumfuſo nitore non patitur. Nec ar-
gumentis autẽ, nec locis, nec narrationi ſimilis eſſe in proœmio
debet oratio. Nec tamẽ deducta ſemper atq; circunlata, ſed ſæpe
ſimplici ac illaboratæ ſimilis, nec uerbis uultuq; nimia promut-
tens. Diſſimulata enim, & ut Græci dicunt ἀνεπίφαλος actio me-
lius ſæpe ſubrepit. Sed hæc prout formari animum iudicum ex-
*facilitate pediet. Turbari memoria, uel continuandi uerba *facultate de-
ſtitui, nuſquam turpius: cùm uitioſum proœmium poſſit uideri
cicatricoſa facies, & peſſimus certe gubernator, qui nauẽ dum
portum egreditur, impegit. Modus autem principij pro cauſa.
Nam breuius ſimplices, longius perplexæ ſuſpectæq; & infa-
mes deſiderant. Ridendi uero qui uelut leges proœmijs omni-
bus dederunt, ut intra quatuor ſenſus terminarentur. Nec minus
euitanda eſt immodica eius longitudo, ne in caput excreuiſſe
uideatur, & quo præparare debet, fatiget. Sermonem à per-
ſona iudicis auerſum, qui ἀποστροφὴ dicitur, quidam in totum à
proœmio ſubmouent, nonnulli quidem in hanc perſuaſionem
ratione ducti. Nam prorſus eſſe hoc magis ſecundum naturam
confitendum eſt, ut eos alloquamur potiſſimum, quos conciliare
nobis ſtudemus. Interim tamen eſt & hoc proœmio neceſſariũ,
ſenſus aliquis, & is acrior fit, atq; uehementior, ad perſonam
directus alterius. Quod ſi accidat, quo iure, aut qua tanta ſu-
perſtitione prohibemur dare per hanc figuram ſentẽtiæ uires?
Neq; enim iſtud ſcriptores artium, quia nõ liceat, ſed quia non
putant utile, uetãt. Ita ſi uincet utilitas, propter eandem cauſam
facere debebimus, propter quã uetamur. Et Demoſthenes autem
ad Aeſchinẽ orationẽ in proœmio cõuertit. Et M. Tullius cum
pro alijs quibuſdam, ad quos ei uiſum eſt, tum pro Ligario, ad
Tuberonem. Nam erat multo figura languidior, ſi eſſet aliter
figurata, quod facilius cognoſcet, ſi quis illam totam partẽ uehe-
mentiſſimam, cuius hæc forma eſt: Habes igitur Tubero, quod
eſt accu

eſt accuſatori maxime optandum, & cætera, conuertat ad iudi-
cem. Tum enim uere auerſa uideatur oratio, & langueſcat uis
omnis, dicentibus nobis. Habet igitur Tubero, quod eſt accuſa-
tori maxime optandum. Illo enim modo preſſit, atq; inſtitit, hoc
tantum indicaſſet. Quod idem in Demoſthene, ſi flexum illi mu-
taueris, accidet. Quid? non Salluſtius directò ad Ciceronem in
quem ipſum dicebat, uſus eſt principio, & quidẽ protinus? Gra
uiter et iniquo animo maledicta tua paterer Marce Tulli. Sicut
& Cicero fecerat in Catilinã: Quouſq; tandem abutêre patiẽtia
noſtra? Ac ne quis apoſtrophen miretur, idẽ Cicero pro Scauro
ambitus reo, quæ cauſa eſt in commẽtarijs (nam bis eundem de-
fendit) proſopopœia loquẽtis pro reo utitur: pro Rabirio uero
Poſthumo, eodemq; Scauro reo repetundarum, etiam exemplis:
pro Cluentio (ut modo oſtendi) partitione. Nõ tamen hæc, quia
poſſunt bene aliquando fieri, paſſim facienda ſunt, ſed quoties
præceptũ uicerit ratio: quomodo & ſimilitudine, dũ breui, &
translatione, atq; alijs tropis, quæ omnia cauti illi ac diligẽtes
prohibent, utemur interim, niſi ſi cui diuina illa pro Ligario
ironia, de qua paulò antè dixerã, diſplicet. Alia exordiorũ uitia Exordio-
uerius tradiderũt. Quod in plures cauſas accommodari poteſt, rum uitia.
uulgare dicitur. Id minus fauorabile, aliquãdo tamen nõ inuti-
liter aſſumimus, magnis ſæpe oratoribus non euitatum: Quo &
aduerſarius uti poteſt, cõmune appellatur: Quod aduerſarius in
ſuam utilitatem deflectere poteſt, cõmutabile: Quod cauſæ non
cohæret, ſeparatũ: Quod aliunde trahitur, translatum. Præterea
quod longum, quod contra præcepta eſt: quorum pleraq; non
principij modo ſunt uitia, ſed totius orationis. Hæc de proœmio,
quoties erit eius uſus, nõ ſemper autẽ eſt. Nam & ſuperuacuum
aliquando eſt, ut ſi ſit præparatus ſatis etiam ſine hoc iudex,
aut ſi res præparatione non egeat. Ariſtoteles quidẽ in totum
id neceſſarium apud bonos iudices negat, aliquando tamen uti,
nec ſi uelimus, eo licet, cum iudex occupatus, cum anguſta ſunt
tempora

tempora, cum maior potestas ab ipsa re cogit incipere. Contraq; est interim proœmij uis etiã non in exordio. Nam iudices & in narratione nõnunquam, & in argumentis, ut attendant, & ut faueant, rogamus. Quo Prodicus uelut dormitantes eos excitari putabat, quale est Ciceronis pro C. Vareno, qui à familia Anchariana occisus est, Hoc quaeso iudices diligẽter attẽdite. Vtiq; si multiplex causa est, sua quibusq; partibus danda praefatio est: ut, Audite nũc reliqua. & : Transeo nũc illuc. Sed in ipsis etiã probationibus multa fungũtur proœmij uice, ut facit Cicero pro Cluentio, dicturus cõtra Censores: pro Murena, cũ Seruio se excusat. Verùm id frequentius est, quàm ut exemplis confirmandum sit. Quoties autem proœmio fuerimus usi, tum siue ad expositionem transibimus, siue protinus ad probationẽ, id debebit in principio postremum esse, cui cõmodissime iungi initium sequentium poterit. Illa uero frigida & puerilis est in scholis affectatio, ut ipse transitus efficiat aliquam utiq; sententiam, & huius uelut praestigiae plausum petat: ut Ouidius lasciuire in Metamorphosi solet, quem tamen excusare necessitas potest, res diuersissimas in speciem unius corporis colligentẽ. Oratori uero quid est necesse surripere hãc transgressionem, & iudicẽ fallere? qui ut ordini rerũ animum intendat, etiam cõmonendus est. Peribit enim prima pars expositionis, si iudex nondum narrari sciet. Quapropter, ut nõ abrupte cadere in narrationẽ, ita non obscure transcendere, est optimum. Si uero longior sequetur ac perplexa magis expositio, ad eã ipsam praeparandus iudex erit, ut Cicero saepius, sed hoc praecipuè loco fecit: Paulò longius exordiũ rei demonstrandae gratia repetam, quod quaeso iudices, ne molestè patiamini: Principijs enim cognitis, multo facilius extrema intelligetis. Hæc ferè sunt mihi de exordio comperta.

De narratione. CAP. II.

MAxime naturale est, & fieri frequentissime debet, ut praeparato, per hæc quæ suprà dicta sunt, iudice, res de qua

qua pronunciaturus est, indicetur. Ea est narratio. In qua sciens transcurram subtiles nimium diuisiones quorundam, plura eius genera facientium. Non enim solam uolunt esse illam negotij, de quo apud iudices quæritur, expositionem, sed personæ: ut, M. Acilius Palicanus humili loco Picens, loquax magis quàm facundus. Loci: ut, Oppidum est in Hellesponto Lampsacum iudices. Temporis: ut,

Vere nouo gelidus canis cum montibus humor Liquitur.

Causarum, quibus historici frequentissime utuntur, cum exponunt, unde bellum, seditio, pestilentia. Præter hæc alias perfectas, alias imperfectas uocant: quod quis ignorat? Adijciunt expositionem & præteritorum esse temporum, quæ est frequentissima: & præsentium, qualis est Ciceronis de discursu amicorum, Chrysogonus postquam est nominatus: & futurorum, quæ solis dari uaticinantibus potest. Nam ὑποτύπωσις nõ est habenda narratio. Sed nos potioribus uacemus. Plerique semper narrandum putauerunt, quod falsum esse pluribus coarguitur. Sunt enim ante omnia quædam tam breues causæ, ut propositionem potius habeant, quàm narrationem. Id accidit aliquando utriq; parti, cum uel nulla expositio est, uel de re constat, de iure quæritur: ut apud Centumuiros, filius an frater debeat esse intestato hæres. Pubertas annis, an habitu corporis æstimetur. Aut cũ est quidem in re narrationi locus, sed aut antè iudici nota sunt omnia, aut priore loco recte exposita. Accidit aliquando alteri, & sæpius actori causæ, uel quia satis est proponere, uel quia sic magis expedit, satis est dixisse, Certã creditam pecuniã peto ex stipulatione, legatum peto ex testamẽto. Diuersæ partis expositio est, cur ea non debeantur: & satis est actori, & magis expedit sic indicare, Dico ab Horatio sororem suam interfectã. Nanq; & cum propositione iudex crimen omne cognoscit, & ordo, & causa facti pro aduersario magis est. Reus contrà tunc narrationem subtrahit, cum id quod obijcitur, neq; negari, neq;

excusari potest,sed in sola iuris quæstione cõsistit,ut in eo qui cum pecuniam priuatam ex æde sacra surripuit, sacrilegij reus est,confessio uerecundior est quàm expositio. Non negamus pecuniam de templo esse sublatam, calumniatur tamen accusator actione sacrilegij,cum priuata fuerit, non sacra: Vos autem de hoc cognoscetis,an sacrilegiũ sit admissum.Sed ut has aliquando nõ narrandi causas puto,sic ab illis dissentio,qui nõ esse narrationem existiment, cum reus, quod obijcitur, tantum negat. In qua est opinione Corn.Celsus,qui conditionis huius esse arbitratur,pleraq; cædis causas,& omnes ambitus ac repetundarum.Non enim putat esse narrationes,nisi quæ summam criminis, de quo iudicium est, continent. At deinde fatetur ipse pro Rabirio Posthumo narrasse Ciceronem : atqui ille & negauit peruenisse ad Rabirium pecuniam,qua de re erat quæstio constituta,& in hac narratione nihil de crimine exposuit.Ego autem magnos alioqui secutus autores,duas esse in iudicijs narrationũ species existimo:alteram ipsius causæ,alterã rerum ad causam pertinentium expositionẽ.Non occidi hominẽ,nulla narratio est,cõuenit.Sed erit aliqua,& interim etiã longa circa argumenta eius criminis,de anteacta uita,de causis, propter quas innocens in periculum deducatur, alijsq; quibus incredibile id quod obijcitur, fiat. Neq; enim accusator hoc tantũ dicit,occidisti,sed quibus id probet,narrat:ut in tragœdijs, cum Teucer Vlyssem reũ facit Aiacis occisi,dicens inuentũ eum in solitudine iuxta exanime corpus inimici cũ gladio cruento,non id modo Vlysses respondet,non esse à se id facinus admissum, sed sibi nullas cũ Aiace inimicitias fuisse,de laude inter ipsos certatum: deinde subiungit,quomodo in eam solitudinẽ uenerit,iacentem exanimem sit cõspicatus,gladium è uulnere extraxerit:his subtexitur argumẽtatio.Sed ne illud quidem sine narratione est,dicente accusatore, fuisti in eo loco, in quo tuus inimicus occisus est:non fui:dicendum enim ubi fuerit. Quare ambitus quoque causæ

causæ & repetundarum,hoc etiã plures eiusmodi narrationes habere poterũt,quo plura crimina. In quibus ipsa quidem neganda sunt,sed argumentis expositione cõtraria resistendum, & interdum singulis,interdum uniuersis.An reus ambitus male narrabit,quos parentes habuerit, quẽadmodum ipse uixerit, quibus meritis fretus ad petitionem descenderit.Aut si quis repetundarum crimine insimulabitur, num & anteactam uitam, & quibus de causis , uel prouinciam uniuersam, uel accusatorem,aut testem offenderit,non inutiliter exponet? Quæ si narratio non est,ne illa quidem Ciceronis pro Cluentio prima,cuius est initiũ,Aulus Cluentius Habitus.nihil enim hic de ueneficio,sed de causis, quibus ei mater inimica sit,dicit. Illæ quoque sunt pertinentes ad causam, sed non ipsius causæ narrationes, uel exempli gratia,ut in Verrem de Lucio Domitio, qui pastorem,quòd is aprum,quem ipsi muneri obtulerat, exceptum esse à se uenabulo confessus esset, in crucem sustulit. Vel excutiendi alicuius extrinsecus criminis, ut pro Rabirio Posthumo : Nam ut uentũ Alexandriam est, Iudices,hæc una ratio à rege proposita Posthumo est conseruandæ pecuniæ, si curationẽ, & quasi dispensationem regiam suscepisset. Vel augendi, ut describitur iter Verris.Ficta interim narratio introduci solet,uel ad concitandos iudices,ut pro Roscio contra Chrysogonum:cuius paulo ante habui mentionem:uel ad soluendos aliqua urbanitate,ut pro Cluentio, contra fratres Cepasios. Interdum per digressionẽ decoris gratia,qualis rursus in Verrem de Proserpina:In his quondam locis mater filiam quæsisse dicitur. Quæ omnia eò pertinent,ut appareat, non utiq; non narrare eum qui negat, sed illud ipsum narrare quod negat.Ne hoc quidem simpliciter accipiendũ,quod est à me positum, Superuacuã esse narrationẽ rei,quam iudex nouerit. Quod sic intelligi uolo,si non modò factum quid sit,sciet, sed ita factum etiam, ut nobis expedit, opinabitur.Neq; enim narratio in hoc reperta est,ut tantũ cognoscat

ſcat iudex,ſed aliquanto magis ut cõſentiat. Quare etiamſi nõ erit docendus, ſed aliquo modo afficiendus, narrabimus cum præparatione quadã, Scire quidem eum in ſumma quid actum ſit,tamen rationem quoque facti cuiuſq; cognoſcere ne grauetur. Interim propter aliquem in conſilium adhibitum nos repetere illa ſimulemus,interim ut rei,quæ ex aduerſo proponatur, iniquitatem omnes etiam circunſtantes intelligãt.In quo genere plurimis figuris erit uarianda expoſitio ad effugiendum tædium audientis, Sicut meminiſti: &, Fortaſſe ſuperuacuũ fuerit hic commorari:Sed quid ego diutius? cum tu optime noris: & illud quale ſit,tu ſcias? & his ſimilia. Alioqui ſi apud iudicẽ,cui nota cauſa eſt,narratio ſemper uidetur ſuperuacua,poteſt uideri non ſemper eſſe etiam ipſa actio neceſſaria. Alterum eſt de quo frequẽtius quæritur, an ſit utique narratio proœmio ſubijcienda. Quod qui opinantur, non poſſunt uideri nulla ratione ducti. Nam cum proœmium idcirco comparatum ſit, ut iudex ad rem accipiendam fiat conciliatior,docilior,& intẽtior, & probatio,niſi cauſa prius cognita,nõ poſsit adhiberi,protinus iudex notitia rerum inſtruendus uidetur.Sed hoc quoq; interdum mutat conditio cauſarum: niſi forte Marcus Tullius in oratione pulcherrima, quã pro Milone ſcriptam reliquit, male diſtuliſſe narrationem uidetur tribus præpoſitis quæſtionibus: aut profiteſſet exponere,quomodo inſidias Miloni feciſſet Clodius,ſi reum,qui à ſe hominem occiſum fateretur,defendi omnino fas non fuiſſet: aut ſi iam præiudicio ſenatus damnatus eſſet Milo:aut ſi Cneus Pompeius, qui propter aliquam gratiã iudicium etiã militibus armatis clauſerat,tanquam aduerſus*æſtimaretur.Ergo hæ quoq; quæſtiones uim proœmij obtinebunt, cùm omnes iudicem præparauerint.Sed aliter pro*Vareno reo poſtea quoq; narrauit,cũ obiecta diluit.Quod fiet utiliter,quoties crimen non repellendum tantum, ſed etiam transferendum erit, ut prius his defenſis uelut initium ſit aliũ culpandi narratio:ut

*timeretur

*L. Murena

tio:ut in armorum ratione antiquior cauendi, quàm ictum inferendi cura eſt.Erunt quædã cauſæ (neq; id raro)crimini quidem,de quo cognitum eſt,faciles ad diluendũ,ſed multis anteactæ uitæ flagitijs, & grauibus criminibus oneratæ, quæ prius amouẽda ſunt,ut propitius iudex defenſionẽ ipſius negotij, cuius propria quæſtio eſt,audiat:ut ſi defendendus eſt M.Cælius, non ne optime patronus occurrat prius cõuitijs luxuriæ, petulantiæ,impudicitiæ,quàm ueneficij?In quibus ſolis omnis Ciceronis uerſatur oratio. Deinde tum narret de bonis paulatim,to tamq; dein? explicet cauſam, quæ eſt ipſius actione defenſa. Sed nos ducit ſcholarum cõſuetudo,in quibus certa quædam ponuntur,quæ themata dicimus,præter quæ nihil eſt diluendũ. Ideoq; narratio proœmio ſemper ſubiungitur.Inde libertas declamatoribus, ut etiã ſecundo partis ſuæ loco narrare uideantur. Nam cum pro petitore dicunt,& expoſitione, tanquã priores agãt, uti ſolent,& contradictione,tanquam reſpondeant:idq; *fit recte.Nam cum ſit declamatio fõrenſium actionum meditatio,cur non utrunq; protinus locum exerceat? Cuius rationis ignari,ex more,cui aſſueuerunt, nihil in foro putant eſſe mutandum. Sed in ſcholaſticis quoq; nonnunquam euenit,ut pro narratione ſit propoſitio. Nam quid exponet, quæ zelotypum malæ tractationis accuſat? aut qui Cynicum apud cenſores reum de moribus facit, cũ totũ crimen uno uerbo, in qualibet actionis parte poſito,ſatis indicetur? Sed hæc hactenus. Nunc quæ ſit narrãdi ratio ſubiungam.Narratio eſt rei factæ, aut non factæ utilis ad perſuadendum expoſitio.Vel,ut Apollodorus finit: oratio docens auditorem,quid in controuerſia ſit. Eam pleriq; ſcriptores,maxime qui ſunt ab Iſocrate, uolunt eſſe lucidam, breuem, ueriſimilem. Nec enim refert,an pro lucida perſpicuã, pro ueriſimili probabilem,credibilem'ue dicamus.Eadem nobis placet diuiſio. Quanquã & Ariſtoteles ab Iſocrate parte in una diſſenſerit,præceptum breuitatis irridens,tanquam neceſſe ſit lon-

*ſit nõ ab re

Narratio.

gam, ut breuem esse expositionem, nec liceat ire per medium. Theodorei quoq; solam relinquunt ultimam partem, quia nec breuiter utiq; nec dilucide semper sit utile exponere. Quo diligentius distinguenda sunt singula, ut quid quoque loco prosit ostendã. Narratio est aut tota pro nobis, aut tota pro aduersarijs, aut mixta pro utrisq;. Si erit tota pro nobis, contenti simus his tribus partibus, per quas efficitur, quo iudex facilius intelligat, meminerit, credat. Nec quisquam reprehensione dignum putet, quòd proposuerim eam, quæ sit tota pro nobis, debere esse ueri similem, cùm uera sit. Sunt enim plurima uera quidem, sed parum credibilia, sicut falsa quoque frequenter ueri simulia. Quare non minus laborandum est, ut iudex, quæ uera dicimus, quàm quæ fingimus, credat. Sunt quidem hæ, quas suprà retuli, uirtutes, aliarum quoq; partium. Nam & per totam actionẽ uitanda est obscuritas, & modus ubiq; custodiendus, & credibilia esse oportet omnia, quæ dicũtur. Maxime tamen hæc in ea parte custodienda sunt, quæ prima iudicẽ docẽt, in qua si acciderit, ut aut nõ intelligat, aut non meminerit, aut non credat, frustra in reliquis laborabimus. Erit autẽ narratio aperta atq; dilucida, si fuerit primũ exposita uerbis proprijs, & significantibus, & non sordidis quidem, non tamen exquisitis, & ab usu remotis: tum distincta rebus, personis, temporibus, locis, causis, ipsa etiam pronunciatione in hoc accõmodata, ut iudex, quæ dicuntur, quam facilime accipiat. Quæ quidem uirtus negligitur à plurimis, qui ad clamorẽ dispositæ, uel etiam forte circunfusæ multitudinis compositi, non ferunt illud intentionis silentiũ: nec sibi diserti uidentur, nisi omnia tumultu, ac uociferatione concusserint: rem indicare, sermonis quotidiani, & in quencunq; etiam indoctorũ cadentis existimant: cùm interim (quod tanquã facile cõtemnũt) nescias, præstare uelint minus, an possint. Neq; enim aliud in eloquentia cuncta experti difficilius reperient, quàm id quod se dicturos fuisse omnes putant, postquàm audierunt: quia

quia nõ bona iudicant esse illa, sed uera. Tum autem optime dicit orator, cũ uidetur uera dicere. At nunc uelut campum nacti expositionis, hic potissimũ & uocem flectunt, & ceruicẽ reponunt, & brachiũ in latus iactant, totoq; & rerum, & uerborũ, & compositionis genere lasciuiunt. Deinde (quod sit monstro simile) placet actio, causa nõ intelligitur. Verũ hoc omittamus, ne minus gratiæ præcipiendo recta, quàm offensæ reprehẽdendo praua mereamur. Breuis erit narratio ante omnia, si inde cœperimus rem exponere, unde ad iudicẽ pertinet. Deinde si nihil extra causam dixerimus: tum etiã, si reciderimus omnia, quibus sublatis, nec cognitioni quicquã nec utilitati detrahatur. Solet enim esse quædam partiũ breuitas, quæ longam tamen efficit summã: In portum ueni, nauim prospexi, quanti ueheret interrogaui, de precio cõueni, conscendi, sublatæ sunt ancoræ, solui mus oram, prouecti sumus. Nihil horum dici celerius potest, sed sufficit dicere, è portu nauigaui. Et quoties exitus rei satis ostẽdit priora, debemus hoc esse cõtenti, quo reliqua intelliguntur. Quare cum dicere liceat, Est mihi filius iuuenis: omnia illa superuacua, Cupidus ego liberorum, uxorem duxi, natum sustuli, filium educaui, in adolescentiã perduxi. Ideoq; Græcorũ aliqui aliud circunciſam expositionẽ, id est, σύντομον, aliud breuem putauerunt, quòd illa superuacuis careret, hæc posset aliquid ex necessarijs desiderare. Nos autem breuitatem in hoc ponimus, nõ ut minus, sed ne plus dicatur quàm oporteat. Nam iterationes quidem, & ταυτολογίας & περισσολογίας, quas in narratione uitandas quidam scriptores artium tradiderunt, transeo. Sunt enim hæc uitia non tantum breuitatis gratia fugiẽda. Non minus autem cauẽda erit, quæ nimium corripientes omnia sequitur, obscuritas: satiusq; aliquid est narrationi superesse, quàm deesse. Nam superuacua cum tædio dicuntur, necessaria cum periculo subtrahuntur. Quare uitanda etiam illa Sallustiana (quanquàm in ipso uirtutis obtinet locũ) breuitas, & abruptũ sermonis gen

Breuitas quæ laudanda.

nis genus,quod otiosum fortasse lectorem minus fallat, audientẽ transuolat, nec dum repetatur expectat, cum præsertim lector non ferè sit,nisi eruditus, iudicem rura plerũq; in decurias mittant,de eo pronuntiaturũ,quod intellexerit. Vt fortasse ubiq;,in narratione tamẽ utiq; præcipue media hæc tenẽda sit uia,dicendi quantũ opus est,quantũ sat est. Quantũ opus est autem,non ita solum accipi uolo,quãtum ad iudicandum sufficit, quia non inornata debet esse breuitas,alioqui sit indocta:nam & fallit uoluptas,& minus longa quæ delectant,uidentur: ut amœnum ac molle iter,etiamsi est spatij amplioris, minus fatigat, quàm durum arduumq; compendiũ. Nec enim mihi unquam tanta fuerit cura breuitatis,ut nõ ea, quæ credibilem faciunt expositionem, inseri uelim. Simplex enim,& undiq; præcisa, nõ tam narratio uocari potest,quàm confusio. Sunt porrò multæ cõditione ipsa rei longæ narrationes, quibus extrema (ut præcepi) proœmij parte ad intentionem præparandus est iudex:deinde curandum ut omni arte, uel ex spatio eius detrahamus aliquid, uel ex tædio,ut minus longa sit,efficiamus, quæ poterimus differẽdo, nõ tamen sine mentione eorum quæ differimus: Quas causas occidendi habuerit,quos assumpserit consçios,quemadmodũ dispoſuerit insidias,probationis loco dicam. Quædam uero ex ordine prætermittenda,quale est apud Ciceronem: Moritur Fulcinius. Multa enim quæ sunt in re,quia remota sunt à causa,prætermittam. At partitio tædium leuat: Dicam quæ acta sint ante ipsum rei contractum,dicam quæ in re ipsa,dicam quæ postea. Ita tres potius modicæ uidebuntur narrationes,quàm una longa. Interim expediet expositiones breui interfatione distinguere: Audistis quæ acta sunt,accipite nunc quæ insequuntur. Reficietur enim iudex priorum fine, & se uelut ad nouum rursus initium præparabit. Si tamen adhibitis his quoq; artibus in longum exierit ordo rerum,erit nõ inutilis in extrema parte commonitio:quod Cicero etiam in breui narratione facit: Adhuc, Cæsar,

Cæsar, Q. Ligarius omni culpa caret,domo est egressus, non modo nullum ad bellũ, sed ne ad minimam quidẽ belli suspicionem, & cætera. Credibilis autem erit narratio ante omnia, si prius consuluerimus nostrum animum,ne quid naturæ dicamus aduersum:deinde si causas ac rationes factis præposuerimus, nõ omnibus,sed de quibus quæritur. Si personas conuenientes ijs, quæ facta credi uolemus, constituerimus: ut furti reum,cupidũ: adulterij,libidinosum:homicidij,temerarium. Vel contrà, si defendemus. Præterea loca,tempora,& similia. Est autem quidam etiam ductus rei credibilis,qualis in comœdijs,& in mimis. Aliqua enim naturaliter sequũtur, & cohærent, ut si bene priora narraueris,iudex ipse,quod postea sis narraturus,expectet. Ne illud quidẽ fuerit inutile,semina quædam probationum spargere,uerum sic,ut narrationem esse meminerimus, non probationem. Nonnunquam etiã argumẽto aliquo confirmabimus,quod proposuerimus,sed simplici & breui:ut in ueneficijs, Sanus bibit,statim concidit,liuor ac tumor confestim est insecutus. Hoc faciunt & illæ præparationes,cum reus dicitur robustus,armatus, solicitus, contra infirmos,inermes,securos. Omnia deniq;, quæ probatione tractaturi sumus,personam, causam,locũ,tempus,instrumentum,occasionẽ,narratione delibabimus. Aliquando si destituti fuerimus his, etiam fatebimur uix esse credibile, sed uerũ: & hoc maius habendum scelus, nescire nos quomodo factũ sit,aut quare:mirari,sed probaturos. Optimæ uero* præparationes erunt,quæ latuerint:ut à Cicerone sunt quidem utilissime prædicta omnia, per quæ Miloni Clodius, non Clodio Milo insidiatus esse uideatur:plurimũ tamen facit illa callidissima simplicitatis imitatio: Milo autem cum in senatu fuisset eo die,quoad senatus est dimissus,domũ uenit,calceos & uestimenta mutauit,paulisper dum se uxor,ut fit,comparat,commoratus est:quàm nihil præparato, nihil festinato feciſſe uidetur Milo? Quod non solum rebus ipsis uir eloquentissimus,quibus moras, & len

*probationes

& lentum profectionis ordinem ducit, sed uerbis etiã uulgaribus, & quotidianis, & arte occulta consecutus est: quæ si aliter dicta essent, strepitu ipsum iudicem, deinde patronũ excitassent. Frigida uidentur ista plerisq;, sed hoc ipsum manifestũ est quomodo iudicem fefellerint, quod uix à lectore deprehenditur. Hæc sunt quæ credibilem faciant expositionem: nam ne cõtraria, aut sibi repugnantia in narratione dicamus, si cui præcipiendum est, is reliqua frustra docetur: etiamsi quidam scriptores artium, hoc quoq; tandem tanquã occultum, & à se prudenter erutum, tradunt. His tribus narrandi uirtutibus adijciunt quidã magnificentiam, quam μεγαλοπρέπειαν uocant, quæ neq; in omnes causas cadit (nam quid in plerisq; iudicijs priuatis de re certa credita, locato & conducto, interdictis, habere loci potest supra modum se tollens oratio?) nec semper est utilis, ut uel proximo Miloniano exemplo patet. Et meminerimus multas esse causas, in quibus cõfitendum, excusandum, submittendum sit, quod exponimus: quibus omnibus aliena est illa magnificentiæ uirtus. Quare non magis proprium narrationis est magnifice dicere, quàm miserabiliter, inuidiose, grauiter, dulciter, urbanè: quæ cum suo quæq; loco sint laudabilia, non sunt huic parti proprie assignata, & uelut dedita. Illa quoq; ut narrationi apta, ita cum cæteris partibus cõmunis est uirtus, quam Theodectes huic uni proprie dedit: non enim magnificam modò uult esse, uerũetiam iucundam expositionem. Sunt qui adijciãt his euidentiam, quæ ἐνάργεια Græcè uocatur. Neq; ego quenquam deceperim, ut dissimulem Ciceroni quoq; plures partes placere. Nam præterquam planã, & breuem, & credibilem, uult esse euidentem, moratam cum dignitate. Sed in oratione morata debent esse omnia cum dignitate quæ poterunt. Euidẽtia in narratione, quantum ego intelligo, est quidem magna uirtus, cum quid ueri nõ dicendum, sed quodammodo etiam ostẽdendum est, sed subijci perspicuitati potest. Quam quidam etiam cõtrariam interim putauerunt,

runt, quia in quibusdam causis obscuranda ueritas est: quod est ridiculum. Nam qui obscurare uult, narrat falsa pro ueris: & is quæ narrat, debet laborare, ut uideantur quàmeuidentissima. Sed quatinus etiam sorte quadam peruenimus ad difficilius narrationum genus, iam de his loquamur, in quibus res cõtra nos erit, quo loco nõnulli prætereundam narrationem putauerunt. Et sanè nihil est facilius, nisi prorsus totam causam omnino non agere. Sed si qua iusta ratione susceperis litẽ, cuius artis est malam esse causam silentio cõfiteri? nisi fortè tam hebes futurus est iudex, ut secũdum id pronuntiet, quod sciet narrare te noluisse. Neq; inficias eo, in narratione, ut aliqua neganda, aliqua adijciẽda, aliqua mutanda, sic aliqua etiã tacenda. Sed tacenda quæ tacere oportebit, & liberum erit. Quod fit nonnunquã breuitatis quoq; gratia, quale illud est: Respõdit quod ei uisum est. Distinguamus igitur genera causarum. Nanq; in quibus non de culpa quæritur, sed de actione, etiamsi erunt cõtra nos themata, confiteri nobis licebit: Pecuniam de templo sustulit, sed priuatam, nõ ideo sacrilegus est. Virginem rapuit, nõ tamen optio patri dabitur. Ingenuum stuprauit, & stupratus se suspendit, non tamen ideo stuprator capite, ut mortis causa punietur, sed decẽ milia, quæ pœna stupratori cõstituta est, dabit. Verũ in his quoque confessionibus est aliquid, quod ex inuidia, quam expositio aduersarij fecit, detrahi possit, cum etiam serui nostri de peccatis suis mollius loquãtur. Quædã enim quasi nõ narrantes mitigabimus: Non quidẽ, ut aduersarius dicit, cõsilium furti in templũ attulit, nec diu captauit eius rei tempus, sed occasione & absentia custodum corruptus, & pecunia, quæ nimirum in animis hominum plurimum potest, uictus est. Sed quid refert? peccauit, & fur est. Nihil attinet id defendere, cuius pœnam non recusamus. Interdum quasi damnemus ipsi: Vis te dicam uino impulsum? errore lapsum? nocte deceptũ? uera sunt ista fortasse, tu tamen ingenuũ stupraſti, solues decẽ milia. Nõnunquam propo-

sitione

ſitione præmuniri poteſt cauſa, & deinde exponi. Contraria ſunt omnia tribus filijs, qui in mortẽ patris coniurarant, ſortiti nocte ſinguli per ordinem, cum ferro cubiculum intrarunt patre dormiente, cùm occidere eũ nemo potuiſſet, excitato omnia indicauerũt. Si tamen pater, qui diuiſit patrimoniũ, & reos parricidij defendit, ſic agat: Quod contra legẽ ſufficit, parricidium obijcitur iuuenibus, quorũ pater uiuit, atq; etiã liberis ſuis adeſt. Ordinẽ rei narrare quid mihi neceſſe eſt, cùm ad legem nihil pertineat? Sed ſi cõfeßionem culpæ à me exigitis, ego fui pater durus, & patrimonij, quod iam melius ab his adminiſtrari poterat, tenax cuſtos. Deinde ſubijcitur, ſtimulatos ab ijs, quorum indulgentiores parentes erant, ſemper tamen eum habuiſſe animum, qui ſit euentu deprehenſus, ut occidere patrẽ nõ poſſent. Neq; enim iureiurando opus fuiſſet, ſi alioqui hoc mentis habuiſſent: nec ſorte, niſi quòd ſe quiſq; eximi uoluerit. Omnia hæc qualiacunq; placidioribus animis accipientur, illa breui primæ propoſitionis defenſione mollita. At cum quæritur, an factũ ſit, uel quale factum ſit, licet omnia cõtra nos ſint, quomodo tamen euitare expoſitionem ſalua cauſæ ratione poſſumus? Narrauit accuſator, nec ita, ut quæ eſſent acta, tantũ indicaret: ſed adiecit inuidiam, rẽ uerbis exaſperauit, acceſſerũt probationes, peroratio incẽdit, & plenos iræ reliquit. Expectat naturaliter iudex, quid narretur à nobis. ſi nihil exponimus, illa eſſe quæ aduerſarius dixit, & talia qualia dixit, credat neceſſe eſt. Quid ergo? eadem exponemus? Si de qualitate agetur, cuius tum demum quæſtio eſt, cum de re conſtat, eadem, ſed non eodem modo: alias cauſas, aliam atq; aliam rationem dabo. Verbis eleuare quædam licebit, luxuria hilaritatis, auaritia parſimoniæ, negligentia ſimplicitatis nomine lenietur. Vultu deniq;, uoce, habitu, uel fauoris aliquid, uel miſerationis merebor. Solet nõnunquam mouere lachrymas ipſa confeßio. Atque ego libenter interrogem, ſi ſint illa defenſuri, quæ non narrauerint, nec ne? Nam ſi nec defenderint

derint, nec narrauerint, tota cauſa prodetur. At ſi defenſuri ſunt, proponere certe plerunque id, quod confirmaturi ſumus, oportet. Cur ergo non exponamus, quod & dilui poteſt? Et ut hoc contingat, utiq; indicandum eſt. Aut quid inter probationem, & narrationem intereſt, niſi quòd narratio eſt probationis continua propoſitio: rurſus probatio narrationi cõgruens confirmatio? Videamus ergo * num expoſitio hæc longior demum eſſe debeat, & paulò uerboſior præparatione, & quibuſdam argumentis (argumentis dico, non argumentatione, cui tamen plurimum confert frequens affirmatio) effecturos nos quod dicimus, non poſſe uim rerum oſtendi prima expoſitione, expectent, & opiniones ſuas differant, & bene ſperent. Deniq; utiq; narrandũ eſt, quicquid aliter quàm aduerſarius expoſuit, narrari poteſt, aut eo etiam procœmia ſunt in his cauſis ſuperuacua: quæ quid magis agunt, quàm ut cognitioni rerum accõmodatiorem iudicem faciant? Atqui cõſtat nuſquam eorum eſſe maiorẽ uſum, quàm ubi animus iudicis ab aliqua cõtra nos inſita opinione flectendus eſt. Coniecturales autem cauſæ, in quibus de facto quæritur, non tam ſæpe rei, de qua iudicium eſt, quàm eorum, per quæ res colligenda eſt, expoſitionem habẽt. Quæ cum accuſator ſuſpicioſe narret, reus leuare ſuſpicionem debeat, aliter ab hoc atque ab illo ad iudicem perferri oportet. At enim quædam argumẽta turba ualent, diducta leuiora ſunt. Id quidem non eò pertinet, ut quæratur an narrandũ, ſed quomodo narrandum ſit. Nam & congerere plura expoſitione quis prohibet, ſi id utile eſt cauſæ? & promittere, ſed & diuidere narrationem, & probationes ſubiungere partibus, atque ita trãſire ad ſequentia? Nam ne ijs quidem accedo, qui ſemper eo putant ordine, quo quid actũ ſit, eſſe narrandũ: ſed eo modo quo expedit. Quod fieri pluribus figuris licet. Nam & aliquando excidiſſe ſimulamus, cũ quid utiliore loco reducimus, & interim nos reducturos reliquum ordinem teſtamur, quia ſic futura

* unde

tura sit causa lucidior: interim re exposita, subiungimus causas, quæ antecesserunt. Neq; enim est una lex defensionis, certumq; præscriptum: pro re, pro tempore intuenda quæ prosint: atq; ut erit uulnus, ita uel curandum protinus, uel si curatio differri potest, interim deligandum. Nec sæpius narrare dixerim nefas, quod Cicero pro Cluentio fecit: estq; non concessum modò, sed aliquando etiam necessarium, ut in causis repetundarum, omnibusq; quæ simplices non sunt. Amentis est enim, superstitione præceptorum contra rationem causæ trahi. Narrationẽ ideo ante probationes ponere est institutum, ne iudex, qua de re quæratur, ignoret. Cur igitur si singula probanda aut refellenda erunt, non singula etiam narrentur? Me certe, quantacunq; nostris experimentis habenda est fides, fecisse hoc in foro, quoties ipsa desiderabat utilitas, probantibus & eruditis, & ijs qui iudicabant, scio. & (quod non arroganter dixerim, quia sunt plurimi, quibuscum egi, qui me refellere possint, si mentiar) ferè ponendæ à me causæ officium exigebatur. Neque ideo tamen non sæpius facere oportebit, ut rerum ordinem sequamur. Quædam uero etiam turpiter conuertuntur, ut si peperisse narres, deinde concepisse: apertum testamentum, deinde resignatum. In quibus, si id quod posterius est, dixeris, de priore tacere optimũ est. Sunt quædam & falsæ expositiones, quarum in foro duplex genus est: alterum, quod instrumentis adiuuatur, ut P. Clodius fiducia testium, qua nocte incestum Romæ commiserat, Interamnæ se fuisse dicebat: alterum, quod est tuendum dicentis ingenio. Id interim ad solam uerecundiam pertinet, unde etiã mihi uidetur dici color: interim ad quæstionem. Sed utrumcunque erit, prima sit curarum, ut id quod fingimus, fieri possit, deinde ut & personæ, & loco, & tempori congruat, & credibilem rationem & ordinem habeat. Si contingat etiam ut ueræ alicui rei cohæreat, aut argumento, quod sit in causa, confirmetur. Nam quæ tota extra rem petita sunt,

mentiendi

mentiendi licentiam produnt. Curandum præcipue (quod fingentibus frequẽter excidit) ne qua inter se pugnent. Quædam in partibus blandiuntur, sed in summam non consentiunt. Præterea ne ijs, quæ uera esse constabit, aduersa sint. In schola etiã, ne color extra themata quæratur. Vtrobiq; autem orator meminisse debebit, actione tota quod finxerit, quoniam solent excidere quæ falsa sunt, uerumq; est illud quod uulgò dicitur, Memdacem memorem esse oportere. Sciamus autem, si de nostro facto quæratur, unum nobis aliquid esse dicendum: si de alieno, mittere in plures suspiciones licere. Est tamen in quibusdã schoIasticis controuersijs, in quibus ponitur aliquem non respondere quæ interrogatur, libertas omnia enumerandi, quæ responderi potuissent. Fingenda uero meminerimus ea, quæ non cadent in testem. Sunt autẽ quæ nostro dicuntur animo, cuius ipsi tantum conscij sumus. Item quod à defunctis, nec enim hoc est qui neget. Itemq; ab eo cui idem expediet, is enim nõ negabit. Ab aduersario quoque, quia non habiturus est in negando fidem. Somniorum & superstitionum colores, ipsa iam facilitate autoritatem perdiderunt. Non est autem satis in narratione uti coloribus, nisi per totam actionem consentiant, cum præsertim quorundam probatio sola sit in asseueratione & perseuerãtia: ut ille parasitus, qui ter abdicatum à diuite iuuenẽ & absolutum, tanquam suũ filium asserit, habebit quidem colorẽ, quo dicat, & paupertatẽ sibi causam exponẽdi fuisse, & ideo à se parasiti personam esse susceptam, quia in illa domo filiũ haberet, & ideo illum innocentem ter abdicatum, quia filius abdicantis non esset, nisi tamen omnibus uerbis, & amorem patrium, atq; hunc quidem ardentissimum ostenderit, & odium diuitis, & metum pro iuuene, quem periculose mansurum in illa domo, in qua tam inuisus sit, sciat, suspicione subiecti petitoris non carebit. Euenit aliquando in scholasticis controuersijs, quod in foro an possit accidere, dubito, ut eodem colore pars utraq; uta-

tur

tur,deinde eum pro se quisq; defendat: ut in illa controuersia: Vxor marito dixit,appellatam se de stupro à priuigno, & sibi constitutũ tempus & locum:eadẽ contrà filius detulit de nouerca,edito tantũ alio tempore,ac loco:quia pater in eo,quẽ uxor prædixerat, filium inuenit,in eo quẽ filius,uxorem,illam repudiauit,qua tacente filium abdicat. Nihil dici potest pro iuuene, quod nõ idem sit pro nouerca.Ponentur tamẽ omnia cõmunia, deinde ex personarũ cõparatione,& indicij ordine,& silentio repudiatæ argumenta ducentur. Ne illud quidẽ ignorare oportet,quædam esse quæ colorẽ non recipiant,sed tantum defendenda sint,qualis est ille diues qui statuam pauperis inimici flagellus cecîdit, reus est iniuriarum. Nam factum eius modestũ nemo esse dixerit:fortasse ut sit tutum,obtinebit.Quòd si pars expositionis pro nobis,pars contra nos erit,miscenda sit,an separãda
*cognitione enarratio,cum ipsa causæ *conditione deliberandũ est. Nam si plura sint quæ nocent,quæ prosunt obruentur.Itaq; tunc diuidere opportunum erit, & ijs, quæ partẽ nostram adiuuabunt, expositis & confirmatis,aduersus reliqua uti remedijs, de quibus suprà dictum est.Si plura proderunt, etiam cõiungere licebit,ut quæ obstant,in medio uelut auxilijs nostris posita, minus habeant uiriũ. Quæ tamen non erunt nuda ponenda, sed ut & nostra aliqua argumẽtatione firmemus:& diuersa, cur credibilia nõ sint,adijciemus:quia nisi distinxerimus,uerendum est,ne bona nostra permixtis malis inquinentur.Illa quoq; de narratione præcipi solent,ne qua ex ea fiat excursio, ne auertatur à iudice sermo, ne alienæ personæ uocẽ demus,ne argumẽtemur. Adijciunt quidam etiã, ne utamur affectibus. Quorum pleraq; sunt frequẽtissime custodienda,imò nunquã nisi ratio coëgerit, mutãda,ut sit expositio perspicua & breuis. Nihil quidẽ tã raro poterit habere rationẽ, q̃ excursio:nec unquam debebit esse nisi breuis,& talis,ut ui quadã uideamur affecti,uelut recto itinere depulsi,qualis est Ciceronis circa nuptias Sassiæ:O mulieris scelus incredibile,& præter hanc unam in omni uita inauditum.O libidinẽ effrenatam & indomitam.O audaciã singularẽ, non timuisse, si minus uim deorum hominumq; famam, at illam ipsam noctẽ,faces q; ipsas nuptiales,nõ lumẽ cubiculi, nõ cubile filiæ, non parietes, deniq; ipsos superiorum testes nuptiarum? Sermo uero auersus à iudice,& breuius indicat interim,& coarguit:qua de re idem,quod de proœmio dixeram, sentio. Sicut de prosopopœia quoq;, qua tamen non Seruius modò Sulpitius utitur pro Ausidia,Somno ne te languidum, ne graui lethargo putem pressum? Sed Marcus quoq; Tullius contra Nauarchos: nam ea quoq; rei expositio est, Vt adeas, tantum dabis, & reliqua. Quid pro Cluentio, Sthaleni, Bulbiq; colloquium, non ne ad * credulitatem plurimum & fidem confert? Quæ ne effecisse * celeritatem sine obseruatione quadam uideatur (quãquam hoc in illo credibile non est) in Partitionibus præcipit,ut habeat narratio suauitatem,admirationes,expectationes,exitus inopinatos,colloquia personarum,omnes affectus. Argumẽtabimur in narratione,ut dixi nunquã:argumentum ponemus aliquando. Quod facit pro Quinto Ligario Cicero,cũ dicit, Sic eum prouinciæ præfuisse, ut illi pacem esse expediret. Inseremus expositioni & breuem, cum res poscet,defensionẽ,& rationem factorũ. Neq; enim narrandum est tanquam testi,sed tanquã patrono. Rei ordo per se talis est: Q. Ligarius legatus in Africam cum C. Considio profectus est. Quid ergo M. Tullius? Q. enim,inquit, Ligarius,cum esset adhuc nulla belli suspicio,legatus in Africam cum C. Considio profectus est. Alibi: Non modo ullum ad bellum, sed ne ad minimam quidem suspicionem belli. Et cum esset indicanti satis, Q. Ligarius nullo se implicari negotio passus est: adiecit, Domum spectans, & ad suos redire cupiens. Ita quod exponebat, & ratione fecit credibile,& affectus quoq; impleuit. Quo magis miror eos, qui non putant utendum in narratione affectibus. Qui si hoc dicunt,non diu,neq; ut in epilogo, mecum sentiunt.

tiunt. Sunt enim effugiendæ moræ. Cæterum cur ego iudicem nolim, cum eum doceo, etiam moueri? Cur quod in summa parte sum actionis petiturus, non in primo statim rerum ingressu, si fieri potest, consequar? Cum præsertim etiam in probationibus faciliore sim animo eius abusurus occupato uel ira, uel miseratione. An non M. Tullius circa uerbera ciuis Romani omnes breuissime mouet affectus? non solum cõditione ipsius, loco iniuriæ, genere uerborum, sed animi quoq; commendatione. Summum enim uirum ostendit, qui cùm uirgis cæderetur, non ingemuerit, non rogauerit: sed tantum ciuem se Romanum esse cum inuidia cædentis, & fiducia iuris clamauerit. Quid Philodami casum? non ne cum per totam expositionem incendit inuidiam, tum in supplicio ipso lachrymis impleuit, cum flentes non tam narraret, quàm ostenderet, patrẽ de morte filij, filium de patris? Quid ulli epilogi posunt magis habere miserabile? Serum est enim aduocare his rebus affectum in peroratione, quas securus narrauerit. Assueuit illis iudex, iamq; eas sine motu mentis accipit, quibus commotus nouus non est, & difficile est nobis mutare habitum animi semel constitutum. Ego uero (neq; enim dissimulabo iudicium meum, quanquam id quod sum dicturus, exemplis magis quàm præceptis ullis continetur) narrationem, ut si ullam partem orationis, omni qua potest gratia & uenere exornandam puto. Sed plurimum refert, quæ sit natura eius rei quam exponimus. In paruis ergo, quales sunt ferè priuatæ, sit ille pressus, & uelut applicitus rei cultus: in uerbis summa diligentia, quæ in locis impetu feruntur, & circunlectæ orationis copia latent: hic expressa, & (ut uult Zeno) sensu tincta esse debebunt: compositio dissimulata quidem, sed tamen quàm iucundissima: figuræ non illæ poëticæ, & contra rationem loquendi autoritate ueterum receptæ: nam debet esse quampurissimus sermo, & qui uarietate tædium effugiat, & mutationibus animum leuet, ne in eundem casum, simulem compositionem, pares elocutionum

cutionum tractus incidamus. Caret enim cæteris lenocinijs expositio, & nisi commendetur hac uenustate, iaceat necesse est. Nec in ulla parte intentior est iudex, eoq; nihil recte dictum perit. Præterea nescio quomodo etiam facilius credit, quæ audienti iucunda sunt, & uoluptate ad fidem ducitur. Vbi uero maior res erit, & atrocia inuidiose, & tristia miserabiliter dicere licebit: non ut consumantur affectus, sed ut tantum uelut primis lineis designentur, ut planè qualis futura sit imago rei statim appareat. Ne sententia quidem, uelut fatigatum intentione stomachum iudicis reficere dissuaserim, maxime quidẽ breuiter interiecta, qualis est illa: Fecerũt serui Milonis, quòd suos quisq; seruos in re tali facere uoluisset. Interim paulò liberiore, qualis est, Nubit genero socrus, nullis auspicijs, nullis autoribus, funestis ominibus omnium. Quod cum sit factum ijs quoq; temporibus, quibus omnis ad utilitatem potius, quàm ad ostentationem componebatur oratio, & erant adhuc seueriora iudicia: quãto nunc faciũdum magis, cùm in ipsa capitis, aut fortunarum pericula irrupit uoluptas? Cui hominum desiderio quãtum dari debeat, alio loco dicam. Interim aliquid indulgendũ esse cõfiteor. Multum cõfert adiecta ueris credibilis rerum imago, quæ uelut in rem præsentẽ perducere audientes uidetur: qualis est illa M. Cælij in Antonium descriptio. Nanq; ipsum offendũt temulento sopore profligatũ, totis præcordijs stertentem, ructuosos spiritus geminare, præclarasq; contubernales ab omnibus spondis transuersas incubare, & reliquas circũiacere passim, quæ tamen exanimatæ terrore, hostium aduentu percepto excitare Antonium conabantur, nomen inclamabant, frustra ceruicibus tollebant, blandius alia ad aurẽ inuocabat, uehementius etiã nõnulla feriebat: quarum cũ omnium uocem, tactumq; noscitaret proximæ cuiusq; collum amplexu petebat, nec dormire excitatus, nec uigilare ebrius poterat, sed semisomno sopore inter manus cẽturionum, concubinarumq; iactabatur. Nihil his neq; credibilius

fingi,neq; uehementius exprobrari,neq; manifestius ostendi po
test. Ne id quidem præteribo, quantam afferat fidem exposítio-
ni narrantis autoritas, quam mereri debemus ante omnia qui-
dem uita,sed et ipso genere orationis. Quod quo fuerit grauius,
sanctius, hoc plus habeat necesse est in affirmando quoq; pon-
deris. Effugienda igitur in hac præcipue parte omnis callidita-
tis suspicio (neq; enim se usquam custodit magis iudex) nihil
uideatur fictum,nihil solicitum, omnia potius à causa, quàm ab
oratore profecta credantur. Sed hoc pati nõ poßumus,& perire
artem putamus nisi appareat, cùm desinat ars esse si apparet.
Pendemus ex laude, atq; hanc laboris nostri ducimus summam.
Ita quæ circunstantibus ostentare uolumus, iudicibus prodimus.
Est quædam & repetita narratio, quæ ἐπιδιήγησις dicitur, sanè
res declamatoria magis quàm forensis. Ideo autem reperta, ut
quia narratio breuis debet esse, fusius & ornatius res posset
exponi:quod fit,uel inuidiæ gratia,uel miserationis. Id raro fa-
ciendum iudico,neq; sic unquam, ut totus ordo repetatur: licet
enim per partes idem consequi. Cæterum qui uti ἐπιδιηγήσει uo-
let, narrationis rem loco stringat, & contentus indicare quid
factum, quo sit modo factum, plenius se loco suo expositurum
esse promittat. Initium narrationis quidam utiq; faciendum à
persona putant,eamq; si nostra sit,ornandã, si aliena,infamandam
statim. Hoc sanè frequentißimum est, quia personæ sunt
inter quas litigatur. Sed hæ quoq; interim cum suis accidenti-
bus ponendæ, cum id profuturum est: ut, A. Cluentius Habitus
fuit pater huiusce iudices,homo non solum municipij Larinatis,
ex quo erat, sed etiam regionis illius,& uicinitatis,uirtute,exi-
stimatione,nobilitate,facile princeps. Interim sine his:ut,Q. Li-
garius cum esset. Frequenter uero & à re, sicut pro Tullio Ci-
cero,Fundum habet in agro Tigurino M. Tullius paternum.
Demosthenes pro Ctesiphonte: τὸ γὰρ φωκαϊκὸν συγκάντος ἐμολίμμ.
De fine narrationis cum ijs contentio est, qui perduci expo-
sitionem

sitionem uolunt eò, unde quæstio oritur: His rebus ita gestis,
P. Dolabella Prætor interdixit, ut est consuetudo, de ui homi-
nibus armatis sine ulla exceptione, tantum ut unde deiecisset,
restitueret:deinde restituisse dixit, sponsio facta est:hac de spon
sione uobis iudicandum est. Id à petitore semper fieri potest,
à defensore non semper.

De egressione. CAP. III.

ORdine ipso narrationem sequitur confirmatio. Probanda
sunt enim quæ propter hoc exposuimus. Sed prius quàm
ingrediar hanc partem, pauca mihi de quorundam opinione
dicenda sunt. Plerisq; moris est, prolato rerum ordine, proti-
nus utiq; in aliquem lætum atq; plausibilem locum quãmaxime
possint fauorabiliter excurrere. Quod quidem natum ab osten-
tatione declamatoria,iam in forum uenit, postquam agere cau-
sas non ad utilitatem litigatorum, sed ad patronorum iactatio-
nem repertum est: ne si pressæ illi (qualis sæpius desideratur)
narrationis gracilitati coniuncta argumentorũ pugnacitas fue-
rit, dilatis diutius dicendi uoluptatibus, oratio refrigescat. In
quo uitium illud est,quod sine discrimine causarum atq; utilita-
tis,hoc (tanquam semper expediat,aut etiam necesse sit) faciũt:
eò quòd desumptas ex his partibus,quarum alius erat locus,sen
tentias in hanc congerunt, ut plurima aut iterum dicenda sint,
aut quia alia alieno loco dicta sunt, dici suo non possint. Ego
autem fateor hoc expatiandi genus, non modò narrationi, sed
etiam quæstionibus,uel uniuersis,uel interim singulis opportu-
ne posse subiungi,cum res postulat, aut certe permittit: atq; eo
uel maxime illustrari ornariq; orationem:sed si cohæret,& se-
quitur, non si per uim cuneatur, & quæ natura iuncta erant,
distrahit. Nihil enim tam est consequens,quàm narrationi pro-
batio:etsi excursus ille,uel quasi finis narrationis,uel quasi ini-
tium probationis est. Erit ergo illi nonnunquã locus, ut si expo
sitio circa finem atrox fuerit, prosequamur eam, uelut spiritu

erumpente protinus indignatione. Quod tamen ita fieri oportebit, si res dubitationem non habebit: alioqui prius est, quod obijcias, uerum efficere, quàm magnum, quia criminum inuidia pro reo est priusquam probatur. Difficilima est enim grauissimi cuiusq; sceleris fides. Idem fieri non inutiliter potest, uti si merita in aduersarium aliqua exposueris, in ingratum inueharis, aut si uarietatem criminum narratione demonstraueris, quantum ab ea periculum intentetur, ostendas. Verum hæc breuiter omnia. Iudex enim ordine audito festinat ad probationem, & quamprimum certus esse sententiæ cupit. Præterea cauendum est, ne ipsa expositio uanescat, auersis in aliud animis, & inani mora fatigatis. Sed ut non est semper necessaria post narrationem illa procursio, ita frequenter utilis ante quæstionem præparatio. Vtiq; si prima specie minus erit fauorabilis, legem asperam tuebimur, aut pœnarias actiones inferemus. Est hic locus uelut sequentis exordij, ad conciliandum probationibus nostris iudicem, mitigandum, concitandum. Quod liberius hic & uehementius fieri potest, quia iudici causa iam nota est. His igitur uelut fomentis, si quid erit asperum, præmolliemus, quò facilius aures iudicum, quæ post dicturi erimus, admittant, ne ius nostrum oderint. Nihil enim facile persuadetur inuitis. Quo loco tamen iudicis quoq; natura noscenda est, iuri magis, an æquo sit appositus. Proinde enim magis aut minus hoc erit necessarium. Cæterum res eadem, & post quæstionem perorationis uice fungitur. Hanc partem παρέκβασιν uocant Græci, Latini egressum, uel egressionem. Sed hæ sunt plures, ut dixi, quæ per totam causam uarios habent excursus, ut laus hominum locorumq;, ut descriptio regionum, expositio quarundam rerũ non solum gestarum, sed etiam fabulosarum. Quo ex genere est in orationibus contra Verrem compositis, Siciliæ laus, Proserpinæ raptus: pro C. Cornelio popularis illa uirtutum Cn. Pompeij commemoratio. In quam ille diuinus orator, uelut nomine ipso ducis

ducis cursus dicendi teneretur, abrupto, quem inchoauerat, sermone diuertit. Ac tamen παρέκβασις est (ut mea quidem fert opinio) alienæ rei, sed ad utilitatem causæ pertinentis, extra ordinem excurrens tractatio. Quapropter non uideo, cur hunc ei potissimum locum assignent, qui rerum ordinem sequitur: non magis quàm illud, cur hoc nomen ita demum proprium putent, si aliquid in digressu sit exponendũ, cùm tot modis à recto itinere declinet oratio. Nam quicquid dicitur, præter illas quinq;, quas fecimus partes, egressio est, indignatio, miseratio, inuidia, conuitium, excusatio, conciliatio, maledictorum refutatio, similia ijs, quæ nõ sunt in quæstione, omnis amplificatio, minutio, omne affectus genus: atq; ea maxime iucundam & ornatam faciunt orationem, de luxuria, de auaritia, de religione, de officijs: quæ cum sint argumentis subiecta similium rerum, quia cohærent, egredi non uidentur. Sed plurima sunt, quæ rebus nihil secũ cohærentibus inseruntur, quibus iudex reficitur, admonetur, placatur, rogatur, laudatur. Innumerabilia sunt hæc, quorum alia sicut præparata afferimus, quædam ex occasione, uel ex necessitate dicimus, si quid nobis agentibus noui accidit, interpellatio, interuentus alicuius tumultus. Vnde Ciceroni quoque in procœmio, cum diceret pro Milone, digredi fuit necesse, ut ipsa oratiuncula, qua usus est, patet. Poterit autẽ paulò lõgius exire, qui præparat aliquid ante quæstionẽ, & qui finitæ probationi uelut commendationem adijcit: at qui ex media erumpit, citò ad id redire debet, unde diuertit.

De propositione. CAP. IIII.

SVnt qui narrationi propositionẽ subiungant, tanquam partem iudicialis materiæ, cui opinioni respondimus. Mihi autem propositio uidetur omnis confirmationis initiũ, quod non modò in ostendenda quæstione principali, sed nonnunquã etiã in singulis argumentis proponi solet, maximeq; in ijs, quæ ἐπιχειρήματα uocantur. Sed nunc de priore loquimur. Ea non

ſemper uti neceſſe eſt. Aliquando enim ſine propoſitione aliqua ſatis quoque manifeſtum eſt, quid in quæſtione uerſetur: utiq; ſi narratio ibi finem habet, ubi initium quæſtio: adeò ut aliquando ſubiungatur expoſitioni, quæ ſolet in argumentis eſſe ſumma collectio: Hæc ſicut expoſui, ita geſta ſunt iudices, inſidiator ſuperatus eſt, ui uicta uis, uel potius oppreſſa uirtute audacia eſt. Sed nonnunquam ualde utilis eſt, præcipue ubi res defendi non poteſt, & de fine quæritur: ut pro eo, qui pecuniam priuatam de templo ſuſtulit, ſacrilegij agitur. De ſacrilegio cognoſcitur, ut iudex intelligat, id unum eſſe officij ſui quærere, an id quod obijcitur, ſacrilegium ſit. Item in cauſis obſcuris ac multiplicibus. Nec ſemper propter hoc ſolum, ut ſit cauſa lucidior, ſed aliquando etiam ut magis moueat. Mouet autem ſi protinus ſubtexantur aliqua, quæ proſint. Lex aperte ſcripta eſt, Vt peregrinus, qui murum aſcenderit, morte mulctetur. Peregrinum te eſſe certum eſt, quin aſcenderis murum non quæritur: quid ſupereſt, niſi ut te puniri oporteat? Hæc enim propoſitio confeßionem aduerſarij premit, & quodammodo iudicandi moram tollit, nec indicat quæſtionem, ſed adiuuat. Sunt autem propoſitiones, & ſimplices, & duplices, uel multiplices. Quod accidit non uno modo: nam & plura crimina iunguntur, ut cum Socrates accuſatus eſt, quòd corrumperet iuuentutem, & nouas ſuperſtitiones induceret: Et ſingula ex pluribus colliguntur, ut cum legatio male geſta obijcitur Aeſchini, quòd mentitus ſit, quòd nihil ex mandatis fecerit, quòd moratus ſit, quòd munera acceperit.* Recuſatio quoque plures interim propoſitiones habet, ut contra petitionem pecuniæ: Male petis, procuratori enim tibi eſſe non licuit: ſed nec illi, cuius nomine litigas, habere procuratorem: ſed neq; es hæres eius, à quo accepiſſe mutuum dicor, nec ipſi debui. Multiplicari hæc in quantum libet poßunt, ſed rem oſtendiſſe ſatis eſt. Hæ ſi ponantur ſingulæ ſubiectis probationibus, plures erunt propoſi

*Refutatio

propoſitiones: ſi coniungantur, in partitionem cadunt. Eſt & nuda propoſitio, qualis ferè in coniecturalibus, cædis ago, furtum obijcio. Eſt ratione ſubiecta, ut maieſtatem minuit Caius Cornelius, nam codicem Tribunus plebis ipſe pro concione legit. Præter hoc utimur propoſitione, aut noſtra, ut, adulterium obijcio: aut aduerſarij, ut, adulterij mecum agitur: aut communi, ut, inter me & aduerſarium quæſtio eſt, uter ſit inteſtato propior. Nonnunquàm diuerſas quoq; coniungimus. Ego hoc dico, aduerſarius hoc. Habet interim uim propoſitionis, etiamſi per ſe non eſt propoſitio, cùm expoſito rerum ordine, ſubijcimus: De his cognoſcitis: ut ſit hæc commonitio iudicis, quo ſe ad quæſtionem acrius intendat, & uelut quodam iactu excitatus finem eſſe narrationis, & initium probationis intelligat, & nobis confirmationem ingredientibus, ipſe quoq; quodāmodo nouum audiendi ſumat exordium.

De partitione. CAP. V.

PArtitio eſt noſtrarum, aut aduerſarij propoſitionum, aut utrarunq; ordine collata enumeratio. Hac quidam utendum ſemper putant, quòd & ea fiat cauſa lucidior, & iudex intentior ac docilior, ſi ſcierit & de quo dicimus, & de quo dicturi poſtea ſumus. Rurſus quidam periculoſum id oratori arbitrātur duabus ex cauſis, quòd nonnunquam excidere ſoleant, quæ promiſimus: & ſiqua in partiendo præterierimus occurrere. Quod quidĕ nemini accidet, niſi qui planè uel nullo fuerit ingenio, uel ad agĕdum nihil cogitati præmeditatiq; detulerit. Alioqui quæ tam manifeſta & lucida eſt ratio, quàm rectæ partitionis? Sequitur enim naturam ducem, adeò ut memoriæ id maximum ſit auxilium, uia dicendi non decedere. Quapropter ne illos quidem probauerim, qui partitionĕ uetant ultra treis propoſitiones extendere. Quæ ſine dubio ſi nimium ſit multiplex, fugiet memoriam iudicis, & turbabit intentionem. Hoc tamen numero uelut lege non eſt alligandā, cum poſſit cauſa plures

deſiderare. Alia ſunt magis, propter quæ partitione nõ ſemper eſt utendum. Primum, quia pleraq; gratiora ſunt, ſi inuenta ſubito, nec domo allata, ſed inter dicẽdum ex re ipſa nata uideantur, unde illa non iniucunda ſchemata: Penè excidit mihi: &, Fugerat me: &, Recte admones. Propoſitis enim probationibus, omnis in reliquum gratia nouitatis præcerpitur. Interim uero etiam fallendus eſt iudex, & uarijs artibus ſubeundus, ut aliud agi, quàm quod nos petimus, putet. Nam eſt nõnunquàm dura propoſitio, quã iudex ſi præuidet, nõ aliter præformidat, quàm qui ferrum medici, prius quàm curetur aſpexit. At ſi re nõ antè propoſita ſecurum, ac nulla denuntiatione in ſe cõuerſum intrarit oratio, efficiet quod promittenti nõ crederetur. Interim refugienda nõ modò diſtinctio quæſtionum eſt, ſed omnino tractatio: affectibus perturbatioribus eſt ab intentione auferendus auditor. Non enim ſolum oratoris eſt docere, ſed plus eloquentia circa mouendum ualet. Cui rei cõtraria eſt maxime tenuis illa, & ſcrupuloſe in partes ſecta diuiſionis diligentia, eo tempore, quo cognoſcẽti iudicium conamur auferre. Quid, quòd interim quæ per ſe leuia ſunt, & infirma, turba ualent? Ideoq; congerenda ſunt potius, & uelut eruptione pugnandum, quod tamen rarum eſſe debet, & ex neceſsitate: demũ, cùm ipſum hoc, quod diſsimile rationi eſt, coẽgerit ratio. Præter hæc in omni partitione eſt utiq; aliquid potentiſsimum, quod cum audiuit iudex, cætera tanquã ſuperuacua grauari ſolet. Itaq; ſi plura uel obijcienda ſunt, uel diluenda, & utilis, & iucunda partitio eſt, ut quid quaq; de re dicturi ſumus, ordine appareat. At ſi unũ crimen uarie defenderimus, ſuperuacua: ut ſi ita partiamur, Dicam non talem eſſe hunc, quem tueor, ut in eo credibile uideri poſsit homicidium: dicam occidendi cauſam huic non fuiſſe: dicã hunc eo tẽpore, quo homo occiſus eſt, trans mare fuiſſe. Omnia quæ antequam id quod ultimum eſt, exequaris, inania uideri neceſse eſt. Feſtinat enim iudex ad id quod potentiſsimum eſt, & uelut obli

obligatum promiſso patronum, ſi eſt patientior, tacitus appellat: ſi uel occupatus, uel in aliqua poteſtate, uel etiam ſi moribus incompoſitus, cum conuicio efflagitat. Itaq; non defuerunt qui Ciceronis illam pro Cluentio partitionem improbarent, qua ſe dicturum eſſe promiſit: Primum, neminem maioribus criminibus, grauioribus teſtibus in iudicium uocatum, quàm Opianicum: deinde præiudicia eſſe facta ab ijs ipſis iudicibus, à quibus condemnatus ſit: Poſtremo iudicium pecunia non tentatum à Cluentio, ſed contra Cluentium. Quia ſi probari poſſet, quod eſt tertium, nihil neceſſe fuerit dicere priora. Rurſus nemo erit tam aut iniuſtus, aut ſtultus, quin eum fateatur optime pro Murena eſſe partitũ. Intelligo iudices tres totius accuſationis partes fuiſſe, & earum unam in reprehenſione uitæ, alteram in cõtẽtione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus eſſe uerſatam. Nam ſic & oſtendit lucidiſsime cauſam, & nihil fecit altero ſuperuacuum. De illo quoq; genere defenſionis pleriq; dubitant: Si occidi, recte feci: ſed non occidi: quò enim prius pertinere, ſi ſequens firmum ſit? hæc inuicem obſtare, & utroq; utentibus in neutro haberi fidem. Quod ſanè in parte uerum eſt, & illo ſequenti (ſi modò indubitabile ſit) ſolo utendum: at ſi quid in eo quod eſt fortius, timebimus, utraq; probatione nitemur. Alius enim alio moueri ſolet, & qui factum putauit, iuſtum credere poteſt, qui tanquam iuſto non mouebitur, factum fortaſſe non credet. Vt certa manus uno telo poſſet eſſe contenta, incertæ plura ſpargenda ſunt, ut ſit & fortunæ locus. Egregie uero Cicero pro Milone, inſidiatorem primo Clodium oſtendit, tum addit ex abundanti, etiam ſi id non fuiſſet, talem tamen ciuem cum ſumma uirtute interfectoris & gloria necari potuiſſe. Nec illum tamẽ ordinem, de quo prius dixi, damnauerim: quia quædam, & ſi ipſa ſunt dura, in id tamẽ ualent, ut ea molliant, quæ ſequuntur. Nec omnino ſine ratione eſt id, quod uulgò dicitur, Iniquum petendum, ut æquum feras. Quod tamen nemo ſic acci

accipiat, ut omnia credat audenda. Recte enim Græci præcipiunt, non tentanda quæ effici omnino non possunt. Sed quoties hac, de qua loquor, duplici defensione utemur, id laborandum est, ut in illam partem sequentem fides ex priore ducatur. Potest enim uideri, qui tutò etiam confessurus fuit, mentiendi causam in negando non habere. Et illud utiq; faciendum est, ut quoties suspicabimur à iudice aliam probationem desiderari, quàm de qua loquimur, promittamus nos plene, & statim de eo satis esse facturos, præcipueq; si de pudore agitur. Frequenter autem accidit, ut causa parum uerecunda, iure tuta sit, de quo ne inuiti iudices audiant, & aduersi, frequentius sunt admonendi, secuturam defensionem probitatis ac dignitatis, expectĕt paulum, & agi ordine sinant. Quædam interim nos, & inuitis litigatoribus simulandum est dicere. Quod Cicero pro Cluentio facit circa iudiciariam legem. Nonnunquam quasi interpellemur ab his, * subsistere. Sæpe aduertenda ad ipsos oratio. Hortandi ut sinant nos uti nostro consilio. Ita surrepetur animo iudicis, & dum sperat probationem pudoris, asperioribus illis minus repugnabit. Quæ cum receperit, etiam uerecundiæ defensioni facilior erit. Sic utraq; res inuicĕ iuuabit, eritq; iudex circa ius nostrum spe modestiæ attentior, circa modestiam iuris probatione procliuior. Sed ut non semper necessaria, ac etiam superuacua partitio est, ita opportune adhibita plurimum orationi lucis & gratiæ confert. Neq; enim id solum efficit, ut clariora fiant quæ dicuntur, rebus uelut ex turba extractis, & in conspectu iudicum positis, sed reficit quoq; audientem certo singularum partium fine, non aliter quàm facientibus iter, multum detrahunt fatigationis notata inscriptis lapidibus spatia. Nam & exhausti laboris nosse mensuram uoluptati est, & hortatur ad reliqua fortius exequenda, scire quantum supersit. Nihil enim longum uideri necesse est, in quo quid ultimũ sit, certũ est. Nec immeritò multum ex diligentia partiendi tulit laudis

* sustinere

Quin

Quintus Hortensius, cuius tamen diuisionem in digitos deductam, nonnunquàm Cicero leuiter eludit. Nam est certus eius modus, & euitanda maxime concisa nimium, & uelut articulosa partitio. Nam & autoritati plurimum detrahũt minuta illa, nec iam membra, sed frusta: & huius gloriæ cupidi, quo subtilius & copiosius diuisisse uideantur, & superuacua assumunt, & quæ natura singularia sunt, secant, nec tam plura faciunt, quàm minora. Deinde cum fecerunt mille particulas, in eandem incidunt obscuritatem, contra quam partitio inuenta est. * Diuisio, & simplex propositio, quoties utiliter adhiberi potest, primùm debet esse aperta atq; lucida. Nam quid sit turpius, quàm id esse obscurum ipsum, quod in cum solum adhibetur usum, ne sint cætera obscura? Tum breuis, nec ullo superuacuo onerata uerbo. Non enim quid dicamus, sed de quo dicturi simus ostendimus. Obtinendum etiam ne quid in ea desit, ne quid supersit. Superest autem sic ferè, cum aut in species partimur, quod in genera partiri sit satis, aut genere posito subijcitur species: ut, Dicam de uirtute, iustitia, continentia: cum iustitia atq; continentia uirtutis sint species. Partitio proponit, quid sit de quo conueniat, quid de quo ambigatur. In eo quod conuenit, quid aduersarius fateatur, quid nos. In eo de quo ambigitur, quæ dicturi simus, quæ nostræ propositiones, quæ partis diuersæ. Turpissimum uero, non eodem ordine exequi, quo quicque proposueris.

* Et diuisa

M. FAB. QVINTILIANI DE INSTITVTIONE Oratoria, Liber quintus.

De probationibus inartificialibus.

CAP. I.

FVERVNT & clari quidam autores, quibus ſolum uideretur Oratoris officium, docere. Nanq; & affectus duplici ratione excludendos putabant. Primum, quia uitium eſſet omnis animi perturbatio: deinde, quia iudicem à ueritate depelli miſericordia, uel ira, aut ſimilibus non oporteret: & uoluptatem audientium petere, cum uincendi gratia tantum diceretur, non modò agenti ſuperuacuum, ſed uix etiam uiro dignum arbitrabantur. Plures uero, qui nec ab illis ſine dubio partibus rationem orandi ſubmouerunt, hoc tamen proprium atq; præcipuum crederent opus, ſua confirmare, & quæ ex aduerſo proponerentur, refutare. Vtrumcunq; eſt (neq; enim hoc loco meam interpono ſententiam) hic erit liber illorũ opinione maxime neceſſarius, quo toto hæc ſola tractantur, quibus ſanè & ea, quæ de iudicialibus cauſis iam dicta ſunt, ſeruiũt. Nam neq; procœmij, neq; narrationis eſt alius uſus, quàm ut iudicem præparẽt. Et ſtatus noſſe, atq; ea, de quibus ſuprà ſcripſimus, intueri ſuperuacuum foret, niſi ad hanc perueniremus. Denique ex quinque, quas iudicialis materiæ fecimus, partibus, quæcũq; alia poteſt aliquando neceſſaria cauſæ non eſſe, lis nulla eſt, cui probatione opus non ſit. Eius præcepta ſic optime diuiſuri uidemur, ut prius quæ in commune ad omnes quæſtiones pertinẽt, oſtẽdamus, deinde quæ in quoq; cauſæ genere propria ſint, exequamur. Ac prima quidem illa partitio ab Ariſtotele tradita, cõſenſum ferè omniũ meruit, alias eſſe probationes, quas extra dicendi rationem acciperet orator: alias, quas ex cauſa traheret ipſe

ipſe, & quodammodo gigneret. Ideoq; illas ἄτεχνους, id eſt, inartificiales, has ἐντέχνους, id eſt, artificiales uocauerũt. Ex illo priore genere ſunt præiudicia, rumores, tormẽta, tabulæ, iuſiurandũ, teſtes. In quibus pars maxima cõtentionum forenſium cõſiſtit. Sed ut ipſa per ſe carent arte, ita ſummis eloquentiæ uiribus, & alleuanda ſunt plerunq;, & refellenda. Quare mihi uidentur magnopere damnandi, qui totũ hoc genus à præceptis remouerũt. Nec tamen in animo eſt omnia, quæ aut pro his, aut contrà dici ſolent, complecti: Non enim communes locos tradere deſtinamus, quod eſſet operis infiniti, ſed uiam quandam, atq; rationẽ. Quibus demonſtratis, non modò in exequendo ſuas quiſq; uires debet adhibere, ſed etiam inueniendo ſimilia, ut quæq; conditio litiũ poſcet. Neq; enim de omnibus cauſis dicere quiſquã poteſt, ſaltem præteritis, ut taceam de futuris.

De præiudicijs.

CAP. II.

IAm præiudiciorum uis omnis tribus in generibus uerſatur: rebus, quæ aliquando ex paribus cauſis ſunt iudicatæ, quæ exempla rectius dicuntur, ut de reſciſſis patrum teſtamentis, uel cõtra filios cõfirmatis: Iudicijs ad ipſam cauſam pertinentibus, unde etiam nomen ductum eſt, qualia in Opianicum facta dicũtur, & à ſenatu aduerſus Milonem: Aut cũ de eadẽ cauſa pronuntiatum eſt, ut in reis deportatis, & aſſertione ſecũda, & de partibus centumuiralium, quæ in duas haſtas diuiſæ ſunt. Confirmantur præcipue duobus, autoritate eorum qui pronuntiauerunt, & ſimilitudine rerum, de quibus quæritur. Refelluntur autem raro per contumeliam iudicum, niſi forte manifeſta in his culpa erit. Vult enim cognoſcentium quiſq; firmam eſſe alterius ſententiam: & ipſe pronuntiaturus, exemplum non libenter, quod in ſe fortaſſe recidat, facit. Confugiendum ergo eſt in duobus ſuperioribus, ſi res feret, ad aliquam diſſimilitudinem cauſæ. Vix autem ulla eſt per omnia alteri ſimilis. Si id non continget, ac eadem cauſa erit, aut actorum incuſanda negligentia

tia,aut de infirmitate personarum querendum,contra quas erit iudicatum,aut de gratia,quæ testes corruperit, aut de inuidia, aut de ignorantia,aut inueniendum quid causæ postea accesserit. Quorum si nihil erit, licet tamen dicere multas iudiciorum causas,ad inique pronuntiandum uelere:Ideoq; damnatum Rutilium,absolutos Clodium atq; Catilinam.Rogandi etiam iudices, ut rem potius intueantur ipsam, quàm iurijurando alieno suum donent.Aduersus consulta autem senatus, & decreta principum,uel magistratuum,remedium nullum est,nisi aut inuenta quantulacunq; causæ differentia, aut aliqua uel eiusdem potestatis hominum posterior constitutio, quæ sit priori contraria, quæ si deerunt,lis non erit.

De rumore & fama. CAP. III.

FAmam,atq; rumores pars altera consensum ciuitatis, & uelut publicum testimonium uocat: altera sermonem sine ullo certo autore dispersum, cui malignitas initium dederit,incrementum credulitas, quod nulli non etiam innocentißimo posse accidere, fraude inimicorum falsa uulgantium. Exempla utrinq; non deerunt.

De tormentis. CAP. IIII.

SIcut in tormentis quoq;,qui est locus frequentißimus, cum pars altera quæstionẽ,uera fatendi necessitatẽ uocet: altera sæpe etiã causam falsa dicendi, quòd alijs patientia facile mẽdacium faciat,alijs infirmitas necessarium. Quid attinet plura de his? Plenæ sunt orationes ueterũ,ac nouorũ. Quædam tamen in hac parte erunt propria cuiusq; litis. Nam siue de habẽda quæstione agetur,plurimũ interest quis,& quẽ postulet,aut offerat,& in quẽ,& ex qua causa:siue iam erit habita,quis ei præfuerit,quis & quomodo sit tortus,an credibilia dixerit, an inter se constantia,perseuerauerit in eo quod cœperat,an aliquid dolore mutauerit,prima parte quæstionis,an procedẽte cruciatu:quæ utrinq; tam infinita sunt,quàm ipsa rerum uarietas.

De ta

De tabulis,& ijs quæ contra tabulas. CAP. V.

COntra tabulas quoq; sæpe dictum, sæpe dicendum est, cùm eas non solum refelli,sed etiam accusari sciamus esse usitatum. Cùm sit autem in his aut scelus signatorum, aut ignorantia,tutius ac facilius, id quod secundo loco diximus, tractatur, quòd scilicet pauciores rei fiunt. Sed hoc ipsum argumenta ex causa trahit,si forte aut incredibile est,id actũ esse,quod tabulæ continent,aut,ut frequentius euenit, alijs probationibus æque inartificialibus soluitur,si aut is,in quem signatum est, aut aliquis signator dicitur abfuisse,uel prius esse defunctus,si tempora non congruunt,si uel antecedentia,uel insequentia tabulis repugnant.Inspectio ipsa sæpe etiam falsum deprehendit.

De iureiurando. CAP. VI.

IVsiurandum litigatores aut offerunt suum,aut nõ recipiunt oblatum,aut ab aduersario exigunt,aut recusant cũ ab ipsis exigatur. Offerre suum sine illa conditione, ut uel aduersarius iuret,ferè improbum est. Qui tamen id faciet, aut uita se tuebitur,ut eum non sit credibile peierare, aut ipsa ui religionis. In qua & plus fidei consequetur,si id egerit,ut non cupide ad hoc descendere,sed ne hoc quidẽ recusare uideatur: aut si causa modò patiatur litis,propter quam deuoturus se ipse nõ fuerit, aut si præter alia causæ instrumenta,adijcit ex abundanti hãc quoque conscientiæ fiduciam. Qui non recipiet,iniquam conditionem, & à multis contemni iurisiurandi metum dicet. cum & philosophi quidam sint reperti,qui deos habere rerum humanarum curam negarent. Eum uero qui nullo offerente iurare sit paratus,& seipsum uelle de causa sua pronũciare, & quàm id quod offert leue ac facile credat,ostẽdere. At is qui defert, aliqui agere modeste uidetur,cum litis aduersarium iudicẽ faciat, & cum,cuius cognitio est,onere liberet,qui profecto alieno iureiurando stare,quàm suo mauult, quò difficilior recusatio est, nisi forte res est ea,quam credibile sit notam ipsi non esse. Quæ

excusatio si deerit, hoc unũ relinquetur, ut inuidiam sibi quærẽ ab aduersario dicat, atq; id agi, ut in causa, in qua uincere non posśit, queri posśit. Itaq; hominem quidem malum occupaturũ hanc conditionem fuisse, se autem probare malle, quæ affirmet, quàm dubium cuiquam relinquere, an peierarit. Sed nobis adolescentibus seniores in agendo facti præcipere solebant, ne unquam iusiurandum deferremus, sicut nec optio iudicis aduersario est permittenda, nec ex aduocatis partis aduersæ iudex eligendus. Nam si dicere contraria turpe aduocato uideatur, certe turpius habendum, facere quod noceat.

De testibus. CAP. VII.

MAximus tamen patronis circa testimonia sudor est. Ea dicuntur aut per tabulas, aut à præsentibus. Simplicior contra tabulas pugna. Nam & minus uidetur obstitisse pudor inter paucos signatores, & pro diffidentia premitur absentia. Si reprehensionem non capit ipsa persona, infamare signatores licet. Tacita præterea quadã significatione refragatur his omnibus, quòd nemo per tabulas dat testimonium nisi sua uoluntate, quo ipso non se esse amicum ei, contra quem dicit, fatetur. Nec tamẽ protinus cesserit orator, quò minus & amicus pro amico, & inimicus contra inimicum posśit uerum (si integra sit ei fides) dicere. Sed late locus uterq; tractatur. Cum præsentibus uero ingens dimicatio est, ideoq; uelut duplici contra eos, proq; his acie cõfligitur, actionum & interrogationũ. In actionibus primum generaliter pro testibus, atq; in testes dici solet. Est hic cõmunis locus, cũ pars altera nullam firmiorẽ probationem esse contendit, quàm quæ sit hominũ scientia nixa: altera ad detrahendam illis fidẽ, omnia, per quæ fieri soleant falsa testimonia, enumerat. Sequens ratio est, cum specialiter quidem, sed tamen multos pariter inuadere patroni solent. Nam & gentiũ simul uniuersarũ eleuata testimonia ab oratoribus scimus, & tota genera testimoniorũ, ut de auditionibus, nõ enim ipsos esse testes, sed

sed iniuratorum afferre uoces, utq; in causis repetundarum, qui se reo numerasse pecunias iurant, litigatorum non testium habẽdos loco. Interim aduersus singulos dirigitur actio. Quod inspectationis genus, & permixtũ defensioni legimus in orationibus plurimis, & separatim editũ, sicut in Vatinium testem. Totum igitur excutiamus locũ, quãdo uniuersam institutionẽ aggressi sumus. Sufficiebant alioqui libri duo à Domitio Afro in hanc rẽ compositi, quem adolescentulus senem colui, ut non lecta mihi tantum ea, sed pleraq; ex ipso sint cognita. Is uerissime præcipit, primũ esse in hac parte officium oratoris, ut totam causam familiariter norit, quod sine dubio ad omnia pertinet. Id quomodo cõtingat, explicabimus, cùm ad destinatũ huic parti locũ uenerimus. Ea res suggeret materiam interrogationi, & ueluti tela ad manum subministrabit. Eadẽ docebit, ad quæ iudicis animus actione sit præparãdus. Debet enim uel fieri, uel detrahi testibus fides oratione perpetua, quia sic quisq; dictis mouetur, ut est ad credendum, uel nõ credendũ ante formatus. Et quoniam duo genera sunt testium, aut uoluntariorũ, aut eorum quibus iudex in publicis iudicijs lege denũciare solet, quorũ altero utraque pars utitur, alterum accusatoribus tantũ cõcessum est, separemus officium dantis testes, & refellentis. Qui uoluntariũ producit, scire quid is dicturus sit, potest, ideoq; faciliorẽ uidetur in rogando habere rationẽ. Sed hæc quoq; pars acumen, & uigilantiam poscit, prouidendumq; ne timidus, ne incõstans, ne imprudens sit testis. Turbantur enim, & à patronis diuersæ partis inducuntur in laqueũ. Sed & plus deprehensi nocent, quàm formi & interriti profuissent. Multũ igitur domi antè uersandi, ac uarijs percõtationibus, quales haberi ab aduersario posśunt, explorãdi sunt. Sic fit, ut aut cõstent sibi, aut si quid titubauerint, opportuna rursus eius, à quo producti sunt, interrogatione, uelut in gradũ reponãtur. In ijs quoq; adhuc, qui cõstiterint sibi, uitandæ sunt insidiæ: nã frequẽter subijci ab aduersario solẽt, &

Domitij Afri libri.

omnia profutura polliciti diuersa respondent, & autoritatẽ hã bent non arguentium illa, sed confitentium. Explorandum igitur quas causas lædendi aduersarium afferant, nec id satis est, inimicos fuisse, sed an desierint, an per hoc ipsum reconciliari uelint, ne corrupti sint, ne pœnitẽtia propositũ mutauerint. Quod cùm in ijs quoq; , qui ea quæ dicturi uidentur, re uera sciunt, necessarium est præcauere, tum multo magis in ijs, qui se dicturos quæ falsa sunt, pollicentur. Nam & frequentior eorum pœnitẽtia est: & promißum suspectius, & si perseuerauerint, * reprehensio facilior. Eorum uero, quibus denunciatur, pars testium est, quæ reum lædere uelit, pars quæ nolit. Idq; interim scit accusator, interim nescit. fingamus in præsentia scire, in utroque enim genere summis artibus interrogantis opus est: nam si habet testem cupidum lædendi, cauere debet hoc ipsum, ne cupiditas eius appareat, nec statim de eo quod in iudiciũ uenit, rogare, sed aliquo circuitu ad id peruenire, ut illi, quod maxime dicere uoluit, uideatur expreßum. Nec nimium instare interrogationi, ne ad omnia respõdendo testis fidẽ suã minuat, sed intantum euocare eum, quãtum sumere ex uno satis sit. At in eo, qui uerum inuitus dicturus est, prima felicitas interrogantis est, extorquere, quod is noluerit. Hoc nõ alio modo fieri potest, quàm longius interrogatione repetita. Respondebit enim quæ nocere causæ nõ arbitrabitur. Ex pluribus deinde, quæ cõfeßus erit, eò perducetur, ut quod dicere nõ uult, negare nõ posit: nam ut in oratione sparsa plerũq; colligimus argumenta, quæ per se nihil reum aggrauare uideantur, cõgregatione deinde eorũ factũ cõ uincimus, ita huiusmodi testis multa de anteactis, multa de insecutis, loco, tempore, persona, cæterisq; est interrogãdus, ut in aliquod responsum incidat, post quod illi uel fateri quæ uolumus necesse sit, uel his quæ iam dixerat, repugnare. Id si nõ contingit, reliquũ erit, ut eũ nolle dicere manifestũ sit, protrahẽdusq;, ut in aliquo, quod uel extra causam sit, deprehẽdatur. Tenendus

*respõsio

dus etiã diutius, ut omnia, ac plura quàm res desiderat pro reo dicẽdo, suspectus iudici fiat, quo nõ minus nocebit, quàm si uera in reũ dixisset. At si (quod secundo loco diximus) nesciet actor quid propositi testis attulerit, paulatim, & , ut dicitur, pedetentim interrogando experietur animum eius, & ad id responsum quod eliciendum erit, per gradus ducet. Sed quia nonnunquàm sunt hæ quoq; testium artes, ut primo ad uoluntatẽ respondeãt, quo maiore fide diuersa postea dicant, est accusatoris, suspectũ testem, dum prodest, dimittere. Patronorum in parte expeditior, in parte difficilior interrogatio est. Difficilior hoc, quòd raro unquã poßunt ante iudiciũ scire, quid testis dicturus sit: Expeditior, quòd cũ interrogandus est, sciunt quid dixerit. Itaq; in eo quod incertum est, cura & inquisitione opus est, quis reum premat, quas & quibus ex causis inimicitias habeat, eaq; in oratione prædicẽda, atq; amolienda sunt, siue odio cõflatos testes, siue inuidia, siue gratia, siue pecunia uideri uolumus. Et si deficietur numero pars diuersa, paucitatẽ: si abũdabit, conspirationem: si humiles producet, utilitatẽ: si potentes, gratiã oportebit incessere. Plus tamen proderit causas, propter quas reum lædãt, exponere: quæ sunt uariæ, & pro cõditione cuiusq; litis, aut litigatoris. Nam contra illa, quæ suprà diximus, simili ratione respõderi locis cõmunibus solet, quia & in paucis, atq; humilibus accusator simplicitate gloriari potest, quòd neminẽ, præter eos quos putarit scire, quæ fecerit, & multos atq; honestos commendare aliquãdo est facilius. Verũ interim & singulos, ut exornare, ita destruere cõtingit, aut recitatis in actione, aut nominatis testibus. Quod ijs temporibus, quibus testis non nisi post finitas actiones rogabatur, & facilius & frequentius fuit. Quid autẽ in quenq; testiũ dicẽdum sit, sumi nisi ab ipsorũ personis nõ potest. Reliquæ interrogandæ sunt partes, qua in re primum est nosse testem: nam timidus terreri, stultus decipi, iracũdus cõcitari, ambitiosus inflari, longus protrahi potest. Prudens uero &

constans, uel tanquam inimicus & peruicax dimittẽdus statim, uel nõ interrogatione, sed breui interlocutione patroni refutandus est: aut aliquo, si cõtinget, urbane dicto refrigerandus: aut si quid in eius uitam dici poterit, infamia criminũ destruẽdus. Probos quosdã, & uerecundos nõ aspere incessere profuit: nã sæpe qui aduersus insectantẽ pugnassent, modestia mitigãtur. Omnis autẽ interrogatio est aut in causa, aut extra causam. In causa, sicut accusatori præcepimus, patronus quoq; altius, & unde nihil suspecti sit, repetita percõtatione priora sequẽtibus applicando, sæpe eò perducit homines, ut ab inuitis, quod prosit, extorqueat. Eius rei, sine dubio, neq; disciplina ulla in scholis, neq; exercitatio traditur, & naturali magis acumine aut usu contingit hæc uirtus. Si quod tamen exemplũ ad imitationẽ demõstrandum sit, solũ est, quod ex dialogis Socraticorum, maximéq; Platonis duci potest: in quibus adeò scitæ sunt interrogationes, ut cum in pleriſq; bene respondeatur, res tamen ad id, quod uolũt efficere, perueniat. Illud fortuna interim præstat, ut aliquid, quod inter se parum cõsentiat, à teste dicatur: interim, quod sæpius euenit, ut testis testi diuersa dicat. Acuta autẽ interrogatio ad hoc, quod casu fieri solet, etiam ratione perducet. Extra causam quoq; multa quæ prosint, rogari solẽt, de uita testiũ aliorũ, de sua quisq;, si turpitudo, si humilitas, si amicitia accusatoris, si inimicitiæ cũ reo, in quibus aut dicant aliquid, quod prosit, aut in mẽdacio, uel cupiditate lædendi deprehẽdantur. Sed in primis interrogatio debet esse circũspecta, quia multa cõtra patronos uenuste testis sæpe respondet, eiq; præcipue uulgò fauetur: tum uerbis quàm maxime ex medio sumptis, ut qui rogatur (is autẽ est & sæpius imperitus) intelligat, aut ne intelligere se neget, quod interrogantis nõ leue frigus est. Illæ uero pessimæ artes, testem subornatum in subsellia aduersarij mittere, ut inde excitatus plus noceat, uel dicendo cõtra reum, cũ quo sederit, uel cùm adiuuisse testimonio uidebitur, faciendo ex industria multa immode

modeste atq; intemperanter, per quæ non à se tantum dictis detrahat fidẽ, sed cæteris quoq; qui profuerant, auferat autoritatẽ: quorum mentionẽ habui, nõ ut fierẽt, sed ut uitarẽtur. Sæpe inter se collidi solent, inde testatio, hinc testes, locus utrinq;. Hæc enim se pars iureiurãdo, illa cõsensu signantiũ tuetur. Sæpe inter testes, & argumenta quæsitũ est: inde scientiã in testibus & religionẽ, ingenia esse in argumẽtis dicitur: hinc testem gratia, metu, pecunia, ira, odio, amicitia, ambitu fieri, argumẽta ex natura duci: in his iudicẽ sibi, in illis alij credere. Cõmunia hæc pluribus causis, multumq; iactata sunt, semperq; tamẽ iactabũtur. Alia quãdo utrinq; sunt testes, & quæstio sequitur, ex ipsis, utri meliores uiri: Ex causis, utri magis credibilia dixerint: Ex litigatoribus, utri gratia magis ualuerint. His adijcere si quis uolet ea, quæ diuina testimonia uocãt, ex respõsis, oraculis, ominibus, dupliceſ sciat eorũ esse tractatũ: generalẽ alterũ, in quo inter Stoicos & Epicuri sectam secutos pugna perpetua est, regatur ne prouidẽtia mũdus: specialẽ alterum, cõtra partẽ diuinationis, ut quæq; in quæstionẽ cadit. Aliter enim oraculorũ, aliter haruspicum, augurũ, coniectorũ, & mathematicorũ fides cõfirmari, aut refelli potest, cùm sit rerum earũ ratio diuersa. Circa eiusmodi quoq; inuẽta firmanda, uel destruenda, multũ habet operis oratio, si quæ sint uoces per uinũ, somniũ, dementiã emissæ, uel exceptæ paruulorũ indicia, quos pars altera nihil fingere, altera nihil iudicare, dictura est. Nec tantũ præstari hoc genus potest, sed etiã ubi nõ est, desiderari solet: Pecuniã dedisti, quis numerauit? ubi? unde? Venenũ arguis, ubi emi? à quo? quanti? per quẽ dedi? quo cõscio? Quæ fere omnia pro Cluentio Cicero in crimine ueneficij excutit. Hæc de inartificialibus quàmbreuissime potui.

De probatione artificiali. CAP. VIII.

PArs altera probationum, quæ est tota in arte, constatq; rebus ad faciendam fidem appositis, plerunq; aut omnino negligitur, aut leuissime attingitur ab ijs, qui argumenta uebut

horrida & confragosa uitantes, amœnioribus locis desident: neq; aliter, quàm ij qui traduntur à Poëtis gustu cuiusdã apud Lotophagos graminis, & Sirenum cantu deliniti, uoluptatem saluti prætulisse, dum laudis falsam imaginem persequũtur, ipsa propter quam dicitur, uictoria cedunt. Atqui cætera quæ continuo magis orationis tractu decurrunt, in auxilium atque ornamentum argumentorum comparantur, neruisq; illis, quibus causa continetur, adijciunt superinducti corporis speciem, ut si forte quid factum ira, uel metu, uel cupiditate dicatur, latius quæ cuiusq; affectus natura sit, prosequemur. Iisdem laudamus, incusamus, augemus, minuimus, describimus, deterremus, querimur, consolamur, hortamur. Sed horum esse opera in rebus, aut certis, aut de quibus tanquam certis loquimur, potest. Nec abnuerim esse aliquid in delectatione, multum uero in commouendis affectibus. Sed hæc ipsa plus ualent, cùm se didicisse iudex putat, quod consequi nisi argumentatione, aliaq; omni fide rerum nõ possumus. Quorum prius quàm patiar species, indicandum reor, quædam in omni genere probationum communia. Nam neque ulla quæstio est, quæ non sit, aut in re, aut in persona. Nec esse argumentorum loci possunt, nisi in ijs quæ rebus, aut personis accidunt. Eaq; aut per se inspici solent, aut ad aliud referri. Neq; ulla confirmatio, nisi aut ex antecedentibus, aut ex consequentibus, aut ex pugnantibus, & hæc necesse est, aut ex præterito tempore, aut ex coniuncto, aut ex sequenti petere. Nec ulla res probari nisi ex alia potest. Eaq; sit oportet, aut maior, aut par, aut minor. Argumenta uero reperiuntur, aut in quæstionibus, quæ etiam separatæ à complexu rerum, personarumq; spectari per se possint: aut in ipsa causa, cum inuenitur aliquid in ea, non ex communi ratione ductum, sed eius iudicij de quo cognoscitur, proprium. Probationũ præterea omnium aliæ sunt necessariæ, aliæ credibiles, aliæ non repugnãtes. Adhuc omnium probationum quadruplex ratio est, ut uel quia aliquid

aliquid est, aliud non sit, ut quia dies est, nox non est: uel quia est aliquid, & aliud sit, ut quia sol est super terram, dies est: uel quia aliquid nõ est, aliud sit, ut quia nox nõ est, dies est: uel quia aliquid non est, nec aliud sit, ut quia non est rationale, nec homo est. His in uniuersum prædictis partes subijciam.

De signis. CAP. IX.

OMnis igitur probatio artificialis constat aut signis, aut argumentis, aut exemplis. Nec ignoro plerisq; uideri signa partem argumentorum, quæ mihi separandi ratio hæc fuit prima, quòd sunt penè ex illis inartificialibus. Cruenta enim uestis, & clamor, & liuor, & talia, sunt instrumenta qualia tabulæ, rumores, testes: nec inueniuntur ab oratore, sed ad eum cum ipsa causa deferuntur. Altera, quòd signa siue indubitata sint, non sunt argumenta, quia ubi illa sunt, quæstio non est: argumento autem, nisi in re controuersa, locus esse non potest: siue dubia, non sunt argumenta, sed ipsis argumentis egent. Diuidũtur autem in has duas species, quòd eorũ alia sunt, ut dixi, quæ necessaria sunt, quæ Græci uocant τεκμήρια, alia non necessaria, quæ σημεῖα. Priora illa sunt, quæ aliter habere se nõ possunt, quæ mihi uix pertinere ad præcepta artis uidentur. Nam ubi est signũ insolubile, ibi ne lis quidẽ est. Id autem accidit, cũ quid aut necesse est fieri, factum´ue esse, aut certè omnino nõ potest fieri, uel esse factum: quo in causis posito, lis non est, nisi facti. Hoc genus per omnia tempora perpẽdi solet. Nam & coijsse eam cũ uiro, quæ peperit, quod est præteriti: & fluctus esse, cùm magna uis uenti in mare incubuit, quod cõiuncti: & cũ mori, cuius cor est uulneratum, quod futuri, necesse est. Nec fieri potest, ut ibi meßis sit, ubi satum nõ est: ut quis Romæ sit, cùm est Athenis: ut sit ferro uulneratus, qui sine cicatrice est. Sed quædã & retrorsus idẽ uale̅t, ut uiuere hominẽ qui spirat, & spirare qui uiuit. Quædã in contrariũ nõ recurrũt: Nec enim quia mouetur qui ingreditur, idcirco ingreditur qui mouetur. Quare potest & coijsse cum

uiro, quæ non peperit, & nõ esse uentus in mari, cùm esset fluctus, nec utiq; cor eius uulneratũ esse, qui perit. Ac similiter fatũ fuisse potest, ubi non fuisset meßis, nec fuisse Romæ, qui non fuit Athenis, nec fuisse ferro uulneratũ, qui habet cicatricẽ. Alia sunt signa nõ necessaria, quæ ἄκοντα Græci uocãt, quæ etiam si ad tollendam dubitationem sola non sufficiunt, tamen adiuncta cæteris plurimum ualent. Signum uocant, ut dixi, σημεῖον, quanquam id quidam indicium, quidam uestigiũ nominauerunt, per quod res intelligitur, ut per sanguinem cædes. At quia sanguis uel ex hostia resperßisse uestem potest, uel è naribus profluxisse, non utiq; qui uestem cruẽtam habuerit, homicidiũ fecerit. Sed ut per se nõ sufficit, ita cæteris adiunctũ testimonij loco ducitur, si inimicus, si antè minatus, si eodem loco fuit. Quibus signum cũ acceßit, efficit, ut quæ suspecta erãt, certa uideãtur. Alioqui sunt quædã signa utriq; parti communia, ut liuores, tumores. Nam uideri poßunt & ueneficij, & cruditatis: & uulnus in pectore, sua manu & aliena perisse dicẽtibus, in quo est. Hæc perinde firma habentur, atq; extrinsecus adiuuãtur. Eorum autẽ quæ signa sunt quidem, sed nõ necessaria, genus Hermagoras putat, nõ esse uirginem Atalantam, quia cũ iuuenibus per syluas uagetur. Quod si receperimus, uereor ne omnia quæ ex facto ducuntur, signa faciamus: eadem tamen ratione, qua signa, tractantur. Nec mihi uidentur Areopagitæ, cum damnauerunt puerum coturnicum oculos eruentem, aliud iudicasse quàm id signum esse perniciosißimæ mentis, multisq; malo futuræ, si adoleuisset. Vnde Spurij Melij, Marciq; Manlij popularitas, signum affectati regni fuit existimatum. Sed uereor, ne longe nimium nos ducat hæc uia. Nam si est signum adulteræ, lauari cum uiris, erit & conuiuere cum adolescentibus, deinde etiam familiariter alicuius amicitia uti, aut fortasse corpus uulsum, fractum incessum, uestem mulierem dixerit mollis, & parum uiri signa, si cui, cùm signum id proprie sit, quod ex eo, de quo quæritur, natũ sub oculos uenit, ut sanguis

ut sanguis ex cæde, ita illa ex impudicitia fluere uideantur. Ea quoq;, quæ quia plerunq; obseruata sunt, uulgò signa creduntur, ut prognostica: —Vento rubet aurea Phœbe,
Et cornix plena pluuiam uocant improba uoce.
Si causas ex qualitate cœli trahunt, sanè ita appellentur: nam si uento rubet luna, signum uenti est rubor. Et si, ut idem Poëta colligit, densatus & laxatus aër facit, ut sit inde ille auium concentus, idẽ sentiemus. Sunt autem etiã signa parua magnorum, ut hæc ipsa cornix. Nam maiora minorum esse nemo miratur.

De argumentis. CAP. X.

NVnc de argumentis: hoc enim nomine cõplectimur omnia quæ Græci ἐνθυμήματα, ἐπιχειρήματα, ἀποδείξεις uocant, quanquam apud illos est aliqua horũ nominum differentia, etiã si uis eodem ferè tendit. Nam enthymema (quod nos cõmentum sanè, aut cõmẽtationem interpretamur, quia aliter nõ poßumus, Græco melius usuri) unum intellectum habet, quo omnia mente concepta significat, sed nunc de eo non loquimur: alterum quo sententiam cum ratione: tertiũ, quo certam quandã argumenti conclusionẽ, uel ex consequentibus, uel ex repugnãtibus, quanquam de hoc parum conuenit. Sunt enim qui illud prius epichirema dicant, pluresq; inuenias in ea opinione, ut id demum quo pugna constat, enthymema accipi uelint. Et ideo illud Cornificius contrariũ appellat. Hinc alij rhetoricũ syllogißmum, alij imperfectum syllogißmũ uocauerunt: quia nec distinctis, nec totidẽ partibus concluderetur: quod sanè non utiq; ab oratore desideratur. Epichirema Valgius aggreßionem uocat. Celsus autem iudicat non nostrã administrationẽ, sed ipsam rem quam aggredimur, id est argumentum, quo aliquid probaturi sumus, etiam si nondum uerbis explanatum, iam tamen mente cõceptum. Epichirema dici. Alijs uidetur non destinatam, uel inchoatam, sed perfectam orationem hoc nomẽ accipere, & ultimam speciem. Ideoq; propria eius appellatio, & maxime in usu posita, qua

Enthymema.

Epichirema.

significatur

significatur certa quædam sententiæ comprehensio, quæ ex tribus partibus constat. Quidam epichirema rationem appellauerunt, Cicero melius ratiocinationem, quanquam & ille nomen hoc duxisse magis à syllogismo uidetur. Nam & statũ syllogisticum ratiocinatiuum appellat, exemplisq; utitur Philosophorũ. Et quoniam est quædam inter syllogismum & epichirema uicinitas, potest uideri hoc nomine recte abusus. Ἀπόδειξις, est euidens probatio, ideoq; apud geometras γραμμικὴ ἀπόδειξις dicuntur. Hanc & ab epichiremate Cæcilius putat differre solo genere cõclusionis, & esse apodixim imperfectum epichirema, eadẽ causa qua diximus enthymema à syllogismo distare. Nam & epichirema, syllogismi pars est. Quidam inesse epichiremati apodixim putant, & esse partem eius confirmantem. Vtcunq; autem, quanquam diuersi autores eodẽ modo finiunt, ut sit oratio, per ea quæ certa sunt, fidem dubijs afferens, quæ natura est omniũ argumentorum, neq; enim certa incertis declarãtur, hæc omnia generaliter πίστεις appellant: quod etsi propria interpretatione dicere fidẽ posumus, apertius tamen probationẽ interpretabimur. Sed argumentũ quoq; plura significat. Nam & fabulæ ad actus scenarũ cõpositæ, argumenta dicuntur: & orationum Ciceronis uelut thema ipse exponens Pædianus, argumentum, inquit, tale est. Et ipse Cicero ad Brutum ita scribit: Veritus fortasse ne nos in Catonem nostrum transferamus illinc mali quid, etsi argumentũ simile non erat. Quo apparet, omnem adscribendum destinatã materiã ita appellari. Nec mirũ, cũ id inter opifices quoq; uulgatum sit. Vnde Vergilius: Argumentũ ingens– Vulgoq; paulò numerosius opus dicitur argumentosum. Sed nunc de eo dicendum argumento est, quod probationem, indicium, fidem, aggressionem, eiusdem rei nomina facit, parum distincte, ut arbitror. Nam probatio, & fides efficitur non tantũ per hæc, quæ sunt rationis, sed etiã per inartificialia. Signum autem quod ille indicium uocat, ab argumentis iam

Apodixis.

Argumentũ.

Aeneid. 6.

separaui. Ergo cum sit argumentum ratio probationem præstans, qua colligitur aliquid per aliud: & quæ, quod est dubiũ, per id quod dubiũ nõ est, cõfirmat, necesse est esse aliquid in causa, quod probatione nõ egeat. Alioqui nihil erit quo probemus, nisi fuerit quod aut sit uerum, aut uideatur, ex quo dubijs fides fiat. Pro certis autẽ habemus primũ quæ sensibus percipiuntur, ut quæ uidimus, audiuimus, & qualia sunt signa: deinde ea, in quæ cõmuni opinione cõsensum est, deos esse, præstandam pietatem parentibus. Præterea quæ legibus cauta sunt: quæ persuasione, etiamsi nõ omnium hominum, eius tamen ciuitatis, aut gẽtis, in qua res agitur, in mores recepta sunt: ut pleraq; in iure nõ legibus, sed moribus cõstant. Si quid inter utranq; partẽ cõuenit, si quid probatũ est, deniq; cuicunq; aduersarius non cõtradicit. Sic enim fiet argumentum, Cùm prouidentia mundus regatur, administranda est Respublica: ut administranda Respub. sit, si liquebit mundũ prouidẽtia regi. Debet etiã nota esse recte argumenta tractaturo, uis & natura omnium rerum, & quid quæq; earum plerunq; efficiat. Hinc enim sunt quæ ἐκβάσεις dicuntur. Credibiliũ autẽ genera sunt tria: Vnum firmißimum, quod ferè accidit, ut liberos à parentibus amari: Alterum uelut propẽsius, eum qui recte ualeat, in crastinum peruenturum: Tertium tantum non repugnans, in domo furtum factũ ab eo, qui domi fuit. Ideoq; Aristoteles in secundo de arte Rhetorica libro diligentißime est executus, quid cuiq; rei, & quid cuiq; homini soleat accidere, & quas res quosq; homines, quibus rebus, aut hominibus, uel cõciliasset, uel alienasset ipsa natura, ut diuitias quid sequatur, aut ambitũ, aut superstitionem, quid boni probent, quid mali petãt, quid milites, quid rustici, quo quæq; modo res uitari, uel appeti soleat. Verum hoc exequi mitto. Non enim longum tantum, sed etiam impoßibile, aut potius infinitum est: præterea positum in cõmuni omniũ intellectu. Si quis tamẽ desiderauerit, à quo peteret, ostendi. Omnia autem credibilia, in quibus pars

maxima consistit argumẽtationis, ex huiusmodi fontibus fluunt, an credibile sit à filio patrem occisum, incestum cum filia commissum: & contrà, ueneficiũ in nouerca, adulteriũ in luxurioso. Illa quoq;, an scelus palàm factum, an falsum dixerit propter exiguam summam, quia suos quisq; horum uelut mores habet, plerunq; tamen nõ semper, alioqui indubitata essent, non argu-

Loci argumentorum. menta. Excutiamus nunc argumentorum locos, quanquam quibusdam ij quoq;, de quibus suprà dixi, uidentur. Locos appello, non ut uulgò nũc intelliguntur, ut in luxuriam & adulterium, & similia: sed sedes argumentorum, in quibus latent, ex quibus sunt petenda. Nam ut in terra non omni generãtur omnia, nec auem nec ferã reperias, ubi quæq; nasci, aut morari soleat ignarus. Et piscium quoq; genera alia planis gaudent, alia saxosis, regionibus quoq; littoribusq; discreta sunt, nec elopem nostro mari, aut scarum ducas: Ita non omne argumentum undiq; uenit, ideoq; non passim quærendum est. Multus alioqui error est, & exhausto labore, quod non ratione scrutabimur, non poterimus inuenire nisi casu. At si scierimus ubi quicq; nascatur, cum ad locum uentum erit, facile quod in eo erit, peruidebimus. In primis igitur argumenta sæpe à persona ducenda sunt, cum sit, ut dixi, diuisio, ut omnia in hæc duo partiamur, res atq; personas, ut causa, tẽpus, locus, occasio, instrumentũ, modus, & cæte-

Personis accidentia. ra, rerũ sint accidẽtia. Personis autem nõ quicquid accidit exquendũ mihi est, ut pleriq; fecerũt, sed unde argumẽta sumi possunt. Ea porrò sunt, Genus: nam similes parẽtibus ac maioribus suis filij plerunq; creduntur, & nonnunquam ad honeste turpi terq; uiuẽdum, inde causæ fluunt. Natio: nam & gentibus proprij mores sunt, nec idem in barbaro, Romano, Græco, probabile est. Patria: quia similiter etiam ciuitatum leges, instituta, opiniones habent differentiam. Sexus: ut latrocinium facilius in uiro, ueneficiũ in fœmina credas. Aetas: quia aliud alijs annis magis conuenit. Educatio & disciplina: quoniam refert à quibus

& quo

& quo quisq; modo sit institutus. Habitus corporis: ducitur enim frequenter in argumentũ species libidinis, robur petulantiæ. His cõtraria in diuersum. Fortuna: neq; enim tam idẽ credibile est in diuite ac paupere: propinquis, amicis, clientibus abundante, & his omnibus destituto. Conditionis etiam distantia est: nã clarus an obscurus, magistratus an priuatus, pater an filius, ciuis an peregrinus, liber an seruus, maritus an cœlebs, parens liberorum an orbus sit, plurimum distat. Animi natura: etenim auãritia, ira, iracundia, misericordia, crudelitas, seueritas, aliaq; his similia, afferunt frequenter fidem, aut detrahunt: sicut uictus luxuriosus, an frugi, an sordidus, quæritur. Studia quoq;: nam rusticus, fõrensis, negotiator, miles, nauigator, medicus, aliud atq; aliud efficiunt. Intuendum etiã quid affectet quisq;, locuples uideri an disertus, iustus an potens. Spectantur anteacta, dictaq;. Ex præteritis enim æstimari solent præsentia. His adijciunt quidam commotionem, hanc accipi uolunt temporarium animi motum, sicut iram, pauorem. Consilia autem & præsentis & præteriti & futuri temporis, quæ mihi etiamsi personis accidũt, referenda tamen ad illam partẽ argumentorum uidentur, quam ex causis ducimus, sicut habitus quidã animi, quo tractatur amicus an inimicus. Ponunt in persona & nomen, quod quidẽ ei accidere necesse est, sed in argumentum raro cadit, nisi cum aut ex causa datũ est, ut sapiẽs, magnus, *planus: aut & ipsum alicuius cogitationis attulit causam, ut Lentulo cõiurationis, quòd libris Sibyllinis, haruspicumq; respõsis, dominatio dari tribus Cornelijs dicebatur, seq; cũ tertiũ esse credebat post Syllã, Cinnamq;, qui & ipse Cornelius erat. Nam & illud extat apud Euripidem frigidum sanè, quòd nomen Polynicis, ut argumentũ frater morũ inceßit. Locorũ enim ex eo frequens materia, qua Cicero in Verrem nõ semel usus est. Hæc ferè circa personas sunt, aut his similia. Neq; enim complecti omnia, uel hac in parte, uel in cæteris poßumus, cõtenti rationẽ plura quæsituris ostẽdere.

*plenus

Nunc

Accidentia rebus.

Nunc ad res trãseo, in quibus maxime sunt personis iuncta quæ agimus, ideoq; prima tractanda. In omnibus porrò quæ fiunt, quæritur aut quare, aut ubi, aut quando, aut quomodo, aut per quæ facta sunt. Ducuntur igitur argumenta ex causis factorum, uel futurorum, quorum materiam ὕλην alij, δύναμιν alij nominauerunt, in duo genera, sed quaternas utriusq; diuidunt species. Nam ferè uersatur ratio faciendi circa bonorum adeptionẽ, incrementum, conseruationem, usum: aut malorum euitationem, liberationem, imminutionem, conuersionem: nanq; hæc in deliberando plurimum ualent. Sed has causas habent recta: praua contrà ex falsis opinionibus ueniunt. Nam est ex his initium ijs, quæ creduntur bona aut mala: Inde errores existunt, & pessimi affectus, in quibus sunt, ira, odium, inuidia, cupiditas, spes, ambitus, audacia, metus, cætera eiusdem generis. Accedunt aliquando fortuita, ebrietas, ignorantia. Quæ interim ad ueniam ualent, interim ad probationem criminum. Vt si quis dum alij insidiatur, alium dicitur interemisse. Causæ porrò non ad conuincendum modò, quod objicitur, sed ad defendendum quoque excuti solent, cùm quis se recte fecisse, id est honesta causa cõtendit, qua de re latius in tertio libro dictũ est. Finitiones interim ex causis pendent. An tyrannicida, qui tyrannum, à quo deprehensus in adulterio fuerat, occidit. An sacrilegus, qui ut hostes urbe expelleret, arma templo affixa detraxit. Ducuntur argumenta & ex loco. Spectatur enim ad fidem probationis, montanus, an planus, maritimus an mediterraneus, consitus an incultus, frequens an desertus, propinquus an remotus, opportunus consilijs an aduersus. Quam partem uidemus uehementissime pro Milone tractasse Ciceronem. Et hæc quidem, ac similia ad coniecturam frequentius pertinent, sed interim ad ius quoq;, priuatus an publicus, sacer an profanus, noster an alienus. Vt in persona, magistratus, pater, peregrinus. Hinc enim quæstiones oriuntur. Priuatam pecuniam sustulisti, uerum quia de templo, non furtum, sed sacrile

sacrilegium est. Occidisti adulterũ, quod lex permittit, sed quia in lupanari, cædes est. Iniuriam fecisti, sed quia magistratui, maiestatis actio est: uel contrà, licuit, quia pater eram, quia magistratus. Sed circa facti controuersiam argumenta præstant, circa iuris lites materiam quæstionum. Ad qualitatem quoq; frequenter pertinet locus. Neq; enim idem ubiq; aut licet, aut decorum est. Quinetiam in qua quicq; ciuitate quæratur, interest. Moribus enim & legibus distant. Ad cõmendationem quoq; & inuidiam ualet: nam & Aiax apud Ouidium inquit:

Ante rates agimus causam, & mecum confertur Vlysses. Ouid. 13. Metamorph.

Et Miloni inter cætera obiectũ est, quòd Clodius in monumentis ab eo maiorum suorum esset occisus. Ad suadendi momenta idem ualet, sicut tẽpus, cuius tractatũ subiungam. Eius autẽ (ut alio loco iam dixi) duplex significatio est. Generaliter enim & specialiter accipitur. Prius illud est, Nunc, Olim, sub Alexandro, cùm apud Ilion pugnatum est: deniq; præteritum, instans, futurum. Hoc sequẽs habet & cõstituta discrimina, æstate, hyeme, noctu, interdiu: & fortuita, in pestilentia, in bello, in conuiuio. Latinorum quidam satis significari putauerunt, si illud generale tempus, hoc speciale uocarẽt. Quorum utrorunq; ratio, & in consilijs quidẽ, & in illo demonstratiuo genere uersatur, sed in iudicijs frequẽtissima est. Nam & iuris quæstiones facit, & qualitatem distinguit, & ad coniecturam plurimũ confert: ut cũ interim probationes inexpugnabiles afferat, quales sunt, si dicatur (ut suprà posui) signator, qui ante diem tabularum decessit, aut cõmisisse aliquid, uel cũ infans esset, uel cum omnino natus nõ esset. Præter id, omnia facile argumenta aut ex ijs, quæ ante rem facta sunt, aut ex coniunctis rei, aut cõsequentibus ducuntur. Ex antecedentibus: Mortẽ minatus es, noctu existi, proficiscentem antecessisti. Causæ quoq; factorum præteriti sunt temporis. Sed tempus subtilius quidã, quàm necesse erat, diuiserunt, ut esset iuncti, sonus auditus est: adhærentis, clamor

ſublatus eſt. Inſequẽtis ſunt illa, latuiſti, profugiſti, liuores, & tumores apparuerũt. Iiſdem temporum gradibus defenſor utetur ad detrahẽdam ei, quod obijcitur, fidem. In his omnis factorum, dictorumq; ratio uerſatur, ſed dupliciter. Nam fiunt quædam, quia aliud poſtea futurum eſt: quædam, quia aliud antè factum eſt, ut cum obijcitur reo lenocinij ſpecioſæ marito, quòd ſpecioſam adulterij damnatã, quandã emerit: aut parricidij reo luxurioſo, quòd dixerit patri, Nõ me amplius obiurgabis. Nam & ille, nõ quia emit, leno eſt, ſed quia leno erat, emit. Nec hic, quia ſic erat locutus, occidit, ſed quia erat occiſurus, ſic locutus eſt. Caſus autem, qui & ipſe præſtat argumentis locum, ſine dubio eſt ex inſequentibus, ſed quadam proprietate diſtinguitur: ut ſi dicam, Melior dux Scipio quàm Annibal, uicit enim Annibalem. Bonus gubernator nunquam fecit naufragium. Bonus agricola magnos ſuſtulit fructus. Et contrà, Sumptuoſus fuit, patrimonium exhauſit, turpiter uixit, uel omnibus inuiſus eſt. Intuẽdæ ſunt, præcipueq; in coniecturis, & facultates. Credibilius eſt enim occiſos à pluribus pauciores, à firmioribus imbecilliores, à uigilantibus dormientes, à præparatis inopinantes. Quorum contraria in diuerſum ualent. Hæc & in deliberando intuemur, & in iudicijs ad duas res ſolemus referre, an uoluerit quis, an potuerit. Nam & uoluntatem ſpes facit. Hinc illa apud Ciceronem coniectura: Inſidiatus eſt Clodius Miloni, non Milo Clodio. Ille cum ſeruis robuſtis, hic cũ mulierum comitatu: Ille equis, hic in rheda: Ille expeditus, hic penula irretitus. Facultati autem licet inſtrumentum coniungere. Sunt enim in parte facultatis & copiæ. Sed ex inſtrumẽto aliquãdo etiam ſigna naſcuntur, ut ſpiculum in corpore inuentum. His adijcitur modus, quem πῶς dicunt, quo quæritur, quemadmodum quid ſit factum, idq; tum ad qualitatem ſcriptumq; pertinet, ut ſi negemus adulterum ueneno occidiſſe, cum ferro licuiſſet occidere, ſed uel oportuiſſet: tum ad coniecturas quoq;: ut ſi dicam, bona

bona mente factum, ideoq; palàm: mala, ideoq; ex inſidijs, noctu, in ſolitudine. In rebus autem omnibus, de quarum ui aut natura quæritur, quasq; etiam citra complexum perſonarum, cæterorumq; ex quibus fit cauſa, per ſe intueri poſſumus, tria ſine dubio rurſus ſpectanda ſunt, an ſit, quid ſit, quale ſit. Sed quia ſunt quidam loci argumentorum omnibus cõmunes, diuidi hæc in tria genera non poſſunt. Ideoq; locis potius, ut quoſq; incurrent, ſubijcienda ſunt. Ducuntur ergo argumenta ex finitione ſeu fine: nam utroq; modo traditur. Eius duplex ratio eſt. Aut enim ſimpliciter quæritur, ſitne hoc uirtus: aut antecedente finitione, quid ſit uirtus. Id aut uniuerſum uerbis complectimur, ut rhetorice eſt bene dicendi ſcientia: aut per partes, ut rhetorice eſt recte inueniẽdi & diſponendi & eloquendi cum firma memoria, & cum dignitate actionis, ſcientia. Præterea finimus, aut ui, ſicut ſuperiora: aut ἀντιστροφῇ, ut aſſiduũ ab aſſe dando, & locupletem à locorum, pecunioſum à pecorum copia. Finitioni ſubiecta maxime uidentur, genus, ſpecies, differens, proprium. Ex his omnibus argumenta ducuntur. Genus ad probandam ſpeciem minimum ualet, plurimum ad refellendam. Itaq; nõ quia eſt arbor, platanus eſt: at quod non eſt arbor, utiq; platanus nõ eſt. Nec quod nõ eſt uirtus, utiq; poteſt eſſe iuſtitia. Itaq; à genere perueniendum eſt ad ultimã ſpeciem: ut, homo eſt animal, nõ eſt ſatis, id enim genus eſt: mortale, etiamſi ſpecies eſt, cũ alijs tamen communis finitio. Rationale, nihil ſupererit ad demonſtrandum id, quod uelis. Contrà ſpecies firmam probationem habet generis, infirmam refutationem. Nam quod iuſtitiæ eſt, utiq; uirtus eſt: quod non eſt iuſtitia, poteſt eſſe uirtus: ut ſi eſt fortitudo, continentia, conſtantia. Nunquam itaq; tolletur à ſpecie genus, niſi omnes ſpecies, quæ ſunt generi ſubiectæ, remoueantur, hoc modo: Quod neq; immortale eſt, neque mortale, animal non eſt. His adijciunt propria & differẽtia. Proprijs confirmatur finitio, differentibus ſoluitur. Proprium autem eſt,

aut quod ſoli accidit,ut homini ſermo,riſus:aut quod utiq; acci dit,ſed nõ ſoli,ut igni calefacere. Et ſunt eiuſdem rei plura pro pria, ut ipſius ignis lucere, calere. Itaq; quodcunq; proprium deerit,ſoluet finitionem, nõ utiq; quodcunq; erit, confirmabit. Sæpiſſime autẽ quid ſit propriũ cuiuſq; quæritur,ut ſi per ety= mologiam dicatur:Tyrannicidæ propriũ eſt tyrannum occi= dere,negemus. Non enim ſi traditum ſibi eum carnifex occide= rit,tyrannicida uocatur : nec ſi imprudens, uel inuitus. Quod autem proprium nõ erit,differens erit, ut aliud eſt ſeruum eſſe,
Addicti. aliud ſeruire, qualis eſſe in addictis quæſtio ſolet. Qui ſeruus eſt,ſi manumittatur,fit libertinus,nõ itidem addictus: & plura, de quibus alio loco.Illud quoq; differens uocant,cum genere in ſpeciẽ diducto ſpecies ipſa diſcernitur:Animal, genus:mortale, ſpecies:terrenum,uel bipes,differens. Nondum enim proprium eſt,ſed iam differt à marino,uel quadrupede.Quod non tam ad argumentum pertinet,quàm ad diligentem finitionis cõprehen ſionem.Cicero genus & ſpeciem, quam eãdem formam uocat, à finitione diducit, & ijs quæ ad aliquid ſunt, ſubijcit:ut,ſi is, cui omne argentum legatũ eſt,petat ſignatum quoq;, utatur ge nere. At ſi quis,cum legatũ ſit ei, quæ uiro materfamiliâs eſſet, neget deberi ei, quæ in manum non cõuenerit, ſpecie:quoniam duæ formæ ſint matrimoniorum . Diuiſione autem adiuuari fi= nitionẽ docet, eamq; differre à partitione, quòd hæc ſit totius in partes, illa generis in formas. Partes incertas eſſe, ut quibus
Democra= cõſtet Reſpublica: Formas certas,ut quot ſint ſpecies rerumpu=
tia. blicarum. Quas tres accipimus,quæ populi, quæ paucorũ,quæ
Ariſtocra= unius poteſtate regerẽtur. Et ille quidem non his exemplis uti=
tia. tur,quia ſcribens ad Trebatium, ex iure ea ducere maluit,ego
Monarchia. apertiora poſui.Propria uero ad coniecturæ quoque pertinent partem,ut proprium eſt boni, recte facere : iracundi uerbis ex= candeſcere. Ac contrà,quædam in quibuſdam utique non ſunt, & ratio,quamuis ex diuerſo, eadem eſt. Diuiſio, & ad pro=

bandum

bandum ſimili uia ualet,& ad refellendũ.* Probanti interim ſa *Probationi
tis eſt unũ habere,hoc modo:Vt ſit ciuis quis,aut natus ſit opor tet,aut factus. Neganti,utrũq; tollendum eſt,nec natus, nec fa= ctus eſt.Fit hoc & multiplex,idq; eſt argumentorum genus ex remotione,quo modò efficitur totum falſum,modò id, quod re= linquitur,uerũ. Totum falſum eſt,hoc modo : Pecuniam te cre= didiſſe dicis:aut habuiſti ipſe, aut ab aliquo accepiſti,aut inue= niſti,aut ſurripuiſti. Si neq; domi habuiſti, neq; ab alio accepi= ſti,nec cætera,non credidiſti. Reliquum ſit uerum ſic : Hic ſer= uus,quem tibi uẽdicas,aut uerna tuus eſt,aut emptus, aut dona tus,aut teſtamẽto relictus,aut ex hoſte captus,aut alienus. De= inde remotis prioribus,ſupererit alienus.Periculoſum, & cũ cu ra intuendũ genus, quia ſi in proponẽdo unum quodlibet omi= ſerimus,cum riſu quoque tota res ſoluitur. Tutius quod Cicero pro Cecinna facit,cum interrogat, ſi hæc actio nõ ſit, quæ ſit? Simul enim remouentur omnia. Vel cum duo ponentur inter ſe cõtraria,quorum tenuiſſe utrumlibet ſufficiat : quale Ciceronis eſt:Vnũ quidẽ, certe nemo erit tam inimicus Cluentio, qui mihi nõ concedat,ſi conſtet corruptũ illud eſſe iudicium,aut ab Ha= bito,aut ab Opianico eſſe corruptum:Si doceo non ab Habito, uinco ab Opianico:Si oſtendo ab Opianico, purgo Habitũ. Fit etiam ex duobus, quorum neceſſaria eſt alterutrum eligẽdi ad= uerſario poteſtas : efficiturq;, ut utrum elegerit, noceat. Facit hoc Cicero pro Oppio:Vtrum cum Cottam appetiſſet,aut cum ipſe ſeſe conaretur occidere, telum ei è manibus ereptum eſt? Et pro Vareno : Optio uobis datur,utrum uelitis, caſu illo iti= nere Varenum uſum eſſe, an huius perſuaſu & inductu. Dein= de utraq; facit accuſatori cõtraria. Interim duo ita proponun= tur,ut utrumlibet electum,idem efficiat:quale eſt,philoſophan= dum eſt, etiam ſi non eſt philoſophandum. Et illud uulgatum: Quò ſchema,ſi intelligitur?quò,ſi nõ intelligitur?&: Mentie= tur in tormẽtis,qui dolorẽ pati poteſt:mentietur qui nõ poteſt.

Vt ſunt autem tria tempora, ita ordo rerum tribus momentis cõſertus eſt. Habẽt enim omnia initium, incrementum, ſummã: ut iurgium, deinde cædes, & ſtrages. Eſt ergo hic quoq; argumentorum locus inuicem probantium. Nam & ex initijs ſumma colligitur, quale eſt: Non poſſum togam prætextam ſperare, cum exordium pullum uideam. Et cõtrà, Non dominationis cauſa Syllam arma ſumpſiſſe, argumentum eſt dictatura depoſita. Similiter & ex incremẽto in utranq; partem ducitur rei ratio, cum in coniectura, tum etiam in tractatu æquitatis, an ad initium ſumma referẽda ſit, id eſt, an ei cædes imputanda ſit, à quo iurgium cœpit. Eſt argumentorum locus ex ſimilibus: Si continentia uirtus, utiq; & abſtinẽtia. Si fidem debet tutor, & procurator. Hoc eſt ex eo genere, quod & ἐπαγωγὴν Græci uocãt, Cicero inductionem. Ex diſſimilibus: Non ſi lætitia bonum, & uoluptas. Non quod mulieri, idem pupillo. Ex contrarijs: Frugalitas bonum, luxuria enim malum. Si malorum cauſa bellum eſt, erit emendatio pax. Si ueniam meretur qui imprudens nocuit, non meretur præmium qui imprudens profuit. Ex pugnantibus: Qui eſt ſtultus, ſapiens non eſt. Ex cõſequentibus, ſiue adiunctis: Si iuſtitia eſt bonum, recte iudicandum. Si malum perfidia, nõ eſt fallendũ. Idemq; retro: Nec ſunt his diſſimilia, ideoq; huic loco ſubijcienda, cum & ipſa naturaliter cõgruant. Quod quis nõ habuit, non perdidit. Quem quis amat, ſciens nõ lædit. Quem quis hæredem ſuum eſſe uoluit, charum habuit, habet, habebit. Sed cum ſint indubitata, uim habent penè ſignorũ immutabilium. Sed cõſequentia dico ἀκόλουθα, eſt enim conſequens ſapientiæ bonitas: illa ſequentia ἐπαχόμενα, quæ poſtea facta ſunt, aut futura. Nec ſum de nominibus anxius, uocet enim ut uoluerit quiſq;, dum uis rerum ipſa manifeſta ſit: appareatq; hoc temporis, illud eſſe naturæ. Itaq; nõ dubito hæc quoq; cõſequentia, quamuis ex prioribus dent argumentum ad ea quæ ſequuntur: quorum quidam duas ſpecies eſſe uoluerunt: Actionis: ut pro

Oppio:

Oppio: Quos educere inuitos in prouinciam non potuit, eos inuitos retinere quî potuit? Temporis, in Verrem: Si finẽ Prætoris edicto afferunt calendæ Ianuarij, cur non initium quoque edicti naſcatur à calendis Ianuarij? Quod utrunq; exemplum tale eſt, ut idem in diuerſum, ſi retro agas, ualeat. Cõſequens eſt enim eos, qui inuiti duci non potuerunt, inuitos nõ potuiſſe retineri. Illa quoq;, quæ ex rebus mutuam confirmationẽ præſtantibus ducuntur, quæ proprij generis quidam uideri uolunt, & uocant ἐκ τῶν πρὸς ἄλληλα, Cicero ex rebus ſub eandem rationem uenientibus, fortiter conſequentibus iunxerim: Si portorium Rhodijs locare honeſtum eſt, & Hermocreonti conducere: & quod diſcere honeſtum, & docere. Vnde illa non hac ratione dicta, ſed efficiens idem, Domitij Afri ſententia eſt pulchra: Ego accuſaui, uos damnaſtis. Eſt inuicem conſequens, quod ex diuerſis idem oſtendit, ut qui mundum naſci dicit, per hoc ipſum & deficere ſignificat: quia deficit omne quod naſcitur. Similima eſt his argumentatio, qua colligi ſolent ex ijs quæ faciunt, ea quæ efficiuntur, aut contrà: quod genus à cauſis uocant. Hæc interim neceſſariò fiunt, interim plerunq;, ſed non neceſſariò. Nam corpus in lumine utique umbram facit, & umbra ubicunque eſt, ibi corpus eſſe oſtendit. Alia ſunt, ut dixi, non neceſſaria, uel utrinque, uel ex altera parte: Sol colorat: non utiq; qui eſt coloratus, à ſole eſt. Iter puluerulentum facit, ſed nec omne iter puluerem mouet: nec quiſquis eſt puluerulentus, ex itinere eſt. Quæ utiq; faciunt talia, talia ſunt: Si ſapientia bonum uirum facit, bonus uir eſt utique ſapiens. Ideoq; boni eſt honeſte facere, mali, turpiter: & qui honeſte faciunt, boni: qui turpiter, mali recte iudicantur. At exercitatio plerunque robuſtum corpus facit, ſed non quiſquis eſt robuſtus, exercitatus: nec quiſquis exercitatus, robuſtus eſt: Nec quia fortitudo præſtat ne mortem timeamus, quiſquis mortem non timuerit, uir fortis erit exiſtimandus. Nec ſi capitis dolo-

rem facit,inutilis hominibus sol est. Et hæc ad hortatiuum genus maxime pertinent. Virtus facit laudem, sequenda igitur: uoluptas infamiam,fugienda igitur. Recte autem monemur,causas non utiq; ab ultimo esse repetendas,ut Medea:

Vtinam ne in nemore Pelio.

Quasi uero id eam fecerit miseram,aut nocẽtem, quòd illic ceciderit abiegna ad terram trabes. Et Philocteta Paridi:

*Si par esses tibi *Si imperasses tibi,ego nunc non essem miser.

Quomodo peruenire quólibet, retro causas legentibus licet. His illud adijcere ridiculum putarem, nisi eo Cicero uteretur, quod cõiugatum uocãt,ut,Eos qui rem iustam faciant,iuste facere: quod certè non eget probatione. Quod compascuum est, compascere licere. Quidam hæc quæ uel ex causis, uel ex efficientibus diximus,alieno nomine uocant ἐκβάσεις, id est, exitus. Nam nec hic aliud tractatur,quàm quid ex quoq; eueniat. Apposita uel cõparatiua dicuntur, quæ maiora ex minoribus, minora ex maioribus,paria ex paribus probant. Confirmatur cõiectura ex maiore: Si quis sacrilegium facit, faciet & furtum. Ex minore: Qui facile ac palàm mentitur,peierabit. Ex pari: Qui ob rem iudicandam pecuniam accepit,& ob dicendum falsum testimonium accipiet. Iuris confirmatio est huiusmodi, Ex maiore: Si adulterũ occidere licet, & loris cædere. Ex minore: Si furem nocturnũ occidere licet,quid latronem? Ex pari: Quæ pœna aduersus interfectorem patris iusta est, eadem aduersus matris. Quorum omnium tractatus uersatur in syllogismis. Illa magis finitionibus, aut qualitatibus prosunt. Si robur corporibus bonum non est,minus sanitas. Si furtum scelus,magis sacrilegium. Si abstinentia uirtus,& continentia. Si mundus prouidentia regitur,administranda est respublica. Si domus ædificari sine ratione non potest, quid agendum in naualium cura & armorum? Ac mihi quidem sufficeret hoc genus, sed in species secatur. Nam ex pluribus ad unum, & ex uno ad plura (unde est,quod

est,quod semel & sæpius) & ex parte ad totum, ex genere ad speciem,ex eo quod continet,ad id quod continetur, ut ex difficilioribus ad faciliora, & ex longe positis ad propiora, & ad omnia quæ contra hæc sunt,eadem ratione argumenta ducuntur. Sunt enim & hæc maiora & minora, aut certe uim similem obtinent: quæ si prosequamur,nullus erit ea cõcidendi modus. Infinita est enim rerum comparatio, iucundiora, gratiora, magis necessaria,honestiora,utiliora. Sed mittamus plura, ne in eam ipsam,quam uito, loquacitatẽ incidam. Exemplorũ quoq; ad hæc infinitus est numerus,sed paucissima attingam. Ex maiore, pro Cecinna: Qui exercitus armatos mouet, is aduocationem togatorũ non uidebitur mouisse? Ex faciliore,in Clodium & Curionẽ: Ac uide,an facile fieri tu potueris,cum is factus nõ sit,cui tu cõcesseris. Ex difficiliore, Vide quæso Tubero, ut qui de meo facto non dubitem,de Ligarij audeam confiteri. Et ibi: An sperandi Ligario causa non sit,cum mihi apud te locus sit, etiam pro altero deprecandi? Ex minore, pro Cecinna: Ita'ne uero scire esse armatos sat est, ut uim factam probes, in manus eorum incidere non est satis? Ergo,ut breuiter cõtraham summam,ducuntur argumenta à personis,causis,locis,tempore (cuius tres partes diximus,præcedens,coniunctum,insequens) facultatibus (quibus instrumentum subiecimus) modo, id est, ut quicq; sit factum,finitione,genere,specie,differẽtibus,proprijs, remotione, diuisione,initio, incrementis,summa, similibus,dissimilibus, pugnantibus, consequentibus, efficientibus, effectis, euentis, iugatis, comparatione, quæ in plures deducitur species. Illud adijciendum uidetur, duci argumenta non à confessis tantum, sed etiam à fictione quam Græci κατ' ὑπόθεσιν uocant. Et quidem ex omnibus ijsdem locis, quibus superiora, quia totidem species esse possunt fictæ,quot ueræ. Nam fingere hoc loco, est proponere aliquid, quod si uerum sit, aut soluat quæstionem, aut adiuuet. Deinde id de quo quæritur, facere illi si-

mile. Id quo facilius accipiant iuuenes, nõdum scholam egreßi, primo familiaribus magisq; usitatis exemplis ostendam: Lex est, Qui parentes nõ aluerit, uinciatur. Non alit quis, & uincula nihilominus recusat. Vtitur fictione, si miles, si infans sit, si Reipublicæ causa absit. Et illa cõtra optionem fortium, si tyrannidem petat, si templorũ euersionẽ. Plurimumq; ea res uirium habet cõtra scriptũ. Vtitur his Cicero pro Cecinna: Vnde tu, aut familia, aut procurator tuus, si me uillicus tuus solus deiecisset, opinor, nõ familia deiecisset, sed aliquis de familia. Si uero ne habeas quidẽ seruum, præter eum qui me deiecerit. Et alia in eodẽ libro plurima. Verum eadem fictio ualet & ad qualitates: Si L. Catilina cum suo cõsilio nefariorum hominum, quos secum eduxit, hac de re posset iudicare, cõdemnaret Lucium Murenam. Et ad amplificationem: Si hoc tibi inter cœnã, in illis immanibus poculis tuis accidisset. Sic &: si Respub. uocem haberet. Has ferè sedes accepimus probationum in uniuersum, quas nec generatim tradere sat est, cum ex qualibet earum innumerabilis argumentorũ copia oriatur, nec per singulas species exequi patitur natura rerũ, quod qui sunt facere conati, duo pariter subierunt incõmoda, ut & nimium dicerent, nec tamen totum. Vnde plurimi cũ in hos inexplicabiles laqueos inciderũt, omnem etiã quem ex ingenio suo potuerant habere conatum, uelut astricti certis legum uinculis, perdiderunt, & magistrum respicientes, naturam ducem sequi desierunt. Nam ut per se nõ sufficit scire, omnes probationes, aut à personis, aut à rebus peti: quia utrũq; in plura diuiditur, ita ex antecedẽtibus, & iunctis, & insequẽtibus trahenda esse argumẽta, qui acceperit, protinus in hoc sit instructus, ut quid in quaq; causa dicẽdum sit, ex his sciat, præsertim cum plurimæ probationes in ipso causarũ complexu reperiantur, ita ut sint cum alia lite nulla cõmunes. Eæq; sint & potẽtißimæ, & minime obuiæ, quia communibus ex præceptis propria inueniẽda sunt. Hoc genus argumentorũ sanè dicamus ex circun

ex circũstantia, quia πρόσωπον dicere aliter nõ possumus: uel ex iis, quæ cuiusq; causæ propria sunt, ut in illo adultero sacerdote, qui lege qua unius seruãdi potestatẽ habebat, se ipse seruare uoluit, proprium est cõtrouersiæ dicere: Non unũ nocentem seruabis, quia te adultero dimisso, adulterã occidere nõ licebit. Hoc enim argumentum lex facit, quæ prohibet adulteram sine adultero occidi. Et illa, in qua lex est, ut argentarij dimidium, ex eo quod debebant, soluerent, creditum suũ totum exigerent. Argentarius ab argentario solidũ petit. Proprium ex materia est argumentum creditoris: idcirco adiectum esse in lege, ut argentarius totum exigeret. Aduersus alios enim non opus fuisse lege, cum omnes præterquam ab argẽtarijs totum exigendi ius haberent. Cùm multa autem nouantur in omni genere materiæ, tum præcipue in his quæstionibus, quæ scripto constant, quia uocum est in singulis ambiguitas frequens, adhuc in coniunctis magis. Et hæc ipsa plurium legum, aliorum'ue scriptorum, uel congruentium, uel repugnantium complexu uarientur necesse est, cũ res rei, aut ius iuris, quasi signũ est: Non debui tibi pecuniam, nunquam me appellasti, usuram nõ accepisti, ultrò à me mutuatus es. Lex est: Qui patri proditionis reo non affuerit, exhæres sit. Negat, nisi pater absolutus sit, quid signi? Lex altera: Proditionis damnatus, cum aduocato exulet. Cicero pro Cluentio, P. Popilium, & Titum Guttam dicit nõ iudicij corrupti, sed ambitus esse damnatos, quid signi? quòd accusatores eorũ, qui erant & ipsi ambitus dãnati, è lege sint post hanc uictoriã restituti. Nec minus in hoc curæ debet adhiberi, quid proponẽdũ, quàm quomodo sit quod proposueris probãdum. Hic omnino uis inuentionis si nõ maior, certe prior. Nam ut tela superuacua sunt nescienti quid petat, sic argumẽta, nisi præuideris cui rei adhibenda sint: hoc est, quod comprehendi arte non possit. Ideoq; cum plures eadẽ didicerint, generibus quidem argumentorum similibus utentur, alius tamen alio plura, quibus utatur, inuenict. Sit exempli

exempli gratia proposita controuersia, quæ minime communes cum alijs quæstiones habet: Cum Thebas euertisset Alexander, inuenit tabulas, quibus centum talenta mutuò Thessalis dedisse Thebanos continebatur. Has, quia erat usus commilitio Thessalorum, donauit his ultrò: postea restituti à Cassandro Thebani reposcunt Thessalos: apud Amphictyonas agitur: centum talenta & credidisse eos constat, & nõ recepisse. Lis omnis ex eo, quòd Alexander ea Thessalis donasse dicitur, pendet: constat quoque illud, nõ esse his ab Alexandro pecuniam datam. Quæritur ergo, an perinde sit quod datum est, ac si pecuniam dederit. Quid proderunt argumentorum loci, nisi hæc prius uidero, nihil eum egisse donando, non potuisse donare, non donasse? Et prima quidem actio facilis ac fauorabilis, repetẽtium iure, quod ui sit ablatum. Sed hinc aspera & uehemens quæstio exoritur, de iure belli, dicentibus Thessalis, hoc regna, populos, fines gentium atque urbium contineri. Inueniendum contrà est, quo distet hæc causa à cæteris, quæ in potestatem uictoris uenirẽt, nec circa probationem res hæret, sed circa propositionem. Dicamus primùm, in eo quod in iudicium deduci potest, nihil ualere ius belli: nec armis erepta, nisi armis posse retineri. Itaq; ubi illa ualeant, non esse iudicem: ubi iudex sit, illa nihil ualere. Hoc inueniendum est, ut adhiberi possit argumentum: Ideo captiuos, si in patriam redierint, liberos esse: quia bello parta, nõ nisi eadem ui possideantur. Propriũ & illud causæ, quod Amphictyones iudicant, ut alia apud Centumuiros, alia apud iudicem priuatum in ijsdem quæstionibus ratio sit. Tum secundo gradu nõ potuisse donari à uictore ius, quia id demum sit eius, quod ipse teneat: ius, quòd sit incorporale, apprehendi manu non posse. Hoc reperire difficilius, quàm cum inueneris, argumentis adiuuare: ut alia sit conditio hæredis, alia uictoris, quia ad illum ius, ad hunc res transeat. Proprium deinde materiæ, ius publici crediti transire ad uictorem non potuisse, quia quod populus crediderit,

diderit, omnibus debeatur: & quandiu quilibet unus superfuerit, esse eum totius summæ creditorem. Thebanos autem non omnes in Alexandri manu fuisse. Hoc non extrinsecus probatur, quæ uis est argumenti, sed ipsum per se ualet. Tertij loci pars prior magis uulgaris. Non in tabulis esse ius, idq; multis argumentis defendi potest. Mens quoq; Alexãdri duci debet in dubium, exonerarit eos, an deceperit. Illud iam rursus materiæ proprium, & uelut nouæ controuersiæ, quòd restitutione recepisse ius, etiã si quod amiserint, Thebani uidentur. Hic & quid Cassander uelit, quæritur. Sed uel potentissima apud Amphictyonas æqui tractatio est. Hæc nõ idcirco dico, quòd inutilem horum locorum, ex quibus argumenta ducuntur, cognitionem putem, alioqui nec tradidissem: sed ne si qui cognouerint ista, si cætera negligant, perfectos se protinus atq; consummatos putent: & nisi in cæteris, quæ mox præcipienda sunt, elaborauerint, mutam quandam scientiam se consecutos intelligant. Nec enim artibus editis factum est, ut argumenta inueniremus: sed dicta sunt omnia antequam præciperentur, mox ea scriptores obseruata, & collecta ediderunt. Cuius rei probatio est, quòd exemplis eorum ueteribus utuntur, & ab oratoribus illa repetunt, ipsi nullum nouum, & quod dictum non sit, inueniũt. Artifices ergo illi, qui dixerunt. Sed habenda ijs quoq; gratia est, per quos labor nobis detractus est. Nam quæ priores beneficio ingenij singula inuenerunt, nobis & non sunt requirenda, & nota omnia. Sed nõ magis hoc sat est, quàm palæstram didicisse, nisi corpus exercitatione, cõtinentia, cibis, ante omnia natura iuuetur. Sicut contrà, ne illa quidẽ satis sine arte profuerint. Illud quoq; studiosi eloquẽtiæ cogitent, neq; omnibus in causis ea quæ demonstrauimus, cuncta posse reperiri, neq; cum proposita fuerit materia dicendi, scrutanda singula, & uelut ostiatim pulsanda, ut sciant, an ad probandum id quod intendimus, fortè respondeant, nisi cum discunt, & adhuc usu carent. Infinitam

enim

enim faciet ipsa res dicendi tarditatem, si semper sit necesse, ut tentantes unũquodq; eorum quod sit aptum atq; conueniens, experiẽdo noscamus. Nescio an etiam impedimẽto futura sint, nisi & animi quædam ingenita natura, & studio exercitata uelocitas, rectà nos ad ea quæ conueniant causæ, ferant. Nam ut cantus uocis plurimum iuuat sociata neruorũ concordia, si tamen tardior manus, nisi inspectis, dimensisq; singulis, quibus quæq; uox fidibus iungenda sit, dubitet, potius fuerit esse contentum eo, quod simplex canendi natura tulerit. Ita huiusmodi præceptis debet quidem apta esse, & citharæ modo intenta ratio doctrinæ, sed hoc exercitatione multa consequendum, ut quemadmodum illorum artificum, etiam si *alio spectent, manus tamen ipsa cõsuetudine ad graues, acutos, mediosq; horum sonos fertur, sic oratoris cogitationem nihil moretur hæc uarietas argumentorum & copia, quasi offerat se, & occurrat: & ut literæ syllabæq; scribentium cogitationem non exigunt, sic rationes sponte quadam sequantur.

*alia

De exemplis. CAP. XI.

TErtium est genus ex ijs quæ extrinsecus adducuntur in causam, Græci uocant παράδειγμα, quo nomine & generaliter usi sunt in omni similium appositione, & specialiter in ijs, quæ rerũ gestarum autoritate nituntur. Nostri ferè similitudinẽ uocare maluerunt, quod ab illis παραβολὴ dicitur: hoc alterum, exemplum: quanquã & hoc, simile est: & illud, exemplum. Nos quo facilius propositũ explicemus, utrũq; παράδειγμα esse credamus, & ipsi appellemus exemplum. Nec uereor, ne uidear repugnare Ciceroni, qui collationẽ separet ab exemplo. Nam idem argumentationem diuidit in duas partes, inductionem & ratiocinationem, ut pleriq; Græcorum in παραδείγματα, & ἐπιχειρήματα, dixeruntq; παράδειγμα ἡθικὸν ἐπαγωγήν. Nam illa, qua plurimum est Socrates usus, hanc habuit uiam, cum plura interrogasset, quæ fateri aduersario necesse esset, nouissime id

me id de quo quærebatur, inferebat, cui simile cõcessisset. Id est inductio. Hoc in ratiocinatione fieri non potest. Sed quod illic interrogatur, hic ferè sumitur. Sit igitur illa interrogatio talis: Quod est pomum generosissimum? non ne quod optimum? concederetur. Quis equus generosissimus? non ne qui optimus? & plura in eundem modum. Deinde cuius rei gratia rogatum est, quid homo? non ne is generosissimus qui optimus? Fatendum erit. Hoc in testium interrogatione ualet plurimum, in oratione perpetua dissimile est, etenim sibi ipse respõdet orator: quod pomũ generosissimum? puto quod optimũ: & quis equus? qui uelocissimus: ita hominũ, non qui claritate nascendi, sed qui uirtute maxime excellet. Omnia igitur ex hoc genere sumpta, necesse est aut similia esse, aut dissimilia, aut contraria. Similitudo assumitur interim & ad orationis ornatum. Sed illa cum res exiget: nunc ea quæ ad probationem pertinent, exequar. Potentissimum autem est inter ea, quæ sunt huius generis, quod proprie uocamus exemplum, id est rei gestæ, aut ut gestæ, utilis ad persuadendum id quod intenderis, cõmemoratio. Intuendum igitur, totum simile sit, an ex parte, ut aut omnia ex eo sumamus, aut quæ utilia erunt. Simile est, Iure occisus est Saturninus, sicut Gracchi. Dissimile, Brutus occidit liberos proditionẽ molientes, Manlius uirtutẽ filij morte mulctauit: Contrarium, Marcellus ornamenta Syracusanis hostibus restituit, Verres eadem socijs abstulit. Et probandorum & culpandorum ex his cõfirmatio eosdem gradus habet. Etiam in ijs quæ futura dicemus, utilis similium admonitio est: ut si quis dicens Dionysium idcirco petere custodes salutis suæ, ut eorũ adiutus armis tyrãnidem occupet, hoc referat exẽplum, eadẽ ratione Pisistratũ ad dominationẽ peruenisse. Sed ut sunt exempla interim tota similia, ut hoc proximũ, sic interim ex maioribus ad minora, ex minoribus ad maiora ducũtur: Si propter matrimonia uiolata urbes euersæ sunt, quid fieri adultero par est? Tibicines cum ab

urbe

urbe discessissent, publice reuocati sunt, quãto magis principes ciuitatis uiri: & bene de Repub. meriti, cum inuidiæ cesserint, ab exilio reducendi? Ad exhortationẽ uero præcipue ualẽt imparia. Admirabilior in fœmina quàm in uiro uirtus. Quare si ad fortiter faciendum accendatur aliquis, nõ tantum afferet momenti Horatius & Torquatus, quãtum illa mulier, cuius manu Pyrrhus est interfectus: Et ad moriendũ nõ tam Cato & Scipio, quàm Lucretia. Quod ipsum est ex minoribus ad maiora. Singula igitur horũ generum ex Cicerone (nam unde potius?) exempla ponamus. Simile hoc est pro Murena, Etenim mihi ipsi accidit, ut cũ duobus patritijs, altero improbissimo, atq; audacissimo, altero modestissimo atq; optimo uiro peterem: superaui tamen dignitate Catilinã: gratia Galbam. Maius minoris pro Milone: Negant intueri lucem esse fas ei, qui à se hominẽ occisum esse fateatur. In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? nempe in ea quæ primum iudicium de capite uidit Marci Horatij, fortissimi uiri, qui nõdum libera ciuitate, tamen populi Rom. comitijs liberatus est, cũ sua manu sororem esse interfectã fateretur. Minus maioris: Occidi non Sp. Melium, qui annona leuãda, iacturaq; rei familiaris, quia nimis amplecti plebem uidebatur, in suspicionẽ incidit regni appetẽdi, & cætera. deinde: sed eum (auderet enim dicere, cum patriam periculo liberasset) cuius nefandum adulterium in puluinaribus. Et totus in Clodiũ locus. Dissimile ex se plures causas habet: fit enim genere, modo, tempore, loco, cæterisq;, per quæ ferè omnia Cicero præiudicia, quæ de Cluentio uidebãtur facta, subuertit. Cõtrario uero exemplo censoriam notam, laudando censorem Africanum, qui eum, quẽ peierasse cõceptis uerbis palàm dixisset, testimonium etiam pollicitus, si quis cõtradiceret, nullo accusante traducere equum passus esset. Quæ quia erant longiora, non suis uerbis exposui. Breue autem apud Vergilium contrarij exemplum est:

Aeneid. 2. At non ille, satum quo te mentiris Achilles,

Talis

Talis in hoste fuit Priamo.

Quædam autem ex ijs quæ gesta sunt, tota narrabimus, ut Cicero pro Milone: Pudicitiam cum eriperet militi tribunus militaris in exercitu C. Marij, propinquus eius Imperatoris, interfectus ab eo est, cui uim afferebat. Facere enim probus adolescens periculose, quàm perpeti turpiter maluit: atq; hunc ille summus uir scelere solutum periculo liberauit. Quædam significare satis erit, ut idem ac pro eodem: Neque enim posset ille Hala Seruilius, aut P. Nasica, aut L. Opimius, aut me consule, Senatus non nefarius haberi, si sceleratos interfici nefas esset. Hæc ita dicentur, prout nota erũt, uel utilitas causæ, aut decor postulabit. Eadem ratio est eorum, quæ ex Poëticis fabulis ducuntur, nisi quòd his minus affirmationis adhibetur: cuius usus qualis esse deberet, idem optimus autor, ac magister eloquentiæ ostendit. Nam huius quoq; generis eadem in oratione reperietur exemplum: Itaq; hoc iudices, nõ sine causa etiam fictis fabulis doctissimi homines memoriæ prodiderũt, eum, qui patris ulciscẽdi causa matrem necauisset, uariatis hominum sentẽtijs, non solum diuina, sed etiã sapientissimæ deæ sententia liberatum. Illæ quoq; fabulæ, quæ etiamsi ab Aesopo originem non acceperunt, nam uidetur earum primus autor Hesiodus, nomine tamen Aesopi maxime celebrantur, ducere animos solent, præcipue rusticorũ & imperitorum: qui & simplicius quæ ficta sunt audiunt, & capti uoluptate, facile ijs quibus delectantur, consentiunt. Siquidem & Menenius Agrippa, plebem cum patribus in gratiam traditur reduxisse, nota illa de membris humanis aduersus uentrem discordantibus fabula. Et Horatius, ne in poëmate quidem humilem huius generis usum putauit his uersibus:

Olim quod uulpes ægroto cauta leoni.

Αἶνον Græci uocãt, & ὡσωπικὸν λόγον μυθικόν, ut dixi. Nostrorum quidam nõ sanè recepto in usum nomine apologationẽ. cui cõsine est παροιμίας genus illud, quod est uelut fabella

breuior,& per allegoriam accipitur: Nos noſtrum, inquit, onus, bos clitellas. Proximas exĕplo uires habĕt ſimilitudo, præcipueq; illa, quæ ducitur citra ullam translationum mixturam ex rebus penè paribus: Vt, qui accipere in campo conſueuerunt, ijs candidatis, quorum nummos ſuppreſſos eſſe putant, inimiciſſimi ſolent eſſe: ſic huiuſmodi iudices infeſti tum reo uenerant. Nam παραβολὴ, quam Cicero collationĕ uocat, longius res, quæ comparantur, repetere ſolet. Neq; hominum modo inter ſe opera ſimilia ſpectantur, ut Cicero pro Murena facit: Quòd ſi è portu ſoluentibus, qui iam in portum ex alto inuehuntur, prædicere ſummo ſtudio ſolent, & tempeſtatum rationem, & prædonum, & locorũ: quòd natura fert, ut ijs faueamus, qui eadĕ pericula, quibus nos perfuncti ſumus, ingrediantur: quo me tandĕ animo eſſe oportet, propè iam ex magna iactatione terrã uidentem, in hunc, cui uideo maximas tĕpeſtates eſſe ſubeundas? Sed παραβολὴ à mutis, atq; etiam inanimis interim huiuſmodi ducitur. Et quoniam ſimilium alia facies, in tali ratione, admonendum eſt, rarius eſſe in oratione illud genus, quod εἰκόνα Græci uocãt (in quo exprimitur rerum, aut perſonarũ imago, ut Caßius: Quis iſtam faciĕ planipedis ſenis torquĕs) quàm id quo probabilius fit quod intendimus, ut ſi animum dicas excolendum, ſimilitudine utaris terræ, quæ neglecta ſentes atq; dumos, exculta fructus creat: Aut ſi ad curam reipublicæ horteris, oſtendas apes etiã, formicasq;, nõ modò muta, ſed etiam parua animalia, in commune tamen laborare. Ex hoc genere dictum eſt illud Ciceronis: Vt corpora noſtra ſine mente, ita ciuitas ſine lege, ſuis partibus, ut neruis ac ſanguine, & membris uti nõ poteſt. Sed ut hic corporis humani pro Cluentio, ita pro Cornelio equorum, pro Archia ſaxorum quoq; eſt uſus ſimilitudine. Illa, ut dixi, propiora, Vt remiges ſine gubernatore, ita milites ſine imperatore nihil ualere. Solent tamen fallere ſimilitudinũ ſpecies, ideoq; adhibĕdum eſt his iudicium. Neq; enim ut nauis utiliõr noua quàm uetus, ſic amicitia: uel

uel ut laudanda quæ pecuniam ſuam pluribus largitur, ita quæ formam. Verba ſunt in his ſimilia, largitionis, & uetuſtatis, uis quidem longe diuerſa, pecuniæ & amicitiæ. Itaq; in hoc genere maxime quæritur, an ſimile ſit quod infertur. Etiã in illis interrogationibus Socratis, quarũ paulò antè feci mentionĕ, cauendum, ne incaute reſpõdeas, ut apud Aeſchinem Socraticum male reſpondit Aſpaſia Xenophontis uxor, quod Cicero his uerbis transfert: Dic mihi quæſo Xenophontis uxor, ſi uicina tua melius habeat aurum, quàm tu habes, utrum illius ne, an tuum malis? illius inquit. Quid? ſi ueſtem & cæterum ornatũ muliebrem pretij maioris habeat quàm tu habes, tuũ ne, an illius malis? reſpondit, illius uero. Ageſis, inquit, ſi uirum illa meliorem habeat quàm tu habes, utrum ne tuum uirũ malis, an illius? Hic mulier erubuit: meritò: male enim reſponderat, ſe malle alienum aurum quàm ſuum. Nam eſt id improbum. At ſi reſpondiſſet, ſe malle aurum ſuũ tale eſſe, quale illud eſſet, potuiſſet pudice reſpondere, malle ſe uirũ ſuum talem eſſe, qualis melior eſſet. Scio quoſdã inani diligentia per minutiſſimas partes iſta ſecuiſſe, & aliquid eſſe ſimile minus, ut ſimia homini, & marmora deformata primæ manu: aliquid plus, ut illud: Non ouum tam ſimile ouo. Et diſſimilibus ineſſe ſimile, ut formicæ & elephanto genus, quia ſunt animalia. Et ſimilibus diſſimile, ut canibus catulos, & matribus hœdos, differunt enim ætate. Contrariorum quoq; aliter accipi oppoſita, ut noctem luci: aliter noxia, ut aquam frigidam febri: aliter repugnantia, ut uerum falſo: aliter diſparata, ut dura non duris. Sed quid hæc ad præſens propoſitum magnopere pertineãt, nõ reperio. Illud eſt annotandũ magis, argumẽta duci ex iure ſimili, ut Cicero in Topicis: Et cui domus uſusfructus relictus ſit, nõ reſtituturum hæredĕ, ſi corruerit, quia nõ reſtituat ſeruũ ſi is deceſſerit. Ex contrario, nihil obſtat quò minus iuſtũ matrimonium ſit mĕte coĕuntium, etiam ſi tabulæ ſignatæ nõ fuerint. Nihil enim proderit ſignaſſe tabulas, ſi mĕtem matrimonij non

fuisse constabit. Ex dissimili, quale est Ciceronis pro Cecinna, Si quis me exire domo coëgisset armis, haberĕ actionem: si quis introire prohibuisset, non haberem? Dissimilia sic deprehendun tur, Non si is qui argentum omne legauit, uideri potest signa tam quoq; pecuniam reliquisse, ideo etiam quod est in nomini bus, dari uoluisse creditur. Ἀναλογίαν quidam à simili separauerunt, nos eam subiectam huic generi putamus. Nam ut unum ad decem, sic decĕ ad centum, simile certè est, & ut hostis, sic malus ciuis. Quanquam hæc ulterius quoq; procedere solent. Si turpis dominæ consuetudo cum seruo, turpis domini cum ancilla: si mutis animalibus finis uoluptas, idem homini. Cui rei facilime occurrit ex dissimilibus argumentatio. Non idem est dominum cum ancilla coisse, quod dominam cum seruo. Nec si mutis finis uoluptas, rationabilibus quoq;. Imò ex contrario, quia mutis, ideo non rationabilibus. Abhibetur extrinsecus in causam & autoritas. Hæc secuti Græcos, à quibus κρίσεις dicuntur, iudicia aut iudicationes uocant, non de quibus ex causa dicta sententia est (nam ea quidem in exemplorum locum cedunt) sed si quid ita uisum gentibus, populis, sapientibus uiris, claris ciuibus, illustribus Poëtis, referri potest. Ne hæc quidem uulgò dicta, & recepta persuasione populari sine usu fuerint testimonia. Sunt enim quodammodo uel potentiora, etiam quòd non causis accommodata, sed liberis odio & gratia mentibus: ideo tantum dicta factáq;, quia aut honestissima, aut uerissima uidebantur. An uero me de incommodis uitæ differentem, nõ iuuabit earum persuasio nationum, quæ fletibus natos, lætitia defunctos prosequuntur? Aut si misericordiam commendabo iudici nihil proderit quòd prudentissima ciuitas Athenienſium, non eam pro affectu, sed pro numine accepit? Nam illa septem præcepta sapientum, non ne quasdam uitæ leges existimamus? Si causam ueneficij dicat adultera, nõ M. Catonis iudicio damnata uideatur, qui nullam adulteram non eandem esse ueneficam dixit?

Iam

Iam sententijs quidem Poëtarum non orationes modò sunt refertæ, sed libri etiam philosophorum. Qui quanquam inferiora omnia præceptis suis ac literis credunt, repetere tamen autoritatem à plurimis uersibus non fastidierũt. Neq; est ignobile exemplum, Megareos ab Athenienſibus cum de Salamine contenderent, uictos Homeri uersu, qui tamen ipse non in omni editione reperitur, significans Aiacem naues suas Athenienſibus iunxisse. Ea quoq; quæ uulgò recepta sunt, hoc ipso quòd incertum autorem habent, uelut omnium fiunt, quale est: Vbi amici, ibi opes. Et: Conscientia mille testes. Et apud Ciceronem: Pares autem, ut est in uetere prouerbio, cum paribus facillime congregantur. Neq; enim durassent hæc in æternũ, nisi uera omnibus uiderentur. Ponitur à quibusdam, & quidem in parte prima, deorum autoritas, quæ est ex responsis, ut Socratem esse sapientissimum. Id rarum est, tamen utitur eo Cicero in libro de Haruspicum responsis, & in concione contra Catilinam, cum signum Iouis columnæ impositum populo ostĕdit: Et pro Ligario, cum causam C. Cæsaris meliorem, quia dij hoc iudicauerint, confitetur. Quæ cum propria causæ sunt, diuina testimonia uocantur: cum aliunde arceßuntur, argumĕta. Nonnunquam contingit iudicis quoq;, aut aduersarij, aut eius qui ex diuerso agit, dictum aliquod aut factum aßumere ad eorum quæ intendimus, fidem. Propter quod fuerunt qui exempla, & has autoritates, probationum inartificialium esse arbitrarentur, quòd ea nõ inueniret orator, sed acciperet. Plurimum autĕ refert. Nam testis & quæstio, & his similia, de ipsa re, quæ in iudicio est, pronunciant. Extrà petita, nisi ad aliquam præsentis disceptationis utilitatem ingenio applicantur, nihil per se ualent.

De usu argumentorum. CAP. XII.

HAec ferè de probatione uel ab alijs tradita, uel usu percepta in hoc tĕpus sciebam. Nec mihi fiducia est, ut ea sola esse cõtendam, quinimò hortor ad quærĕdum & inueniri posse

fateor, quæ tamen adiecta fuerint, non multum ab his abhorrebunt. Nunc breuiter quemadmodum sit utendũ his, subiungam. Traditum ferè est, argumentum oportere esse cõfessum. Dubijs enim probari dubia quî possunt? Quædã tamen, quæ in alterius rei probationem ducimus, ipsa probanda sunt. Occidisti uirum, eras enim adultera. Prius de adulterio cõuincendum est, ut cum id cœperit esse pro certo, fiat incerti argumentũ: Spiculum tuũ in corpore occisi inuentum est: negat suũ. Vt probationi prosit, probãdum est. Illud hoc loco monere inter necessaria est, nulla esse firmiora, quàm quæ ex dubijs facta sunt certa. Cædes à te commissa est, cruentam enim uestem habuisti. Non est tam graue argumẽtum si fatetur, quàm si conuincitur. Nam si fatetur, multis ex causis potuit cruenta esse uestis. Si negat, hic causæ cardinem ponit, in quo si uictus fuerit, etiam in sequẽtibus ruit. Non enim uidetur in negãdo mentiturus fuisse, nisi desperasset id posse defendi, si confiteretur. Firmissimis argumentorum singulis instandum, infirmiora congreganda sunt, quia illa per se fortia, nõ oportet circunstantibus obscurare, ut qualia sunt appareant: hæc imbecilla natura, mutuo auxilio sustinentur. Itaq; si non possunt ualere quia magna non sunt, ualebunt quia multa sunt, quæ ad eiusdem rei probationem omnia spectant, ut si quis hæreditatis gratia hominem occidisse dicatur: Hæreditatem sperabas, & magnam hæreditatẽ, & pauper eras: & tum maxime à creditoribus appellabaris, & offenderas eum, cuius hæres eras, & mutaturum tabulas sciebas. Singula leuia sunt & communia, uniuersa uero nocent, etiamsi non ut fulmine, tamen ut grandine. Quædam argumẽta ponere satis non est, adiuuãda sunt, ut si cupiditas causa sceleris fuit, quæ sit uis eius, ira, quantum efficiat in animis hominũ talis affectio: ita & firmiora erũt ipsa, & plus habebunt decoris, si nõ nudos & uelut carne spoliatos artus ostenderint. Multum etiam refert, si argumẽto nitemur odij: utrũ hoc ex inuidia sit, an ex iniuria, an ex ambitu: uetus

uetus an nouum: aduersus inferiorem, parem, an superiorem: alienũ, an propinquum. Suos habent omnia ista tractatus, & ad utilitatem partis eius, quam tuemur, referenda sunt. Nec tamen omnibus semper, quæ inuenerimus, argumentis onerandus est iudex, quia & tædium afferunt, & fidem detrahunt. Neq; enim potest iudex credere satis esse ea potentia, quæ nõ putamus ipsi sufficere, qui dicimus. In rebus uero apertis argumentari tam sit stultum, quàm in clarissimum solem mortale lumen inferre. His quidam probationes adijciunt, quas παθητικὰς uocant, ductas ex affectibus. Atq; Aristoteles quidem potentissimum putat ex eo qui dicit, si sit uir optimus: quod ut optimũ est, ita longe quidẽ, sed sequitur tamẽ, uideri. Inde enim illa nobilis Scauri defensio: Q. Varius Sucronensis ait, Aemilium Scaurum Remp. populi Romani prodidisse. Aemilius Scaurus negat. Cui simile quiddam fecisse Iphicrates dicitur, qui cum Aristophontem, quo accusante similis criminis reus erat, interrogasset, an is accepta pecunia naues proditurus esset, isq; id negasset: Quod igitur, inquit, tu non fecisses, ego feci? Intuendum autem, & qui sit apud quem dicimus, & id quod illi maxime probabile uideatur, requirendum. Qua de re locuti sumus, & in proœmij, & in suasoriæ præceptis. Altera ex affirmatione probatio est. Ego hoc feci, tu mihi hoc dixisti. Et, O facinus indignum, & similia, quæ non debent deesse quidem orationi: & si desunt, multum nocent: non tamen habenda sunt inter magna præsidia, cũ hoc in eadẽ causa fieri ex utraq; parte similiter possit. Illæ firmiores ex sua cuiusq; persona probationes, quæ credibilem rationem subiectam habẽt, ut uulneratus, aut filio orbatus, nõ fuerit alium accusaturus quàm nocentem, quando si negotium innocenti facit, liberet eum noxa, qui admiserit. Hinc & patres aduersus liberos, & aduersus suos quisq; necessarios, autoritatem petunt. Quæsitum etiam, potẽtissima argumenta primo ne ponenda sint loco, ut occupent animos: an summo, ut inde dimittant

tant: an partita primo summoq́; , ut Homerica dispositione Nestoris in medio sint infirma, an à minimis crescant. Quæ prout ratio causæ cuiusq; postulabit, ordinabuntur: uno, ut ego censeo, excepto, ne à potentissimis ad leuissima decrescat oratio. Ego hæc breuiter demonstrasse contentus, ita posui, ut locos ipsos, & genera, quàm possem apertissime ostenderẽ. Quidam executi sunt uerbosius, quibus placuit, proposita locorum communium materia, quo quæq; res modo dici posset, ostẽdere. Sed mihi superuacuum uidebatur. Nam & ferè apparet quid in inuidiam, quid in auaritiã, quid in testem inimicum, quid pro teste amico dicendum sit. Et de his omnia dicere infinitum est, tam hercule, quàm si controuersiarum, quæ sunt, quæq; futuræ sunt, quæstiones, argumenta, sententias tradere uelim. Ipsas autem argumentorum uelut sedes, nõ me quidem omnes ostendisse confido, plurimas tamen. Quod eò diligentius faciendum fuit, quia declamationes, quibus ad pugnam forensem, uelut præpilatis, exerceri solebamus, olim iam ab illa uera imagine orandi recesserunt, atq; ad solam compositæ uoluptatem neruis carent, non alio mediusfidius uitio dicẽtium, quàm quo mancipiorum negociatores formæ puerorum uirilitate excisa lenocinantur. Nam ut illi robur ac lacertos, barbamq́; ante omnia, & alia, quæ natura propria maribus dedit, parum existimant decora, quæq; fortia, si liceret, forent, ut dura molliunt: ita nos habitũ orationis ipsum uirilem, & illam uim stricte, robusteq́; dicendi teneram quadam elocutionis cute operimus, & dum leuia sint, ac nitida, quantum ualeant nihil interesse arbitramur. Sed mihi naturam intuenti, nemo non uir spadone formosior erit. Nec tam auersa unquam uidebitur ab opere suo Prouidẽtia, ut debilitas inter optima inuenta sit. Nec id ferro speciosum fieri putabo, quod si nasceretur, monstrum erat. Libidinem licet iuuet ipsum effœminati sexus mendacium, nunquam tamen hoc continget malis moribus regnum, ut siqua pretiosa fecit, fecerit & bona.

Quapro

Quapropter eloquentiam licet hanc (ut sentio enim dicã) libidinosam, resupina uoluptate auditoria probent, nullam esse existimabo, quæ ne minimũ quidẽ in se indiciũ masculini & incorrupti, ne dicã grauis, & sancti uiri, ostendet. An uero statuarũ artifices, pictoresq́; clarissimi, cum corpora quàm speciosissima fingendo, pingendo´ue effingere cuperent, nunquã tamẽ in hũc inciderunt errorẽ, ut Bagoam, aut Megabyzum aliquẽ, in exẽplum operis aßumerẽt sibi: sed Doryphoron illum, aptũ uel militiæ, uel palæstræ, aliorũ quoq; iuuenum bellicosorũ, & athletarum corpora *uere decora existimauerũt? Nos qui oratorẽ stu demus effingere, nõ arma, sed tympana eloquentiæ demus? Igitur & ille, quẽ instituimus, adolescens, quàmmaxime potest, cõponat se ad imitationẽ ueritatis, inituruśq; frequẽter forensium certamnum pugnam, iam in schola uictoriam spectet, & ferire uitalia, ac tueri sciat. Et præceptor id maxime exigat, & inuẽtum præcipue probet. Nã ut ad peiora iuuenes laude ducũtur, ita laudari in bonis *gaudent. Nũc illud mali est, quòd necessaria plerunq; silentio transeunt, nec in dicendo uidetur inter bona utilitas. Sed hæc & in alio nobis tractata sunt opere, & in hoc sæpe repetenda. Nunc ad ordinem inceptum reuertamur.

*decorare exist.

*mallent

De refutatione. CAP. XIII.

Refutatio dupliciter accipi potest. Nam & pars defensoris tota est posita in refutatione, & quæ dicta sunt, ex diuerso debent utrinq; dissolui, & hoc est proprie dissolui, cui in causis quartus aßignatur locus. Sed utriusq; similis conditio est. Neq; uero ex alijs locis ratio argumentorum in hac parte peti potest, quàm in confirmatione: nec locorum, aut sententiarum, aut uerborum, & figurarum alia conditio est. Affectus plerũq; hæc pars mitiores habet. Nõ sine causa tamen difficilius semper est creditũ (quod Cicero sæpe testatur) defendere, quàm accusare. Primùm, quòd est res illa simplicior. Proponitur enim uno modo, uarie dissoluitur, cũ accusatori satis sit plerũq; uerũ esse id,

quod obiecerit. Patronus neget, defendat, trãsferat, excuſet, deprecetur, molliat, minuat, auertat, deſpiciat, derideat. Quare in directa ferè, atq; (ut ſic dixerim) clamoſa eſt actio. Hinc mille flexus, & artes deſiderantur. Tum accuſator præmeditata pleraq; domo affert. Patronus etiam inopinatis frequenter occurrit. Accuſator dat teſtem. Patronus ex re ipſa refellit. Accuſator criminum inuidia, & ſi falſa ſit, materiam dicendi trahit, de parricidio, ſacrilegio, maieſtate: quæ patrono tantum negãda ſunt. Ideoq; accuſationibus etiam mediocres in dicendo ſuffecerunt: bonus defenſor nemo, niſi qui eloquẽtiſſimus fuit. Nam ut quod ſentio ſemel finiam, tanto eſt accuſare, quàm defendere, quanto facere, quàm ſanare uulnera, facilius. Plurimum autem refert, & quid protulerit aduerſarius, & quo modo. Primum igitur intuendum eſt id, cui reſponſuri ſumus, proprium ſit eius iudicij, an ad cauſam extrà accerſitum. Nam ſi proprium, aut negandum, aut defendendum, aut transferendum: extra hæc in iudicijs ferè nihil eſt. Deprecatio quidem, quæ eſt ſine ulla ſpecie defenſionis, rara admodum, & apud eos ſolos iudices, qui nulla certa pronunciandi forma tenentur: quãquàm illæ quoq; apud C. Cæſarem, & triumuiros pro diuerſarum partium hominibus actiones, etiam ſi precibus utuntur, adhibent tamen patrocinia, niſi hoc non fortißime defendentis eſt, dicere: Quid aliud egimus Tubero, niſi ut quod hic poteſt, nos poſſemus? Quòd ſi quando apud principem, aliuḿue, cui utrum uelit liceat, dicemus: dignum quidem morte eum pro quo loquemur, clementia tamen ſeruandum eſſe uel talem. Primùm omnium nõ erit res nobis cum aduerſario, ſed cũ iudice, deinde forma deliberatiuæ magis materiæ, quàm iudicialis utemur: ſuadebimus enim ut laudẽ humanitatis potius, quàm uoluptatẽ ultionis concupiſcat. Apud iudices quidem ſecundum leges dicturos ſententiam, de cõfeſſis præcipere ridiculum eſt. Ergo quæ neq; negari, neq; transferri poſſunt, utiq; defendenda ſunt, qualiacunq; ſint, aut cauſa cedendum

dendum. Negandi duplicem oſtendimus formam, aut nõ eſſe factum, aut non hoc eſſe, quod factum ſit. Quæ neq; defendi, neq; transferri poſſunt, utiq; negãda, nec ſolum ſi finitio poteſt eſſe pro nobis, ſed etiam ſi nuda inficiatio ſupereſt. Teſtes erunt: multa in eos dicere licet. Chirographum: de ſimilitudine literarum diſſerendũ. Vtiq; nihil erit peius quàm confeßio. Vltima eſt actionis controuerſia, cum defendendi negandíue, non eſt locus, translatio. Atqui quædã ſunt, quæ nec negari, nec defendi, nec transferri poſſunt. Adulterij rea eſt, quæ cum anno uiduæ fuiſſet, enixa eſt, lis non erit. Quare illud ſtultißime præcipitur, quod defendi nõ poßit, ſilẽtio diſſimulandum: ſiquidem eſt id, de quo iudex pronuntiaturus eſt. At ſi extra cauſam ſit adductum, & tamen coniunctum, malim quidẽ dicere, nihil id ad quæſtionem, nec eſſe in his morandum, & minus eſſe, quàm aduerſarius dicit: tamen uelut huic ſimulationi obliuionis ignoſcam. Debet enim bonus aduocatus pro rei ſalute breuem negligentiæ reprehenſionẽ non pertimeſcere. Videndum etiã, an ſimul nobis plura aggredienda, an amolienda ſingula. Plura ſimul inuadimus, ſi aut tam infirma ſunt, ut pariter impelli poßint: aut tam mole ſta, ut pedẽ conferre cum ſingulis nõ expediat. Tum enim toto corpore enitendum, & (ut ſic dixerim, *detecta fronte pugnãdum eſt. Interim ſi reſoluere ex parte diuerſa dicta difficilius erit, noſtra argumẽta cũ aduerſariorum argumẽtis cõferemus, ſi modò hoc, ut ualẽtiora uideãtur, effici poterit. Quæ uero turba ualebunt, diducẽda erũt, ut paulò antè dixi: Eras hæres, & pauper, & magna pecunia appellabaris à creditoribus, & offendéras, & mutaturum tabulas teſtamenti ſciebas. Vrgent uniuerſa. At ſi ſingula quæq; diſſolueris, iam illa flamma, quæ magna cõgerie cõualuerat, diductis quibus alebatur, cõcidet. Vt ſi uel maxima flumina in riuos diducãtur, quàlibet tranſitũ præbẽt. Itaq; propoſitio quoq;, ſecundum hanc utilitatẽ accõmodabitur, ut ea nunc ſingula oſtendamus, nunc complectamur uniuerſa. Nam interim

*directa

interim quod pluribus collegit aduersarius, satis est semel proponere, ut si multas causas faciendi quod arguit, reo dicet accusator fuisse, nos non enumeratis singulis, semel hoc intuendum negemus, quia non quisquis causam faciendi sceleris habuit, & fecerit. Sæpius tamen accusatori congerere argumenta, reo dissoluere expediet. Id autem quod erit ab aduersario dictũ, quomodo refutari debeat, intuendum est. Nam si erit palàm falsum, negare satis est, ut pro Cluentio Cicero, eum quem dixerat accusator epoto poculo concidisse, negat eodem die mortuum. Palàm etiam contraria & superuacua, & stulta reprehendere nullius artis est. Ideoq; nec rationes eorũ, nec exempla tradere necesse est. Id quoq; (obscurum uocant) quod secretò, & sine teste, aut argumento dicitur factum, satis natura sua infirmũ est. Sufficit enim quòd aduersarius non probat. Item si ad causam non pertinet. Sed tamẽ interim oratoris est efficere, ut quid aut contrarium esse, aut à causa diuersum, aut incredibile, aut superuacuum, aut nostræ potius causæ uideatur esse coniunctum. Obijcitur Oppio, quòd de militum cibarijs detraxerit: Asperum crimen: sed id contrarium ostendit Cicero, quia ijdem accusatores obiecerunt Oppio, quòd his uoluerit largiendo corrumpere exercitum. Testes in Cornelium accusator lecti à tribuno codicis pollicetur: facit hoc Cicero superuacuum, quia ipse fateatur. Petit accusationẽ in Verrem Q. Cæcilius, quòd fuerat quæstor eius: ipsum Cicero ut pro se uideretur, effecit. Cætera quæ proponuntur, communes locos habent. Aut enim coniectura excutiuntur, an uera sint: aut finitione, an propria: aut qualitate, an inhonesta, iniqua, improba, inhumana, crudelia, & cætera, quæ ei generi accidunt. Eaq; nõ modò in propositionibus, aut rationibus, sed in toto genere actionis intuenda, an sit crudelis, ut Labieni in Rabiriũ lege perduellionis: Inhumana, ut Tuberonis, Ligarium exulem accusantis, atq; id agentis, ne ei Cæsar ignoscat: Superba, ut in Oppiũ ex epistola Cottæ reũ factũ. Proinde præci

præcipites, insidiosæ, imponentes deprehenduntur. Ex quibus tamen fortissime inuaseris, quod est aut omnibus periculosum, ut dicit Cicero pro Tullio, Quis hoc statuit unquam, aut cui cõcedi sine summo omnium periculo potest, ut eum iure potuerit occidere, à quo metuisse se dicat, ne ipse posterius occideretur? Aut ipsis iudicibus, ut pro Oppio monet pluribus, ne illud actionis genus in equestrem ordinem admittant. Nõnunquàm tamẽ quædam bene contemnuntur, uel tanquam leuia, uel tanquã ad causam nihil pertinentia. Multis hoc locis facit Cicero. Sed hæc simulatio interim hucusq; procedit, ut quæ dicendo refutare nõ possumus, quasi fastidiendo calcemus. Quoniam uero maxima pars eorum similibus constat, rimandum erit diligẽtissime, quid sit in quoq; quod assumitur dissimile. Id in iure facile deprehenditur. Est enim scriptum de rebus utiq; diuersis, tantoq; magis ipsa rerum differentia potest esse manifesta. Illas uero similitudines quæ ducuntur ex mutis animalibus, aut inanimis, facile est eludere. Exempla rerum uarie tractanda sunt, si nocebunt: quæ si dubia erunt, fabulosa dicere licebit: sin uera, maxime quidem dissimilia. Neq; enim fieri potest, ut paria sint omnia: ut si Nasica post occisum Gracchum defendatur exemplo Halæ, à quo Melius est interfectus, Melium regni affectatorẽ fuisse, à Gracho leges modò latas esse populares, Halam magistrum equitũ fuisse, Nasicam priuatum esse dicatur. Si defecerint omnia, tum uidendum erit, an obtineri possit, ne illud quidem recte factum. Quod de exemplis, idem etiam de iudicatis obseruandũ. Quod autẽ posui, referre quo quicq; accusator modo dixerit, huc pertinet, ut si est minus efficaciter locutus, ipsa eius uerba ponantur: si acri & uehementi usus fuerit oratione, eandẽ rem nostris uerbis mitioribus proferamus, ut Cicero de Cornelio, Codicem attigit: & protinus cum quadam defensione, ut si pro luxurioso dicẽdum sit, Obiecta est paulò liberalior uita. Sic & pro sordido parcum, & pro maledico liberum dicere licebit. Vtique

nunquam

nunquam cõmittendum est,ut aduersariorũ dicta cum sua cõfir matione referamus, aut etiam loci alicuius executione adiuue= mus,nisi cũ eludenda. Apud exercitũ mihi fueris,inquit,tot an= nis fòrum nõ attigeris,abfueris tandiu, & cũ tam longo inter= uallo ueneris,cum ijs qui in fòro habitauerunt, de dignitate con tendas. Præterea in cõtradictionibus,interim totum crimẽ expo nitur,ut Cicero pro Scauro cõtra Bostarem facit, uelut oratio= nem diuersæ partis imitatus. Aut pluribus propositionibus iun= ctis,ut pro Vareno:Cum iter per agros,& loca sola faceret cũ Populeno,in familiam Ancharianam incidisse dixerunt, deinde Populenum occisum esse,illico Varenum uinctũ,adseruatũ,dum hic ostenderet,quid de eo fieri uellet. Quod est utiq; faciendũ, si erit incredibilis rei ordo,& ipsa expositione fidem perditu= rus. Interim per partes dissoluitur,& quod cõtextu nocet,ple= runq; id est tutius. Quædam contradictiones natura sunt singu læ. Id exemplis non eget. Communia bene apprehenduntur,nõ tantum quia utriusq; sunt partis,sed quia plus prosunt respon= denti:neq; enim pigebit,quod sæpe monui,referre:Cõmune qui prior dicit,contrarium facit. Est enim contrarium quo aduersa rius bene uti potest. At enim, non uerisimile est tantum scelus M. Cottam esse commentum. Quid?hoc uerisimile est tantum sce lus Oppium esse conatum? Artificis autem est inuenire in actio= ne aduersarij,quæ in semetipsa pugnent, aut pugnare uidean= tur,quæ aliquando ex rebus ipsis manifesta sunt,ut in causa Cæ liana,Clodia aurum se Cælio commodasse dicit, quod signũ ma gnæ familiaritatis est:uenenum sibi paratũ, quod summi odij ar gumentum est. Tubero Ligarium accusat,quòd is in Africa fue rit:& queritur,quòd ab eo ipse in Africã nõ sit admissus. Ali= quando uero præbet eius rei occasionem, minus considerata ex aduerso dicentis oratio: quod accidit præcipue cupidis senten= tiarum,ut ducti occasione dicendi,nõ respiciant quid dixerint, dum locum præsentem,non totam causam intuentur. Quid tam

uideri

uideri potest contra Cluentium quàm censoria nota? Quid tam contra eundem, quàm filium ab Egnatio corrupti iudicij, quo Cluentius Opianicum circumuenisset,crimine exhæredatum? At hæc Cicero pugnare inuicem ostendit: Sed tu Acci consideres, censeo,diligenter, utrum Censorium iudicium graue uelis esse, an Egnatij. Si Egnatij,leue est quod Censores de cæteris subscri pserunt. Ipsum enim Cn. Egnatium,quem tu grauem esse uis,de senatu eiecerunt. Sin autem Censorium hũc ipsum Egnatium, quem pater Censoria subscriptione exhæredauit, Censores in senatu,cum patrem eiecissent,retinuerunt. Illa magis uitiose di cuntur,quàm acute reprehenduntur,argumentum dubium pro necessario,controuersum pro confesso, commune pluribus pro proprio,uulgare, superuacuum, serius constitutum, contra fi= dem. Nam & illa accidunt parum cautis, ut crimen augeant quod probandum est,de facto disputent,cum de autore quæra= tur,impossibilia aggrediantur, pro effectis relinquant uixdum inchoata,de homine dicere,quàm de causa malint,hominum ui= tam rebus assignent:ut si quis Decemuiratum accusct, non Ap= pium,manifestis repugnẽt,dicant quòd aliter accipi possit,sum= mam quæstionis non intueantur,non ad proposita respõdeant. Quod unum aliquando recipi potest,cum mala causa adhibitis extrinsecus remedijs tuenda est, ut cum peculatus Verres reus fortiter,& industrie tutatus contra piratas Siciliam dicitur. Ea dem aduersus contradictiones nobis oppositas præcepta sunt. Hoc tamen amplius,quòd circa eas multi duobus uitijs diuersis laborant. Nam quidam etiam in fòro tanquã molestam rem & odiosam prætereunt,& his plerunq;, quæ composita domo at= tulerunt,contenti,sine aduersario dicunt: etsi licet multo ma= gis in scholis, in quibus non solum contradictiones omittun= tur,uerum etiam ipsæ materiæ sic plerũq; finguntur, ut nihil di ci pro altera parte possit. Alij diligẽtia lapsi,uerbis etiã uel sen tentiolis omnibus respondendum putant, quod est & infinitum

& su

& ſuperuacuum:nõ enim cauſa reprehenditur,ſed actor,quem ego ſemper uideri malim ſic diſertũ, ut ſi dixerit quod rei profuerit,ingenij credatur laus eſſe,non cauſæ: ſiquando forte non lædat,cauſæ, non ingenij culpa. Itaq; illæ reprehenſiones, aut obſcuritatis,qualis in Rullum fuit,aut infantiæ in dicendo,qualis in Piſonem, aut inſcitiæ rerum, uerborumq;, & inſulſitatis etiam,qualis in Antonium eſt,accõmodantur iuſtis odijs,ſuntq; utiles ad conciliandum ijs,quos inuiſos facere uolueris, odium.

*oratio Alia reſpondendi patronis ratio,& aliquando non eorum * ratio modò,ſed uita etiam,uultus deniq;,inceſſus,habitus recte incuſari ſolet. Vt aduerſus Quintium Cicero non hæc ſolum,ſed ipſam etiam prætextam dimiſſam ad talos inſectatus eſt.Preſſerat enim turbulentis cõcionibus Cluentium Quintius. Nõnunquàm eleuandæ inuidiæ gratia,quæ aſperius dicta ſunt, eludun tur, ut à Cicerone Triarius cum Scauri columnas per urbem plaustris uectas eſſe dixit: Ego porrò, inquit, qui Albanas habeo columnas clitellis eas apportaui.Et magis hoc in accuſatores conceßum eſt, quibus cõuitiari aliquando patrocinij fides cogit. Illa uero aduerſus omnes & recepta, & non inhumana conqueſtio, ſi callide quid tacuiſſe, breuiaſſe, obſcuraſſe, diſtuliſſe dicuntur.Defenſionis quoq; permutatio reprehenditur ſæpe,ut fecit Accius aduerſus Cluentium, Aeſchines aduerſus Cteſiphontem: cùm ille Ciceronem lege uſurum modò,hic minime de lege dicturum Demoſthenem queritur. Declamatores uero in primis ſunt admonendi,ne cõtradictiones eas ponant,quibus facilime reſponderi poßit,neu ſibi ſtultum aduerſarium fingãt. Facimus autem,quòd maxime uberes loci, populareſq; ſententiæ naſcuntur, materiam dicendi nobis quò uolumus ducentibus,ut non ſit ille inutilis uerſus:

Non male reſpondit,male enim prior ille rogarat.

Fallet hæc nos in foro cõſuetudo,ubi aduerſario,non ipſi nobis reſpõdebimus.Aiunt Accium interrogatum,cur cauſas nõ ageret

ret,cum apud eum in tragœdijs tanta uis eſſet, optime reſpondendi,hanc reddidiſſe rationem, quòd illic ea dicerentur, quæ ipſe uellet,in foro eſſent dicturi aduerſarij,quæ minime uellet. Ridiculum eſt ergo in exercitationibus quæ foro præparantur, prius cogitare quid reſponderi,quàm quid ex diuerſo dici poſſit.Et bonus præceptor non minus diſcipulum laudare debet, ſi quid pro diuerſa,quàm ſi quid pro ſua parte acriter excogitauit.Rurſus aliquid in ſcholis permittendum ſemper, in foro rarò.Nam loco à petitore primo contradictione uti quî poßumus,ubi uera res agitur, cum aduerſarius adhuc nihil dixerit? Incidunt tamen pleriq; in hoc uitium, uel conſuetudine declamatoria,uel etiam cupiditate dicendi,dantq; de ſe reſpondentibus uenuſtiſſimos luſus,cum modò ſe uero nihil dixiſſe, nec tam ſtulte dicturos, modò bene admonitos ab aduerſario, & agere gratias,quòd adiuti ſint,iocantur.Frequentiſſime uero,id quod firmiſſimum eſt, nunquam ijs reſponſurum aduerſarium fuiſſe, quæ propoſita non eſſent,niſi ſciret illa uera eſſe,& ad fatendũ conſcientia eſſet impulſus, ut pro Cluentio Cicero: Nam hoc perſæpe dixiſti,tibi ſic renunciari, me habere in animo cauſam hanc præſidio legis defendere,ita ne eſt? ab amicis imprudentes uidelicet prodimur:& eſt neſcio quis de ijs, quos amicos nobis arbitramur,qui noſtra conſilia ad aduerſarium deferat. Quiſnã tibi hoc renunciauit? Quis tam improbus fuit? cui autem ego narraui? nemo,ut opinor,in culpa eſt,nimirũ tibi iſtud lex ipſa renunciauit. At quidam contradictione non contenti,totos etiã locos explicant.Scire ſe hoc dicturos aduerſarios,& ita perſecuturos.Quod factum uenuſte temporibus noſtris eluſit Vibius Criſpus,uir ingenij iucundi & elegantis.Ego uero, inquit, iſta non dico.Quid enim attinet illa bis dici? Nonnunquàm tamen aliquid ſimile contradictioni poni poteſt, ſi quid ab aduerſario teſtationibus comprehenſum, in aduocationibus iactatum. Reſpondebimus enim rei ab illis dictæ,non à nobis excogitatæ,

aut, si id genus erit causæ, ut proponere posimus certa, extra quæ nihil dici possit, ut cum res furtiua in domo deprehẽsa sit, dicat necesse est reus, aut se ignorante illatam, aut depositam apud se, aut donatam sibi, quibus omnibus, etiam si proposita non sint, responderi potest. At in scholis recte, & * interpellationibus & contradictionibus occurremus, ut in utrunq; locũ, id est, primum & secundum, simul exerceamur: quod nisi fecerimus, nunquam utemur contradictione. Non enim erit cui respondeamus. Est & illud uitium nimium soliciti, & circa omnia momenta luctantis. Suspectam enim facit iudici causam, & frequenter, quæ statim dicta omnem dubitationem sustulissent, dilata ipsis præparationibus fidẽ perdunt, quia patronus & alijs crediderit opus fuisse. Fiduciam igitur orator præ se ferat, semperq; ita dicat, tanquam de causa optime sentiat. Quod (sicut omnia) in Cicerone præcipuum est. Nam illa summa cura securitatis est similis, tantaq; in oratione autoritas, ut probationis locum obtineat, dubitare nobis non audentibus. Porrò qui scierit, quid pars aduersa, quid nostra habeat ualentissimum, facile iudicabit, quibus maxime rebus, uel occurrendum sit, uel instandum. Ordo quidem in parte nulla minus affert laboris. Nam si agimus, nostra confirmanda sunt primum, tum quæ nostris opponuntur, refutanda. Si respondemus, prius incipiendum est à refutatione. Nascuntur autem ex ijs, quæ contradictioni opposuimus, aliæ contradictiones, euntq; interim longius, ut gladiatorũ manus, quæ secundæ uocantur: fiunt & tertiæ, si prima ad euocandum aduersarij ictum prolata erit: & quartæ, si geminata captatio est, ut bis etiam cauere, bis repetere oportuerit. Quæ ratio & ultrà ducit. Sed illam etiam, quam suprà ostendi, simplicẽ ex affectibus, atq; ex affirmatione sola probationem recipit refutatio, qualis est illa Scauri, de qua dixi suprà. Quin nescio, an etiam frequentior ubi quid negatur. Videdum præcipue utriq; parti, ubi sit rei summa. Nam ferè accidit, ut in causis multa dicantur

*probationibus

cantur, de paucis iudicetur. In his probandi refutandiq; ratio est, sed adiuuanda uiribus dicentis, & adornanda. Quamlibet enim sint ad docendum quod uolumus accõmodata, tamen erũt infirma, nisi maiore quodã oratoris spiritu impleantur. Quare & illi cõmunes loci, de testibus, de tabulis, de argumẽtis, alijsq; similibus magnam uim animis iudicum afferunt, & ij proprij, quibus factum quodq; laudamus, aut contrà, iustum uel iniustũ docemus, maius aut minus, asperius aut mitius. Ex his autẽ alij ad probationem singulorum argumentorum faciunt, alij ad plurium, alij ad totius causæ inclinationẽ. Ex quibus sunt qui præparent animum iudicis, sunt qui confirment. Sed præparatio quoq; aut confirmatio aliquando totius causæ est, aliquãdo partium, & proinde, ut cuiq; conueniunt, subijcienda. Ideoq; miror inter duos diuersarum sectarum uelut duces non mediocri contentione quæsitum, singulisne quæstionibus subijciendi essent loci, ut Theodoro placet, an prius docendus iudex, quàm mouẽdus, ut præcipit Apollodorus, tanquam perierit hæc ratio media, & nihil cum ipsius causæ utilitate sit deliberandum. Hæc præcipiunt, qui ipsi non dicunt in foro, ut acies à securis, ociosisq; compositæ, ipsa pugnæ necessitate turbentur. Nãq; omnes ferè qui legem dicendi quasi quædam mysteria tradiderũt, certis non inueniendorum modo argumentorum locis, sed concludendorum quoq; nos præceptis alligauerunt, de quibus breuissime prælocutus, quid ipse sentiam, id est, quid clarissimos oratores fecisse uideam, non tacebo.

Quibus constet Epichirema, & quomodo refellatur. CAP. XIIII.

IGitur enthymema, & argumentum ipsum, id est, rem quæ probationi alterius adhibetur appellant, & argumenti elocutionem. Eam uero (ut dixi) duplicẽ: Ex cõsequentibus, quod habet propositionem, coniunctamq; ei protinus probationem, quale pro Ligario: Causa tũ dubia, quòd erat aliquid in utraq;

parte,quod probari posset: nunc melior certe ea iudicanda est, quam dij adiuuerunt. Habet enim rationem propositionemq; non habet conclusionem. Ita est ille imperfectus syllogismus. Expugnantibus uerò, quod etiam solum enthymema quidam uocant, fortior multò probatio est. Tale est Ciceronis pro Milone: Eius mortis sedetis ultores, cuius uitam si putetis per uos restitui posse, nolitis. Quod quidem etiam aliquando multiplicari solet, ut est ab eodem, & pro eodem reo factum: Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc uoluit cum aliquorum querela? quem iure, quem loco, quem tempore, quem impunè non est ausus, hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, cũ periculo capitis non dubitauit occidere? Optimum autem uidetur enthymematis genus cum proposito dissimili, uel contrario, ratio subiungitur, quale est Demosthenis: Non enim si quid unquam cõtra leges factum est, idq; tu es imitatus, idcirco te conuenit pœna liberari: quin è contrario damnari multo magis. Nam ut si quis eorum damnatus esset, tu hæc non scripsisses, ita damnatus si tu fueris, non scribet alius. Epichirematos, & quatuor, & quinq;, & sex etiam factæ sunt partes à quibusdam, Cicero maxime quinque defendit, ut sit propositio, deinde ratio eius, tum assumptio, & eius probatio, quinta cõplexio. Quia uero interim & propositio non egeat rationis, & assumptio probationis, nonnunquàm etiã cõplexione opus non sit, quadripartitam, & tripartitam, & bipartitam quoq; fieri posse ratiocinationem, nubi & plurimis nihilominus autoribus tres ad summũ uidentur. Nã ita se habent ista natura, ut sit de quo quæratur, & per quod probetur, tertium adijci potest uelut ex consensu duorũ antecedentium. Ita erit prima intẽtio, secunda assumptio, tertia connexio. Nam confirmatio primæ ac secundæ partis & exornatio, eisdem cedere possunt, quibus subijciuntur. Sumamus autem ex Cicerone quinq; partium exemplũ: Melius gubernãtur ea quæ consilio reguntur, quàm quæ sine cõsilio administrantur. Hanc primam

primam partem numerat, eam deinceps rationibus uarijs, & quàmcopiosissimis uerbis approbari putat oportere. Hoc ego totum cũ sua ratione unũ puto, alioqui si ratio pars est, est autẽ uaria ratio, plures partes esse dicantur. Assumptionẽ deinde ponit: Nihil autẽ omnium rerũ melius, quàm omnis mũdus administratur. Huius assumptionis quarto in loco aliã porrò inducunt approbationem, de quo idem quod suprà, dico. Quinto inducũt loco complexionẽ, quæ aut infert solũ quod ex omnibus partibus cogitur, hoc modo: Cõsilio igitur mũdus administratur: aut unum in locũ cũ* cõduxerit breuiter expositionẽ & assumptionem, adiungit quid ex his cõficiatur, ad hũc modũ: Quòd si melius geruntur quæ cõsilio, quàm quæ sine cõsilio administrãtur, nihil autẽ omnium rerũ melius quàm omnis mundus administratur, cõsilio igitur mundus administratur. Cui parti cõsentio. In tribus autẽ, quas fecimus partibus, nõ est forma semper eadẽ, sed una in qua idem cõcluditur, quod intenditur. Anima immortalis est. Nam quicquid ex seipso mouetur, immortale est, anima aũt ex seipsa mouetur, immortalis igitur est anima. Hoc fit non solũ in singulis argumẽtis, sed in totis causis, quæ sunt simplices, & in quæstionibus. Nam & hæ primã habent expositionẽ. Sacrilegium cõmisisti, hominẽ occidisti. Non quisquis hominẽ occidit, cædis reus tenetur. Deinde rationẽ. Sed hæc est in causis & quæstione longior, quàm in singulis argumentis: & plerũq; summa complexione, uel per enumerationẽ, uel per breuẽ cõclusionem testantur quid effecerint. In hoc genere propositio dubia est. De hac enim quæritur. Altera est cõplexio non par intentioni, sed uim habens parem: Mors nihil ad nos. Nam quod est dissolutum, sensu caret: quod autem sensu caret, nihil ad nos. In alio genere, nõ eadẽ propositio est, quæ connexio: Omnia animalia meliora sunt quàm inanima, nihil autẽ melius est mundo, Mundus igitur animal. Hic potest uideri de re cõtentio. Potuit enim sic cõstitui ratiocinatio: Animal est mũdus, omnia enim anima-

*concluserit

lia meliora sunt quàm inanima. Cæterũ hæc propositio, aut cõfessa est ut proxima, aut probãda: ut, qui beatã uitam uiuere uolet, philosophetur oportet. Nõ enim conceditur. Cætera sequi, nisi cõfirmata prima parte, non possunt. Est & assumptio interim cõfessa: ut, omnes autẽ uolunt beatam uitam uiuere. Interim probanda, ut illa: Quod est dissolutũ sensu caret, cùm soluta corpore anima, an sit immortalis, uel ad tempus certum maneat, sit in dubio. Quam assumptionẽ, alij rationẽ uocant, alij epichirema. Epichirema autẽ nullo differt à syllogismis, nisi quòd illi & plures habent species, & uera colligũt ueris: epichirematis frequentior circa credibilia est usus. Nam si cõtingeret semper cõtrouersa cõfessis probare, uix esset in hoc genere usus oratoris. Nam quid ingenio est opus, ut dicas, Bona ad me pertinent: solus enim sum filius defuncti, uel solus hæres, cum iure bonorum possessio testati secundum tabulas testamenti detur: ad me igitur pertinent? Sed cũ ipsa ratio in quæstionẽ uenit, efficiendum est certum id quod probaturi sumus, quod incertũ est: ut si ipsa fortè intentione dicatur, aut filius non es, aut nõ es legitimus, aut non es solus. Itemq;, aut hæres non es, aut iustum testamentum non est, aut capere non potes, aut habes cohæredes. Efficiendũ est iustũ, propter quod bona adiudicari nobis debeant. Sed tum est necessaria illa summa cõnexio, cũ interuenit oratio largior. Aliquando sufficiunt intentio ac ratio. Silent leges inter arma, nec se expectari iubent, cum ei qui expectare uelit, antè iniusta pœna luenda sit, quàm iusta repetenda. Ideoq; id enthymema quod est ex consequentibus, rationi simile dixerunt. Sed & singula quoq; interim rectè ponuntur, ut ipsum illud: Silent leges inter arma. Et, à ratione fas est incipere, deinde concludere, ut ibidem: Quòd si duodecim tabulæ nocturnũ furem quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderet, interfici impune uoluerunt, quis est qui quoquo modo quis interfectus sit, puniendum putet? Variat autẽ hic adhuc, & rursus rationẽ tertio loco ponit

nit, cùm uideat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus. Prioris autem partis duxit ordinem. Insidiatori autẽ & latroni, quæ potest inferri iniusta nex? Hæc intentio. Quid comitatus nostri? quid gladij uolũt? Hæc ratio. Quos habere certe non liceret, si uti illis nullo pacto liceret. Hæc ex intentione & ratione connexio. Huic generi probationis tribus occurritur modis, id est, per omnes partes. Aut enim expugnatur intentio, aut assumptio, aut conclusio, nonnunquàm omnia. Sed omnia hæc tria sunt. Intentio expugnatur: Iure occidi eum, qui insidiatus sit. Nam prima statim pro Milone quæstio est: An sit ei fas lucem intueri, qui à se hominẽ necatum esse fateatur. Expugnatur assumptio omnibus ijs, quæ de refutatione diximus. Et ratio quidem nonnunquàm est uera, cum eius propositio uera non sit. Interim ueræ propositionis falsa ratio est: Virtus bonum est, uerum est, si quis rationem subijciat, quòd ea locupletes faciat, ueræ intẽtionis falsa sit ratio. Connexio autẽ uera negatur, cùm aliud colligit quàm id, quod ex prioribus cõficitur, aut nihil ad quæstionẽ dicitur pertinere. Non est uera sic: Insidiator iure occiditur: Nam qui curauit, ut uim afferat ut hostis, debet etiam ut hostis repelli: Recte igitur Clodius ut hostis occisus est. Non utiq;. Nondũ enim Clodium insidiatorẽ ostẽdimus. Sed fit uera cõnexio: Recte igitur insidiator ut hostis occiditur. Nihil ad nos. Nondũ enim Clodius insidiator apparet. Sed ut potest esse uera connexio, & tamen falsa intentio & ratio, ita si illa uera sunt, nunquã est falsa cõnexio. Enthymema ab alijs oratorius syllogismus, ab alijs pars dicitur syllogismi, propterea quòd syllogismus utiq; conclusionem & propositionem habet, & per omnes partes efficit, quod proposuit: Enthymema tantum intentũ intelligi contentũ sit. Syllogismus talis: Solum bonum uirtus: nam id demum bonum est, quo nemo male uti potest: uirtute nemo male uti potest: bonum est ergo uirtus. Enthymema ex consequentibus. Bonum est uirtus,

qua nemo male uti poteſt. Et contrà: Non eſt bonum pecunia: non enim bonum, quo quiſquam male uti poteſt: Pecunia poteſt quis male uti, nõ igitur bonum eſt pecunia. Enthymema ex pugnantibus: An bonum eſt pecunia, qua quiſque poteſt male uti? Si pecunia, quæ eſt in argento ſignato, argentum eſt: qui argentum omne legauit, & pecuniam quæ eſt in argẽto ſignato legauit. Argentum autem omne legauit: igitur & pecuniã, quæ eſt in argento, legauit. Habebit formam ſyllogiſmi. Oratori ſatis eſt dicere: Cùm argentum legauerit omne, pecuniã quoque legauit, quæ eſt in argento. Peregiſſe mihi uideor ſacra tradentium artes, ſed conſilio locus ſupereſt. Nanq; ego, ut in oratione ſyllogiſmo quidem aliquando uti, nefas non duco, ita cõſtare totam, aut certe confertam eſſe aggreßionum & enthymematum ſtipatione, minime uelim. Dialogis enim & dialecticis diſputationibus erit ſimilior, quã noſtri operis actionibus, quæ quidem inter ſe plurimum differunt. Nanq; illi homines docti, & inter doctos uerum quærẽtes, minutius & ſcrupuloſius ſcrutantur omnia, & ad liquidum confeßumq; perducũt, ut qui ſibi & inueniendi, & iudicandi uendicent partes, quarum alteram τοπικὸν alteram κριτικὴν uocant. Nobis ad aliorum iudicia cõponenda eſt oratio, & ſæpius apud omnino imperitos atq; aliarum certe ignaros literarum loquendum eſt: quos niſi & delectatione allicimus, & uiribus trahimus, & nonnunquàm turbamus affectibus, ipſa quæ iuſta ac uera ſunt, tenere nõ poßumus. Locuples & ſpecioſa uult eſſe eloquentia, quorum nihil conſequetur, ſi concluſionibus certis & crebris, & in unam propè formam cadentibus conciſa, & contemptum ex humilitate, & odium ex quadam ſeruitute, & ex copia ſatietatem, & ex amplitudine faſtidium tulerit. Feratur igitur non ſemitis, ſed campis: non uti fontes angustis fiſtulis colliguntur, ſed ut latißimi amnes totis uallibus fluat, ac ſibi uiam, ſiquando non acceperit, faciat. Nam quid miſerius illam legem uelut præformatas infantibus

tibus literas perſequentibus, &, ut Græci dicere ſolent, quem mater amictum dedit, ſolicite cuſtodientibus? Propoſitio, ac concluſio, ex conſequentibus & repugnantibus non inſpiret, non augeat, non mille figuris uariet, ac uerſet: ut ea naſci, & ipſa prouenire natura, non manu facta, & arte ſuſcepta, magiſtrum fateri ubiq; uideantur? Quis unquam ſic dixit orator? non ne apud ipſum Demoſthenem pauciſſima huiuſmodi reperiuntur? Quæ apprehenſa Græci magis (nam hoc ſolum nobis peius faciunt) in catenas ligant, & inexplicabili ſerie connectunt, & indubitata colligunt, & probant cõfeſſa, & ſe antiquis per hoc ſimiles uocant. Deinde interrogati, nunquam reſpondebunt, quem imitentur. Sed de figuris alio loco. Nunc illud adijciendum, ne ijs quidem conſentire me, qui ſemper argumenta ſermone puro, & dilucido, & diſtincto, cæterum minime lato ornata toq; putant eſſe dicenda. Nanq; ea diſtincta quidem, ac perſpicua debere eſſe confiteor: in rebus uero minoribus etiam ſermone, ac uerbis quammaxime proprijs, & ex uſu. At ſi maior erit materia, nullum ornatũ his, qui modò non obſcuret, ſubtrahendum puto. Nam & ſæpe plurimum lucis affert ipſa translatio, cum etiam ipſi iuriſconſulti, quorum ſummus circa uerborum proprietatem labor eſt, littus eſſe audeant dicere, qua fluctus alludit. Quoq; quid natura magis aſperum, hoc pluribus condiendum eſt uoluptatibus, & nimis ſuſpecta argumentatio diſſimulatione, & multum ad fidem adiuuat audientis uoluptas. Niſi fortè exiſtimamus Ciceronem male in hac ipſa argumentatione dixiſſe: Silere leges inter arma, & gladiũ nobis interim ab ipſis porrigi legibus. His tamẽ habendus modus, ut ſint ornamento, non impedimento.

M. FAB. QVINTILIANI DE INSTITVTIONE Oratoria, Libri Sexti Proœmium, in quo de fortuna sua queritur.



AEC MARCELLE Victori, ex tua uoluntate maxime ingreſsus, tum ſiqua ex nobis ad iuuenes bonos peruenire poſſet utilitas, nouiſsime penè & neceſsitate quadã officij delegati mihi, ſedulo laborabam: reſpiciens tamẽ illam curam meæ uoluptatis, qui filio, cuius eminens ingenium, ſolicitam quoq; parentis diligentiam merebatur, hanc optimam partem relicturus hæreditatis uidebar: ut ſi me (quod æquum & optabile fuit) fata intercepiſſent, præceptore tamen patre uteretur. At me fortuna id agentem diebus ac noctibus, feſtinantemq; metu meæ mortalitatis, ita ſubitò proſtrauit, ut laboris mei fructus ad neminẽ minus quàm ad me pertinet. Illum enim, de quo ſumma conceperam, & in quo ſpem unicam ſenectutis meæ reponebam, repetito uulnere orbitatis amiſi. Quid nunc agam, aut quem ultrà eſſe uſum mei dijs reprobantibus credam? nam ita fortè accidit, ut eum quoq; librum, quem de cauſis corruptæ eloquentiæ emiſi, iam ſcribere aggreſsus, ſimili ictu ferirer. Tũc igitur optimum fuit infauſtum opus, & quicquid hoc eſt in me infelicium literarum, ſuper immaturum funus conſumpturis uiſcera mea flammis inijcere, neq; hanc impiam uiuacitatem nouis inſuper curis fatigare. Quis enim mihi bonus parens ignoſcat, ſi ſtudere amplius poſsum? ac nõ oderit hanc animi mei firmitatem, ſi quis in me eſt alius uſus uocis, quàm ut incuſem deos ſuperſtes omnium meorum? nullam terras deſpicere prouidentiam teſter? ſi non meo caſu, cui tamen nihil obijci, niſi quòd uiuam, poteſt: at illorũ certe, quos utiq; immeritos mors acerba damnauit: erepta mihi prius eorũdem matre, quæ nondũ expleto ætatis undeui

undeuicesimo anno, duos enixa filios, quãuis acerbiſsimis rapta fatis, felix deceſsit. Ego uel hoc uno malo ſic eram afflictus, ut me iam nulla fortuna poſſet efficere felicem. Nam cũ omni uirtute, quæ in fœminas cadit, functa inſanabilem attulit marito dolorem, tum ætate ea puellari, præſertim meæ comparata, poteſt & ipſa numerari inter uulnera orbitatis. liberis tamẽ ſuperſtitibus, & quod nefas erat, ſæua, ſed optabat ipſa, me ſaluo maximos cruciatus præcipiti uia effugit. Mihi filius minor, quintũ egreſsus annũ, ut in malis agerem, prior alterũ ex duobus eruit lumẽ. Non ſum ambitioſus in malis, nec augere lachrymarum cauſas uolo, utinamq; eſſet ratio minuendi. Sed diſsimulare quî poſsum, quid illi gratiæ in uultu, quid iucunditatis in ſermone, quos ingenij igniculos, quam præſtantiam placidæ, & (quod ſcio uix poſſe credi) tantũ altæ mentis oſtẽderit? qualis amorẽ quicunq; alienus infans mereretur. Illud uero inſidiantis, quò me ualidius cruciaret, fortunæ fuit, ut ille mihi blandiſsimus, me ſuis nutricibus, me auiæ educãti, me omnibus, qui ſolicitare ſolent illas ætates, anteferret. Quapropter illi dolori, quem ex matre optima, atq; laudẽ omnẽ ſupergreſſa paucos ante menſes ceperã, gratulor. Minus enim eſt quod flendũ meo nomine, quàm quod illius gaudendũ eſt. Vna poſt hæc Quintiliani mei ſpe ac uoluptate nitebar, & poterat ſufficere ſolatio. Non enim floſculos ſicut prior, ſed & decimum ætatis iam ingreſsus annum, certos atq; deformatos fructus oſtẽderat. Iuro per mala mea, per infelicem conſcientiã, per illos manes, numina doloris mei, has me in illo uidiſſe uirtutes ingenij, nõ modò ad percipiẽdas diſciplinas, quo nihil præſtantius cognoui, plurima expertus, ſtudijq; iam tum non coacti (ſciunt præceptores) ſed probitatis, pietatis, humanitatis, liberalitatis, ut prorſus poſsit hinc eſſe tanti fidminis metus, quod obſeruatum ferè eſt, celerius occidere feſtinatam maturitatem, & eſſe neſcio quam, quæ ſpes tantas decerpat, inuidiam, ne uidelicet ultrà quàm homini datũ eſt, noſtra prouehãtur. Etiam illa

illa fortuita aderant omnia,uocis iucunditas,claritasq́;, oris suauitas,& in utracũq; lingua, tanquam ad eã demum natus esset, expressa proprietas omnium literarum. Sed hæc spes adhuc, illa maiora,constantia,grauitas, contra dolores etiam ac metus robur. Nam quo ille animo,qua medicorum admiratione, mẽsium octo ualetudinem tulit? ut me in supremis consolatus est? quàm etiã deficiens,quamq́; non tunc ipsum illũ alienatæ mentis errorem circa solas literas habuit? Tuos ne ego,ô meæ spes inanes, labentes oculos,tuum fugientem spiritum uidi? tuũ corpus frigidum,exangue complexus,animã recipere,auramq́; cõmunem haurire amplius potui? dignus his cruciatibus quos fero,dignus his cogitationibus? Te ne cõsulari nuper adoptione,ad omnium spes honorum patris admotum, te auunculo Prætori generum destinatum,te omniũ spe Atticæ eloquentiæ candidatum,superstes parens habiturus est tantum ad pœnas? Et si nõ cupido lucis, certe patientia uindicet te reliqua mea ætate. Nam frustra mala omnia ad crimen fortunæ relegamus. Nemo nisi sua culpa diu dolet. Sed uiuimus,& aliqua uiuendi ratio quærẽda est,credendumq́; doctißimis hominibus, qui unicum aduersorum solatium literas putauerunt. Siquando tamen ita resederit præsens impetus, ut aliqua tot luctibus alia cogitatio inseri posßit, non iniuste petierim moræ ueniam. Quis enim dilata studia muretur, quæ potius non abrupta esse mirandum est? Tum si qua minus fuerint effecta ijs,quæ leuius adhuc afflicti cœperamus, imperitiæ,aut fortunæ remittantur: quæ si quid mediocrium alioqui in nostro ingenio uirium fuit,ut non extinxerit,debilitauit tamen. Sed uel propter hoc nos contumacius erigamus, quòd illam ut perferre nobis difficile est,ita facile contemnere. Nihil enim sibi aduersus me reliquit, & infelicem quidem, sed certißimam tamen attulit mihi ex his malis securitatem. Boni autem consulere nostrum laborem uel propter hoc certum est, quòd in nullum iam propriũ usum perseueramus,sed omnis hæc cura ad alienos, ut alienis utilis (si modò quid utile scribimus) spectat. Nos miseri,sicut facultates patrimonij nostri,ita hoc opus alijs præparamus,alijs relinquemus.

De conclusione seu peroratione.

CAP. I.

PERORATIO sequebatur, quam cumulum quidam,conclusionẽ alij uocant. Eius duplex ratio est posita,aut in rebus, aut in affectibus. Rerũ repetitio & cõgregatio,quæ Græce dicitur ἀνακεφαλαίωσις, quibusdam Latinorum enumeratio,& memoriam iudicis reficit, & totã simul causam ponit ante oculos, & etiã si per singula minus mouerat, turbat ualet. In hac quæ repetemus quambreuißime dicenda sunt, & quod Græco uerbo patet,decurrendum per capita. Nam si morabimur,nõ iam enumeratio, sed altera quasi fiet oratio. Quæ autẽ enumeranda uidentur, cũ pondere aliquo dicenda sunt,& aptis excitanda sentẽtijs,& figuris utiq; uarianda,alioqui nihil est odiosius recta illa repetitione uelut memoriæ iudicum diffidentis. Sunt autem innumerabiles,optimeq́; in Verrem Cicero: Si pater ipse iudicaret,quæ diceret cũ hæc probarentur? & deinde subiecit enumerationẽ. Aut cũ idem in eundem per inuocationem deorum spoliata à Prætore templa dinumerat. Licet & dubitare num quid nos fugerit, & quid responsuri sint aduersarij his & his, aut quã spem accusator habeat omnibus ita defensis. Illa uero iucundißima, si contingat aliquod ex aduersario ducere argumentum,ut si dicas: Reliquit uero hanc partem causæ: aut inuidia premere maluit: aut, ad preces confugit,& meritò,cum sciret hæc & hæc. Sed nõ sunt singulæ species prosequendæ,ne sola uideantur, quæ fortè nunc dixero,cum occasiones & ex causis,& ex dictis aduersariorũ,& ex quibusdam fortuitis quoq; oriantur. Nec referenda modò nostra,sed postulandum est etiam ab aduersarijs,ut ad quædam respondeant. Id autem

autem, si & actionis supererit locus, & ea proposuerimus, quæ refelli nõ possunt. Nã prouocare quæ inde sint fortia, nõ argumentis est, sed monentis. Id unum epilogi genus usum est plerisq; Atticorũ, & philosophis ferè omnibus, qui de arte oratoria scriptum aliquid reliquerũt. Id sensisse Atticos credo, quia Athenis affectus mouere etiã per præconẽ prohibebatur orator. Philosophos minus miror, apud quos uitij est loco, affici: nec boni mores uidentur, sic à uero iudicem auerti, nec conuenire bono uiro uitijs uti. Necessarios tamẽ affectus fatebuntur, si aliter obtineri uera & iusta, & in commune profutura non possint. Cæterum illud constitit inter omnes etiã in alijs partibus actionis, si multiplex causa sit, & pluribus argumẽtis defensa, uiriliter ἀναπαλαίωσιν fieri solere. Sicut nemo dubitauerit multas esse causas, in quibus nullo loco sit necessaria, si breues & simplices fuerint. Hæc pars perorationis accusatori, patronoq; æque communis est. Affectibus quoque eisdem ferè utuntur, sed rarius hic, ille sæpius ac magis. Nam huic concitare iudices, illi flectere conuenit. Verum & accusator habet interim lachrymas ex miseratione eius rei quẽ ulciscitur, & reus de indignitate calumniæ conspirationis uehementius interim queritur. Diuidere igitur hæc officia commodissimum, quæ plerunq; sunt, ut dixi, proœmio similia, sed liberiora, plenioraq;. Inclinatio enim iudicum ad nos petitur initio parcius, cũ admitti satis est, & oratio tota superest. In epilogo uero est, qualem animũ iudex in consilium ferat, & iam nihil amplius dicturi sumus, nec restat quo seruemur. Est igitur utrisq; cõmune, conciliare sibi, auertere ab aduersario iudicem, concitare affectus & componere. Et breuissimũ quidem hoc præceptum dari utriq; parti potest, ut totas causæ suæ uires orator ante oculos ponat, & cum uiderit quid inuidiosum, fauorabile, inuisum, miserabile, aut sit in rebus, aut uideri possit, ea dicat, quibus si iudex esset, ipse maxime moueretur. Sed certius est ire per singula. Et quæ conciliant quidem accusatorem, in

præceptis

præceptis exordij iam diximus. Quædam tamen, quæ illic ostendere satis est, in peroratione implenda sunt magis, si cõtra impotentem, inuisum, perniciosum suscepta causa est, si iudicibus ipsis aut gloriæ damnatio rei, aut deformitati futura absolutio. Nam egregie in Vatinium Caluus: Factum, inquit, ambitum scitis omnes, & hæc uos scire omnes sciunt. Cicero quidẽ in Verrem etiam emendari posse infamiam iudiciorum damnato reo, dicit, quod est unum ex supradictis. Metus etiam, si est adhibendus, ut facit idem, hunc habeat locum fortiorem, quàm in proœmio. Qua de re quid sentirem, alio iam libro exposui. Concitare quoq; inuidiam, odium, iram, liberius in peroratione contingit, quorum inuidiam gratia, odium turpitudo, iram offensio iudicis facit, si contumax, arrogans, securus sit, quia non ex facto modò, dictó ue aliquo, sed uultu, habitu, aspectu moueri solet. Egregieq; nobis adolescentibus dixisse accusator Cossutiani Capitonis uidebatur, Græce quidẽ, sed in hunc sensum: Erubescit Cæsarem timere. Summa tamen cõcitandi affectus accusatori in hoc est, ut id quod obiecit, aut quàm atrocissimum, aut etiam si fieri potest, quammaxime miserabile esse uideatur. Atrocitas crescit ex his, quid factum sit, à quo, in quem, quo animo, quo tempore, quo loco, quo modo, quæ omnia infinitos anfractus habent. Pulsatum querimur, de re primũ ipsa dicendum: tum si senex, si puer, si magistratus, si probus, si bene de Repub. meritus, etiam si percussus sit à uili aliquo, cõtemptoq;, uel ex contrario à potente nimium, uel ab eo à quo minime oportuit. Et si die forte solenni, aut his temporibus, cùm iudicia eius rei maxime exercerentur, aut in solicito ciuitatis statu. Itẽ in theatro, in templo, in concione crescit inuidia. Et si non errore, nec ira, uel etiam si forte ira, sed iniqua, quòd patri affuisset, quòd respõdisset, quòd honores contrà peteret. Et si plus etiam uideri potest uoluisse, quàm fecit. Plurimũ tamen affert atrocitatis modus, si grauiter, si contumelioſe, ut Demosthenes ex parte percussi corporis,

ex uultu

ex uultu ferientis, ex habitu inuidiam Midiæ quærit. Occisus est, utrum ferro, an igne, an ueneno: uno uulnere an pluribus, subitò an expectatione tortus, ad hanc partẽ maxime pertinet. Vtitur frequẽter accusator & miseratione, cum aut eius casum quem ulciscitur, aut liberorum, aut parentum solitudinẽ conqueritur. Etiã futuri temporis imagine iudices mouet, qui maneant eos casus, qui de ui & iniuria questi sunt, nisi uindicẽtur, fugiendum de ciuitate, cedendum bonis, aut omnia quæcunq; inimicus fecerit, perferenda. Sed sæpius id est accusatoris, auertere iudicem à miseratione qua reus sit usurus, atq; ad fortiter iudicandum concitare. Cuius loci est etiã occupare, quæ dicturum, factum ue aduersarium putes. Nam & cautiores ad custodiã suæ religionis iudices facit, & gratiam responsuris aufert, cum ea prædicta sunt ab accusatore. Iam si pro reo petentur, non sint noua, ut Seruius Sulpitius contra Aufidiam, ne signatorum ab ipsis discrimen obijciatur sibi, præmonet. Necnon ab Aeschine, quali sit usurus Demosthenes actione, prædictum est. Docendi quoq; interim iudices, quid rogantibus respondere debeant, quod est unum repetitionis genus. Periclitantem uero commendat dignitas, & studia fortia, & susceptæ bello cicatrices, & nobilitas, & merita maiorum. Hoc quod proxime dixi, Cicero atq; Asinius certatim sunt usi, pro Scauro, patre hic, ille pro filio. Commendat & causa periculi, si suscepisse inimicitias ob aliquod factum honestum uidetur, præcipue bonitas, humanitas, misericordia. Iuste enim tunc petere ea quisq; uidetur à iudice, quæ alijs ipse præstiterit. Referenda hæc pars quoq; ad utilitatẽ Reipub. ad iudicum gloriam, ad exemplum, ad memoriam posteritatis. Plurimũ tamẽ ualet miseratio, quæ iudicẽ flecti nõ tantum cogit, sed motum quoq; animi sui lachrymis confiteri. Hæc petentur, aut ex ijs quæ paßus est reus, aut ex ijs quæ tum maxime patitur, aut ex ijs quæ damnatũ manẽt, quæ & ipsa duplicantur, cũ dicimus è qua illi fortuna, & in quam recidendũ sit.

Affert

Affert in his momentum & ætas, & sexus, & pignora, liberi dico, & parẽtes, & propinqui: quæ omnia tractari uariè solẽt. Nõnunquam etiã & ipse patronus has partes subit, ut Cicero pro Milone: O me miserum, ò me infelicẽ. Reuocare me tu in patriam Milo potuisti per hos, ego te in patria per eosdẽ retinere nõ potero? Maximeq;, si (ut tunc accidit) nõ conuenient ei, qui accusatur, preces. Nam quis ferret Milonem pro capite suo supplicantem, qui à se uirum nobilem interfectum, quia id fieri oportuisset, fateretur? Ergo & ille captauit ex illa præstantia animi fauorem, & in locũ lachrymarum eius ipse successit. His præcipue locis utiles sunt Prosopopœiæ, id est, fictæ alienarum personarum orationes, quales litigatorem decent, uel patronũ. Mutæ tamen res mouent, aut cum ipsi loquimur, aut cum ipsas loqui fingimus. Ex personis quoq; trahitur affectus. Non enim audire iudex uidetur aliena mala deflentes, sed sensum ac uocẽ auribus accipere miserorum, quorum etiam mutus aspectus lachrymas mouet: quãtoq; essent miserabiliora, si ea dicerent ipsi, tanto sunt quadam portione ad afficiendum potentiora, cum uelut ipsorum ore dicuntur, ut scenicis actoribus eadem uox, eademq; pronuntiatio plus ad mouendos affectus sub persona ualet. Itaque idem Cicero, quanquam preces non dat Miloni, eumq; potius animi præstantia cõmendat, accommodauit ei tamen uerba, & conuenientes etiam forti uiro conquestiones: O frustra, inquit, mei suscepti labores: O spes fallaces, ò cogitationes meæ inanes. Nunquã tamen debet esse longa miseratio: nec sine causa dictum est, Nihil facilius quàm lachrymas inarescere. Nam cum etiam ueros dolores mitiget tempus, citius euanescat necesse est illa, quam dicendo effinximus, imago: in qua si moramur, fatigatur lachrymis auditor, & requiescit, & ab illo, quem ceperat, impetu, ad rationẽ redit. Nõ patiamur igitur frigescere hoc opus, & affectum, cum ad summum perduximus, relinquamus: nec speremus fore, ut aliena quisquam diu

 ploret.

ploret. Ideoq; cum in alijs, tum maxime in hac parte debet crescere oratio. Quia quicquid non adijcit, prioribus etiam detrahere uidetur, & facile deficit affectus, qui descendit.

De affectibus. CAP. II.

NOn solum autem dicendo, sed etiam faciendo quædam, lachrymas mouemus: unde & producere ipsos qui periclitentur, squalidos atq; deformes, & liberos eorum, ac parentes, institutum: & ab accusatoribus ostẽdi cruẽtum gladium, & lecta è uulneribus ossa, & uestes sanguine perfusas uidemus, & uulnera resolui, ac uerberata corpora nudari. Quarum rerum ingens plerũq; uis est, uelut in rem præsentem, animos hominũ ducentium. Et Populum Ro. egit in furorem prætexta C. Cæsaris prolata in foro cruenta. Sciebatur interfectũ eum, corpus deniq; ipsum impositum lecto erat: uestis tamen illa sanguine madens ita repræsentauit imaginem sceleris, ut nõ occisus esse Cæsar, sed tum maxime occidi uideretur. Sed nõ ideo probauerim, quod factum & lego, & ipse aliquando uidi depictam tabulam *supra Iouis imaginem *supra Iouem in imaginem rei, cuius atrocitate iudex erat commouendus. Quæ enim est actoris infantia, qui mutam illam effigiem magis quàm orationem pro se putet locuturam? At sordes, & squalores, & propinquorum quoque simulem habitum scio profuisse, & magnum ad salutem momentum preces attulisse. Quare & obsecratio illa iudicum per charissima pignora, utique si & reo sint liberi, coniunx, parentes, utilis erit. Et deorum etiam inuocatio, uelut ex bona conscientia profecta uideri solet. Stratum deniq; iacere, & genua complecti, nisi tamẽ persona nos, & anteacta uita, & rei cõditio prohibebit. Quædam enim tam fortiter tuenda, quàm facta sunt. Verum sic est habenda autoritatis ratio, ne sit inuisa securitas. Fuit quondam inter hæc omnia potentissimum id, quo Lucium Murenam Cicero, accusantibus clarissimis uiris, eripuisse præcipue uideturr: persuasit enim nihil esse ad præsentẽ rerum statũ utilius, quàm pridie

pridie Calend. Ianuarias ingredi consulatum. Quod genus nostris temporibus totum penè sublatum est, cum omnia curæ tutelæq; unius innixa, periclitari nullo iudicij exitu possint. De accusatoribus & reis sum locutus, qa in periculis maxime uersatur affectus. Sed priuatæ quoq; causæ utrunq; habent perorationis genus, & illud quod est ex enumeratione probationum, & hoc quod ex lachrymis, si aut statu periclitari, aut opinione litigator uidetur. Nam in paruis quidem litibus has tragœdias mouere tale est, quale si personã Herculis, & cothurnos aptare infantibus uelis. Illud ne indignũ quidem admonitione, ingens in epilogis meo iudicio uerti discrimen, quomodo se dicẽti, qui excitatur, accommodet. Nam & imperitia, & rusticitas, & rigor, & deformitas afferũt interim frigus, diligenterq; hæc sunt actori prouidenda. Equidem repugnanteis eos patrono, & nihil ultu cõmotos, & intempestiue ridẽtes, & facto aliquo, uel ipso ultu risum mouentes, sæpe etiam uidi, præcipue uero cum aliqua uelut scenice * fiunt. Transtulit patronus aliquãdo puellam, quæ soror esse aduersarij dicebatur (nam de hoc lis erat) in aduersa subsellia, tanquam in gremio fratris relicturus. At is à nobis præmonitus decesserat. Tum ille, alioqui uir facundus, inopinatæ rei casu obmutuit, & infantem suam frigidissime reportauit. Alius imaginem mariti pro rea proferre magni putauit, at ea sæpius risum fecit. Nam & ij, quorum officij erat ut traderent eam, ignari qui esset epilogus, quoties respexisset patronus, offerebant palàm, & prolata nouissime, deformitate ipsa (nam senis cadaueri infusa) præteritam quoq; orationis gratiam perdidit. Nec ignotum quid Gliconi, cui Spiridion fuit cognomen, acciderit. Huic puer, quem in ius productẽ quid fleret interrogabat, ex pædagogo se uellicari respondit. Sed nihil illa cõtra Cepasios Ciceronis fabula efficacius ad pericula epilogorũ. Omnia tamen hæc tolerabilia, quibus actionẽ mutare facile est, atqui à stylo nõ recedunt, aut conticescunt ad *cadunt

hos casus, aut frequentissime falsa dicunt. Inde est enim: Tendit ad uestra genua supplices manus: &, Hæret in complexu liberorũ miser: &, Reuocat ecce me: etsi nihil horũ is, de quo dicitur, faciat. Et è scholis hæc uitia, in quibus omnia libere fingimus, & impune, quia pro facto est quicquid uolumus, nõ admittit hoc idẽ ueritas fori. Egregiéq; Cassius dicenti adulescentulo: Quid me toruo uultu intueris Seuere? Nõ mehercules, inquit, faciebam, sed sic scripsisti: Ecce: & quàm potuit truculẽtissime eum aspexit. Illud præcipue admonendum, ne quis nisi summis ingenij uiribus ad mouendas lachrymas aggredi audeat. Nam ut est longe uehemẽtissimus hic cum inualuit affectus, ita si nihil efficit, tepet: quẽ melius infirmus actor tacitis iudicũ cogitationibus reliquisset. Nã & uultus, & uox, & ipsa illa excitati rei facies, ludibrio etiã plerunq; sunt hominibus, quos non permouerunt. Quare metiatur, ac diligenter æstimet uires suas actor, & quantum onus subiturus sit, intelligat. Nihil habet ista res mediũ, sed aut lachrymas meretur, aut risum. Nõ autem cõmouere tantum miserationem, sed etiam discutere, epilogi est proprium, cum oratione cõtinua, quæ motos lachrymis iudices ad iustitiam reducat, tum etiã quibusdam urbane dictis, quale est: Date puero panẽ ne ploret. & corpulento litigatori, cuius aduersarius itẽ puer, circa iudices erat ab aduocato elatus: Quid faciam? ego te baiulare non possum. Sed hæc tamen non debent esse mimica. Ita neque illum probauerim, qui inter clarissimos sui temporis oratores fuit, qui pueris in epilogum productis, talos proiecit in medium, quos illi diripere cœperunt. Nanque hæc ipsa discriminis sui ignorantia potuit esse miserabilis. Neq; illum, qui, cùm esset cruentus gladius eius ab accusatore prolatus, quo is hominẽ probabat occisum, subito ex subsellijs ut territus fugit, & capite ex parte uelato cum ad agentem ex turba prospexisset, interrogauit, an iam ille cum gladio recessisset. Ecce enim risum, sed ridiculus fuit. Discutiendæ tamen oratione huiusmo

huiusmodi scenæ. Egregiéq; Cicero, & cõtra imaginem Saturnini pro Rabirio grauiter, & contra iuuenẽ, cuius subinde uultus in iudicio resoluebatur, pro Vareno multa dixit urbane. Sunt & illi leniores epilogi, quibus aduersario satis facimus, si forte eius sit persona talis, ut illi debeatur reuerentia, aut cum amice aliquid cõmonemus, & ad concordiam hortamur, quod est genus egregie tractatum à Pasieno, cum Domitiæ uxoris suæ pecuniariam litem aduersus fratrem eius Aenobarbum agere t. Nam cum de necessitudine multa dixisset, de fortuna quoq;, qua uterq; abundabat, adiecit: Nihil uobis minus deest, quàm de quo cõtenditis. Omnes autem hos affectus, etiam si quibusdam uidentur in proœmio, atq; in epilogo sedem habere, in quibus sanè sunt frequẽtissimi, tamen aliæ quoq; partes recipiunt, sed breuiores, ut cũ ex his plurima sint reseruanda. At hic, si usquã, totos eloquentiæ aperire fontes licet. Nam ex his, si bene diximus reliqua, possidemus iam iudicum animos, & confragosis atq; asperis euecti, tota pandere possumus uela: & cum sit maxima pars epilogi amplificatio, uerbis atq; sententijs uti liceat magnificis atq; ornatis. Tunc est cõmouendum theatrum, cum uentum est ad ipsum illud, quo ueteres tragœdiæ comœdiæq; claudũtur, Plaudite. In alijs autem partibus tractandus affectus erit, ut quisq; nascetur. Nam neq; exponi sine hoc res atroces, & miserabiles debẽt. Cum de qualitate alicuius rei quæstio est, probationibus uniuscuiusq; rei recte subiungitur. Vbi uero coniunctam ex pluribus causam agimus, etiam necesse erit uti pluribus quasi epilogis, ut in Verrem Cicero fecit. Nam & Philodamo, & Nauarchis, & cruciatis ciuibus Romanis, & alijs plurimis suas lachrymas dedit. Sunt qui hos μερικοὺς ἐπιλόγους uocẽt, quo partitam perorationem significant. Mihi non tam partes eius, quàm species uidentur. Siquidem *hæc epilogi & perora- *&
tionis nomina ipsa aperte satis ostendunt, hanc esse consummationem orationis.

De diuisione affectuum, & quo modo mouendi sint. CAP. III.

QVamuis autem pars hæc iudicialium causarũ sit summa, præcipueq; cõstet affectibus, & aliqua de his necessariò dixerim, nõ tamen potui, ac ne debui quidẽ, locum istum in unã speciem concludere. Quare adhuc opus supereſt, cũ ad obtinenda, quæ uolumus, potentißimum, tum supradictis multo difficilius, mouendi iudicum animos, atq; in eũ quem uolumus habitũ formandi, & uelut transfigurandi. Qua de re pauca, quæ postulabat hæc materia, sic attigi, ut magis qd oporteret fieri, quàm quo id modo cõsequi possimus, ostenderem. Nunc altius omnis rei repetenda ratio est. Nam & per totam, ut diximus, causam, locus est affectibus, & eorũ non simplex natura, nec in trãsitu tractanda, quo nihil maius afferre uis orandi potest. Nam cætera fortasse tenuis quoque, & angusta ingenij uena, si modo uel doctrina, uel usu sit adiuta, generare, atq; ad frugẽ aliquã perducere queat. Certe sunt, semperq; fuerunt non parum multi, qui satis peritè, quæ essent probationibus utilia, reperirẽt: quos equidem non contemno, sed hactenus utiles credo, ne quid per eos iudici sit ignotũ, atq; (ut dicam quod sentio) dignos à quibus causas diserti docerentur. Qui uero iudicem rapere, & in quem uellet habitum animi posset perducere, quo dicto flendũ, & irascendum esset, rarius fuit. Atq; hoc est, quod dominatur in iudicijs, hæc eloquentiam regunt. Nanq; argumenta plerũq; nascũtur ex causa, & pro meliore parte plura sunt semp, ut qui per hæc uicit tantũ, nõ defuisse sibi aduocatũ sciat. Vbi uero animis iudicum uis afferenda est, & ab ipsa ueri contemplatione abducenda mens, ibi proprium oratoris opus est. Hoc nõ docet litigator, hoc libellis non cõtinetur. Probationes enim efficiunt sanè, ut causam nostrã meliorẽ esse iudices putent: affectus præstant ut etiã uelint. Sed id quia uolunt, credunt quoq;. Nam cũ irasci, fauere, odisse, misereri cœperunt, agi iam rem suã existimant:

mãt: & sicut amãtes de forma iudicare nõ possunt, quia sensum oculorum premit amor, ita omnẽ inquirendæ ueritatis rationem iudex amittit occupatus affectibus, æstu fertur, & uelut rapido flumini obsequitur: ita argumẽta, ac testes quid egerint, pronuntiatio ostẽdit: cõmotus autẽ ab oratore iudex quid sentiat, sedẽs adhuc atq; audiẽs cõfitetur. An cũ ille, qui plerisq; perorationibus petitur, fletus erumpit, non palàm dicta sententia est? Huc igitur incumbat orator, hoc opus eius, hic labor est: sine quo cætera nuda, ieiuna, infirma, ingrata sunt. Adeò uelut spiritus operis huius atq; animus est in affectibus. Horum autem, sicut antiquitus traditũ accepimus, duæ sunt species, alterã Græci πάθος uocant, quam nos uertentes recte ac proprie affectum dicimus: alteram ἦθος, cuius nomine, ut ego quidẽ sentio, caret sermo Romanus, mores appellãtur, atq; inde pars quoq; illa philosophiæ ἠθικὴ moralis est dicta. Sed ipsam rei naturam spectanti mihi, non tam mores significari uidentur, quàm morũ quædam proprietas. Nam ipsis quidẽ omnes habitus mẽtis cõtinentur. Cautiores uoluntatem complecti, quàm nomina interpretari maluerunt. Affectus igitur hos cõcitatos πάθος, illos mites atq; cõpositos ἦθος esse dixerunt. In altero uehemẽter cõmotos, in altero lenes: deniq; hos imperare, illos persuadere: hos ad perturbationem, illos ad beneuolentiam præualere. Adijciunt quidam peritorũ πάθος temporale esse. Quod ut accidere frequẽtius fateor, ita nõnullas credo esse materias, quæ cõtinuum desiderent affectum. Nec tamen minus artis, aut usus hi leniores habent, uiriũ atq; impetus non tantundem exigunt. In causis uero etiam pluribus uersantur, imò secundum quendam intellectũ in omnibus. Nam cum nisi ex illo & hoc loco nihil ab oratore tractetur, quicquid de honestis, & de utilibus, deniq; facilẽdis & nõ facilẽdis dicitur, hoc uocari potest. Quidam commendationem, atq; excusationem propria huius officij putauerunt: nec abnuo esse ista in hac parte, sed non concedo ut sola sint: quin illud adhuc

adijcio, πάθος atq; ἦθος esse interim ex eadem natura, ita ut illud maius sit, hoc minus: ut amor πάθος, charitas ἦθος. Interdum diuersa inter se, sicut in epilogis. Nanq; πάθος concitat, ἦθος solet mitigare. Propria tamen mihi huius nominis exprimenda natura est, quatinus appellatione ipsa non satis significari uidetur. ἦθος quod intelligimus, quodq; à docentibus desideramus, id erit, quod ante omnia bonitate commendabitur, non solum mite ac placidum, sed plerunq; blandum, & humanum, & audientibus amabile, atq; iucundum. In quo exprimendo summa uirtus ea est, ut fluere omnia ex natura rerum hominumq; uideantur, quò mores dicentis ex oratione pelluceant, & quodammodo agnoscantur, quod est sine dubio inter cõiunctas maxime personas, quoties perferimus, ignoscimus, satisfacimus, monemus, procul ab ira, procul ab odio. Sed tamen alia patris aduersus filium, tutoris aduersus pupillum, mariti aduersus uxorem moderatio est. Hi enim præ se ferunt eorum ipsorum, à quibus læduntur charitatem, neq; alio modo inuisos eos faciunt, quàm quòd amare ipsi uidentur. Alia cum senex adolescentis, alia cum cõuitium honestus inferioris fert. Hic enim tantũ concitari, illic etiã affici debet. Sunt & illa ex eadem natura, sed motus adhuc minoris, ueniã petere, adolescẽtiæ defendere amores. Nonnunquã etiam leuis alieni caloris derisus ex hac forma uenit, sed non his ex locis tantum, uerum aliquanto magis propriæ sunt uirtutes simulationis, satisfaciendi, rogandi, & ἐφωνείας quæ diuersum ei quod dicit, intellectum petit. Hinc etiam ille maior ad concitandum odium nasci affectus solet, cùm hoc ipso, quo nos aduersarijs submittimus, intelligitur tacitæ impotentiæ exprobratio. Nanq; eos graues, & intolerabiles id ipsum demonstrat, quòd cedimus, & ignorãt cupidi maledicendi, aut affectatores libertatis, plus inuidiam quàm conuitium posse: nam inuidia aduersarios, conuitium nos inuisos facit. Ille iam penè medius affectus est ex amoribus, & ex desiderijs amicorum, & necessariorum: nam

rum: nam & hoc maior est, & illo minor. Non parũ significanter etiam illa in scholis ἠθη dixerimus, quibus plerunq; rusticos, superstitiosos, auaros, timidos, secundũ conditionem propositorum effingimus. Nam sic ἠθη mores sunt, cum hos imitamur, & ex his ducimus orationẽ. Deniq; hoc omne, bonũ & comem uirum poscit: quas uirtutes cum etiã in litigatore debeat orator, si fieri potest, approbare, utiq; ipse aut habeat, aut habere credatur. Sic proderit plurimum causis, quibus ex sua bonitate faciet fidem. Nam qui dum dicit, malus uidetur, utiq; male dicit. Nõ enim uidetur iusta dicere, alioqui ἦθος uideretur. Quare & ipsum etiam dicendi genus, in hoc placidum debet esse, ac mite, nihil superbum, nihil elatum saltem ac sublime desideret. Propriè, iucundè, credibiliter dicere sat est. Ideoq; & medius ille orationis modus maxime cõuenit. Diuersum est huic quod πάθος dicitur, quodq; nos affectum proprie uocamus, & ut proxime utriusq; differentiam signem, illud comœdiæ, hoc tragœdiæ simile. Hæc pars circa iram, odium, metum, inuidiã, miserationẽ, ferè tota uersatur. Quæ quibus ex locis ducenda sint, & manifestum omnibus, & nobis in ratione proœmij, atq; epilogi dictum est. Et metum tamen duplicem intelligi uolo, quem patimur, & quẽ facimus. Et inuidiam: nanq; altera inuidum, altera inuidiosum facit. Hoc autẽ hominis, illud rei est, in quo & plus habet operis oratio. Nam quædam uidentur grauia per se, parricidium, cædes, ueneficium: quædam efficienda sunt. Id autem contingit, cùm magnis alioqui malis grauius esse id quod passi sumus, ostenditur. Quale est apud Vergilium:

Ô felix una ante alias Priameia uirgo, Aeneid. 3.
Hostilem ad tumulum Troiæ sub mœnibus altis
Iussa mori— Quàm miser enim casus Andromachæ, si comparata ei felix Polyxena? Aut cum ita exaggeramus iniuriam nostram, ut etiam quæ multo minora sunt, intolerãda dicamus: Si pulsasses, defendi non poteras: uulneraſti. Sed hæc diligen-

tius,cùm ad amplificationem uenerimus, dicemus. Interim no-
taſſe contentus ſum, non id ſolum agere affectus, ut quæ ſunt,
oſtendantur acerba ac luctuoſa:ſed etiam, ut quæ toleranda ha
beri ſolent,grauia uideantur, ut cùm in maledicto plus iniuriæ,
quàm in manu: in infamia plus pœnæ dicimus,quàm in morte.
Nanq; in hoc eloquentiæ uis eſt, ut iudicem non ad id tantum
compellat,in quod ipſe à rei natura duceretur: ſed aut qui non
eſt,aut maiorẽ quàm eſt,faciat affectũ. Hæc eſt illa,quæ ἐνέργεια
uocatur, rebus indignis, aſperis, inuidioſis,addens uim oratio.
Qua uirtute,præter alios,plurimũ Demoſthenes ualuit. Quòd
ſi tradita mihi ſequi præcepta ſufficeret,ſatisfeceram huic par-
ti,nihil eorum quæ legi,uel didici, quod modò probabile fuit,
omittendo.Sed mihi in animo eſt, quæ latent penitus, ipſa hu-
ius loci aperire penetralia: quæ quidem non aliquo tradente,
ſed experimẽto meo,ac natura ipſa duce accepi. Summa enim,
quantũ ego quidem ſentio,circa mouẽdos affectus in hoc poſi-
ta eſt,ut moueamur ipſi. Nam & luctus,& iræ,& indignatio-
nis, aliquando ridicula fuerit imitatio, ſi uerba, uultumq; tan-
tum,non etiam animum accommodauerimus. Quid enim aliud
eſt cauſæ, ut lugẽtes utiq; in recenti dolore diſſertiſsime quædã
exclamare uideantur,& ira nõnunquã indoctis quoq; eloquẽ-
tiã faciat,quàm quòd illis ineſt uis mẽtis,& ueritas ipſa morũ?
Quare in ijs, quæ ueriſimilia eſſe uolemus, ſimus ipſi ſimiles
eorum,qui uere patiũtur,affectibus:& à tali animo proficiſca-
tur oratio,qualem facere iudicem uolet. An ille dolebit,qui au-
diet me,cum hoc dicam, non dolentem? iraſcetur, ſi nihil ipſe,
qui in iram concitat, idq; exigit, ſimile patietur? ſiccis agenti
oculis lachrymas dabit? fieri nõ poteſt. Nec incendit niſi ignis,
nec madeſcimus niſi humore, nec res ulla dat alteri colorem,
quem ipſa non habet. Primum eſt igitur, ut apud nos ualeant
ea,quæ ualere apud iudicem uolumus: afficiamurq; antequam
afficere conemur. At quomodo fiet,ut afficiamur? Neque enim
ſunt

ſunt motus in noſtra poteſtate. Tentabo etiam de hoc dicere.
Quas φαντασίας Græci uocãt,nos ſanè uiſiones appellemus,per
quas imagines rerũ abſentium ita repræſentantur animo,ut eas
cernere oculis,ac præſentes habere uideamur. Has quiſquis be-
ne cõceperit,is erit in affectibus potẽtiſsimus. Hunc quidẽ dicũt
εὐφαντασιώτον, qui ſibi res,uoces,actus ſecundum uerum optime
finget:quod quidem nobis uolentibus facile continget. Nam ut
inter otia animorum,& ſpes inanes, & uelut ſomnia quædam
uigilantiũ:ita nos hæ,de quibus loquimur,imagines proſequũ-
tur,ut peregrinari,nauigare,præliari,populos alloqui,diuitia-
rum,quas non habemus,uſum uideamur diſponere, nec cogita-
re,ſed facere:hoc animi uitium ad utilitatem non transferemus?
Vt hominẽ occiſum queror, non omnia quæ in re præſenti ac-
ciditſſe credibile eſt,in oculis habebo? non percuſſor ille ſubitus
erumpet? non expaueſcet circunuentus? exclamabit? uel roga-
bit? uel fugiet? non ferientem,nõ concidentem uidebo? non ani-
mo ſanguis,& pallor, & gemitus, extremus deniq; expirantis
hiatus inſidet? Inſequetur ὑπότυπωσις, quæ à Cicerone illuſtratio
& euidentia nominatur,quæ non tam dicere uidetur quàm o-
ſtendere,& affectus non aliter quàm ſi rebus ipſis interſimus,
ſequentur. An non ex his uiſionibus illa ſunt?

Excuſſi manibus radij,reuolutaq; penſa. & Aeneid.9.

–Leuiq; patens in pectore uulnus.

Et equus ille in funere Pallantis poſitis inſignibus:

It lachrymans,guttisq; humectat grandibus ora.

Quid? nõ idẽ poëta penitus ultimi fati cepit imaginẽ,ut diceret:

–Et dulcis moriens reminiſcitur Argos?

Vbi uero miſeratione opus erit, nobis ea,de quibus querimur,
accidiſſe credamus,atq; id animo noſtro perſuadeamus. Nos illi
ſimus,quos grauia,indigna,triſtia paſſos queramur. Nec aga-
mus rem quaſi alienam,ſed aſſumamus parumper illum dolorẽ.
Ita dicemus, quæ in ſimili noſtro caſu dicturi eſſemus. Vidi ego
ſæpe

sæpe histriones, atque comœdos, cum ex aliquo grauiore actu personam deposuissent, flentes adhuc egredi. Quòd si in alienis scriptis sola pronunciatio ita fálsis accedit affectibus, quid nos faciemus, qui illa cogitare debemus, ut moueri periclitantium uice possimus? Sed in schola rebus quoq; ipsis affici conuenit, easq; ueras sibi fingere: hoc magis, quòd illic ut litigatores loquimur frequentius, quàm ut aduocati. Orbum agimus, & naufragum, & periclitantem, quorum induere personas non attinet, nisi affectus assumimus. Hæc dissimulanda mihi non fuerunt, quibus ipse, quantuscunq; sum, aut fui (nam peruenisse me ad aliquod nomen ingenij credo) frequenter motus sum, ut me non lachrymæ solum deprehenderint, sed pallor, & uero similis dolor.

De risu. CAP. IIII.

HVic diuersa uirtus, quæ risum iudicis mouendo, & illos tristes soluit affectus, & animum ab intētione rerum frequenter auertit, & aliquando etiam reficit, & à satietate, uel à fatigatione renouat. Quanta sit autem in ea difficultas, uel duo maximi oratores, alter Græcæ, alter Latinæ eloquentiæ principes, docent. Nam plerique Demosthenis facultatem huius rei defuisse credunt, Ciceroni modum. Nec uideri potest noluisse Demosthenes, cuius pauca admodū dicta, nec sanè cæteris eius uirtutibus respondentia, palàm ostendunt, nec displicuisse illi iocos, sed non contigisse. Noster uero non solum extra iudicia, sed in ipsis etiam orationibus habitus est nimius risus affectator. Mihi quidem, siue id recte iudico, siue amore immodico præcipui in eloquentia uiri laboro, mira quædam uidetur in eo fuisse urbanitas. Nā & in sermone quotidiano multa, & in altercationibus & interrogādis testibus plura, quàm quisquàm, dixit facete, & illa ipsa quæ sunt in Verrē dicta frigidius, alijs assignauit, & testimonij loco posuit, ut quò sunt magis uulgaria, eò sit credibilius illa ab oratore non ficta, sed passim esse iactata

iactata. * Vtinā Quintus, & libertus eius Tiro, aut alius quis- * Vtinamq; libertus eius Tiro
quis fuit, qui tres hac de re libros edidit, parcius dictorum numero indulsisset, & plus iudicij in eligendis, quàm in congerendis studij adhibuissent. Minus obiectus calumniantibus foret, qui tamen nūc quoq;, ut in omni eius ingenio, facilius quid reijci, quàm quid adijci possit, inuenient. Affert autem summam rei difficultatē, primùm, quòd ridiculum dictum plerunq; falsum est, hoc semper humile, sæpe ex industria deprauatum, præterea nunquam honorificum, tum uaria hominum iudicia in eo, quia non ratione aliqua, sed motu quodam, nescio an enarrabili, iudicatur. Neq; hoc ab ullo satis explicari puto, licet multi tentauerint. Vnde risus quidem nō solum facto aliquo dictó´ue, sed interdum quodam etiam corporis tractu lacessitur. Præterea non una ratione moueri solent. Neque enim acute tantum, ac uenuste, sed stulte, iracunde, timide dicta aut facta ridentur. Ideoq; anceps eius rei ratio est, quòd à derisu non procul abest risus. Habet enim, ut Cicero dicit, sedem in deformitate aliqua & turpitudine: quæ cum in alijs demonstrantur, urbanitas: cum in ipsum dicentem recidunt, stultitia uocatur. Cum uideatur autem res leuis, & quæ à scurris, mimis, insipientibus deniq; sæpe moueatur, tamen habet uim nescio an imperiosissimam, & cui repugnari minime potest. Erumpit enim inuitis sæpe, nec ullus modò ac uocis exprimit confessionem, sed totum corpus ui sua concutit. Rerum autem sæpe, ut dixi, maximarum momenta uertit, cum odium iramq; frequentissime frangat. Documento sunt iuuenes Tarentini, qui multa de Pyrrho rege securius inter cœnam locuti, cum rationem facti reposcerentur, & neque negari res, neq; defendi posset, risu sunt & opportuno ioco elapsi. Nanq; unus ex ijs, Imò, inquit, nisi lagœna defecisset, occidissemus te. Eaq; urbanitate tota est inuidia criminis dissoluta. Verū hoc quicquid est, ut nō ausim dicere, carere omnino arte, quia nonnullam obseruationē habet, suntq; ad id pertinentia, &

tia,& à Græcis & à Latinis cõpoſita præcepta,ita planè affirmo præcipue poſitum in natura,& in occaſione. Porrò natura non tantum in hoc ualet,ut acutior quis,atq; habilior ſit ad inueniendũ:nam id ſanè doctrina poſſet augeri, ſed ineſt proprius quibuſdam decor in habitu atq; uultu, ut eadẽ illa minus dicente alio uideantur urbana eſſe. Occaſioni uero & in rebus eſt tanta uis,ut ſæpe adiuti ea nõ indocti modò,ſed etiam ruſtici falſe dicant,in eũ quiſquis aliquid dixerit prior. Sunt enim longe uenuſtiora omnia in reſpondendo, quàm in prouocando. Accedit difficultati,quòd eius rei nulla exercitatio eſt,nulli præceptores. Vtiq; in conuiuijs, & ſermonibus multi dicaces, ſed quia in hoc uſu quotidiano proficimus, oratoria urbanitas rara,nec ex arte propria,ſed ad hanc cõſuetudinem accõmodata. Nihil autem uetabat, & componi materias in hoc idoneas, ut controuerſiæ permixtis ſalibus fingerẽtur,uel res proponi ſingulas ad iuuenum talem exercitationẽ. Quin illæ ipſæ, quæ dictæ ſunt,ac uocantur,quas certis diebus feſtæ licentiæ dicere ſolebamus,ſi paulum adhibita ratione fingerentur, aut aliquid in his ſerium quoq; eſſet admixtum, plurimum poterunt utilitatis afferre,quæ nunc iuuenũ,uel ſibi ludentium exercitatio eſt.Pluribus autem nominibus in eadem re uulgò utimur,quæ tamen ſi diducas,ſuam propriam quandam uim oſtendent. Nam & urbanitas dicitur, qua quidem ſignificari uideo ſermonem præ ſe ferentem in uerbis, & ſono, & uſu proprium quẽdam guſtum urbis, & ſumptam ex conuerſatione doctorum tacitam eruditionem:deniq; cui contraria ſit ruſticitas. Venuſtum eſſe, quod cum gratia quadam & uenere dicatur, apparet.Salſum in conſuetudine pro ridiculo tantum accipimus: natura non utiq; hoc eſt:quanquam & ridicula oporteat eſſe falſa. Nam & Cicero, omne quod ſalſum ſit,ait eſſe Atticorum, quia ſunt maxime ad riſum compoſiti.Et Catullus cum dicit:

Nulla in tam magno eſt corpore mica ſalis.

Vrbanitas.

Ruſticitas.

Venuſtum.

Salſum.

Non dicit,

Non dicit, nihil in corpore eius eſſe ridiculum. Salſum igitur erit,quod non erit inſulſum, uelut quoddam ſimplex orationis condimẽtum,quod ſentitur latente iudicio,& uelut palatũ excitat:quod & à tædio defendit orationem.Sanè tamen ut ille in cibis paulò liberalius aſperſus,ſi tamen nõ ſit immodicus,affert aliquid propriæ uoluptatis:ita hi quoq; in dicẽdo habent quiddam,quod nobis faciat audiendi ſitim. Facetum quoq; non tantum circa ridicula opinor conſiſtere. Neq; enim diceret Horatius facetum carminis genus natura conceſſum eſſe Vergilio: decoris hanc magis, & excultæ cuiuſdam elegãtiæ appellationem puto. Ideoq; in epiſtolis Cicero hæc Bruti refert uerba: Ne ulli ſunt pedes faceti, ac delitijs ingredienti mollius: quod conuenit cum illo Horatiano,

–Molle atq; facetum Vergilio.

Facetum.

Iocum uero accipimus, quod eſt contrarium ſerio. Nam & fingere, & terrere, & promittere interim iocus eſt. Dicacitas ſine dubio à dicendo, quod eſt omni generi cõmune, dicta eſt: proprie tamen ſignificat ſermonem cum riſu aliquos inceſſentem.Ideo Demoſthenem urbanum fuiſſe dicunt,dicacem negãt. Proprium autem materiæ, de qua nunc loquimur, eſt ridiculũ. Ideoq; hæc tota diſputatio à Græcis περὶ γελοίων inſcribitur. Eius prima diuiſio traditur eadẽ,quæ eſt omnis orationis,ut ſit poſitum in rebus,aut in uerbis. Vſus autem maxime ſimplex. Aut enim ex alijs riſum petimus, aut ex nobis, aut ex rebus medijs. Aliena aut reprehẽdimus,aut refutamus, aut eleuamus, aut repercutimus,aut eludimus:Noſtra ridicula indicamus, & ut uerbo Ciceronis utar,dicimus aliqua ſubabſurda.Nanq; eadẽ,quæ, ſi imprudẽtibus excidãt, ſtulta ſunt,ſi ſimulamus,uenuſta creduntur.Tertiũ eſt genus,ut idẽ dicit,in decipiẽdis expectationibus, dictis aliter accipiẽdis,cæterisq; quæ neutrã perſonam contingunt.Ideoq; à me media dicuntur.Itẽ ridicula, aut facimus, aut dicimus.Facto riſus cõciliatur interim admixta grauitate,ut M. Cæcilius

Iocus.

Dicacitas.

Cæcilius Prætor,cum ſellam eius curulem Conſul Iſauricus fregiſſet,alteram poſuit loris intentam.Dicebatur autem Conſul à patre aliquãdo cæſus flagris. Interim ſine reſpectu pudoris, ut in illa pyxide Cæliana,quod neq; oratori, neq; ulli graui uiro conueniat.Idem autẽ de uultu geſtuq; ridiculo dictũ ſit,in quibus eſt quidẽ ſumma gratia, ſed maior cũ captare riſum nõ uidentur . Nihil enim ex ijs quæ dicunt ſalſa,* dicitur inſulſius. Quanquam autẽ gratiæ plurimũ dictis ſeueritas affert, ſitq; ridiculum id ipſum,quia qui dicit non ridet:eſt tamen interim & aſpectus,& habitus oris,& geſtus non inurbanus,cũ ijs modus contigit.Id porrò quod dicitur,aut eſt laſciuum & hilare,qualia Galbæ pleraq;:aut cõtumelioſum, qualia nuper Iunij Baſſi: aut aſperum,qualia Caſſij Seueri:aut lene,qualia Donatij Afri. Refert his ubi quis utatur. Nam in cõuiuijs & quotidiano ſermone laſciua humilibus,hilaria omnibus cõueniunt.Ludere nunquam uelimus,longeq; abſit propoſitum illud, Potius amicum, quàm dictũ perdidi. In hac quidem pugna forenſi malim mihi lenibus interdicere:quanquã & contumelioſe,& aſpere dicere in aduerſarios permiſſum eſt,cum accuſare etiam palàm,& caput alterius iuſte petere cõceſſum ſit. Sed hic quoq; tamen inhumana uideri ſolet fortunæ inſectatio, uel quia culpa caret, uel quia recidere etiã in ipſos qui obiecerunt,poteſt. Primum itaq; cõſiderandũ eſt,& quis,& in qua cauſa,& apud quem,& in quẽ, & quid dicat. Oratori minime conuenit diſtortus uultus, geſtusq;,quæ in mimis rideri ſolent.Dicacitas etiam ſcurrilis,& ſcenica huic perſonæ alieniſſima eſt. Obſcœnitas uero nõ à uerbis tantum abeſſe debet,ſed etiã à ſignificatione. Nam ſiquando obijci poteſt, non in omni loco exprobranda eſt. Oratorem præterea ut dicere urbane uolo, ita uideri affectare id , planè nolo.Quapropter ne dicet quidem ſalſe quoties poterit,& dictum potius aliquando perdet, quàm minuet autoritatem. Nec accuſatorem autem atroci in cauſa,nec patronum in miſerabili

*dicunt inſulſum

iocantem feret quiſquam.Sunt etiam iudices quidam triſtiores, quàm ut riſum libenter patiantur. Solet interim accidere, ut id quod in aduerſarium dicimus,aut in iudicem conueniat,aut noſtrum quoq; litigatorem, quanquam aliqui reperiuntur,qui ne id quidẽ,quod in ipſos recidere poßit,euitent. Quod fecit Longus Sulpitius,qui cũ ipſe fœdiſſimus eſſet,eum, cõtra quem iudicio liberali aderat,ne faciem quidẽ habere liberi hominis,dixit. Cui reſpondens Domitius Afer: Et tu,inquit,ex animi ſentẽtia Longe? qui malam faciẽ habet,liber non eſt? Vitandum etiã,ne petulans,ne ſuperbũ, ne loco,ne tẽpori alienũ, ne præparatum & domo allatũ uideatur,quod dicimus. Nam aduerſus miſeros, ſicut ſuprà dixerã,inhumanus eſt iocus.Sed quidã ita ſunt receptæ autoritatis, & notæ uerecũdiæ, ut nocitura ſit in eos dicẽdi petulantia. Nam de amicis iam præceptũ eſt. Illud nõ ad orandi ferè conſiliũ,ſed ad omnia pertinet. Ne laceſſat hoc modo,quem lædere ſit periculoſum : ne aut inimicitiæ graues inſequantur, aut turpis ſatisfactio. Male etiam dicitur, quod in plures conuenit,ſi aut nationes totæ inceſſantur,aut ordines,aut cõditio,aut ſtudia multorum.Ea quæ dicit uir bonus,omnia ſalua dignitate ac uerecundia decent. Nimium enim riſus pretium eſt,ſi probitatis impendio conſtat: Vnde autem concilietur riſus,& quibus ex locis peti ſoleat,difficilimũ eſt dicere. Nam ſi ſpecies omnes perſequi uelimus,nec modũ reperiemus,& fruſtra laborabimus. Neq; numeroſi minus ſunt loci, ex quibus hæc ducta, quàm illi ex quibus eæ quas ſententias uocamus,ducuntur,neq; alij. Nam hic quoq; eſt inuẽtio,& elocutio,atq; ipſius elocutionis uis alia in uerbis,alia in figuris.Riſus igitur oriũtur aut ex corpore eius in quem dicimus, aut ex animo, qui factis ab eo dictisq; colligitur, aut ex ijs quæ ſunt extrà poſita. Intra hæc enim eſt omnis uituperatio,quæ ſi grauius poſita ſit,ſeria ſit:ſi leuius, ridicula. Hæc aut oſtẽduntur, aut narrantur,aut dicto notantur. Rarum eſt autem,ut oculis ſubijcere cõtingat,ut fecit*C. Iulius, qui cum

*Craſſus, habet Plinius lib.35.c.4.

Heluio Manciæ sæpius obstrepenti sibi diceret, iam ostendam qualis sis, isq; planè instaret interrogatione, qualem se tandem ostensurus esset, digito demõstrauit imaginẽ Galli in scuto Mariano Cimbrico pictam, cui Mancia tum simillimus esset uisus. Tabernæ autem erant circa fõrum, ac scutum illud signi gratia positum. Narrare quæ falsa sint, in primis est subtile & oratorium, ut Cicero pro Cluentio narrat de Cepasio, atq; Fabritio, ac M. Cælius de illa C. Lælij, collegæq; eius in prouinciã festinantium cõtentione. Sed in his omnibus cum elegãs & uenusta exigitur tota expositio, tum id est festiuissimũ, quod adijcit orator. Nã & à Cicerone sic est Fabritij fuga illa cõdita. Itaq; cùm callidissime se putaret dicere, & cùm illa uerba grauissima ex intimo artificio deprompsisset: Respicite, inquit, hominum fortunas, respicite uarios durosq; casus, respicite C. Fabritij senectutem. Cum hoc respicite, ornandæ orationis causa, sæpe dixisset, respexit ipse. At Fabritius à subsellijs demisso capite discesserat, & cætera quæ adiecit, nam notus locus, cũ in re hoc solum esset, Fabritiũ à iudicio recessisse. Et Cælius cum omnia uenustissime finxit, tum illud ultimum sic subsecutus: Quo modo transierit, utrũ rate, an piscatorio nauigio, nemo sciebat. Siculi quidem, ut sunt lasciui & dicaces, aiebãt in delphino sedisse, & sic tanquã Ariona transuectum. In narrando autẽ Cicero cõsistere facetias putat, dicacitatem in iaciendo. Mire fuit in hoc genere uenustus Afer Domitius, cuius orationibus cõplures huiusmodi narrationes insertæ reperiũtur: sed dictorum quoq; ab eodẽ urbane, sunt editi libri. Illud quoq; genus est positũ non in hac ueluti iactatione uerborum, & inclusa breuiter urbanitate, sed in quodam longiore actu, quod de Crassõ contra Brutum Cicero in secũdo de Orat. libro & alijs quibusdã locis narrat. Nam cum Brutus in accusatione Cn. Planci ex duobus lectoribus ostendisset, contraria L. Craßum patronum eius in oratione quam de colonia Narbonensi habuerat, suasisse ijs, quæ de lege Seruilia dixerat,

tres

tres excitauit & ipse lectores, ijsq; patris eius dialogos dedit legendos, quorum cũ in Priuernati unus, alter in Albano, tertius in Tiburti sermonẽ habitũ cõplecteretur, requirebat ubi essent eæ possessiones. Omneis autem illas Brutus uendiderat, & cum paterna mãciparet prædia, turpis habebatur. Similis in apologis quoque, & quibusdã etiam interim historijs exponẽdis, gratia cõsequi solet. Sed acutior est illa, atq; uelocior in urbanitate breuitas. Cuius quidẽ duplex est forma, dicẽdi ac respõdendi, sed ratio cõmunis in parte. Nihil enim in lacessendo dici potest, quod non etiã in repercutiẽdo. At propria quædã sunt respondentiũ: illa etiam concitati afferre solent, hæc plerunq; in altercatione, aut in rogandis testibus requiruntur. Cum sint autem loci plures, ex quibus dicta ridicula ducantur, repetendum est mihi, non omneis eos oratoribus conuenire. In primis autem ex amphibolia, neq; illa obscura, quæ Atellanæ more captent, nec qualia uulgò iactantur, uilissimo quoq; conuersa in maledictũ ferè ambiguitate. Ne illa quidẽ quæ Ciceroni aliquãdo, sed nõ in agendo excidêrũt, ut dixi, cum is cãdidatus, qui cocqui filius habebatur, corã eo suffragiũ ab alio peteret: Ego quoque tibi fauebo. Non quia excludẽda sint omnino uerba duos sensus significantia, sed quia raro belle respondeant, nisi cum prorsus rebus ipsis adiuuantur. Quare nõ hoc modo penè & ipsum scurrile Ciceronis est in eundem, de quo suprà dixi, Isauricũ: Miror quid sit, quòd pater tuus homo constantissimus te nobis uarium reliquit. Sed illud ex eodẽ genere præclarũ, cum obijceret Miloni accusator in argumentũ factarum Clodio insidiarum, quòd Bouillas ante horam nonã diuertisset, ut expectaret dum Clodius à uilla sua exiret, & identidẽ interrogaret quo tẽpore Clodius occisus esset, respondit, sero. quod uel solum sufficit, ut hoc genus non totũ repudietur. Nec plura modo significari solent, sed etiã diuersa, ut Nero de seruo peßimo dixit: Nulli apud se plus fidei haberi, nihil ei neq; inclusum, neq; signatum esse. Peruenit res

 usq; ad

uſq; ad ænigma, quale eſt Ciceronis in Pletorium Fonteij accuſatorem, cuius matrem dixit dum uixiſſet ludum, poſtquam mortua eſſet, magiſtros habuiſſe. Dicebantur autẽ, dum uixit, infames fœminæ ad eam cõuenire ſolitæ, poſt mortem eius bona uenibant: quãquam hic ludus per translationẽ dictus eſt, magiſtri per ambiguitatem. In metalepſin quoq; cadit ratio dictorum, Vt Fabius Maximus incuſans Auguſti cõgiariorum, quæ amicis dabãtur, exiguitatem, heminaria eſſe dixit. Nam cõgiarium, cum ſit cõmune liberalitatis atq; menſuræ: à menſura ducta imminutio eſt rerũ. Et hæc tam frigida, quàm eſt nominum fictio, adiectis, detractis, mutatis literis, ut Aciſculum, quia eſſet pactus Paciſculum: & Placidum nomine, quia is acerbus natura eſſet, Acidum: & Tullium, cùm fur eſſet, Tollium dictos inuenio. Sed hæc eadem genera commodius in rebus quàm in nominibus reſpondent. Aſer enim uenuſte Manlium Suram multũ in agendo diſcurſantem, ſalientem, manus iactantem, togam deijcientẽ & reponentem, nõ agere dixit, ſed ſatagere. Eſt enim dictum per ſe urbanum ſatagere, etiamſi nulla ſubſit alterius uerbi ſimilitudo. Fiunt & detracta, & adiecta aſpiratione, & binis cõiunctis uerbis, ſimiliter ſæpius frigida, aliquãdo tamen recipienda, eademq; cõditio eſt in ijs, quæ à nominibus trahuntur. Multa ex hoc Cicero in Verrẽ, ſed ut ab alijs dicta, modò futurũ ut omnia uerereret, cum diceretur Verres: modò Herculi, quem expilauerat, moleſtiorem apro Erymanthio fuiſſe: modò malum ſacerdotem, qui tam nequam Verrem reliquiſſet, quia ſacerdoti Verres ſucceſſerat. Præbet tamen aliquando occaſionem quædam felicitas hoc quoq; genere bene utendi, ut pro Cecinna Cicero in teſtem Sext. Clodium Phormionem: Nec minus niger, inquit, nec minus confidens, quàm eſt ille Terentianus Phormio. Acriora igitur ſunt & elegantiora, quæ trahuntur ex ui rerum. In his maxime ualet ſimilitudo, ſi tamen ad aliquid inferius leuiusq; refiratur, qua iam ueteres illi iocabantur, qui Lentulum Spintherem, & Scipionem

Scipionem Serapionem eſſe dixerunt. Sed ea non ab hominibus modò petitur, uerumetiam ab animalibus, ut nobis pueris Iunius Baßus homo in primis dicax, aſinus albus uocabatur: & Sarmẽtus, ſeu Publius Bleßus Iunium hominem nigrũ, & macrum, & pandum, fibulam ferream dixit, quod nunc riſus petendi genus frequentiſſimum eſt. Adhibetur autẽ ſimilitudo interim palàm, interim inſeri ſolet parabolæ, cuius eſt generis id Auguſti, qui militi libellum timidè porrigenti: Noli, inquit, dubitare tanquam aſſem elephãto des. Sunt quædam etiam ueriſimilia. Vnde Vatinius dixit hoc dictũ, cũ reus agente in eum Caluo, candido frontem ſudario tergeret, idq; ipſum accuſator in inuidiam uocaret: Quãuis reus ſum, inquit, & panẽ candidum edo. Adhuc eſt ſubtilior illa ex ſimili trãslatio, cũ quod in alia re fieri ſolet, in aliam mutuamur. Ea dicatur ſanè fictio, ut Chryſippus, cum in triumpho Cæſaris eburnea oppida eſſent translata, & poſt dies paucos Fabij Maximi lignea, thecas eſſe oppidorũ Cæſaris dixit. Et Pedo de Mirmillone, qui retiarium conſequebatur, nec feriebat: Viuum, inquit, capere uult. Iungitur amphiboliæ ſimili-tudo, ut L. Galba, qui pilam negligenter petenti, Sic, inquit, petis tanquàm Cæſaris candidatus. Nam illud petis ambiguum eſt, ſecuritas ſimilis. Quod hactenus oſtendiſſe ſatis eſt. Cæterum frequentiſſima aliorum generum cũ alijs mixtura eſt, eaq; optima quæ ex pluribus conſtat. Eadem diſſimilium ratio eſt. Hinc eques Ro. ad quem in ſpectaculis bibentem cum miſiſſet Auguſtus, qui ei diceret, Ego ſi prandere uolo, domum eo: Tu enim inquit, non times, ne locum perdas. Ex contrario non una ſpecies: Neq; enim eodem modo dixit Auguſtus præfecto, quem ignominia notabat, ſubinde interponẽti precibus: Quid reſpondebo patri meo? Dic me tibi diſplicuiſſe: quo Galba penulam roganti, Non poßum commodare, domi maneo, cũ cœnaculum eius perplueret. Tertiũ adhuc illud, ſiquidẽ ut ne autorẽ ponã, uerecundia ipſius facit: Libidinoſior es, quàm ullus ſpado, quo

sine dubio & opinio decipitur, sed ex contrario. Et hoc ex eodem loco est, sed nulli priorum simile, quod dixit M. Vestinius, cum ei *renunciatum esset, Aliquando desinet pluere. Onerabo librum exemplis, similemq; ijs, qui risus gratia componuntur, efficiam, si persequi uoluero singula ueterum. Ex omnibus argumentorum locis eadem occasio est. Nam & finitione usus est Augustus de Pantomimis duobus, qui alternis gestibus contendebant, cum eorum alterum saltatorem dixit, alterum interpellatorem. Et partitione Galba, cũ penulam roganti respõdit, Non pluit, non est opus tibi: si pluit, ipse utar. Proinde genere, specie, proprijs, differentibus, iugatis, adiunctis, consequentibus, antecedentibus, repugnantibus, causis, effectis, cõparatione parium, maiorum, minorum, similis materia præbetur, sicut in tropos quoq; omnes cadunt. An non plurima κατ' ὑπερβολὴν dicuntur? quale refert Cicero de Memmio homine prælongo, caput eum ad fornicem Fabij offendisse. Et quod P. Oppius dixit de genere Lentulorum, cum assidue minores parentibus liberi essent in nascendo. Interim utrunq;. Quid ironia? non ne etiam quæ sit uerissima, ioci propè genus est? Qua urbane usus est Afer, cum Didio Gallo, qui prouinciam ambitiosissime petierat, deinde impetrata ea, tanquam coactus querebatur, Age, inquit, aliquid, & reipublicæ causa elabora. Quáq; Cicero usus est, cum Vatinij morte nunciata, cuius parum certus dicebatur autor: Interim, inquit, usura fruar. Idem per allegoriam M. Cælium melius obijciẽtem crimina quàm defendentem, bonam dextram, malam sinistram habere dicebat. Emphasi Liuius dixit ferro Accium Nauium cotem incidisse. Figuras quoque mentis, quæ σχήματα διανοίας dicũtur, res eadem recipit omneis, in quas nonnulli diuiserunt species dictorum. Nam & interrogamus, & dubitamus, & affirmamus, & minamur, & optamus: Quædam ut miserantes, & quædam ut irascentes dicimus. Ridiculum autem est, omne quod aperte fingitur. Stulta reprehendere facilimum est: nam

*Renuntiatum esset, id est, cum passus esset repulsam &c. Vide Philandrũ.

est: nam per se sunt ridicula. Sed rem urbanam facit aliqua ex nobis adiectio. Stulte interrogauerat exeuntem de theatro Carpathium Tityus Maximus, an spectasset: fecit Carpathius dubitationem eius stultiorem dicendo: Non, sed in orchestra pila lusi. Refutatio cum sit in negando, redarguẽdo, defendendo, eleuando, ridicule negauit Mannius Curius. Nam cum eius accusator in Sipario omnibus locis, aut nudum cũ in neruo, aut ab amicis redemptum ex alea pinxisset: Ergo ego, inquit, nunquam uici. Redarguimus interim aperte, ut Cicero Vibium Curium multum de annis ætatis suæ mentientem: Tum ergo cum unà declamabamus, non eras natus. Interim & simulata assentione, ut idẽ Fabiæ Dolabellæ dicenti triginta se annos habere, Verum est inquit, nam hoc iã uiginti annis audio. Belle interim subijcitur pro eo quod neges, aliud mordacius, ut Iunius Bassus quærente Domitia Paßieni, quòd incusans eius sordes, calceos eã ueteres diceret uẽdere solere: Nõ mehercules, inquit, hoc unquam dixi, sed emere te solere. Defensionem imitatus est eques Ro. qui obijcienti Augusto, quòd patrimoniũ comedisset: Meum, inquit, putaui. Eleuandi ratio est duplex, ut aut ueniam quis, aut iactantiam minuat. Quemadmodum C. Cæsar Pomponio ostendenti uulnus ore exceptũ in seditione Sulpitiana, quod ipse se pro Cæsare pugnantẽ gloriabatur, Nunquã fugiẽs respexeris, inquit. Aut crimen obiectũ, ut Cicero obiurgãtibus, quòd sexagenarius Popiliam uirginem duxisset, Cras mulier erit, inquit. Hoc genus dicti consequens uocant quidam, atq; illi simile, quo Cicero Curionẽ semper ab excusatione ætatis incipientem, facilius quotidie procemium habere dixit, quia ista natura sequi & cohærere uideãtur. Sed eleuãdi genus est etiam causarũ relatio, qua Cicero est usus in Vatinium, qui pedibus æger, cum uellet uideri cõmodioris ualetudinis factus, & diceret se iã bina milia passuum ambulare: Dies enim, inquit, longiores sunt. Et Augustus nunciantibus Tarraconẽsibus palmam in ara eius enatam:

Apparet, inquit, quàm sæpe accẽdatis. Transtulit crimen Cassius Seuerus: Nam cum obiurgaretur à Prætore, quòd aduocati eius L. Varo Epicureo Cæsaris amico cõuitium fecissent: Nescio, inquit, qui conuitiati sint, & puto Stoicos fuisse. Repercutiendi multa sunt genera, uenustissimũ quod etiam simulitudine aliqua uerbi adiuuatur, ut Tracallus dicenti Suellio: Si hoc ita est, is in exilium: Si non est ita, redij, inquit. Elusit Cassius Seuerus, obijciente quodã quòd ei domo sua Proculeius interdixisset, respondendo: Nunquid ego illuc accedo? Sic eluditur & ridiculum ridiculo, ut Diuus Augustus, cum ei Galli torquem aureũ centum pondo dedissent, & Dolabella per iocum, tentans tamen ioci sui euentum dixisset: Imperator, torque me dona: Malo te, inquit, ciuica donare. Mendacium quoq; mendacio, ut Galba, dicente quodã uictoriato se uno in Sicilia quinq; pedes longam Murenam emisse: Nihil, inquit, mirum: nam ibi tam longæ nascuntur, *utantur ut ijs piscatores pro restibus* cingantur. Contraria est neganti confessionis simulatio. Sed ipsa quoq; multũ habet urbanitatis. Sic Afer cum ageret contra libertum Claudij Cæsaris, & ex diuerso quidã conditionis eiusdẽ cuius erat litigator, exclamasset: præterea tu semper in libertos Cæsaris dicis? Nec mehercule, inquit, quicquã proficio. Cui uicinũ est, non negare quod obijcitur, cum & id palàm falsum est, & inde materia bene respõdendi datur, ut Catulus dicẽti Philippo, Quid latras? Furem uideo, inquit. In se dicere, non est ferè nisi scurrarum, & in oratore utiq; minime probabile. Quod fieri totidem modis, quot in alios potest: Ideoq; hoc, quãuis frequẽs sit, transeo. Illud uero etiamsi ridiculum, indignum tamen est homini liberali, quod aut turpiter, aut impotenter dicitur. Quod fecisse quendam scio, qui humiliori liberè aduersus se loquenti, Colaphum, inquit, tibi ducam, & formulam scribam, quòd caput durum habeas. Hic enim dubium est, utrum ridere audientes, an indignari debuerint. Supereſt genus decipiendi opinione, aut dicta aliter intelli

intelligendi, quæ sunt in omni hac materia uel uenustissima. Inopinatum & à lacescente poni solet, quale est quod refert Cicero: Quid huic abest, nisi res & uirtus? Aut illud Afri: Homo in agendis causis optime uestitus. Et in occurrendo, ut Cicero audita falsa Vatinij morte, cum Quinium libertum eius interrogasset, rectè ne omnia? dicenti recte: Mortuus est, inquit. Plurimus autem circa simulationem & dissimulationẽ risus est, quæ sunt uicina, & propè eadem. Sed simulatio est certam opinionem animi sui imitantis: dissimulatio, aliena parum se intelligere fingentis. Simulauit Afer, cum (in causa subinde dicentibus Celsinam dicere) cognouisset, quòd erat potens fœmina: Quis est, inquit, iste? Celsinam enim uideri sibi uirum finxit. Dissimulauit Cicero, cum Sext. Annalis testis reum læsisset, & instaret idẽtidem accusator ei, Dic Marce Tulli, nũquid potes de Sexto Annali? Versus tunc dicere cœpit de libro Ennij Annali sexto:

Qui potis ingentis causas euoluere belli.

Cui sine dubio frequentissimam dat occasionem ambiguitas, ut Cassellio, qui consultori dicenti, nauem diuidere uolo: Perdes, inquit. Sed auerti intellectus etiam aliter solet, cùm ab asperioribus ad leniora deflectitur: ut qui interrogatus, quid sentiret de eo qui in adulterio deprehensus esset, tardum fuisse respondit. Ei confine, quod dicitur per suspicionẽ, quale illud apud Ciceronem: Querenti quòd uxor sua è fico se suspendisset, rogo des mihi surculum ex illa arbore, ut inseram. Intelligitur enim quod non dicitur. Et hercle omnis falsè dicẽdi ratio in eo est, ut aliter quàm est, rectum uerumq; dicatur, quod fit totum fingendis aut nostris, aut alienis persuasionibus, aut dicẽdo quod fieri non potest. Aliena finxit Iuba, qui querenti, quòd ab equo suo esset aspersus, Quid tu, inquit, me Hippocentaurum putas? Sua, C. Cassius, qui militi sine gladio discurrenti, heus commilito, pugno bene uteris, inquit. Et Galba de piscibus, qui cum pridie ex parte adesi, & uersati, postero die appositi essent: Festinemus,

alij subcœnant, inquit. Tertium illud Ciceronis aduersus Curium: Fieri enim certe non poterat, ut declamaret, & natus nõ esset. Est & illa ex ironia fictio, qua usus est C. Cæsar. Nam cũ testis diceret à reo femina sua ferro petita, & esset facilis reprehensio, cur illam potissimum partem corporis uulnerare uoluisset: Quid enim faceret, inquit, cum tu galeam & loricam haberes? Vel optima est simulatio contra simulantem, qualis illa Domicij Afri fuit: Vetus habebat testamentum, & unus ex amicis recentioribus sperans aliquid ex mutatione tabularum, falsam tabulam intulerat, consulens eum, an primipilaris ei testamento suaderet ordinare suprema iudicia, Noli, inquit, facere, offendis illum. Iucundissima sunt autẽ ex his omnibus lenia, & (ut sic dixerim) boni stomachi, ut Afer ingrato litigatori conspectum eius uitanti in foro, per nomenclatorem missum ad eũ: Amas me, inquit, quòd te non uidi. Et dispensatori, qui cùm ad reliqua non responderet, dicebat subinde, Non comedi panem, & aquam bibo: Pasce, & redde quod debes. quæ ὑπαγωγὰς uocant. Est gratus iocus, qui minus exprobat quàm potest, ut idem dicenti candidato, semper domum tuam colui, cùm posset palàm negare, Credo, inquit, & uerum est. Interim de se dicere ridiculum est, & quod in alium, si absentẽ diceret, urbanũ non erat, quoniam ipsi palàm exprobratur, mouet risum: quale Augusti est, cum ab eo miles nescio quid improbe peteret, ueniret cõtrà Martianus, quẽ suspicabatur & ipsum aliquid iniuste rogaturum. Non magis, inquit, faciam cõmilito quæ petis, quàm quod Martianus à me petiturus est. Adiuuant urbanitatem, & uersus cõmode positi, seu toti ut sunt, quod adeò facile est, ut Ouidius ex tetrasticho Macri carmine librum in malos Poëtas cõposuerit. Quod fit gratius, si qua etiã ambiguitate cõditur, ut Cicero in Accium hominem callidum & uersutum, cùm is in quadam causa suspectus esset: Nisi qua Vlysses rate euasit Lacertius. Seu uerbis ex parte mutatis, ut in eum, qui cum antea stultissimus esset

esset habitus, post acceptam hæreditatem primus sententiam rogabatur: Cuius hæreditas est, quam uocant sapientiam, pro illo facultas est. Seu fictis nouis uersibus. Simile est quod παροιμία dicitur, & prouerbia opportune aptata, ut de homine in aquã lapso, & ut alleuaretur roganti: Tollat te qui non nouit. Ex historia etiam ducere urbanitatem eruditum, ut Cicero fecit, cum ei testem in iudicio Verris roganti dixisset Hortensius, non intelligo hæc ænigmata: Atqui debes, inquit, cum Sphingem domi habeas. Acceperat autẽ ille à Verre Sphingem æneam, magnæ pecuniæ. Subabsurda illa constant stultis simili imitatione: & quæ nisi fingantur, stulta sunt, ut qui mirantibus quòd humile candelabrum emisset, pransoriũ erit inquit. Sed illa similia absurdis sunt acria, quæ tanquam sine ratione dicta ferũtur, ut seruus Dolabellæ, cum interrogaretur, an dominus eius actionem proposuisset, Domum, inquit, uendidit. Deprehensi interim pudorem suũ ridiculo aliquo explicant: ut qui testem dicentem se à reo uulneratũ interrogauerat, an cicatrices haberet: cùm ille ingentẽ in femore ostendisset, latus inquit *oportuit. Contumelijs quoq; uti belle datur, ut Hispo obijcienti bis acerba crimina accusatori, Mẽtiris inquit. Et Fuluius propinquus legato interroganti, an in tabulis, quas profitebat, chirographus esset, Et uerus, inquit, domine. Has aut accepi species, aut inueni frequẽtissimas, ex quibus ridicula ducerentur. Sed repetam necesse est, infinitas esse tam falsè dicendi, quàm scuerè, quas præstat persona, locus, tempus, casus deniq;, qui est maxime uarius. Itaq; hæc ne omisisse uiderer attigi: illa autẽ quæ de usu ipso, & modo io cãdi cõplexus sum, adeò infirma, sed planè necessaria. His adijcit Domitius Marsus, qui de urbanitate diligentissime scripsit, quædam non ridicula, sed cuilibet seuerissimæ orationi cõuenientia, eleganter dicta, & proprio quodam lepore iucunda: quæ sunt quidem urbana, sed risum tamen non habent. Neque enim ei de risu, sed de urbanitate est opus institutũ, quam propriã esse nostræ

*opportunius

ſtræ ciuitatis ait: & ſero ſic intelligi cœptam, poſtquam urbis appellationem, etiamſi nomen proprium non adijceretur, Romam tamen accipi ſit receptum, eamq; ſic finit: Vrbanitas eſt uirtus quædam in breue dictũ coacta, & apta ad delectandos, mouendosq; homines in omnem affectũ, maxime idonea ad reſiſtendum, uel laceſſendum, prout quæq; res ac perſona deſiderat. Cui ſi breuitatis exceptionem detraxeris, omneis orationis uirtutes cõplexa ſit. Nam ſicut iſta rebus & perſonis, & quod in utriſq; oporteat dicere, perfectæ eloquentiæ eſt. Cur autem breuem eam eſſe uoluerit, neſcio quidem. At quam in eodem libro dicat fuiſſe, & in multis narrandi urbanitatem, paulò pòſt ita finit, Catonis, ut ait, opinionem ſecutus, Vrbanus homo erit, cuius multa bene dicta, reſponſaq; erunt, & qui in ſermonibus, circulis, conuiuijs, item in concionibus, omni deniq; loco ridicule, commodeq; dicet. Riſus erunt, quicunq; hæc faciet orator. Quas ſi recipimus finitiones, quicquid bene dicetur & urbane, dicti nomen accipiet. Cæterum illi, qui hoc propoſuerat, cõſentanea fuit illa diuiſio, ut dictorum urbanorum, alia ſeria, alia iocoſa, alia media faceret. Nam eadem eſt omnium bene dictorũ. Verum mihi etiam iocoſa quædam uidentur poſſe non ſatis urbane referri. Nam meo quidem iudicio illa eſt urbanitas, in qua nihil abſonum, nihil agreſte, nihil incõditum, nihil pereginum, neq; ſenſu, neq; uerbis, neq; ore, geſtu'ue poßit deprehendi, ut non tam ſit in ſingulis dictis, quàm in toto colore dicẽdi, qualis apud Græcos, Atticiſmos ille redolens Athenarum proprium ſaporem. Ne tamen iudicium Marſi hominis eruditißimi ſubtraham, Seria partitur in tria genera, honorificum, cõtumelioſum, medium. Et honorifici ponit exemplum Ciceronis quoq; pro Ligario apud Cæſarem: Qui nihil ſoles obliuiſci, niſi iniurias. Et contumelioſi, quod Attico ſcripſit de Pompeio & Cæſare: Habeo quem fugiam, quem ſequar non habeo. Et medij, quod ἀποφθεγματικὸν uocat, & eſt cum ita dixit: Neq; grauem mortem acci

accidere forti uiro poſſe, neq; immaturam conſulari, neq; miſeram ſapienti. Quæ omnia ſunt optime dicta: ſed cur proprie nomen urbanitatis accipiant, non uideo. Quod ſi nõ ſolùm totus, ut mihi uidetur, orationis color meretur, ſed etiam ſingulis dictis tribuendum eſt, illa potius urbana eſſe dixerim, quæ ſunt generis eiuſdem, quæ ridicula dicũtur, & tamen ridicula nõ ſunt, ut de Pollione Aſinio ſerijs, iocisq; pariter accommodato dictũ eſt, Eſſe eum omnium horarum. Et de actore facile dicente ex tempore, Ingenium eum in numerato habere. Etiam Pompeij, quod refert Marſus, in Ciceronem diffidentem eius partibus: Tranſi ad Cæſarem, me timebis. Erat enim, ſi de re minore, aut alio animo, aut deniq; non ab ipſo dictũ fuiſſet, quod poſſet inter ridicula numerari. Etiã illud, quod Cicero Cereliæ ſcripſit, reddens rationem cur illa C. Cæſaris tempora tam patienter toleraret: Hæc aut animo Catonis ferenda ſunt, aut Ciceronis ſtomacho. Stomachus enim illic habet aliquid ioco ſimile. Hæc quæ mouebant, dißimulanda mihi non fuerunt, in quibus, ut errauerim, legentes tamen non decepi, indicata diuerſa opinione, quã ſequi magis probantibus liberum eſt.

De altercatione. CAP. V.

ALtercationis præcepta poterant uideri tunc inchoanda, cũ omnia, quæ ad continuam orationẽ pertinent, peregißem: nam eſt uſus eius ordine ultimus. Sed cum ſit poſita in ſola inuẽtione, neq; habere diſpoſitionẽ poßit, nec elocutionis ornamẽta magnopere deſideret, aut circa memoriam & pronuntiationẽ laboret, priuſquam ſecundam quinq; partium, hãc quæ tota ex prima pendet, tractaturus nõ alieno loco uideor, quam ſcriptores alij ideo fortaſſe reliquerunt, quia ſatis cæteris præceptis in hanc quoq; uidebatur eſſe profectum. Conſtat enim aut intẽtione, aut depulſione, de quibus ſatis traditum eſt: quia quicquid in actione perpetua circa probationes utile eſt, idẽ in hac breui atq; conciſa proſit neceſſe eſt. Neq; alia dicuntur in altercatione

tione,sed aliter aut interrogando, aut respondendo. Cuius rei ferè omnis obseruatio in illo testium loco excussa est: tamẽ quia latius hoc opus aggressi sumus, neq; perfectus orator sine hac uirtute dici potest, paulum impendamus huic quoq; peculiaris operæ,quæ quidem in quibusdam causis ad uictoriam uel plurimum ualet. Nam ut in qualitate generali,in qua rectè ne factũ quid, an contrà sit, quæritur, perpetua dominatur oratio, & quæstionem finitionis actionis plerũq; satis explicat, & omnia penè in quibus de facto constat,aut coniectura,artificiali ratione colligitur:ita in ijs causis, quæ sunt frequentissimæ, quæ uel solis extra artem probationibus,uel mixtis continentur, asperrima in hac parte dimicatio est,nec alibi dixeris magis mucrone pugnari. Nam & firmissima quæq; memoriæ iudicis inculcãda sunt:etiam præstandum quicquid in actione promisimus,& refellenda mẽdacia. Nusquam est deniq; qui cognoscit intentior. Nec immeritò quidam,quanquàm in dicendo mediocres,hæc tamen altercandi præstantia meruerunt nomen patronorum. At quidam litigatoribus suis illum modò ambitiosum declamandi sudorem præstitisse contenti, cum turba laudantium destituunt subsellia, pugnamq; illam decertatoriã imperitis ac sæpe pullatæ turbæ relinquunt. Itaq; uideas alios plerunq; iudicijs priuatis ad altercationes uocari,alios ad probationem. Quæ si diuidenda sunt officia,hoc certe magis necessarium est, pudẽdumq; dictu,si plus litigantibus prosunt minores. In publicis certe iudicijs uox illa præconis, præter patronos, ipsum qui egerit,citat. Opus est igitur in primis ingenio ueloci ac mobili, animo præsenti & acri. Non enim cogitandum, sed dicendum statim est,& propè sub conatu aduersarij manus erigenda. Quare cũ in omni parte huiusce officij plurimum facit,totas non diligenter modò,sed etiã familiariter nosse causas, tum in altercatione maxime necessarium est,omnium personarum, instrumentorũ, temporum, locorum habere notitiam, alioqui & tacendum est

sæpe

sæpe,etiam alijs subijcientibus,plerunq; autem studio loquẽdi* fatue modo accedendũ,quod nunquã accidit,* ni nostra credu- *ut
litate aliena stultitia erubescamus:neq; tantum hoc ipsis monitoribus clarescit. Quidam faciunt aperte quod rixemur. Videas enim plerosq; ira percitos exclamantes,ut iudex audiat cõtrarium id esse quod admoneatur,sciatq; ille, qui pronuntiaturus est in causa,malum quod tacetur. Quare bonus altercator uitio iracundiæ careat. Nullus enim rationi magis obstat affectus, & fert extra causam,& plerunq; deformia conuitia facere, ac mereri cogit,& ipsos nonnunquàm iudices incitat. Melior moderatio,ac nõnunquàm etiã patientia. Neq; enim refutanda tantũ quæ è contrario dicuntur,sed contemnenda, eleuanda, ridenda sunt,nec usquã plus loci reperit urbanitas,odium mordet & pudor,contra turbantes audendum, & impudentiæ fortiter resistendum. Sunt enim quidã præduri in hoc oris,ut obstrepãt ingenti clamore,& medios sermones intercipiant, & omnia tumultu cõfundãt,quos ut nõ imitari, sic acriter propulsare oportebit,& ipsorum improbitas retũdenda,& iudices,uel præsidẽtes magistratus appellandi frequenter,ut loquẽdi uices seruentur. Nam est res animi iacẽtis, & mollis supra modũ frontis, fallitq; plerũq;,quòd probitas uocatur, quæ est imbecillitas. Valet autẽ in altercatione plurimũ acumen, quod sine dubio ex arte non uenit. Natura enim non docetur,arte tamen adiuuatur : in qua præcipuum est semper id in oculis habere,de quo quæritur, & quod uolumus efficere, quia propositũ tenẽtes in rixam nõ ibimus,nec causæ debita tẽpora cõuitiando conteremus,gaudebimusq;,si hoc aduersarius facit. Omnia tẽpora ferè parata sunt meditatis diligenter, quæ aut ex aduerso dici, aut responderi à nobis possint. Nonnunquàm tamen solet hoc quoq; esse artis genus,ut quædam in actione dissimulata subitò in altercãdo proferantur,& inopinatis eruptionibus, & ex insidijs citissimo facto simillimũ. Id autem tantum faciendum , cum est aliquid cui

respon

responderi non statim poßit, potuerat autẽ, si tempus ad disponendum fuisset. Nam quod fideliter firmum est, à primis statim actionibus arripere optimum est, quo sæpius diutiusq́; dicatur. Illud uix saltem præcipiendum uidetur, ne turbidus & clamosus tantũ sit altercator, & quales facti sunt, qui literas nesciunt. Nam improbitas licet aduersario molesta sit, iudici iuuisa est. Nocet etiam diu pugnare in ijs, quæ obtinere non poßis. Nam ubi uinci necesse est, expedit cedere: quia siue plura sunt, de quibus quæritur, facilior erit in cæteris fides: siue unum, mitior solet irrogari pœna uerecundiæ. Nam culpam, præsertim deprehensam, pertinaciter tueri, culpa altera est. Dum stat acies, multi in rem consilij, atq; artis est, ut errantem aduersarium trahas, & ire quàmlongißime cogas, ut uana interim spe exultet. Ideo quædam bene dißimulantur instrumenta. Instant enim, & sæpe discrimen omne committunt, quod deesse nobis putant, & faciunt probationibus nostris autoritatem postulando. Expedit etiam dare aliquid aduersario, quod pro se putet, quod apprehendens maius aliquid cogatur dimittere, duas interim res proponere, quarum utramlibet male sit electurus: Quod in altercatione fit potentius, quàm in actione, quia in illa nobis ipsi respondemus, in hac aduersarium quasi confeßum tenemus. Est in primis acuti, uidere quo iudex dicto moueatur, quid respuat, quod ex uultu sæpißime, & aliquando etiam dicto aliquo, facto ue eius deprehenditur: & instare proficientibus, & ab ijs, quæ non adiuuant, quàmmollißime pedem oportet referre. Faciunt hoc medici quoq;, ut remedia perinde perseuerent adhibere, uel desinant, ut illa recipi uel respui uident. Nonnunquàm si rem euoluere propositam facile non sit, inferẽda est alia quæstio, atq; in eam, si fieri potest, iudex auocandus. Quid enim cũ respondere non poßis, agendũ est, nisi ut aliud inuenias cui aduersarius respondere nõ poßit? In plerisq; iudex est auocãdus, ut dixi, qui circa testes est locus, & personis modo distat, quòd hic pa

hic patronorum inter se certamen, illic pugna inter testem & patronum. Exercitatio uero huius rei longe facilior. Nam est utilißimum, frequenter cum aliquo qui sit studiorum eorundẽ, sumere materiam uel ueræ, uel etiam fictæ controuersiæ, & diuersas partes altercationis modo tueri, quod idem etiam in simplici genere quæstionum fieri potest. Ne illud quidem ignorare aduocatum uolo, quo quæq; ordine probatio sit apud iudices proferenda, cuius rei eadem in argumentis ratio est, ut potentißima, prima & summa ponantur. Illa enim ad credendũ præparant iudicem, hæc ad pronuntiandum.

De iudicio & consilio. CAP. VI.

HIs pro nostra facultate tractatis, non dubitassem transire protinus ad dispositionem, quæ ordine ipso sequitur, nisi uererer, ne quoniam fuerunt, qui iudicium inuentioni subiungerent, præterijsse hũc locum quibusdam uiderer: qui mea quidem opinione adeò partibus operis huius omnibus cõnexus ac mixtus est, ut ne à sententijs quidem, aut uerbis saltem singulis poßit separari: nec magis arte traditur, quàm gustus, aut odor. Ideoq́; nos quid in quaq; re sequendum cauendumq́; sit docebimus, ut ad ea iudicium dirigatur. Præcipiam igitur ne quod effici non potest, aggrediamur? ut contraria uitemus, & communia? ne quid in eloquendo corruptum obscurumq́; sit? Referatur oportet ad sensus, qui non docentur. Nec multum à iudicio credo distare consilium: nisi quòd illud ostendentibus se rebus adhibetur, hoc latentibus, & aut omnino nondum repertis, aut dubijs: Et quòd iudicium frequentißime certum est. Consilium uero est ratio quædam alte petita, & plerunque plura perpendens, & comparans, habensq́; in se & inuentionem, & iudicationem. Sed ne hæc quidem præcepta in uniuersum spectanda sunt. Nam ex re sumitur: cui locus ante actionem est frequenter. Nam Cicero summo consilio uidetur in Verrem uel cõtrahere tempora dicendi maluisse, quàm in eum annum, quo erat

Q. Hortensius cõsul futurus, incidere. Et in ipsis actionibus primum ac potentissimum obtinet locum. Nam quid dicendũ, quid tacendum, quid diffitendum sit, exigere consilij est: negare sit satius, an defendere: Vbi proœmio utendum, & quali: Narrandum´ne, & quomodo. Iure prius pugnandum, an æquo: Qui sit ordo utilissimus, tum omnes colores, asspere, an leniter, an etiam submisse loqui expediat. Sed hæc quoq; ut quisq; passus est locus, monuimus: idemq; in reliqua parte faciemus. Pauca tamen exempli gratia ponam, quibus manifestius appareat, quid sit quod demonstrari posse præceptis non arbitror. Laudatur consilium Demosthenis, quòd cum suaderet bellum Athenienſibus, parum id prospere expertis, nihil adhuc factũ esse ratione monstrat. Poterat enim emendari negligentia. At si nihil esset erratum, melioris in posterum spei non erat ratio. Idem cum offensam uereretur, si obiurgaret populi segnitiem, in asserenda libertate Reipublicæ maiorum laude uti maluit, qui rem fortissime administrassent. Nam & faciles habuit aures, & natura sequebatur, ut meliora probanteis, peiorum pœniteret. Ciceronis quidem uel una pro Cluentio quamlibet multis exemplis sufficeret oratio. Nam quod in eo consilium maxime mirer? primam´ne expositionem, qua matri, cuius filium premebat autoritas, abstulit fidem? An quòd idem corrupti iudicij crimen transferre in aduersariũ maluit, quàm negare propter inueteratam, ut ipse dicit, infamiam? An quod in re inuidiosa legis auxilio nouissime est usus? Quo genere defensionis etiam offendisset nondum præmollitas iudicum mentes. An quod seipsum inuito Cluentio facere testatus est? Quid pro Milone? quòd non ante narrauit, quàm præiudicijs omnibus reum liberaret? quòd insidiarum inuidiam in Clodium uertit? quanquam re uera fuerat pugna fortuita: quòd factum & laudauit, & tamen uoluntatẽ Milonis remouit? quòd illi preces non dedit, & in earum locũ ipse succesſit? Infinitum est enumerare, ut Cottæ detraxerit autoritatem

tatem, ut pro Ligario se opposuerit, Cornelium ipsa confessionis fiducia eripuerit. Illud dicere satis habeo, nihil esse non modò in orando, sed in omni uita prius consilio, frustraq; sine eo tradi cæteras artes, plusq; uel sine doctrina prudentiam, quàm sine prudentia facere doctrinam. Apparet etiam orationem accommodare locis, temporibus, personis, esse eiusdẽ uirtutis. Sed hic quia latius fusus est locus, mixtusq; cum elocutione, tractabitur cum præcipere de apte dicendo cœperimus.

M. FAB. QVINTILIANI DE INSTITVTIONE Oratoria, Liber Septimus.

DE INVENTIONE, ut arbitror, satis dictum est. Neq; enim ea demum, quæ ad docendum pertinent, executi sumus, uerumetiã, motus animorum tractauimus. Sed ut opera extruentibus satis non est, saxa, atq; materiã, & cætera ædificanti utilia congerere, nisi disponendis eis collocandisq; artificum manus adhibeatur: sic in dicendo quamlibet abundans rerum copia, cumulum tantum habeat, atq; congestũ, nisi illas eadẽ dispositio in ordinẽ digestas, atq; inter se cõmissas deuinxerit. Nec immerito secunda quinq; partiũ posita est, cũ sine ea prior nihil ualeat. Neq; enim, quanquam fusis omnibus membris, statua sit, nisi collocẽtur. Et siquam in corporibus nostris, aliorum´ue animalium partẽ permutes atq; transferas, licet habeat eadem omnia, prodigium sit tamen. Et artus etiam leuiter loco moti, perdunt, quo uiguerũt, usum, & turbati exercitus sibijpsi sunt impedimento. Nec mihi uidentur errare, qui ipsam rerũ naturam stare ordine putant, quo confuso peritura sint omnia. Sic oratio carẽs hac uirtute, tumultuetur necesse est,

& sine rectore fluitet, nec cohæreat sibi, multa repetat, multa transeat, uelut nocte in ignotis locis errans: nec initio, nec fine proposito, casum potius quàm cõsilium sequatur. Quapropter totus hic liber seruiat dispositioni: quæ quidẽ, si certa aliqua via tradi in omnes materias ullo modo posset, non tam paucis contigisset. Sed cũ infinitæ litium formæ fuerint, futuræq; sint, & tot seculis nulla reperta sit causa, quæ esset tota alteri similis, sapiat oportet actor, & uigilet, & inueniat, & iudicet, & consilium à seipso petat. Neque inficias eo quædam esse, quæ demonstrari possint, eaq; non omittam.

De dispositione. CAP. I.

SIt igitur, ut suprà significaui, Diuisio, rerum plurium in singulas: Partitio, singularum in partes, discretus ordo, & recta quædam collocatio prioribus sequentia annectens: Dispositio, utilis rerum ac partium in locos distributio. Sed memineri-mus ipsam dispositionem plerunq; utilitate mutari, nec eandem semper primam quæstionem ex utraq; parte tractandam. Cuius rei ut cætera exempla præteream, Demosthenes quoq;, atq; Aeschines possunt esse documento, in iudicio Ctesiphontis diuersum secuti ordinem, cum accusator à iure, quo uidebatur potentior, cœperit: patronus omnia, uel penè omnia ante ius posuerit, quibus iudicem quæstioni legum præpararet. Aliud enim alio docere prius expedit, alioqui semper petitoris arbitrio diceretur. Deniq; in accusatione mutua, ut se uterque defendat, priusquàm aduersarium arguat, omnium rerum necesse est ordinem esse diuersum. Igitur, quid ego sim secutus, quod partim præceptis, partim ratione usurpatũ cognoueram, promam: nec unquam dissimulaui. Erat mihi curæ in controuersijs forensibus nosse omnia quæ in causa uersarẽtur. Nam in schola certa sunt, & pauca, & ante declamationẽ exponuntur, quæ θέματα Græci uocant, Cicero proposita. Cum hæc in conspectu quodammodo collocaueram, non minus pro aduersa parte, quàm pro mea cogi-

cogitabam. Et primùm (quod non difficile dictu est, sed tamen ante omnia intuendum) constituebam, quid utraq; pars uellet efficere: tum per quid, hoc modo: Cogitabam, quid primùm petitor diceret. Id aut confessum erat, aut controuersum. Si confessum, non poterat ibi esse quæstio. Transibam ergo ad responsum partis alterius, idem intuebar, nõnunquam etiam quod inde obtinebatur, confessum erat. Vbi primum cœperat non conuenire, quæstio oriebatur. Id tale est: Occidisti hominem, occidi: conuenit, transeo. Rationem reddere debet reus quare occiderit. Adulterum, inquit, cum adultera occidere licet, legem esse certum est. Tertium iam aliquid uidendum est, in quo pugna consistat. Non fuerunt adulteri: Fuerunt: quæstio. De facto ambigitur, coniectura est. Interim ergo & tertium confessum est, adulteros fuisse. Sed tibi, inquit accusator, illos non licuit occidere. Exul enim eras, & ignominiosus: de iure quæritur. At si protinus dicenti, occidisti: respondeatur, non occidi: statim pugna est. Sic explorandum est, ubi controuersia incipiat, & considerari debet, quæ primam quæstionem facit. Intentio simplex: Occidit Saturninum Rabirius. Coniuncta, Lege de sicarijs cõmisit L. Varenus. Nam C. Varenum occidendo, & Cn. uulnerando, & Salarium item occidẽdo, cadit. Nam sic diuersæ propositiones erunt, quod idem de petitionibus dictum sit. Verum ex coniuncta propositione, plures esse quæstiones ac status possunt, si aliud negat reus, aliud defendit, aliud iure actionis excludit. In quo genere agendi est dispiciendum, quid quoq; loco diluat, quod pertinet ad actorem. Non planè dissentio à Celso, qui sine dubio Ciceronem est secutus. Instat tamen huic parti uehementius, ut putet primo firmum aliquid esse ponendum, summo firmissimum, imbecilliora medio, quia & initio mouẽdus sit iudex, & summo impellendus. At pro reo plerunque grauissimum quicq; primum mouendum est, ne illud spectans iudex, reliquorum defensioni sit auersior. Interim tamen & hoc muta-

bitur,si leuiora illa palàm falsa erunt, grauissimi defensio difficilior, ut detracta prius accusatoribus fide aggrediamur ultimum,iam iudicibus omnia uana esse credentibus. Opus erit tamen præfatione,qua & ratio reddatur dilati criminis,& promittatur defensio,ne id quod non statim diluemus,timere uideamur. Anteactæ uitæ crimina plerunq; prima purganda sunt, ut id de quo laturus est sententiam, iudex audire propitius incipiat. Sed hoc quoque pro Vareno Cicero in ultimum distulit, non quid frequentissime,sed quid tum expediret,intuitus. Cum simplex intentio erit,uidendum est an unum aliquid respondeamus,an plura: Si unum,in re quæstionem instituamus,an in scripto. Si in re, negandum sit quod obijcitur, an tuendum. Si in scripto,in qua specie iuris pugna sit,& in ea de uerbis, an uoluntate quæratur. Id ita consequemur, si intuiti fuerimus quæ sit lex quæ litem faciat,hoc est,qua iudiciũ sit cõstitutum. Nam quædam in scholasticis ponuntur ad coniungendam modò actæ rei seriem,ut, Pater expositum qui agnouerit,solutis alimentis recipiat. Minus dicto audientem filium liceat abdicare. Qui expositum recepit,imperat ei nuptias locupletis propinqui,ille ducere uult filiam pauperis educatoris. Lex de expositis ad affectum pertinet. Iudicium pendet ex lege abdicationis. Nec tamen semper ex una lege quæstio est,ut in ἀντινομίᾳ. His spectatis,apparebit circa quæ pugna sit. Coniuncta defensio est,qualis pro Rabirio: Si occidisset,recte fecisset, sed non occidit. Vbi uero multa contra unam propositionem dicimus, cogitandum est primum quicquid dici potest,tum ex his quo quicq; loco dici expediat ordinandum. In quo non idem sentio,quod de propositionibus paulò antè, quodq; de argumentis probationum loco concessi, aliquando nos incipere à firmioribus. Nam uis quæstionum semper crescere debet, & ad potentissima ab infirmissimis peruenire,siue sunt eiusdem generis, siue diuersi. Iuris autem quæstiones solent esse nonnunquàm ex alijs atque alijs

conflictationibus: facti,semper idem spectant, in utroq; genere similis ordo est. Sed prius de dissimilibus,ex quibus infirmissimũ quicq; primum tractari oportet. Ideoq; quasdam quæstiones executi donare solemus, & concedere. Neq; enim transire ad alias possumus,nisi omissis prioribus. Quod ipsum ita fieri oportet, non ut damnasse eas uideamur, sed omisisse, quia possimus etiam sine eis uincere. Procurator alicuius pecuniam petit ex fœnore hæreditario, potest incidere quæstio, an huic esse procuratorem liceat. Finge nos, postquam tractauimus, remittere, uel etiam conuinci: quæretur,an ei cuius nomine litigatur,procuratorem habendi sit ius: Discedamus hinc quoque, recipit materia quæstionem,an ille cuius nomine agitur, hæres sit fœneratoris,an ex asse hæres. Hæc quoq; concessa sint: quæretur an debeatur. Contrà,nemo tam demens fuerit, ut etiam id quod firmissimum duxerit se habere,remittat, & ad leuiora transcẽdat. Huic in schola simile est: Non abdicabis adoptatum,ut hũc quoque non uirum fortem,ut & fortem: non quicunq; uolũtati tuæ non paruerit,ut in alia omnia subiectus sit: non propter opinionem: & ut propter opinionem, non propter talem opinionem. Hæc iuris quæstionum differentia est. In factis autem ad idem tendentia sunt plura. Ex quibus aliqua citra summam quæstionem remitti solent,ut si is cum quo furti agitur,dicat, proba te habuisse, proba perdidisse, proba furto perdidisse, proba mea fraude. Priora enim remitti possunt, ultima non possunt. Solebam & hoc facere præcipue, ut uel ab ultima specie (nam ea ferè est,quæ continet causam) retrorsum quærerem usq; ad primam generalẽ quæstionẽ, uel à genere ad extremam speciẽ descẽderem,etiã in suasorijs,ut deliberat Numa,an regnũ offerẽtibus Romanis recipiat. Primùm id est genus, an regnãdum,an in ciuitate aliena,an Romæ,an laturi sint Romani talẽ regem. Similiter & in cõtrouersijs. Optet enim uir fortis alienã uxorẽ. Vltima species est,an optare possit alienam uxorem. Generale

est,an quicquid optauerit,accipere debeat.Inde an ex priuato, an nuptias,an maritum habentem.Sed hoc non quemadmodum dicitur,ita & quæritur.Primùm enim occurrit ferè, quod est ultimum dicendum, ut hoc, non debes alienam uxorem optare. Ideoq; diuisionem perdit festinatio.Non oportet igitur offerẽtibus se contentum esse. Quæratur aliquid quod est ultra, si ne inuidia quidem:adhuc plus,si nihil ex priuato:ultimum retrorsum,quod idem à capite primum est,si nihil iniquum. Ita propositione uisa, quod est facillimum, cogitemus, si fieri potest, quid naturale sit primum responderi. Id si tanquã res agatur, & nobisipsis respondendi necessitas sit,intueri uoluerimus,occurrit.Si id non contigerit,seponamus id quod primum se obtulerit,& ipsi nobiscum sic loquamur. Quòd si hoc non esset, id iterum,& tertiũ,& dum nihil sit reliqui. Itaq; inferiora quoq; scrutabimur,quæ tractata faciliorem nobis iudicẽ in summa quæstione facient.Non dissimile huic est & illud præceptũ,ut à cõmunibus ad propria ueniamus.Ferè enim communia generalia sunt.Commune est,tyrannum occidit: proprium,Viriatum tyrannum occidit,mulier occidit,uxor occidit.Solebam & excerpere quid mihi cum aduersario conueniret, si modò id pro me erat,nec solum premere confessionem, sed partiendo multiplicare,ut in illa controuersia, Dux qui competitorem patrem in suffragijs uicerat,captus est.Euntes ad redimendum eum legati obuium habuerunt patrem reuertentem ab hostibus, is legatis dixit,Serò itis. Excusserunt illi patrem, & aurum in sinu eius inuenerunt,ipsi perseuerauerũt ire quò intenderant, inuenerũt ducem crucifixum,cuius uox fuit: Cauete proditorem, Reus est pater.Quæ conueniunt? proditio nobis prodita est, & prodita à duce,quærimus proditorem, te ijsse ad hostes fateris, & ijsse clàm, & ab his incolumen redijsse, aurum retulisse, & aurum occultum habuisse. Nam quod fecit, id nonnunquàm potentius fit in propositione,quæ si animos occuparit,propè aures ipsæ defen

defensioni præcluduntur. In totum autem congregatio criminum accusantem adiuuat, separatio defendentem. Solebam id, quod fieri & in argumentis dixi,in tota facere materia,ut propositis extra quæ nihil esset omnibus,deinde cæteris remotis,solum id supereresset, quod credi uolebam, ut in præuaricationum criminibus,ut absoluatur reus, aut innocentia ipsius fit,aut interueniente aliqua potestate, aut ui, aut corrupto iudicio, aut difficultate probationis, aut præuaricatione. Nocentem fuisse confiteris, nulla potestas obstitit, nulla uis, corruptum iudicium nõ quereris,nulla probandi difficultas fuit, quid supereſt,nisi ut præuaricatio fuerit? Si omnia amoliri nõ poteram, tamen plura amoliebar.Hominem occisum esse cõstat,non in solitudine, ut à latronibus suspicer,non prædæ gratia, quia inspoliatus est:non hæreditatis spe, quia pauper fuit. Odium igitur in causa: quis inimicus? Quæ res autem faciliorẽ diuisioni uiam præstat, eadẽ inuẽtioni quoq; excutere quicquid dici potest oportet,& uelut reiectione facta ad optimum peruenire. Accusatur Milo, quòd Clodium occiderit: aut fecit, aut non. Optimum erat negare:si non potest,occidit:ergo aut iure aut iniuria.Vtiq; iure.Aut uoluntate igitur,aut necessitate: nam ignorantia prætendi non potest.Voluntas anceps est.Sed quia ita id homines putant,adiungenda defensio,ut id pro republica fuerit.Necessitate,subita igitur pugna,nõ præparata:alter igitur insidiatus est. Vter? profectò Clodius. Videsne ut ipsa rerum necessitas deducat ad defensionem? Adhuc, aut utiq; uoluit occidere insidiatorem Clodium, aut non : tutius si noluit. Fecerunt ergo serui Milonis, neq; iubente, neq; sciente Milone. At hæc tam timida defensio detrahit autoritatem illi,qua recte dicebamus occisum. Adijcietur, quod suos quisq; seruos in tali re facere uoluisset. Hoc eo est utilius, quòd sæpe nihil placet, & aliquid dicendum est. Intueamur ergo omnia, ita apparebit, aut id quod optimum est, aut id quod minime malum. Propositione aliquando aduersarij

utendum, & esse nõnunquam communem eam suo loco dictum est. Multis milibus uersuum scio apud quosdam esse quæsitum, quomodo inueniremus utra pars deberet prior dicere, quod in foro uel atrocitate formularũ, uel modo petitionũ, uel nouissime sorte dijudicatur. In schola quæri nihil attinet, cum in declamationibus ijsdem narrare, & cõtradictiones soluere, tam ab actore, quàm à possessore cõcessum sit. Sed in plurimis controuersijs ne inueniri quidem potest, ut in illa: Qui tres liberos habebat, oratorem, philosophum, & medicum, testamẽto quatuor partes fecit, & singulas singulis dedit: unam eius esse uoluit, qui esset utilissimus ciuitati. Contendunt, quis primus dicat, incertum est, propositio tamen certa. Ab eo enim cuius personam tuebimur, incipiendũ erit. Et hæc quidẽ de diuidẽdo in uniuersum præcipi possunt. At quo modo inueniemus etiã illas occultiores quæstiones? scilicet, quo modo sententias, uerba, figuras, colores, ingenio, cura, exercitatione: nõ tamen ferè unquam nisi imprudentem fugerint, si, ut dixi, naturam sequi ducem uelit. Sed pleriq; eloquentiæ famam affectantes, contenti sunt locis speciosis modò, uel nihil ad probationem conferentibus. Alij nihil uitantes, ea quæ in oculos incurrunt, exquirenda putant. Quod quo facilius appareat, unam de schola controuersiam non ita sanè difficilem aut nouam proponam in exemplum: Qui reo proditionis patri nõ affuerit, exhæres sit. Proditionis damnatus, cum aduocato exulet. Reo proditionis patri disertus filius affuit, rusticus non affuit, damnatus abijt cum aduocato in exiliũ. Rusticus cum fortiter fecisset, præmij nomine impetrauit restitutionẽ patris & fratris. Pater reuersus intestatus deceßit, petit rusticus partẽ bonorũ, orator totũ sibi uendicat. Hic illi eloquentes, quibusq; nos circa lites raras solicitiores ridiculi uidemur, inuadent personas fauorabiles. Actio pro rustico contra disertum, pro uiro forti contra imbellem, pro restitutore cõtra ingratum, pro eo qui parte contentus sit, contra eum qui fratri nihil dare ex pa

ex paternis uelit. Quæ omnia sunt in materia, & multum iuuant, uictoriam tamen nõ tradunt. In hac quærentur sententiæ, si fieri poterit, præcipites uel obscuræ. Nam ea nunc uirtus est, ut pulchre fuerit cũ materia tumultu & clamore trãsactum. Illi uero quibus propositum quidẽ melius, sed cura in proximo est, hæc uelut innatantia uidebunt, excusatum esse rusticum, qui non interfuerit iudicio nihil collaturus patri: sed ne disertum quidem habere quod imputet reo, cùm is dãnatus sit. Dignum esse hæreditate restitutorem, non auarum, impium, ingratum, qui diuidere nolit cum fratre, eoq; sic merito. Quæstionem quoq; illam primam scripti, & uoluntatis, qua nũc expugnata, nõ sit sequentibus locus. At qui naturã sequetur illa cogitabit profecto, primò hoc dicturum rusticum: Pater intestatus duos nos filios reliquit, partem iure gentium peto. Quis tam imperitus? quis tam procul à literis? quin sic incipiat, etiam si nescierit quid sit propositio? Hanc cõmunem omniũ legẽ leuiter adornabit, ut iustam: nempe sequetur, ut quæramus, quid huic tam æquæ postulationi respondeatur. At id manifestum est. Lex est, quæ iubet exhæredem esse eum, qui patri proditionis reo non affuerit, tu autem non affuisti. Hanc propositionem necessariò sequitur legis laudatio, & eius qui non affuerit, uituperatio. Adhuc uersamur in confeßis, redeat animus ad petitorem: nunquid non hoc cogitet necesse est, nisi quis sit planè hebes? Si lex obstat, nulla lis est, inane iudicium est: atqui & legem esse, & hoc quod puniat à rustico factum extra dubitationem est. Quid ergo dicemus? Rusticus erat. Sed lex erat, omnes cõplectitur: nihil proderit. Quæramus ergo, num infirmari in aliqua parte lex poßit. Quid aliud (sæpius dicam) natura permittit, quàm ut cùm uerba contrà sint, de uoluntate quæratur? Generalis igitur quæstio, uerbis an uoluntate sit standum. Sed enim in commune de iure omni disputandum semper, nec unquam satis iudicatum est. Quærendum igitur in hac ipsa, qua consistimus, an aliquid inueniri poßit, quod scripto

scripto aduersetur. Ergo quisquis non affuerit, exhæres erit? quisquis sine exceptione? Iam se illa uel ultrò offerrent argumenta. Filius infans & æger non affuit, & qui aberat, & qui militabat, & qui in legatione erat. Iam multum acti est, posset aliquis non affuisse, & hæres esse. Transeat nunc idem ille, qui cogitauit, ut ait Cicero, tibicinis Latini modo, ad disertum. Vt ista concedam, tu nec infans es, nec eger eras, nec abfuisti, nec militasti. Non aliud occurrit quàm illud, Sed rusticus sum. Contrà, quod palàm est, dicet: Vt agere non potueris, aßidere potuisti. Et uerum est, quare redeundum est rustico ad animum legum latoris. Impietatem punire uoluit, ego autem impius non sum. Contra quæ disertus: Tu impie fecisti, inquit, cum exhæredationem meruisti, licet te postea uel pœnitentia, uel ambitus ad hoc genus optionis adduxerit: præterea propter te damnatus est pater: uidebaris enim de causa pronuntiasse. Ad hæc rusticus: Tu uero in causa damnationis fuisti: multos offenderas: inimicitias domi contraxeras. Hæc coniecturalia. Illud quoq; quod coloris loco rusticus dicit, patris fuisse tale consilium, ne uniuersam domũ periculo subijceret. Hæc prima quæstione scripti & uoluntatis cõtinentur. Intẽdamus ultrà animum, uideamusq; an aliquid inueniri prætcrea possit, quo id modo fiat, sedulò imitor quærentem, ut quærere doceam, & omisso speciosiore illo styli genere ad utilitatem me submitto discentium. Omnes adhuc quæstiones ex persona petitoris ipsius duximus. Cur non aliquid circa patrem quærimus? Dictum uero est, cui quis non affuerit, exhæres erit. Cur non conamur & hic quærere, num cuicunq; non affuerit? Facimus hoc sæpe in ijs controuersijs, in quibus petuntur in uincula, qui parentes suos nõ alunt, an eum qui testimonium in filium impietatis reum dixit? an eum qui filium lenoni uẽdidit? In hoc de quo loquimur patre, quid apprehendi potest? Damnatus est. Nunquid igitur lex ad absolutos tantum patres pertinet? Dura prima fronte quæstio est. Non

desperemus

desperemus, credibile est hoc uoluisse legumlatorem, ne auxilia liberorum innocentibus deessent. Sed hoc dicere rustico uerecundum est, quia innocentem fuisse patrem fatetur. Dat aliud argumẽtum controuersia. Damnatus proditionis cum aduocato exulet. Vix uidetur posse fieri, ut pœna filio eadem, patri & si affuerit, & si non affuerit, constituta sit. Præterea lex ad exules nulla pertinet: nõ ergo credibile est de non aduocato dãnati scriptũ. An poßint enim bona esse ulla exulis, rusticus in utraq; parte dubium facit. Disertus & uerbis inhærebit, in quibus nulla exceptio est, & propter hoc ipsum pœnam esse constitutam eis qui nõ affuerint, ne periculo exilij deterreantur ab aduocatione, & rusticum innocenti non affuisse dicet. Illud protinus non indignum quod annotetur: posse ex uno statu duas generales fieri quæstiones: An quisquis, an cuicunq;: hæc ex duabus personis quæsita sunt. E' tertia autem quæ est aduersarij, nulla oriri quæstio potest, quia nulla sit de sua parte controuersia. Nondum tamẽ cura deficiat. Ista enim omnia dici possent, etiam nõ restituto patre. Nec statim eò tẽdamus, quod occurrit ultrò, à rustico restitutum. Qui id subtiliter quæret, aliquid spectabit ultrà. Nam ut genus speciem sequitur, ita speciem genus præcedit. Fingamus ergo ab alio restitutum, ratiocinatiua atq; collectiua quæstio orietur, an restitutio pro sublatione iudicij sit, & perinde ualeat, ac si iudicium non fuisset. Vbi tentabit rusticus dicere, ne impetrare quidem aliter potuisse suorum restitutionem uno præmio, nisi patre perinde ac si accusatus nõ esset, reuocato: quæ res aduocati quoq; pœnam, tanquam is nõ affuisset, remiserit. Tum ueniemus ad id quod primum occurrebat, à rustico restitutum esse patrem. Vbi rursus ratiocinamur, an rusticus restitutor accipi debeat pro aduocato, quando id præsiterit, quod aduocatus petijt, nec improbum sit pro simili accipi quod plus est. Reliqua iam æquitatis sunt, utrius iustius sit desiderium. Id ipsum adhuc diuiditur, etiam si uterq; sibi totum

uendicaret

uendicaret,nunc utiq; cum alter ſemiſſem, alter uniuerſa, fratre excluſo.Sed his tractatis etiam magnum momentum habet apud iudices patris memoria, cum præſertim de bonis eius quæratur. Erit ergo coniectura, qua mente pater inteſtatus deceſſerit:ſed ea pertinet ad qualitatem,quæ alterius ſtatus inſtrumentum eſt. Plerunq; autem in fine cauſarum de æquitate tractabitur, quia nihil libentius iudices audiunt. Aliquando tamen hunc ordinem mutabit utilitas,ut ſi in iure minus fiduciæ erit,æquitate iudicem præparemus. Nihil habui amplius,quod in uniuerſum præcipe-rem. Nunc eamus per ſingulas cauſarũ iudicialium partes, quas ut perſequi ad ultimam ſpeciem,id eſt ad ſingulas lites,contro-uerſiasq; non poſſum : ita de generalibus ſcribere licet, ut quæ in quenq; ſtatum frequentiſſime incidãt, tradam.Et quia natu-ra prima quæſtio eſt,factum´ne ſit,ab hac ordiar.

De coniectura. CAP. II.

COniectura omnis aut de re, aut de animo eſt. Vtriuſque tria tẽpora,præteritum,præſens,futurum.De re,& gene-rales quæſtiones ſunt,& definitæ,id eſt,& quæ non continen-tur, & quæ continentur. De animo quæri non poteſt, niſi ubi perſona eſt,& de facto conſtat. Ergo cũ de re agitur, aut quid factum ſit,in dubiũ uenit,aut quid fiat,aut quid ſit futurum. Vt in generalibus, an atomorum concurſu mundus ſit effectus : an prouidẽtia regatur:an ſit aliquãdo caſurus.In definitis,an par-ricidium cõmiſerit Roſcius:an regnũ affectet Manlius:an recte Verrem ſit accuſaturus Q. Cæcilius. In iudicijs præteritũ tem-pus maxime ualet. Nemo enim accuſat, niſi quæ facta ſunt. Nã quæ fiant,& quæ futura ſint,ex præteritis colligũtur. Quæri-tur & unde quid ortum,ut peſtilentia,ira deũm,an intemperie cœli,an corruptis aquis,an noxio terræ halitu. Et quæ cauſa fa-cti,ut quare ad Troiã quinquaginta reges nauigauerint,iureiu rãdo adacti,an exẽplo moti,an gratificantes Atridis. Quæ duo genera nõ multum inter ſe diſtant.Ea uero, quæ ſunt præſentis temporis

temporis,ſi non argumentis,quæ neceſſe eſt præceßiſſe,ſed ocu-lis deprehẽdenda ſunt, non egent coniectura, ut ſi apud Lace-dæmonios quæratur,an Athenis muri fiant. Sed & illud poteſt uideri extra hoc propoſitũ coniecturæ genus, cũ de aliquo ho-mine quæritur quis ſit,ut eſt quæſitum cõtra Vrbiniæ hæredes, ſi is,qui tanquã filius petebat bona, Figulus eſſet,an Soſipater: nam & ſubſtantia eius ſub oculos uenit,ut non poßit quæri,an ſit. Quomodo ultra oceanum, nec quid ſit,nec quale ſit, ſed an quid ſit. Verum hoc quoq; genus litis ex præterito pendet : An hic ſit ex Vrbinia natus Cluſinius Figulus. Fuerunt autem tales noſtris etiã temporibus controuerſiæ, atq; aliquæ in meũ quoq; patrocinium inciderunt. Animi coniectura non dubie in omnia tempora cadit. Qua mẽte Ligarius in Africa fuerit. Qua mente Pyrrhus fœdus petat. Quomodo laturus ſit Cæſar, ſi Ptole-mæus Pompeium occiderit. Quæritur per coniecturã,& quan-titas,& qualitas circa modum,ſpeciem,numerum.An ſol maior quàm terra.Luna globoſa,an plana,an acuta. Vnus mundus an plures.Itemq; extra naturales quæſtiones,Maius bellũ Troia-num, an Peloponneſiacum. Qualis clypeus Achillis. An unus Hercules. In ijs autem quæ accuſatione, ac defenſione con-ſtant,unum eſt genus,in quo quæritur & de facto, & de auto-re:quod interim cõiunctam quæſtionem habet, & utrũq; pari-ter negatur:Interim ſeparatam,cùm factum ſit,nec´ne : & ſi de facto conſtet, à quo factum ſit,ambigitur. Ipſum quoq; factum aliquãdo ſimplicem quæſtionẽ habet,an homo perierit:Aliquã-do duplicem, ueneno an cruditate perierit. Alterum eſt genus de facto tantum, cum ſi id certum ſit, non poteſt de autore du-bitari. Tertium de autore tantum, cùm factum cõſtet, ſed à quo factum ſit in controuerſiam uenit. Et quod tertio loco poſui, nõ eſt ſimplex. Aut enim reus feciſſe tantummodo ſe negat, aut aliũ feciſſe dicit:Sed ne in alterum quidẽ trãsferẽdi criminis una forma eſt. Interdum enim ſubſtituitur mutua accuſatio, quam

Græci

Græci ἀντικατηγορίαν uocant, noſtrorum quidam concertatiuam. Interdum in aliquam perſonam quæ extra diſcrimen iudicij eſt, trãsfertur, & aliàs certam, aliàs incertam. Et cum in certam, aut in extrariam, aut in ipſius qui perijt uoluntatẽ. In quibus ſimilis, atq; in ἀντικατηγορίᾳ perſonarum, cauſarũ, cæterorum, compãratio eſt, ut Cicero pro Vareno, in familiam Ancharianam: pro Scauro, circa mortem Boſtaris in matrem auertens crimẽ, facit. Eſt etiã illud huic contrariũ cõparationis genus, in quo uterq; à ſe factum eſſe dicit, & illud in quo nõ perſonæ inter ſe, ſed ipſæ res colliduntur, id eſt non uter fecerit, ſed utrum factum ſit. Cum de facto, & de autore conſtat, de animo quæri poteſt. Nunc de ſingulis, cùm pariter utrunq; negatur, hoc modo: Adulterium non cõmiſi: tyrannidem nõ affectaui. In cædis ac ueneficij cauſis frequens eſt illa diuiſio, Non eſt factum: & ſi factũ, ego non feci. Sed cũ dicimus, proba hominẽ occiſum, accuſatoris tantum partes ſunt: à reo nihil dici contrà, præter aliquas fortaſſe ſuſpiciones poteſt, quas ſpargere quammaxime uarie oportebit: quia ſi unum aliquid affirmaris, probandum eſt, aut cauſa periclitandum. Nam ut cũ inter id quod ab aduerſario, & id quod à nobis propoſitum eſt, quæritur, uidetur utiq; alterum uerum, ita ex aduerſo unum eſt quo defendimur, reliquum eſt quo premimur. At cum quærimus de ambiguis ſignis cruditatis & ueneni, nihil tertium eſt. Ideoq; utraq; pars quod propoſuit, tuetur. Interim autem ex re quæritur, ueneficium fuerit, an cruditas, cum aliqua ex ipſa citra perſonam quoq; argumenta ducuntur. Refert enim conuiuium præceſſerit, lætitia an triſtitia, labor an otium, uigilia an quies. Aetas quoq; eius qui perierit, diſcrimen facit. Intereſt ſubitò defecerit, an longiore ualetudine cõſumptus ſit. Liberior adhuc in utranq; partem diſputatio, ſi tantum ſubita mors in quæſtionem uenit. Interim ex perſona probatio rei petitur, ut propterea credibile ſit uenenum fuiſſe, quia credibile eſt ab hoc factum ueneficiũ, uel contrà. Cum uero de reo & de facto

facto quæritur, naturalis ordo eſt, prius factum eſſe accuſator probet, deinde à reo factum. Si tamen plures in perſonã probationes habuerit, conuertet hunc ordinem. Defenſor autẽ prius negabit eſſe factum, quia ſi hac parte uicerit, reliqua nõ neceſſe habet dicere. Victo ſupereſt, ut tueri ſe poßit. Illic quoq; ubi de facto tantum cõtrouerſia eſt, quod ſi probetur, nõ poßit de autore dubitari, ſimiliter argumenta, & ex perſona, & ex re ducuntur, ſed in unam facti quæſtionem: ſicut in illa controuerſia (utendum eſt enim & his exemplis, quæ ſunt diſcẽtibus magis familiaria) Abdicatus medicinæ ſtuduit, cũ pater eius ægrotaret, deſperãtibus de eo cæteris medicis, adhibitus, ſanaturũ ſe dixit, ſi is potionem à ſe datam bibiſſet. Pater acceptæ potionis epota parte, dixit uenenũ ſibi datum, filius quod reliquũ erat, exhauſit, pater deceßit, ille parricidij reus eſt. Manifeſtum eſt quis potionem dederit, nulla quæſtio de autore, tantum an fuerit uenenum ex argumentis à perſona ductis colligetur. Superest tertium, in quo factum eſſe conſtat aliquid, à quo ſit factum quæritur: eius rei ſuperuacuum eſt ponere exemplum, cum plurima ſint huiuſmodi iudicia, ut ſi hominem occiſum eſſe manifeſtum eſt, uel ſacrilegium commiſſum, is autem qui arguitur feciſſe neget. Ex hoc naſcitur ἀντικατηγορία. Vtique hoc factum eſſe conuenit, quod duo inuicem obijciunt. In quo quidem genere cauſarum admonet Celſus fieri id in foro non poſſe, quod neminem ignorare arbitror. De uno enim reo conſilium cogitur, & ſi qui ſunt qui inuicem accuſent, alterum iudicium præferre neceſſe eſt. Apollodorus quoque ἀντικατηγορίαν duas eſſe controuerſias dixit, & ſunt reuera ſecundum forenſe ius duæ lites. Poteſt tamen hoc genus in cognitionem uenire ſenatus, aut principis. Sed in iudicio quoque nihil intereſt actionum, utrum ſimul de utroq; pronuncietur, an de uno ſeorſum. Quo in genere ſemper prior debebit eſſe defenſio. Primùm, quia natura potior eſt ſalus noſtra, quàm aduerſarij pernicies. Deinde

quòd plus habebimus in accusatione autoritatis, si prius de innocentia nostra constiterit. Postremò, quòd ita demum duplex causa erit. Nam qui dicit, ego non occidi, habet reliquam partem, ut dicat, tu occidisti. At qui dicit, tu occidisti, superuacuum habeat postea dicere, ego non occidi. Hæ porrò actiones constant comparatione: ipsa comparatio non una uia ducitur. Aut enim totam causam nostram cum tota aduersarij causa componimus, aut singula argumenta cum singulis: quorũ utrum sit faciendũ non potest nisi ex ipsius litis utilitate cognosci, ut Cice. singula pro Vareno comparat in primo crimine. Est enim superior, cum persona alieni, cum persona matris temere comparetur. Quare optimum est, si fieri poterit, ut singula uincantur à singulis. Sed si quando in partibus laborabimus, uniuersitate pugnandũ est, siue inuicẽ accusant, siue crimẽ reus citra accusationẽ in aduersariũ uertit, ut Roscius in accusatores suos, quãuis reos non fecisset: siue in ipsos quos sua manu perijsse dicemus, factũ deflectitur: non aliter quàm in his quæ mutuam accusationem habent, utriusq; partis argumenta inter se comparantur. Id autẽ genus, de quo nouissime dixi, non solum in scholis sæpe tractatur, sed etiã in foro. Nam id est in causa Neuij Apruniani solum quæsitũ: Præcipitata'ne esset ab eo uxor, an se ipsa sua sponte iecisset. Cuius actionem equidem solam in hoc tẽpus

* quod me fe ciisse

* emiseram, quod ipsum fecisse seductum iuuenili cupiditate gloriæ fateor. Nam cæteræ quæ sub nomine meo feruntur, negligẽtia excipientium in quæstum notariorum corruptæ, minimam partem mei habent. Est & alia duplex coniectura huic ἀντιστροφίᾳ non diuersa, de præmijs, ut in illa controuersia: Tyrannus suspicatus à medico suo datum sibi uenenũ, torsit eum, & cum id dedisse se negaret, accersit alterum medicum, ille datum ei uenenum dixit, sed se antidotum daturũ, & dedit ei potionem, qua epota tyrãnus decessit. De præmio duo medici contendunt: Nam ut illic factum in aduersarium transferentium, ita hic

ita hic sibi uẽdicantium personæ, causæ, facultates, tempora, instrumenta, testimonia comparantur. Illud quoq;, etiamsi nõ est ἀντιστροφίᾳ, simili tamen ratione tractatur, in quo citra accusationem quæritur, utrum factum sit. Vtraq; enim pars expositionem suam habet, atq; eam tuetur, ut in lite Vrbiniana, petitor dicit, Clusinium Figulum filium Vrbiniæ acie uicta, in qua steterat, fugisse, iactatumq; casibus uarijs, retẽtum etiam à rege, tandem in Italiam, ac patriam suam Marginos uenisse, atq; ibi agnosci. Pollio contrà, seruisse eum Pisauri dominis duobus, medicinam factitasse, manumissum, alienæ se familiæ uenali immiscuisse, ac rogantem ut eis seruiret emptum: Non'ne tota lis constat duarum causarum comparatione, & coniectura duplici atque diuersa? Quæ autem accusantium atque defendentium, eadem petentium & inficiantium ratio est. Ducitur coniectura primum à præteritis. In his sunt personæ, causæ, consilia. Nam is ordo est, ut facere uoluerit, potuerit, fecerit. Ideoq; intuendum ante omnia qualis sit, de quo agitur. Accusatoris autem est efficere, ut si quid obiecerit, non solum turpe sit, sed etiam crimini, de quo est iudicium, quammaxime conueniat. Nam si reũ cædis impudicum, uel adulterum uocet, lædat quidem infamia, minus tamen hoc ad fidem ualeat, quàm si audacẽ, petulantem, crudelem, temerariũ ostenderit. Patrono, si fieri poterit, id agendum est, ut obiecta uel neget, uel defendat, uel minuat. Proximũ est, ut à præsenti quæstione separet. Sunt enim pleraq; non solum dissimilia, sed etiam aliquando contraria, ut si reus furti, prodigus dicatur, aut negligens. Neq; enim uidetur in eundem & cõtemptus pecuniæ, & cupiditas cadere: Si deerunt hæc remedia, ad illa declinandum est, non de hoc quæri, nec eum qui aliquãdo peccauerit, utiq; cõmisisse omnia, & hãc fidutiã fuisse accusatoribus falsa obijciẽdi, quòd læsum & uulneratum reum sperauere hac inuidia opprimi posse. Alia propositio est accusatoris, cõtra quã loci oriuntur sæpe à persona, & interim generaliter,

raliter, Incredibile esse à filio patrem, ab uxore uirum occisum, ab imperatore proditam hostibus patriam. Facile respondetur, uel quòd omnia scelera in malos cadant, ideoq; sæpe deprehensa sint, uel quòd indignum sit, crimina ipsa atrocitate defendi. Interim proprie, quod est uarium. Nam dignitas & tuetur reũ, & nonnunquam ipsa in argumentum facti conuertitur, tanquam inde fuerit spes impunitatis, sed perinde paupertas, humilitas, opes, ut cuique ingenio uis est, in diuersum trahuntur. Probi uero mores, & anteactæ uitæ integritas nunquam non plurimum profuerint. Si nihil obijcietur, patronus quidem in hoc uehementer incumbet. Accusator autẽ ad præsentem quæstionem, de qua sola iudicium sit, cognitionem allegabit, dicens, neminem non aliquando cœpisse peccare, nec per ἐγκλήματα ducendum scelus primum. Hoc in respondendo. Sic autem præparabit actione prima iudicum animos, ut noluisse potius obijcere, quàm non potuisse credatur. Eoq; satius est omni se anteactæ uitæ abstinere conuicio, quàm leuibus, aut friuolis, aut manifesto falsis reum incessere, quia fides cæteris detrahitur: & qui nihil obijcit, omisisse credi potest maledicta tanquam superuacua: qui uana congerit, confitetur uanum in anteactis argumentum, in quibus uinci, quàm tacere maluerit. Cætera quæ à personis duci solent, in argumentorum locis exposuimus. Proxima est ex causis probatio, in quibus hæc maxime spectantur, ira, odium, metus, cupiditas, spes. Nam reliqua in has species cadunt, quorum si quid in reum conueniet, accusatoris est efficere, ad quicquid faciendum causæ ualere uideantur, easq; quas in argumentum sumet, augere: Si minus, illuc conferenda est oratio, aut aliquas fortasse latentes fuisse, aut nihil ad rem pertinere cur fecerit, si fecit: aut etiam dignius esse odio scelus, quòd nõ habuerit causam. Patronus uero quoties poterit, instabit huic loco, ut nihil credibile sit factũ esse sine causa: quod Cicero uehemẽtissime multis orationibus tractat, præcipue tamen pro

pro Vareno, qui omnibus malis premebatur: nam & damnatus est. At si proponitur cur factũ sit, aut falsam causam, aut leuem, aut ignotam reo dicet. Possunt esse aliquæ interim ignotæ. An hæredem habuerit: an accusaturus fuerit eum à quo dicitur occisus. Si alia defecerint, non utique spectandas esse causas. Nam quem posse reperiri, qui non metuat, oderit, speret? Plurimos tamen hæc salua innocentia facere. Neq; illud est omittendum, nõ omneis causas in omnibus personis ualere. Nam ut alicui sit furandi causa paupertas, non erit idem in T. Curio, Fabricioq; momentum. De causa prius, an de persona dicendum sit, quæritur, uarieq; est ab oratoribus factum, à Cicerone etiam prælatæ frequentissime causæ. Sed mihi, si sine ullo litis conuicio proponeretur, secundũ naturam uidetur incipere à persona. Nam hoc magis generale est, rectiorq; diuisio, aut in nullo crimen credibile, aut in hoc. Potest tamen id ipsum, sicut pleraq;, uertere utilitas. Nec tantum causæ uoluntatis sunt quærẽdæ, sed interim & erroris, ut ebrietas & ignorantia. Nam ut hæc in qualitate crimen eleuant, ita in coniectura premunt. Et persona quidem nescio, an unquam utiq; in uno actu rei possit incidere, de qua neutra pars dicat, de causis frequenter quæri nihil attinet, ut in adulterijs, in furtis, quia illas per se ipsa crimina secum habent. Post hæc intuenda uidentur & consilia, quæ late patent, an credibile sit reum sperare, id à se scelus effici posse, an ignorari cum fecisset, an etiam si ignoratum non esset, absolui, uel pœna leui transigi, uel tardiore, uel ex qua minus incõmodi cõsecuturus, quàm ex facto gaudij uideretur, an etiam tanti putauerit pœnam subire. Post hæc an alio tempore, & aliter facere, uel facilius, uel securius potuerit, ut dicit Cicero pro Milone enumerans plurimas occasiones, quibus ab eo Clodius impune occidi potuerit. Præterea cur potissimum illo loco, illo tempore, illo modo sit aggressus, qui & ipse diligentissime tractatur pro eodem locus. An etiam, si nulla ratione ductus est, impetu

raptus sit, & absq; sententia. Nam uulgò dicitur, Scelera nõ habere consilium. An etiam cõsuetudine peccandi sit allectus. Excussa prima parte an uoluerit, sequitur an potuerit. Hic tractatur locus, tempus, ut furtum in loco clauso, uel recluso, frequenti, uel solo: tempore, uel diurno, cum testes plures, uel nocturno, cum maior difficultas. Inspiciuntur utiq; difficultates & occasiones, quæ sunt plurimæ, ideoq; exemplis nõ egent. Hic sequẽs locus talis est, ut si fieri nõ potuit, sublata lis sit: si potuit, sequatur quæstio, an fecerit. Sed hæc etiam ad animi cõiecturam pertinẽt. Nam & ex his colligitur an sperauerit. Ideo spectari debent & instrumenta, ut Clodij ac Milonis comitatus. Quæstio an fecerit, incipit à secũdo tẽpore, id est præsenti, ac deinde coniuncto, hoc est insequẽti, quorũ sunt sonus, clamor, gemitus, latitatio, metus, & similia. His accedũt signa, de quibus tractatũ est. Verba etiam & facta, quæq; anteceſſerũt, quæq; insecuta sunt. Hæc aut nostra sunt, aut aliena. Sed uerba magis nocẽt, aut minus: magis nocent & minus prosunt nostra quàm aliena, magis prosunt & minus nocent aliena q̃ nostra. Facta autem interim magis prosunt nostra, interim aliena, ut si quid quod pro nobis sit, aduersarius fecit. Semper uero magis nocent nostra quàm aliena. Est & illa in uerbis differẽtia, quòd aut aperta sunt, aut dubia, seu nostra, seu aliena sunt. Infirmiora in utrunq; sint necesse est dubia, tamen nostra sæpe magis nocẽt, ut in illa cõtrouersia: Interrogatus filius ubi esset pater, dixit: ubicunq; est uiuit, at ille in puteo mortuus est inuentus. Aliena quæ sunt dubia nunquam possunt nocere, nisi aut incerto autore, aut mortuo. Nocte audita est uox, caueto tyrannicidam, & interrogatus, cuius ueneno moreretur, respondit, non expedit tibi scire. Nam si est qui posset interrogari, soluet ambiguitatem. Cum autem dicta factáq; nostra defendi solo animo possint, aliena uarie refutantur. De uno quidem maxime genere cõiecturalium cõtrouersiarum locuti uidemur, & in omnes aliquid de his cadit.

Nam

Nam depositi, furti, creditæ pecuniæ, & à facultatibus argumẽta ueniunt, an fuerit quod deponeretur, & à personis, an illum deposuisse apud hunc, uel huic credidisse credibile sit, an petitorem calumniari: An reum inficiatorem esse, uel furem. Sed etiam in furti reo sicut in cædis, quæritur de facto, & de autore. Creditи & depositi duæ sunt quæstiones, sed nonnunquam iunctæ, an datum sit, an redditum. Habẽt aliquid proprij, adulterij causæ, quòd plerunq; duorum discrimen est, & de utriusq; uita dicendum, quanquam & id quæritur, an utrunq; pariter defendi oporteat. Cuius rei cõsilium nascetur ex causa. Nam si adiuuabit pars altera, cõiungã: si nocebit, separabo. Ne quis autẽ mihi putet temere excidisse, quòd plerũq; duorum crimen esse adulterium, non semper dixerim, potest accusari sola mulier incerti adulterij. Munera domi inuenta sunt, pecunia cuius autor non extat, codicilli, dubium ad quem scripti. In falso quoq; ratio similis. Aut enim plures in culpam uocãtur, aut unus: & scriptor quidem semper tueri signatorẽ necesse habet, signator scriptorem non semper. Nam & decipi potuit. Is autem qui hos adhibuisse, & cui id factum dicitur, & scriptorẽ & signatores defendet. Iidem argumentorum loci in causis proditionis, & affectatæ tyrannidis. Verum illa scholarum consuetudo ituris in fõrum potest nocere, quòd omnia quæ in themate non sunt, pro nobis ducimus. Adulterium obijcis, quis testis? quis index? quod pretium? quis conscius? Venenum, ubi emi? à quo? quando? quãti? per quem dedi? Pro reo tyrannidis affectatæ, ubi sunt arma? quos contraxi satellites? Neq; hæc nego esse dicenda, & ipsis utendum pro parte susceptа. Nam & in fõro, siquando aduersarius probare non poterit, desiderabo. Sed in fõro tantum illam facultatem olim desiderauimus, ubi nõ ferè causa agitur, ut non aliquid ex his, aut plura ponantur. Huic simile est, quòd in epilogis quidam, quibus uolunt, liberos, parentes, nutrices accõmodant, nisi quòd magis concesseris ea quæ non sint

posita,desiderare quàm dicere. De animo quo modo quæratur, satis dictum est,cum ita diuiserimus,an uoluerit,an potuerit,an fecerit. Nam qua uia tractatur, an uoluerit, eadem quo animo fecerit. Id enim est,an male facere uoluerit. Ordo quoq; rerum, aut affert,aut detrahit fidem,multò scilicet magis res prout cõgruunt,aut repugnant:sed hæc nisi in ipso complexu causarum non deprehenduntur. Quærendum tamen semper quid cuique connectatur,& quid cui consentiat.

De finitione. CAP. IIII.

SEquitur coniecturam finitio. Nam qui non potest dicere nihil fecisse,proximum habebit,ut dicat,non id fecisse quod obijciatur. Itaq; plerunq; legibus ijsdem, quibus cõiectura uersatur, defensionis tantum genere mutato,ut in furtis, depositis, adulterijs. Nam quemadmodum dicimus, non feci furtum , non accepi depositum,non cõmisi adulterium : ita, non est hoc furtum, non est hoc depositum, non est hæc mutatio, non est hoc adulterium. Interim à qualitate ad finitionem descenditur,ut in actionibus dementiæ,malæ tractationis,Reip.læsæ. In quibus si recte facta esse quæ obijciuntur,dici non potest, illud succurrit, Finitio qd. non est hoc dementem esse male tractare, Remp.lædere. Finitio igitur est rei propositæ,propria & dilucida,& breuiter comprehensa uerbis enuntiatio. Constat maxime, sicut est dictum, genere, specie,differentibus, proprijs: ut si finias equum (noto enim maxime utar exemplo) Genus est animal, Species,mortale, Differentia, irrationale. Nam & homo mortale erat. Propriũ,hinniens. Hæc adhibetur orationi pluribus in causis. Nam tum est certum de nomine, sed quæritur quæ res ei subijcienda sit:tum res est manifesta,sed de nomine non constat. De re,cum dubium est,interim coniectura est,ut si quæratur,quid sit deus. Nam qui id neget, deum esse spiritum omnibus partibus immixtum,non hoc dicat falsam esse illius diuinæ naturæ appellationem, sicut Epicurus,qui humanam ei formam locumq; inter mundos

mundos dedit, sed nomine uterq; uno utitur,utrũ sit in re coniectat. Interim qualitas tractatur,ut quid sit rhetorice, Vis persuadendi,an bene dicendi scientia. Quod genus est in iudicijs frequentißimum. Sic enim quæritur, an deprehensus in lupanari cum aliena uxore,adulter sit,quia nõ de appellatione, sed de ui facti eius ambigitur, an omnino peccarit. Nam si peccauit,nõ potest aliud esse,quàm adulter. Diuersum est genus,cum controuersia consistit in nomine, quod pendet ex scripto , nec uersatur in iudicijs,nisi propter uerba,quæ litem generant. An qui se interficit,homicida sit. An qui tyrannũ in mortem compulit,tyrãnicida. An carmina magorum,ueneficium. Res enim manifesta est,sciturq; non idem esse occidere se,quod aliũ. Non idem occidere tyrãnum, quod compellere ad mortẽ. Non idem carmina,ac mortiferam potionem . Quæritur tamen, an eodem nomine appellanda sint. Quanquam autem dissentire uix audeo à Cicerone,qui permultos secutus autores,dicit,finitionem esse de eodem,& de altero (semper enim neganti aliquod esse nomen, dicendum quid sit potius) tamen in eandem treis habeo uelut species. Nam interim conuenit sic quærere,an habendum sit adulterium in lupanari. Cum hoc negamus, non necesse est dicere,quid id uocetur, quia totum crimen inficiamur. Interim quæritur,an hoc furtum,an sacrilegium:non quin sufficiat non esse sacrilegium, sed quia necesse sit dicere, quid sit aliud, quo in loco utrũq; finiendum est. Interim quæritur in rebus specie diuersis,an & hoc eodem modo sit appellandũ,cum res utraq; habeat suum nomen,ut amatorium, uenenũ. In omnibus autem huius generis litibus quæritur,an etiã hoc, quia nomen de quo ambigitur, utiq; in alia re certum est. Sacrilegium est rem sacram de templo surripere:Num & priuatam? Adulterium,cum aliena uxore domi coire : An & in lupanari? Tyrannicidium, occidere tyrannum : An etiam in mortem compellere ? Ideoq; συλλογισμὸς,de quo postea dicam,uelut infirmior est finitio,quia

hac quæritur, an idem sit huius rei nomen, quod alterius: Illo, an perinde habenda sit hæc atq; illa. Est & talis finitionum diuersitas, ut quidam sentiunt, num idem diuersis uerbis comprehendatur, ut rhetorice bene dicendi scientia, & eadem bene inueniendi, & bene enunciandi & dicendi secundum uirtutem orationis, & dicendi quid sit officij. Atque prouidendum, ut si sensu nõ pugnant, comprehensione dissentiant. Sed de his disputatur, non litigatur. Opus est aliquando finitione obscurioribus & ignotioribus uerbis, ut quid sit clarigatio. Erit & interim notis nomine uerbis, ut quid sit penus, quid littus. Quæ uarietas efficit, ut eam quidã coniecturæ, quidam qualitati, quidam legitimis quæstionibus subiecerint. Quibusdam ne placuit quidem omnino subtilis hæc, & ad morem dialecticorum formata conclusio, ut in disputationibus potius per argumẽta uerborum cauillatrix, quàm in oratoris officio multum allatura momenti. Licet enim ualeat in sermone tantum, ut constrictum in uinculis suis habeat eum, qui respõsurus est, & uel tacere, uel etiam inuitũ id quod sit contrà, cogat fateri, nõ eadem est tamen eius in causis utilitas. Persuadendum enim iudici est, qui etiamsi uerbis deuinctus est, tamen nisi ipsi rei accesserit, tacitus dissentiet. Agenti uero, quæ tantã est huius præcisæ comprehensionis necessitas? An si non dixero, homo est animal rationale, mortale, nõ potero expositis tot corporis animiq; proprietatibus latius oratione ducta, uel à dijs eũ, uel à mutis discernere? Quid? quòd nec uno modo definitur res eadem, sed latiore uarioq; tractatu, ut facit Cicero, ut omnes oratores plerunq; fecerunt. Rarissima enim apud eos reperietur illa ex consuetudine philosophorum ducta seruitus (est enim certe seruitus) ad certa se uerba astringendi, idq; faciendum in libris Ciceronis de Oratore uetat M. Antonius. Nam est etiam periculosum, cum si uno in uerbo sit erratum, tota causa cecidisse uideamur. Optimaq; est illa media uia, qua utitur Cicero pro Cecinna, ut res proponatur, uerba non

non periclitentur: Etenim, Recuperatores, non ea sola uis est quæ ad corpus nostrum, uitamq; peruenit, sed etiã multò maior ea quæ periculo mortis iniecto, formidine animum perterritum loco sæpe, & certo statu dimouet. Aut cum finitionẽ præcedit probatio, ut in Philippicis Cicero Seruium Sulpitium occisum Ab Antonio colligit, & in clausula demum ita finit: Is ei profecto mortẽ attulit, qui causa mortis fuit. Non negauerim tamen hæc quoq;, ut expedit causæ, esse facienda. Et siquando firma comprehendi poterit, & breui complexu uerborum finitio, esse id tum elegans, tum etiã fortissimum, si modò erit illa inexpugnabilis. Eius certus ordo est quid sit, an hoc sit, & in hoc ferè labor maior est, ut finitionem confirmes, quàm ut in rem finitionem applices. In eo quid sit, duplex opus est. Nam & nostra confirmanda est, & aduersæ partis destruenda finitio. Ideoq; in schola, ubi nobis ipsis fingimus cõtradictionem, duos ponere debemus fines, quales utrinq; esse optimi poterunt. At in foro prouidẽdum, num fortè superuacua, & nihil ad causam pertinens: an ambigua, an contraria, an cõmunis sit finitio, quorũ nihil non accidere agentis culpa potest. Vt recte autem finiamus, ita fiet, si prius in animo constituerimus, quid uelimus efficere. Sic enim accõmodari ad uoluntatem uerba poterunt. Atq; ut à notissimo exemplo, quo sit res lucidior, nõ recedamus, Qui priuatam pecuniam de templo surripit, sacrilegij reus est, culpa manifesta. Quæstio est, an huic crimini nomen quod est in lege, conueniat. Ergo ambigitur, an hoc sacrilegiũ sit. Accusator, quia de tẽplo sit surrepta pecunia, utitur hoc nomine. Reus, quia priuatam surripuerit, negat esse sacrilegium, sed furtum fatetur. Actor ergo ita finiet, Sacrilegium est surripere aliquid de sacro. Reus ita finiet: Sacrilegium est surripere aliquid sacri. Vterq; alterius finitionẽ impugnat. Ea duobus generibus euertitur, si aut falsa est, aut parum plena. Nam illud tertium, nisi stultis non accidit, ut nihil ad quæstionem pertineat. Falsa est, si dicas:

si dicas: Equus est animal rationale: nam est equus animal, sed irrationale. Quod autem commune cum alio est, desinet esse proprium. Hic reus falsam dicit esse finitionem accusatoris. Accusator autem non potest dicere falsam rei. Nam est sacrilegiũ surripere aliquid sacri. Dicit parum plenam, adijciendum enim, aut ex sacro. Maximus autem usus in approbando refellendoq; fine propriorum, ac differentium, nonnunquam etiam etymologiæ. Quæ tamen omnia, sicut in cæteris, confirmat æquitas, nonnunquam etiam coniectura mentis. Etymologia maxime rara est. Quid enim est aliud tumultus, nisi perturbatio tanta, ut maior timor oriatur? Vnde etiam nomen ductum est tumultus. Circa propria ac differentia magna subtilitas, ut cum quæritur, an addictus, quem lex seruire donec soluerit iubet, seruus sit. Altera pars finit ita: Seruus est, qui est iure in seruitute. Altera, qui in seruitute est eo iure quo seruus, aut ut antiqui dixerunt, qui seruitutem seruit. Quæ finitio etiamsi constat æquo, nisi tamen proprijs & differentibus adiuuetur, inanis est. Dicet enim aduersarius seruire eum seruitutem, aut eo iure quo seruũ. Videamus ergo propria, differẽtiaq; liberorũ, quæ libro quinto leuiter in trãsitu attigeram. Seruus cum manumittitur fit libertinus: addictus recepta libertate est ingenuus. Seruus inuito domino libertatem non consequetur: addictus soluẽdo citra uoluntatem domini consequetur. Ad seruum nulla lex pertinet: addictus legẽ habet. Propria liberi, quæ nemo habet nisi liber, prænomen, nomen, cognomen, tribum: habet hæc addictus. Excusso quid sit, propè peracta est quæstio, an hoc sit. Id enim agimus, ut sit causæ nostræ conueniens finitio. Potentißima autem est in ea qualitas, an amor, an insania. Huc pertinebunt probationes, quas Cicero dicit proprias esse finitionis, ex antecedentibus, consequentibus, adiunctis, repugnãtibus, causis, effectis, similibus, de quorum argumentorum natura dictum est. Breuiter autem pro Cecinna Cicero initia, causas, effecta, antecedentia, consequen

Tumultus.

Addicti.

consequentia complexus est. Quid igitur? fugiebant propter metum? Quid metuebant? uim uidelicet. Potestis igitur principia negare, cum extrema concedatis? Sed simulitudine quoq; usus est. Quæ uis in bello appellatur, ea in otio non appellabitur? Sed ex contrario argumenta ducuntur, ut si quæratur, an amatorium, uenenum sit, nec'ne, quia uenenum, amatorium nõ sit. Illud alterum genus, quo sit manifestius adolescentibus meis (meos enim semper adolescẽtes putabo) hic quoq; fictæ cõtrouersiæ utar exemplo: Iuuenes qui conuiuere solebant, cõstituerunt ut in littore cœnarent. Vnius, qui cœnæ defuerat, nomen tumulo quẽ extruxerant, inscripserunt. Pater eius à transmarina peregrinatione cum ad littus idem appulisset, lecto nomine suspendit se. Dicuntur hi causa mortis fuisse. Hic finitio est accusatoris: Per quem factum est ut quis perierit, causa mortis est. Rei est: Qui fecit quid sciens, per quod perire homini necesse esset. Remota finitione accusatori sat est dicere: Causa mortis fuistis. Per uos enim actũ est, ut homo periret: qui nisi uos illud fecissetis, uiueret. Contrà, nõ statim per quem factum est ut quis periret, is damnari debet, ut accusator, testis, iudex rei capitalis. Nec undecunq; causa fluxit, ibi culpa est, ut si quis profectionẽ suaserit, ut ad amicũ accesserit transmare, & is naufragio perierit. Ad cœnam inuitarit, & is cruditate illic contracta decesserit. Nec fuerit in causa mortis solum adolescentiũ factum, sed credulitas senis, & in dolore ferundo infirmitas: denique si fortior fuisset, aut prudentior, uiueret. Nec mala mente fecerunt, & ille potuit uel ex loco tumuli, uel ex opere tumultuario suspicari non esse monumentum. Qui ergo puniri debent? in quibus omnia sunt homicidæ, præter manum. Est interim certa finitio, de qua inter utranq; partẽ conuenit: ut Cicero dicit: Maiestas est in imperio, atque in omni populi Romani dignitate. Quæritur tamen, an maiestas minuta sit, ut in causa Cornelij quæsitum est. Sed hic etiam similis uideri potest finitiuæ, tamen quia

quia de finitione non ambigitur, iudicatio est qualitas, atq; ad eum potius statum reducenda, ad cuius forte quadam uenimus mentionem, sed & erat ordine proximus locus.

De qualitate. CAP. V.

EST autem qualitas alia de summo genere, atq; ea quidē nō simplex. Nam & qualis sit cuiusq; rei natura, & quæ forma quæritur: an immortalis anima, an humana specie deus: & de magnitudine ac numero, quantus sol, & an unus mundus. Quæ omnia quidem cōiectura colliguntur, quæstionem tamen habent in eo, qualia sint. Hæc & in suasorijs aliquādo tractari solent, ut si Cæsar deliberet, an Britanniam impugnet, quæ sit oceani natura, an Britannia insula (nā tum ignorabatur) quāta in ea terra, quo numero mīlitū aggredienda, in consilium ferendum sit. Eidem qualitati succedunt facienda, ac non facienda, appetenda, uitanda, quæ in suasorias quidē maxime cadunt, sed in cōtrouersijs quoq; sunt frequētia, hac sola differentia, quia illic de futuris, hic de factis agitur. Item demōstratiuæ partis omnia sunt in hoc statu, factum esse constat, quale sit factum quæritur. Lis est omnis aut de præmio, aut de pœna, aut de quātitate. Igitur primū genus causæ, aut simplex, aut cōparatiuum. Illic quid æquum, hic quid æquius, aut quid æquissimū sit excutitur. Cum de pœna iudiciū est, à parte eius qui causam dicit, aut defensio est criminis, aut imminutio, aut excusatio, aut ut quidā putant, deprecatio. Defensio longe potentissima est, qua ipsum factum quod obijcitur, dicimus honestum esse. Abdicatur aliquis, quòd inuito patre militarit, honores petierit, uxorem duxerit, tuemur quod fecimus. Partem hanc uocāt Hermagoræi κατ' ανθυλη-ψιν, ad intellectum id nomen referentes: Latine ad uerbum translatam non inuenio, absolutā appellant. Sed enim de re sola quæstio, iusta sit ea, nec ne. Iustum omne continetur natura, uel cōstitutione. Natura quod sit secundū cuiusq; rei dignitatem: hæc sunt pietas, fides, continentia, & talia. Adijciunt & id quod sit par,

par, uerum id non temere intuendū est. Nam & uis cōtra uim, & talia nihil habent aduersum eum, qui prior fecit iniuste, & non quoniam res pares sunt, etiā id est iustum quod anteceßit. Illa utrinq; iusta, eadē lex, eadē cōditio, ac forsitan ne sint quidem paria, quæ ulla parte sunt dißimilia. Cōstitutio est in lege, more, iudicato, pacto. Alterum est defensionis genus, in quo factū per se improbabile, assumptis extrinsecus auxilijs tuemur, id uocant κατ' αντιθεσιν. Latini hoc quoq; non ad uerbū transferunt. Assumptiua enim dicitur causa. In quo genere fortißimū est, si crimen causa facti tuemur, qualis est defensio Orestis, oratio Milonis: αντεγκλημα dicitur, quia omnis nostra defensio constat eius accusatione, qui uindicatur. Occisus est, sed latro: exectus, sed raptor. Est & illa ex causis facti ducta defensio priori cōtraria, in qua neq; factum ipsum per se, ut in absoluta quæstione defenditur, neq; ex cōtrario facto, sed ex aliqua utilitate aut Reipub. aut hominū multorū, aut etiam ipsius aduersarij, nōnunquam & nostra, si modo id erit quod facere nostra causa fas sit, quod sub extraneo accusatore & legibus agente prodesse nunquam potest, in domesticis disceptationibus potest. Nam & filijs pater in iudicio abdicationis, & maritus uxori, si malæ tractationis accusabitur, & patri filius si demētiæ causa erit, nō inuerecunde dicet multū sua interfuisse, in quo tamen incōmoda uitantis melior, quàm cōmoda petētis est causa: quibus similia etiā in uera rerum quæstione tractantur. Nā quæ in scholis abdicatorum, hæc in foro exhæredatorum à parentibus, & bona apud consules repetentiū ratio est: quæ illic malæ tractationis, hic rei uxoriæ, cum quæritur utrius culpa diuortium factum sit: quæ illic dementiæ, hic petendi curatoris. Subiacet utilitati etiam illa defensio, si peius aliquid futurū fuit. Nam in comparatione malorum boni locum obtinet leuius, ut si Mancinus fœdus Numantinum sic defendat, quòd periturus, nisi id factum esset, fuerit exercitus Romanus. Hoc genus αντιστασις

Græce

Græce nominatur, comparatiuum nostri uocant. Hæc circa defensionem facti, quæ si neq; per seipsam, neq; adhibitis auxilijs dabitur, proximum est in alium transferre crimen, si possumus. Ideoq; etiam in hos, qui iam scripti sunt status, uisa est cadere translatio. Interdū ergo culpa in hominē relegatur, ut si Gracchus reus fœderis Numantini, cuius metu leges populares tulisse in tribunatu uidetur, missum se ab Imperatore suo diceret. Interim deriuatur in rem, ut si is qui testamento quid iussus nō fecerit, dicat per leges id fieri nō potuisse, hoc μετάστασιν dicūt. Exclusis quoq; his excusatio supereſt, ea est aut ignorantiæ: ut si quis fugitiuo stigmata scripserit, eoq; ingenuo iudicato, neget scisse se liberum eum fuisse: aut necessitatis, ut cum miles ad cōmeatus diem nō affuit, dicit se fluminibus intercluſum, aut ualetudine. Fortuna quoq; sæpe substituitur culpæ. Nonnunquam male feciſſe nos, sed bono animo dicimus. Vtriusq; rei multa & manifesta exempla sunt. Idcirco non est eorum necessaria expositio. Si omnia quæ suprà scripta sunt, deerunt, uidendum an minui culpa possit. hic est ille qui à quibusdam dicitur status quantitatis. Sed ea cū sit aut pœnæ, aut honoris, ex qualitate facti constituitur. Eoq; nobis sub hoc esse statu uidetur, sicut eius quoq; quæ ad numerum refertur à Græcis. Nā & ποιότητα, & ποσότητα dicunt, nos utrunque eadem appellatione complectimur. Vltima est deprecatio, quod genus causæ pleriq; negarūt in iudicium unquam uenire. Quin Cicero quoq; pro Q. Ligario, idem testari uidetur cum dicit: Causas Cæsar egi multas & quidem tecū, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum. Certe nunquā hoc modo, Ignoscite iudices, errauit, lapsus est, non putauit, si unquam posthac, & cætera. In senatu uero, & apud populū, & apud principē, & ubicūq; iuris clementia est, habet locū deprecatio. In qua plurimū ualet ex ipso qui reus est, hæc tria in uita præcedere, si innocens, si bene meritus, si spes in futurum innocēter uicturi, & in aliquo usu futuri. Præterea si

terea si uel alijs incommodis, uel præsenti periculo, uel pœnitentia uideatur satis pœnarū dedisse. Extra, nobilitas, dignitas, propinqui, amici. In eo tamen qui cognoscit, plurimū ponendum, si laus cum misericordia potius, quàm reprehensio dissoluti consecutura est. Verum & in iudicijs, etiamsi nō toto genere causæ, tamen ex parte magna hic locus sæpe tractatur. Nam & diuisio frequens est, etiam si feciſſet, ignoscendum fuisse. Idq; in causis dubijs sæpe prævaluit, & epilogi omnes in eadē ferè materia uersari solent. Sed nonnunquam etiam reus hic totius summam constituit, si exhæredatum à se filium pater testatus fuerit elogio, propterea quòd is meretricem amauerit. Nam omnis hic quæstio, an huic delicto pater debuerit ignoscere, & centumuiri tribuere debeant ueniā. Sed etiā in formulis, cū pœnariæ sunt actiones, nos ita causam partimur, an cōmissa sit pœna, an exigi debeat. Id autem quod illi uiderunt, uerum est, reum à iudicibus hoc defensionis modo liberari non posse. De præmijs autē quærūtur duo, an ullo sit dignus qui petit, an tanto: ex duobus, uter dignior: ex pluribus, quis dignissimus. Quorum tractatus ex ipso meritorum genere ducuntur. Et intuebimur nō rem tantum, siue alleganda, siue comparanda erit, sed personam quoq;. Nam & multum interest, tyrannū iuuenis occiderit, an senex: uir, an fœmina: alienus, an coniunctus. Et locum multiplici ter, in ciuitate tyrānis aßueta, an libera semper: in arce, an domu: & quomodo factum sit, ferro, an ueneno: & quo tempore, bello an pace, an cum depositurus esset eam potestatem, an cū aliquid noui sceleris ausurus. Habetur in meritis gratia, periculum quoq; ac difficultas. Similiter liberalitas à quo profecta sit refert. Nam in paupere gratior, quàm in diuite, dante beneficium quàm reddente, patre quàm orbo. Item quam rem dederit, & quo tempore, & quo animo, id est, num in aliquam spem suam, similiter alia. Et ideo qualitas maxima oratoris recipit opera, quia in utranq; partem plurimum est ingenio loci, nec

uſquam tantũ affectus ualent. Nam cõiectura extrinſecus quoq; adductas frequẽter probationes habet, & argumẽta ex materia ſumit, ut quale quicq; uideatur eloquentia opus eſt, hic regnat, hic imperat, hic ſola uincit. Huic parti ſubiũgit Virginius cauſas abdicationis, demẽtiæ, malæ tractationis, orbarũ nuptias indicentiũ. Nam & iudiciũ ferè ſic accidit, inuentiq; ſunt qui has materias officiorũ uocarẽt. Sed alios quoq; nõnunquã leges hæ recipiunt ſtatus. Nam & cõiectura eſt aliquãdo in pleriſq; horum, cum ſe uel non feciſſe, uel bona mẽte feciſſe cõtendunt. Cuius generis exempla ſunt multa. Et quid ſit dementia, ac mala tractatio finitur. Nam iuris quæſtiones plerũq; leges præcurrere ſolent, & ex quibus cauſis non fiat ſtatutum. Quod tamẽ facto defendi non poterit, iure nitetur: & quot & quibus cauſis abdicare non liceat, & in quæ crimina malæ tractationis actio detur, & cui accuſare demẽtiæ nõ permittatur. Abdicationũ formæ ſunt duæ, altera criminis perfecti, ut ſi abdicetur raptor, adulter: altera imperfecti, uelut pendẽtis, & adhuc in cõditione poſiti, quales ſunt in quibus abdicatur filius qui nõ pareat patri. Illa ſemper aſperam abdicantis actionẽ habet, immutabile eſt enim quod factum eſt: hæc ex parte blandam, & ſuadenti ſimilem. Mauult enim pater corrigere, quàm abdicare. At pro filijs in utroq; genere ſummiſſam, & ad ſatisfaciendum compoſitam. A' quo diſſenſuros ſcio, qui libenter patris figurã lædunt, quod non auſim dicere nunquam eſſe faciendum, poteſt enim materia incidere, quæ hoc exigat: cæterum uidendum eſt, quoties aliter agi poteſt: ſed de figuris alio libro tractabimus. Non diſſimiles autem abdicationũ actionibus ſunt malæ tractationis actiones. Nam & ipſæ habent eandem in accuſationibus moderationem. Dementiæ quoque iudicia, aut propter id quod factum eſt, aut propter id quod adhuc fieri uel non fieri poteſt inſtituũtur, & actor in eo quod factum eſt, liberum habet impetum: ſic tamen, ut factum accuſet ipſius patris, tanquã ualetudine lapſi miſereatur:

tur: in eo uero, cuius libera mutatio eſt, diu roget & ſuadeat, & nouiſſime dementiam rationi queratur obſtare, nõ mores, quos quanto magis in præteritum laudauerit, tanto facilius probabit morbo eſſe mutatos. Reus quoties cauſa patietur, debebit eſſe in defenſione moderatus, quia ferè ira, contentio, & concitatio furori ſunt ſimilia. Omnibus his commune eſt, quòd rei non ſemper defenſione facti, ſed excuſatione ac uenia frequenter utuntur. Eſt enim domeſtica diſceptatio, qua & ſemel peccaſſe, & per errorem, & leuius quàm obijciatur, abſolutioni nonnunquã ſufficit. Sed alia quoq; multa controuerſiarũ genera in qualitatem cadunt. Iniuriarũ, quanquã enim reus aliquando feciſſe negat, plerunq; tamẽ hæc actio facto atq; animo cõtinetur. De accuſatore cõſtituendo, quæ iudicia diuinationes uocãtur (in quo genere Cicero quidem, qui mandantibus ſocijs Verrem accuſabat, hac uſus eſt diuiſione) ſpectandũ à quo maxime agi uelint ij, de quorum ultione quæritur, à quo minime uelit is, qui accuſatur. Frequentiſſimæ tamen hæ ſunt quæſtiones, uter maiores cauſas habeat, uter plus induſtriæ, aut uiriũ ſit allaturus ad accuſandũ, uter id fide meliore facturus. Tutelæ præterea, in quo iudicio ſolet quæri, an alia de re quàm de calculis cognoſci oporteat. An fidẽ præſtare debeat tantũ, nõ etiam conſiliũ & euentum. Cui ſimile eſt male geſtæ procurationis in foro negotiorũ geſtorũ, nam & mandati actio eſt. Præter hæc fingũtur in ſcholis, & ſcripti maleficij, in quibus aut hoc quæritur, an ſcriptum ſit, aut hoc, an maleficiũ ſit, raro utrũq;. Male geſtæ legationis apud Græcos, & ueris cauſis frequens, ubi iuris loco quæri ſolet, an omnino aliter agere quàm mandatũ ſit liceat, et quouſq; ſit legatus, quoniam alij in renuntiando ſunt, ut is, qui teſtimonium in Verrem dixerat, poſt perlatam legationem. Plurimum tamen eſt in eo, quale ſit factũ. Reip. læſæ. Hinc mouentur quidẽ mille iuris cauillationes, quid ſit Remp. lædere, & læſerit ne, an profuerit, & ab ipſo, an propter ipſum læſa ſit. In facto tamen

plurimum ineſt. Ingrati quoque, in quo genere quæritur, an is cum quo agitur, acceperit beneficium, quod raro negandum eſt (ingratus eſt enim qui negat) an quantū acceperit reddiderit, an protinus qui nō reddiderit, ingratus ſit, an potuerit reddere, an id quod exigebatur, debuerit, quo animo ſit. Simpliciores illæ iniuſti repudij, ſub qua lege cōtrouerſiæ illud proprium habēt, quòd à parte accuſantis defenſio eſt, & defendentis accuſatio. Præterea cum quis rationē mortis in ſenatu reddit, ubi una quæſtio eſt iuris, an is demū prohibendus ſit, qui mori uult, ut ſe legum actionibus ſubtrahat. Cætera qualitatis. Fingūtur & teſtamenta, in quibus de ſola quæratur uoluntate, ut in controuerſia, quā ſuprà expoſui, in qua de parte patrimonij quarta quam pater dignißimo ex filijs reliquerat, contendunt philoſophus, medicus, orator. Quod item accidit, ſi orbæ nuptias indicant patres gradu, & ſi inter propinquos de idoneo quæratur. Sed nec mihi omnes perſequi materias in animo eſt (fingi enim adhuc poßunt) nec cōmunes ſunt earū quæſtiones, quia poſitionibus mutantur. Hoc tantum admiror, Flauium, cuius apud me meritò ſumma eſt autoritas, cū artem ſcholæ tantū cōponeret, tam anguſte materiam qualitatis terminaſſe. Quantitas quoq;, ut dixi plerunq;, etiamſi non ſemper, tamen plerūq; eidē ſubiacet, ſeu modi eſt, ſeu numeri. Sed modus aliquādo conſtat æſtimatione facti, quanta ſit culpa, quantuḿue beneficiū: aliquādo iure, cum id in controuerſiā uenit, qua quis lege puniendus, uel honorādus ſit. Stuprator an decem milia dare debeat, quæ pœna huic crimini cōſtituta eſt, an quia ſtupratus ſe ſuſpēdit, capite puniri, tanquā cauſa mortis. Quo in genere fālluntur, qui ita dicunt, tanquam inter duas leges quæratur. Nam de decem milibus nulla controuerſia eſt, quæ nec petuntur. Iudicium redditur, an reus cauſa ſit mortis. In coniecturam quoq; eadem ſpecies cadit, cum perpetuò, an quinquennali ſit exilio multandus, in controuerſiam uenerit, num prudens cædem commiſerit, quæritur. Illa quoque quæ ex

quæ ex numero ducitur, pendet ex iure, an Thraſybulo triginta præmia debeantur, & cum duo fures pecuniam abſtulerūt, ſeparatim quadruplum quiſq;, an duplum debeat. Sed hic factū quoque æſtimatur, & tamen ius ipſum pendet ex qualitate.

De actionis quæſtione. CAP. VI.

QVi neq; feciſſe ſe negabit, neq; aliud eſſe quod fecerit, dicet, neq; factum defendet, neceſſe eſt in ſuo iure conſiſtat. In quo plerūq; actionis eſt quæſtio, quæ non ſemper eadem eſt, ut quidam putauerunt. Nam & iudicium antecedit, qualia ſunt Præturæ curioſa conſiliā, cùm de iure accuſatoris ambigitur, & in ipſis frequentißime iudicijs uerſatur. Eſt enim duplex eius diſceptationis cōditio, quòd aut intētio, aut præſcriptio habet controuerſiā. Ac fuerūt qui præſcriptionis ſtatum facerent, tanquā ea non iiſdem omnibus, quibus cæteræ leges, quæſtionibus contineretur. Cum ex præſcriptione lis pendet, de ipſa re quæri nō eſt neceſſe. Ignominioſo patri filius præſcribit, de eo ſolo iudicatio eſt, an liceat. Quoties tamen poterimus, efficiendum eſt, ut de re quoq; bene ſentiat. Sic enim iuri noſtro libentius indulgebit, ut in ſponſionibus, quæ ex interdictis fiunt, etiam ſi nō proprietatis eſt quæſtio, ſed tantum poſſeßionis: tamen non ſolum poſſediſſe nos, ſed etiam noſtrum poſſediſſe docere oportebit. Sed frequentius etiam quæritur de intentione. Vir fortis optet quicquid uolet, nego illi dandum quicquid optauerit, non habeo præſcriptionem, ſed tamen uoluntate contra uerba præſcriptionis modo utor. In utroq; autē genere ſtatus idem ſit. Porrò lex omnis, aut tribuit, aut adimit, aut punit, aut iubet, aut uetat, aut permittit. Litē habet, aut propter ſeipſam, aut propter alteram. Quæſtio eſt, aut in ſcripto, aut in uoluntate. In ſcripto, aut apertum eſt, aut obſcurum, aut ambiguum. Quod de legibus dico, idem accipi uolo de teſtamentis, pactis, ſtipulationibus, omni denique ſcripto, idem de uoce. Et quoniam quatuor huius generis quæſtiones, uel ſtatus facimus, ſingulos percurram.

De ſtatu ex ſcripto & uoluntate. CAP. VII.

SCripti & uoluntatis, frequẽtiſſima inter conſultos quæſtio eſt, & pars magna controuerſiæ iuris hinc pendet, quo minus id in ſcholis accidere mirum eſt, ubi etiam ex induſtria fingitur. Eius genus unum eſt, in quo & de ſcripto, & de uoluntate quæritur. Id tum accidit, cũ eſt in lege aliqua obſcuritas, & in ea, aut uterq; ſuam interpretationem cõfirmat, aut aduerſarij ſubuertit, ut hic: Fur quadruplum ſoluat, duo ſurripuerunt pariter decem milia, petuntur ab utroq; quadragena, illi poſtulant, ut uicena conferant. Nam & actor dicit, hoc eſſe quadruplum quod petat, & rei hoc quod offerant. Voluntas quoq; utrinq; defenditur, aut cum de altero intellectu certum eſt, de altero dubium. Ex meretrice natus, ne concionetur. Quæ filium habebat, proſtare cœpit. Prohibetur adoleſcens concione. Nam de eius filio, quæ ante partum meretrix fuit certum eſt, an eadem huius cauſa ſit, dubiũ eſt, quia ex hac natus, & hæc meretrix eſt. Solet & illud quæri, quò referatur quod ſcriptum eſt, bis de eadem re ne ſit actio, id eſt, hoc bis ad actorem, an ad actionem. Hæc ex iure obſcuro. Alterum genus eſt ex manifeſto, quod qui ſolum uiderunt, hunc ſtatum plani, & uoluntatis appellauerũt. In hoc altera pars ſcripto nititur, altera uoluntate. Sed cõtra ſcriptum tribus generibus occurritur. Vnum eſt, in quo id ſeruari ſemper non poſſe ex ipſo patet. Liberi parentes alant, aut uinciantur. Non enim alligabitur infans. Hinc erit ad alia tranſitus & diuiſio, num quiſquis non aluerit, num hic. Propter hoc proponunt quidam tale genus controuerſiarum, in quo nullum argumentum eſt, quod ex lege ipſa peti poſſit, ſed de eo tantum, de quo lis eſt, quærendum ſit. Peregrinus, ſi murum aſcenderit, capite puniatur. Cum hoſtes murum aſcendiſſent, peregrinus eos depulit, petitur ad ſuppliciũ. Non erunt hic ſeparatæ quæſtiones, an quiſquis, an hic, quia nullum poteſt afferri argumentum contra ſcriptũ, uehementius eo quod in lite eſt: ſed hoc tantum, an ne

ſeruandæ quidem ciuitatis cauſa. Ergo & æquitate, & uoluntate pugnandum. Fieri tamẽ poteſt, ut ex alijs legibus exempla ducamus, per quæ appareat ſemper ſtari ſcripto non poſſe, ut Cicero pro Cecinna fecit. Tertium, cum in ipſis uerbis legis reperimus aliquid, per quod probemus aliud legum latorem uoluiſſe, ut in hac controuerſia: Qui nocte cum ferro deprehenſus fuerit, alligetur. Cum anulo ferreo inuentum magiſtratus alligauit. Hic quia eſt uerbum in lege, deprehenſus, ſatis etiam ſignificatum uidetur non contineri lege, niſi noxium ferrum. Sed ut qui uoluntate nitetur, ſcriptum quoties poterit infirmare debebit, ita qui ſcriptum tuebitur, adiuuare ſe etiam uoluntate tentabit. In teſtamentis & illa accidunt, ut uoluntas manifeſta ſit, ſcriptum nihil ſit, ut in iudicio Curiano, in quo nota L. Craſſi & Scæuolæ fuit contentio. Subſtitutus hæres fuit, ſi poſthumus ante tutelæ ſuæ annos deceſſiſſet. Non eſt natus. Propinqui bona ſibi uendicabant. Quis dubitaret, quin ea uoluntas fuiſſet teſtantis, ut is non nato filio hæres eſſet, qui mortuo? ſed hoc non ſcripſerat. Id quoq;, quod huic contrarium eſt, accidit nuper, ut eſſet ſcriptum, quod appareret ſcriptorẽ noluiſſe, qui ſeſtertium nummûm quinq; milia legauerat, cum emendaret teſtamentum, ſublatis ſeſtertijs nummis, argenti pondo poſuit, quinq; milia remanſerunt. Apparuit tamen quinq; pondo dari uoluiſſe, quia ille in argento legato modus & inauditus erat, & incredibilis. Sub hoc etiam ſtatu generales ſunt quæſtiones, ſcripto an uoluntate ſtandum ſit, quæ fuerit ſcribentis uoluntas, tractatus omnes qualitatis an coniecturæ, de quibus ſatis dictum arbitror.

De contrarijs legibus. CAP. VIII.

PRoximum eſt de legibus cõtrarijs dicere, quia inter omnes artiũ ſcriptores conſtat in Antinomia duos eſſe, ſcripti & uoluntatis ſtatus: neq; immeritò, quia cùm lex legi obſtet, utrinq; contra ſcriptum dicitur, & quæſtio eſt de uoluntate: In utraq; id ambigitur, an utiq; illa lege ſit utendum. Omnibus autẽ ma-

niſeſtum eſt, nunquam eſſe legem legi cõtrariam iure ipſo, quia ſi diuerſum ius eſſet, alterum altero abrogaretur: ſed eas caſu collidi, & euentu. Colliduntur autem, aut pares inter ſe, ut ſi optio tyrannicidæ, & uiri fortis comparentur, utriq; data quod uelit petendi poteſtate. Hic meritorum, temporis, præmij collatio eſt. Aut ſecum ipſæ, ut duorum fortiũ, duorum tyrannicidarũ, duarum raptarum, in quibus nõ poteſt eſſe alia quæſtio, quàm temporis, utra prior ſit: aut qualitatis, utra iuſtior ſit petitio. Diuerſæ quoq; leges cõfligunt, aut ſimiles. Diuerſæ, quibus etiã citra aduerſam legem contradici poſſit, ut in hac controuerſia: Magiſtratus ab arce ne diſcedat. Vir fortis optato quæ uolet: uel alia nulla obſtãte quæri poteſt, an quicquid optarit, accipere debeat: & à magiſtratu multa dicentur, quibus ſcriptũ expugnatur. Si incendium in arce fuerit, ſi in hoſtes recurrendũ. Simules, cõtra quas nihil opponi poteſt, niſi lex altera. Tyrannicidæ imago in gymnaſio ponatur: contrà mulieris imago in gymnaſio ne ponatur. Mulier tyrannum occidit. Nam neq; mulieris imago ullo alio caſu poni poteſt, neq; tyrannicidæ ullo alio caſu ſubmoueri. Impares ſunt, cum alteri multa ſunt quæ opponi poſſunt, alteri nihil, niſi quod in lite eſt, ut cum uir fortis impunitatẽ deſertoris petit. Nam cõtra legem uiri fortis (ut ſuprà oſtendi) multa dicũtur, aduerſus deſertores ſcripta non poteſt niſi optione ſubuerti. Item aut confeſſum eſt ex utraq; parte ius, aut dubium. Si confeſſum eſt, hæc ferè quæruntur: Vtra lex potentior, ad deos pertineat, an ad homines, ad Rẽpub. an ad priuatos, de honore an de pœna, de magnis rebus an de paruis, permittat, an uetet, an imperet. Solet tractari, & utra ſit antiquior, & uelut potentiſſima, utra minus perdat, ut in deſertore & uiro forti, quòd illo nõ occiſo, lex tota tollatur, occiſo, ſit reliqua uiro forti alia optio. Plurimum tamen eſt in hoc, utrum fieri ſit melius atque æquius, de quo nihil præcipi, niſi propoſita materia poteſt. Si dubium, aut alteri, aut inuicem utriq; de iure ſit cõtrouerſia, ut in re tali:

re tali: Patri in filium, patrono in libertum manus iniectio ſit, liberti hæredem ſequantur. Liberti filium quidam fecit hæredem, inuicẽ petitur manus iniectio, & patronus negat ius patris illi fuiſſe, quia ipſe in manu patroni fuerit. Duplices leges ſicut duæ collidũtur, ut an nothus ante legitimũ natus legitimus ſit, poſt legitimum tantum ciuis. Quod de legibus, idem de ſenatuſconſultis dictum: quæ ſi aut inter ſe pugnent, aut obſtent legibus, non tamen aliud ſit eius ſtatus nomen.

De ſyllogiſmo ſeu ratiocinatione. CAP. IX.

SYllogiſmus habet aliquid ſimile ſcripto & uoluntati, quia ſemper pars in eo altera ſcripto nititur. Sed hoc intereſt, quòd illic contra ſcriptum dicitur, hic ſuper ſcriptum: illic qui uerba defendit, hoc agit, ut fiat utique quod ſcriptum eſt, hic ne aliud quàm ſcriptum eſt. Eius nonnulla etiam cum finitione cõiunctio. Nam ſæpe, ſi finitio infirma eſt, in ſyllogiſmũ delabitur. Sit enim lex: Venefica capite puniatur.* Sæpe ſecubanti amato rium dedit, eundem repudiauit, per propinquos rogata ut rediret, non eſt reuerſa, ſuſpẽdit ſe maritus, mulier ueneficij rea eſt. Fortiſſima eſt actio dicentis amatorium uenenum eſſe, id erit finitio: quæ ſi parum ualebit, fiet ſyllogiſmus, ad quem uelut remiſſa priore contentione ueniemus, an perinde puniri debeat, ac ſi uirum ueneno neceſſet. Ergo hic ſtatus ducit ex eo quod ſcriptum eſt, id quod incertũ eſt, quod quoniam ratiocinatione colligitur, ratiocinatiuus dicitur. In has autẽ ferè ſpecies uenit: An quod ſemel ius eſt, idem & ſæpius. Inceſti damnata & præcipitata de ſaxo uixit, repetitur. An quod in uno, & in pluribus. Qui duos uno tempore tyrãnos occidit, duo præmia petit. An quod antè, & poſtea, Raptor profugit, rapta nupſit, reuerſo illo petit optionem. An quod in toto, idem in parte, Aratrum accipere pignori nõ licet, uomerem accepit. An quod in parte, idem in toto, Lanas uebere Tarento nõ licet, oues uexit. In his ſyllogiſmis ſcripto alter nititur, alter non ſatis cautum eſſe dicit

*Spe perſcrutandi

cit. Postulo ut præcipitetur incesta, lex est, & rapta optionem petit, & in oue lanæ sunt, similiter alia. Sed quia responderi potest, non est scriptum, ut bis præcipitetur damnata, aut quãdocunq; rapta optet, aut tyrannicida duo præmia accipiat, nihil de uomere cautum, nihil de ouibus, ex eo quod manifestum, colligitur quod dubium est. Maioris pugnæ est, ex scripto ducere quod scriptum non est, an quia hoc & hoc: Qui patrem occiderit, culeo insuatur, matrem occidit. Ex domo in ius educere ne liceat, tabernaculis eduxit. In hoc genere hæc quæruntur: An quoties propria lex non est, simili sit utendũ: An id de quo agitur, ei de quo scriptum est, simile sit. Simile autem & maius est, & par, & minus. In illo priore, an satis lege cautum sit, an etsi parum cautum est, hac sit utendum. In utroq; de uoluntate legumlatoris, sed de æquo tractatus potentissimi.

De ambiguo seu amphibologia. CAP. X.

Amphibologiæ species sunt innumerabiles, adeò ut philosophorum quibusdam nullum uideatur esse uerbũ, quod non plura significet, genera admodum pauca. Aut enim uocibus accidit singulis, aut coniunctis. Singula afferunt errorem, cùm pluribus rebus, aut etiam hominibus eadem appellatio est, ὁμωνυμία dicitur, ut gallus. Vtrum enim auem, an gentem, an nomen, an fortunam corporis significet, incertum est: Aiax, Telamonis, an Oilei filius. Verba quoq; quædam diuersos intellectus habẽt, ut cerno: quæ ambiguitas plurimis modis accidit. Vnde ferè lites præcipue ex testamentis cum de libertate, aut etiam de hæreditate contendunt hi, quibus idem nomen est, aut quid sit legatum, quæritur. Alterum est, in quo alia integro uerbo significatio est, alia diuiso, ut ingenua, & armamentum, & coruinum. Ineptæ sanè cauillationes, ex quo tamen Græci cõtrouersias ducunt. Inde ὠλητὶς illa uulgata, cum quæritur, utrum aula quæ ter ceciderit, an tibicina, si ceciderit, debeat publicari. Tertia est ex compositis, ut si quis corpus suum in occulto loco poni iubeat

iubeat, circaq; monumentum multum agri ab hæredibus in tutelam cinerum, ut solet, leget, sit littus hoc cultum. Sic apud Græcos contendit λέων & παντελέων, cùm scriptura dubia est, bona omnia λέοντα, an bona παντελέοντα relicta sint. In coniunctis plus ambiguitatis est. Fit autem per casus: ut,

Aio te Aeacida Romanos uincere posse.

Per collocationem, ubi dubium est quid quò referri oporteat: ac frequentissime cum quidem quod medium est, utrinq; posśit trahi, ut de Troilo Verg. Lora tenens tamen— Hic utrũ quòd teneat tamen lora, an quãuis teneat, tamen trahatur, quæri potest. Vnde coutrouersia illa: Testamento quidam iussit poni statuam auream hastam tenentem. Quæritur, statua hastam tenens aurea esse debeat, an hasta esse aurea in statua alterius materiæ. Fit per flexum idem magis: Quinquaginta, ubi erant centũ, occidit Achilles. Sæpe utri duorum antecedentium sermo subiunctus sit, in dubio est. Vnde est controuersia: Hæres meus uxori meæ dare damnas esto argenti, quod elegerit, pondo centum. Vter eligat quæritur. Verum id quod ex his primum est, mutatione casuum: sequens diuisione uerborũ, aut translatione emẽdatur: tertium adiectione. Accusatiui geminatione facta amphibologia soluitur ablatiuo, ut illud: Lachetem audiui percussisse Demeam: fiat, à Lachete percusśum Demeã. Sed ablatiuo ipsi, ut in primo diximus, inest naturalis amphibologia: —Cœlo decurrit aperto. Vtrum per apertum cœlum, an cũ cœlum apertum esset. Diuisio respiratione & mora constat. Statuam, deinde auream hastam: uel statuã aureã, deinde hastam. Adiectio talis est: Argentum quod elegerit ipse, ut hæres intelligatur: uel ipsa, ut uxor. Adiectione facta amphibologia qualis sit, Nos flẽtes illos deprehendimus, detractione soluetur. Pluribus uerbis emendandum, ubi est id, quod quò refertur, dubium est, & ipsum est ambiguũ: Hæres meus dare illi damnas esto omnia sua. In quod genus incidit Cicero, loquens de C. Fannij soceri instituto. Quem quia

quia cooptatus in augurum collegium non erat, non admodum diligebat, præsertim cum ille Q. Scæuolam sibi minorẽ natu generum prætulisset. Nam id sibi, & ad socerũ referri, & ad Fannium potest. Productio quoq; in scripto, & correptio in dubio relicta, causa est ambiguitatis, ut in hoc, Cato: aliud enim ostendit breuis secunda syllaba casu nominatiuo, aliud eadem syllaba producta casu datiuo, aut ablatiuo. Plurimæ præterea sunt aliæ species, quas persequi nihil necesse est. Nec refert quomodo facta sit amphibologia, aut quo resoluatur. Duas enim res significari manifestum est, & quod ad scriptum uoceḿue pertinet, in utranq; par est partem. Ideóq; frustra præcipitur, ut in hoc statu uocem ipsam ad nostram partem conemur uertere. Nam si id fieri potest, amphibologia non est. Amphibologiæ autẽ omnis in his erit quæstio, aliquando uter sit secundum naturã magis sermo, semper utrum sit æquius, utrum is qui sic scripsit ac sic dixit, sic uoluerit: quarum in utrãq; partem satis ex his quæ de coniectura & qualitate diximus, præceptum est.

Quæ sit inter status cognatio, & quæ diuersitas. CAP. XI.

EST autem quædam inter hos status cognatio. Nam & in finitione, quæ sit uoluntas nominis quæritur, & in syllogismo, qui secundus à finitione status est, spectatur, quid uoluerit scriptor: & ex contrarijs legibus duos esse scripti, & uoluntatis status apparet. Rursus & finitio quodammodo est amphibologia, cum in duas partes diducatur intellectus nominis. Scriptũ & uolũtas habet in uerbis uocis quæstionẽ, quod idem in antinomia petitur. Ideóq; omnia hæc quidam scriptum & uoluntatem esse dixerunt. Alij in scripto, & uoluntate amphibologiam esse, quæ facit quæstionẽ. Sed distincta sunt. Aliud est enim obscurum ius, aliud ambiguum. Igitur finitio in natura ipsa nominis quæstionem habet generalem, & quæ esse etiã citra complexum causæ possit. Scriptum, & uoluntas de eo disputat uerbo, quod

quod est in lege: Syllogismus de eo quod non est. Amphibologiæ lis in diuersum trahit: Legum contrariarum ex diuerso pugna est. Neq; immeritò recepta est à doctissimis hæc differentia, & apud plurimos ac prudentissimos durat. Et de hoc quidẽ genere disceptationis, etiam si non omnia tradi, tamen aliqua potuerunt. Sunt alia, quæ nisi proposita, de qua dicendum est, materia, uiam docendi non præbeant. Non enim causa uniuersa in quæstiones ac locos diducẽda est. Sed hæ ipsæ partes habẽt rursus ordinem suum. Nam & in procœmio primum est aliquid, & secundum, ac deinceps. Et quæstio omnis, ac locus habet suã dispositionem, ut theseis etiã simplices. Ac si forte satis erit diuidẽdi peritus, qui cõtrouersiam in hæc diduxerit, An omne præmiũ uiro forti dandum sit, an ex priuato, an nuptiæ, an ea quæ nupta sit, an hæc: deinde cum fuerit de prima quæstione dicendũ, passim, & ut quidq; in mentem ueniet, miscuerit: non primũ in ea scierit esse tractandum, Verbis legis standum sit, an uoluntate? huius ipsius particulæ aliquod initium fecerit? Deinde proxima subnectens struxerit orationem, ut pars hominis est manus, eius digiti, illorum quoq; articuli. Est & hoc, quod scriptor demonstrare non possit, nisi certa definitáq; materia. Sed quid una faciat, aut altera? quinimò centũ ac mille in re infinita atq; materia? Præceptoris est, in alio atq; alio genere quotidie ostendere quis ordo sit rerũ, & quæ copulatio, ut paulatim fiat usus, & ad similia transitus. Tradi enim omnia quæ ars efficit, non possunt. Nã quis pictor omnia, quæ in rerũ natura sunt adumbrare didicit? Sed percepta semel* imitandi ratione assimulabit quicquid acceperit. Quis enim nõ faber uasculũ aliquod, quale nunquam uiderat, facit? Quædam uero non docentiũ, sed discẽtium. Nam medicus quid in quoq; ualetudinis genere faciendũ sit, quid quibusq; signis prouidendum, docebit. Vim sentiendi, pulsus uenarum, caloris motus, spiritus meatum, coloris distantiam, quæ sua cuiusq; sunt, ingenium dabit. Quare plurima pe-

*mutandi

tamus

tamus à nobis,& cum cauſis deliberemus,cogitemuſq; homines antè inueniſſe artem, quàm docuiſſe. Illa enim potentiſſima, quæq; uere dicitur œconomica totius cauſæ diſpoſitio,quæ conſtitui niſi uelut in re præſenti nõ poteſt. Vbi aſumendum proœmium,ubi omittendum,ubi utendum expoſitione continua, ubi partita,ubi ab initijs incipiendum,ubi more Homerico à medijs uel ultimis,ubi omnino nõ exponendũ,quando à noſtris,quando ab aduerſariorum propoſitionibus incipiamus,quando à firmiſſimis probationibus,quando à leuioribus, quando in cauſa proponendæ proœmijs quæſtiones. Qua præparatione præmuniendæ,quid iudicis animus accipere poſſit, ſtatim dictum, quò paulatim deducendus. Singulis,an uniuerſis opponenda refutatio. Reſeruandi perorationi,an per totam* orationẽ diffundẽdi affectus. De iure prius, an de æquitate dicendum. An anteacta crimina,an de quibus iudicium eſt,prius obijcere,uel diluere cõueniat. Si multiplices cauſæ erunt,quis ordo faciendus, quæ teſtimonia,tabulæ'ue cuiuſq; generis in actione recitãdæ,quæ reſeruandæ. Hæc eſt uelut imperatoria uirtus copias ſuas partientis ad caſus præliorum,retinentis partes propter caſtella tuenda,cuſtodiendas'ue urbes,petendos commeatus, obſidenda itinera,mari deniq;,ac terra diuidentis. Sed hæc in oratione præſtat omnia,cui affuerint natura,doctrina,ſtudium. Quare nemo expectet, ut alieno tantum labore ſit diſertus. Vigilandum ducat,iterum enitẽdum,pallendum eſt,facienda ſua cuiq; uis, uſus, ſua ratio:non reſpiciendum ad hæc, ſed in promptu habenda, neq; tanquam tradita, ſed tanquam innata. Nam uiam demonſtrare* uelociter ars poteſt,ſiqua eſt:uerum ars ſatis præſtat,ſi copias eloquentiæ ponit in medio:noſtrum eſt uti eis ſcire. Reliqua partium eſt demum diſpoſitio. Et in his ipſis primus aliquis ſenſus,& ſecundus,& tertius,qui non modò ut ſint ordine collocati,elaborandum eſt,ſed ut inter ſe iuncti,atq; ita cohærentes,ne commiſſura pellucęat,corpus ſit,non membra. Quod ita cõ

*actionem

* uelocitas poteſt

ita continget,ſi & quid quaq; cõueniat uiderimus,& ut uerba uerbis applicemus, nõ pugnantia, ſed quæ inuicẽ cõplectantur. Ita res non diuerſæ diſtantibus ex locis, quaſi inuicem ignotæ collidentur, ſed aliqua ſocietate cum prioribus ac ſequentibus, copulas tenebunt:ac uidebitur non ſolum compoſita oratio, ſed etiam continua. Verũ longius fortaſſe progredior fallente trãſitu,& à diſpoſitione ad elocutionis præcepta labor,quod proximus liber inchoabit.

M. FAB. QVINTILIANI IN ORATORIARVM Inſtitutionum Librum Octauum Proœmium.

HIS FERE quæ in proximos quinque libros collata ſunt,ratio inueniendi,atq; inuenta diſponendi cõtinetur,quam ut per omnes numeros penitus cognoſcere, ad ſummã ſcientiæ neceſſarium eſt, ita incipientibus breuius, ac ſimplicius tradi magis conuenit. Aut enim difficultate inſtitutionis,tam numeroſæ atq; perplexæ deterreri ſolent,aut eo tempore quo præcipue alenda ingenia,atque indulgentia quadam nutrienda ſunt, aſperiorum tractatu rerum atteruntur. Aut ſi hæc ſola didicerint,ſatis ſe ad eloquentiam inſtructos arbitrantur,aut quaſi ad certas quaſdam dicendi leges alligati, conatũ omnem reformidant. Vnde exiſtimant accidiſſe,ut qui diligentiſſimi artium ſcriptores extiterunt,ab eloquẽtia longiſſime fuerint. Via tamen opus eſt incipientibus,ſed ea plana,& cum ad ingrediendum,tum ad demonſtrandum expedita. Eligat itaque peritus ille præceptor ex omnibus optima,& tradat ea demum in præſentia quæ placent,remota refutandi cætera mora. Sequuntur enim diſcipuli quò duxeris. Mox cum robore diſcendi

creſcet

crescet etiam eruditio. Iidem primo solum iter credant esse, in quod inducentur, mox illud cognituri etiam optimum. Sunt autem neq; obscura, neq; ad percipiendum difficilia, quæ scriptores diuersis opinionibus pertinaciter tuendis inuoluerunt. Itaq; in toto artis huiusce tractatu difficilius est iudicare quid doceas, quàm cum iudicaris, docere: præcipueq; in duabus his partibus perquàm sunt pauca, circa quæ si is qui instituetur non repugnauerit, pronum ad cætera habiturus est cursum. Nempe enim plurimum in hoc laboris exhausimus, ut ostenderemus rhetoricen bene dicẽdi scientiam, & utilem, & artem, & uirtutẽ esse. Materiam eius, res omnes, de quibus dicendũ esset, tum & eas in tribus ferè generibus, demonstratiuo, deliberatiuo, iudicialiq; reperiri. Orationẽ porrò omnem cõstare rebus & uerbis, in rebus intuendam inuentionem, in uerbis elocutionẽ, in utrisq; collocationem, quæ memoria complecteretur, actio commendaret. Oratoris officium docendi, mouendi, delectandi partibus contineri. Ex quibus ad docendũ expositio & argumentatio, ad mouendum affectus pertinerent, quos per omnem quidem causam, sed maxime tamen in ingressu ac fine dominari. Nam delectationem, quamuis in utroq; sit eorum, magis tamen proprias in elocutione partes habere. Quæstiones alias infinitas, alias finitas, quæ personis, locis, temporibus continerentur. In omni porrò materia tria esse quærenda, an sit, quid sit, quale sit. His adiiciebamus, demonstratiuam laude ac uituperatione constare. In ea quæ ab ipso, de quo diceremus, quæ post eũ acta essent, intuendum. Hoc opus tractatu honestorum, utiliumq; constare. Suasorijs accedere tertiam partem ex cõiectura, posset ne fieri, & an esset futurum, de quo deliberaretur. Hic præcipue diximus spectandum, quis, apud quẽ, quid diceret. Iudicialium causarũ, alias in singulis, alias in pluribus cõtrouersijs cõsistere, & in quibusdam sufficere, modò intentionẽ, modò depulsionẽ. Porrò depulsionem omnem inficiatione duplici, factum ne, & an hoc factum esset

esset, præterea defensione ac translatione constare. Quæstionẽ, aut ex facto aut ex scripto esse: Ex facto, de rerum fide, proprietate, qualitate: Ex scripto, de uerborum ui, aut uoluntate, in quibus uis tum causarum, tum actionum inspici soleat: quæq; aut scripti, & uoluntatis, aut ratiocinatiuæ, aut ambiguitatis, aut legum contrariarum specie continetur. In omni porrò causa iudiciali quinq; esse partes, quarum exordio conciliari audientem, narratione causam proponi, cõfirmatione roborari, refutatione dissolui, peroratione aut memoriã iudicis refici, aut animos moueri. His argumẽtandi, & afficiendi locos, & quibus generibus concitari, placari, resolui iudices oportet, adiecimus. Accessit ratio diuisionis. Credere modò, qui discet, uelit, certam quandam uiam esse, in qua multa etiam sine doctrina præstare debeat per se ipsa natura, ut hæc de quibus dixi, non tam inuenta à præceptoribus, quàm cum fierent obseruata esse uideantur. PLVS exigunt laboris & curæ quæ sequuntur. Hinc enim iam elocutionis rationem tractabimus, partem operis, ut inter omnes oratores conuenit, difficilimam. Nam & M. Antonius, cuius suprà habuimus mentionem, ait à se disertos uisos esse multos, eloquẽtem autem neminem. Disertis satis putat dicere quæ oporteat: Ornate autem dicere proprium esse eloquẽtissimi. Quæ uirtus, si usq; ad eum in nullo reperta est, ac ne in ipso quidem, aut L. Crasso, certum est & in his, & in prioribus eam desideratam, quia difficilima fuit. Et M. Tullius inuentionem quidẽ ac dispositionem prudentis hominis putat, eloquentiam oratoris. Ideoq; præcipue circa partis huius præcepta elaborauit. Quod eũ meritò fecisse, etiã ipso rei, de qua loquimur, nomine palàm declaratur. Eloqui enim hoc est, omnia quæ mente conceperis promere, atq; ad audiẽtes perferre, sine quo superuacua sunt priora, & similia gladio cõdito, atq; intra uaginam suam hærenti. Hoc itaq; maxime docetur, hoc nullus nisi arte assequi potest, huc studium adhibendum, hoc exercitatio petit, hoc imitatio, hic

omnis ætas cõsumitur,hoc maxime orator oratore præstantior, hoc genera ipsa dicẽdi alia alijs potiora. Neq; enim Asiani,aut quocunq; alio genere corrupti,res non uiderunt,aut eas nõ collocauerunt,neq; quos aridos uocamus, stulti aut in causis cæci fuerunt:sed his iudicium in eloquẽdo ac modus,illis uires defuerunt,ut appareat in hoc & uitium,& uirtutẽ esse dicẽdi. Non ideo tamen sola est agenda cura uerborum. Occurram enim necesse est,& uelut in uestibulo protinus apprehensuris hanc confessionem meam resistam ijs,qui omissa rerum (qui nerui sunt in causis) diligentia,quodam inani circa uoces studio senescunt, idq; faciunt gratia decoris,quod est in dicendo,mea quidẽ opinione,pulcherrimum:sed cum sequitur,non cum affectatur. Corpora sana, & integri sanguinis, & exercitatione firmata, ex ijsdem his speciẽ accipiunt,ex quibus uires. Nanq; & colorata, & astricta,& lacertis expressa sunt : sed cadẽ siquis uulsa atq; fucata muliebriter comat,fœdissima sunt ipso formæ labore. Et cultus concessus atq; magnificus addit hominibus,ut Græco uersu testatum est,autoritatem. At muliebris & luxuriosus,nõ corpus exornat,sed detegit mentẽ. Similiter illa translucida & uersicolor quorundam elocutio res ipsas effœminat,quæ illo uerborum habitu uestiuntur. Curam ergo uerborum,rerum uolo esse solicitudinem:nam plerunq; optima rebus cohærent, & cernũtur suo lumine. At nos quærimus illa tanquam lateant semper, seq; subducant. Ita nunquam putamus circa id esse de quo dicẽdum est,sed ex alijs locis petimus,& inuẽtis uim afferimus. Maiore animo aggredienda eloquentia est,quæ si toto corpore uaret,ungues polire,& capillum reponere,non existimat ad curã suam pertinere. Sed euenit plerunq; ut hac diligentia deterior etiam fiat oratio. Primum, quia sunt optima, minime accersita, & simplicibus,atq; ab ipsa ueritate profectis similia. Nam illa quæ curam fatentur,& ficta atq; composita uideri etiã uolunt, nec gratiam consequuntur,& fidem amittunt propter id,quòd sensus

sensus obumbrant,& uelut læto gramine sata strãgulant. Nam & quod recte dici potest,circumimus amore uerborũ:& quod satis dictum est,repetimus : & quod uno uerbo patet, pluribus oneramus:& pleraq; significare melius putamus,quàm dicere. Quid? quòd nihil iam proprium placet,dum parum creditur disertum,quod & alius dixisset ? A' corruptissimo quoq; poëtarum figuras,seu trãslationes mutuamur,tum demum ingeniosi scilicet,si ad intelligendos nos opus sit ingenio. Atq; satis aperte Cicero præceperat, in dicendo uitium uel maximum esse, à uulgari genere orationis,atq; à consuetudine communi abhorrere. Sed ille durus atq; ineruditus, nos melius, quibus sordent omnia,quæ natura dictauit, qui non ornamenta quærimus, sed lenocinia. Quasi uero sit ulla uerborum, nisi rei cohærentium, uirtus,quæ ut propria sint,& dilucida,& ornata, & apte collocentur, si tota uita laborandum est, omnis studiorum fructus amissus est. Atq; plerosq; uideas hærentes circa singula,& dum inueniunt, & dum inuenta ponderant ac dimetiuntur. Quod etiam si idcirco fieret,ut semper optimis uterentur, abominanda tamen hæc infelicitas erat, quæ & cursum dicendi refrenat, & calorem cogitationis extinguit mora & diffidentia. Miser enim,&, ut sic dicam, pauper orator est, qui nullum uerbum æquo animo perdere potest. Sed ne perdet quidem, qui rationem loquendi primum cognouerit,tum lectione multa,& idonea copiosam sibi uerborum supellectilem compararit, & huic adhibuerit artẽ collocandi,deinde hæc omnia exercitatione plurima roborarit, ut semper in promptu sint, & ante oculos. Nanq; & hoc qui fecerit,ei res cum nominibus suis occurrent. Sed opus est studio præcedente,& acquisita facultate, & quasi reposita. Nanq; ista quærendi,iudicandi,comparandi anxietas, dum discimus adhibenda est,nõ cum dicimus. Alioqui,sicut qui patrimonium nõ pararunt,subinde quærũt,ita in oratione qui non satis laborarunt,si præparata uis dicendi non fuerit,erunt

inofficiosi:non ut ad requisita respõdere,sed ut semper sensibus inhærere uideantur. Atq; ut umbra corpus sequitur,tamẽ in hac ipsa cura est aliquid satis. Nam cùm latina,significãtia,ornata, tum apte sint collocata,quid amplius laboremus? Quibusdã tamen nullus finis calumniandi est, & cum singulis penè syllabis commorandi:qui etiam cum optima sint reperta, quærunt aliquid quod sit magis antiquum,remotum, inopinatum : nec intelligunt iacere sensus in oratione,in qua uerba laudantur. Sit igitur cura elocutionis quàmmaxima,dum sciamus tamen nihil uerborum causa esse faciendum, cùm uerba ipsa rerum gratia sint reperta:quorũ ea sunt maxime probabilia, quæ sensum animi nostri optime promunt,atq; in animis iudicum, quod uolumus,efficiunt. Ea debent præstare sine dubio, & admirabilem, & iucundam orationem. Verum admirabilem non sic quo modo prodigia miramur,& iucundam orationem non deformi uoluptate,sed cum laude ad dignitatem coniuncta.

Quæ in elocutione spectanda. CAP. I.

IGITVR quam Græci φράσιν uocant, Latine dicimus elocutionẽ,eã spectamus in uerbis, aut singulis, aut cõiunctis. In singulis intuendum est, ut sint latina, perspicua, ornata, & ad id, quod efficere uolumus, accõmodata. In coniunctis,ut emendata,ut collocata,ut figurata. Sed ea quæ de ratione latine atq; emendate loquendi fuerunt dicenda,in libro primo,cum de grammatice loqueremur,executi sumus. Verum illic tantum ne uitiosa essent,præcipimus:hic alienũ non est admonere, ut sint quàmminime peregrina, & externa. Multos enim quibus loquendi ratio non defit, inuenias, quos curiose potius loqui dixeris quàm latine:quo modo & illa Attica anus Theophrastum,hominem alioqui disertißimum,annotata unius affectatione uerbi, hospitem dixit : nec alio se id deprehendisse interrogata respondit, quàm quòd nimium Attice loqueretur. Et in

Et in T. Liuio miræ facundiæ uiro putat inesse Pollio Asinius quandam Patauinitatem. Quare si fieri potest,& uerba omnia, & uox huius alumnum urbis oleant, ut oratio Romana planè uideatur,non ciuitate donata. Patauinitas Liuij.

De perspicuitate. CAP. II.

PErspicuitas in uerbis præcipuã habet proprietatẽ,sed proprietas ipsa nõ simpliciter accipitur. Primus enim intellectus est,sua cuiusq; rei appellatio,qua nõ semper utimur. Nam & obscœna uitabimus,& sordida,& humilia. Sunt autẽ humilia infra dignitatem rerum,aut ordinis. In quo uitio cauẽdo nõ mediocriter quidã errare solent, qui omnia, quæ sunt in usu, etiã si causæ necessitas postulet,reformidant:ut ille qui in actione Ibericas herbas se solo nequicquàm intelligente dicebat, nisi irridens hanc uanitatẽ Cassiũs Seuerus spartum eũ dicere uelle indicasset. Nec uideo quare clarus orator, duratos muria pisces,nitidius esse crediderit,quàm ipsum id quod uitabat. In hac autem proprietatis specie, quæ nominibus ipsis cuiusq; rei utitur,nulla uirtus est:atq; ei contrarium est uitium id,quod apud nos improprium, ἀκυρον apud Græcos uocatur : quale est.

—Tantum sperare dolorem. Aut quod in oratione Dolabellæ emendatum à Cicerone annotaui,mortem ferre: aut qualia nũc laudãtur à quibusdam,quorum est,*de cruce uerba ceciderunt. *de cornice

Non tamen quicquid non erit propriũ, protinus & improprij uitio laborabit. Quia primũ omnium multa sunt, & Græce & Latine,non denominata. Nam & qui iaculum emittit, iaculari dicitur: qui pilam aut fudem,appellatione priuatim sibi assignata caret:& ut lapidare quid sit manifestũ est,ita glebarum testarũq; iactus nõ habet nomẽ. Vnde abusio,quæ καταχρησις dicitur necessaria. Translatio quoq;,in qua uel maximus est orationis ornatus,uerba non suis rebus accõmodat. Quare proprietas nõ ad nomen,sed ad uim significandi refertur,nec auditu,sed intellectu perpendenda est. Secundo modo dicitur proprium inter

plura quæ sunt eiusdem nominis, id unde cætera ducta sunt: ut uortex est contorta in se aqua, uel quicquid aliud similiter uertitur. Inde propter flexum capillorum pars summa capitis, & ex hoc quod est in montibus eminentißimum: Recte inquam dixeris hæc omnia uertices, proprie tamen, unde initium est. Sic soleæ, & turdi pisces, & cætera. Tertius est huic diuersus modus, cùm res communis pluribus, in uno aliquo habet nomen eximium, ut carmen funebre proprie nænia, & tabernaculum ducis, Augustale. Item quod commune est & alijs nomen, intellectu alicui rei peculiariter tribuitur, ut Vrbem, Romam accipimus: & Venales, nouitios: & Corinthia, æra: cũ sint urbes aliæ quoq;, & uenalia multa, & tam aurum & argentum, quàm æs Corinthium. Sed ne in his quidem uirtus oratoris inspicitur. At illud iam non mediocriter probandũ, quod hoc etiã laudari modò solet, ut proprie dictum id sit, quo nihil inueniri possit significantius, ut Cato dixit C. Cæsarem ad euertendã Remp. sobriũ accessisse, ut Vergilius, Deductum carmen, & Horatius, Acrem tibiam, Annibalemq; dirum. In quo modo illud quoq; est à quibusdam traditum proprij genus ex appositis, quæ epitheta dicũtur, ut dulce mustum, & cum dẽtibus albis, de quo genere alibi dicendum est. Etiam quæ bene translata sunt, propria dici solẽt. Interim autem quæ sunt in quoq; genere præcipua, proprij locũ accipiunt, ut Fabius inter plures imperatorias uirtutes Cunctator est appellatus. Possunt uideri uerba, quæ plus significant quàm eloquuntur, in parte ponenda perspicuitatis. Intellectum enim adiuuant. Ego autem libentius emphasim retulerim ad ornatum orationis, quia nõ ut intelligatur efficiat, sed ut plus intelligatur. At obscuritas fit etiam uerbis ab usu remotis, ut si cõmentarios quis pontificum, & uetustißima fœdera, & exoletos scrutatus autores, id ipsum petat ex eis, ut quæ inde cõtraxerit, non intelligantur. Hinc enim aliqui famã eruditionis affectant, ut quædam soli scire uideantur. Fallunt etiam uerba, uel regionibus

nibus quibusdam magis familiaria, uel artium propria, ut Atabulus uentus, & nauis saccaria, *& in malacho sanum, quæ uel uitanda apud iudicem ignarum significationũ earum, uel interpretanda sunt, sicut in his quæ homonyma dicuntur, ut taurus animal sit, an mons, an signum in cœlo, an nomen hominis, an radix arboris, nisi distinctum, nõ intelligitur. Plus tamen est obscuritatis in contextu & continuatione sermonis, & plures modi. Quare nec sit tam longus, ut eum prosequi non possit intentio, nec traiectione tam tardus, ut in hyperbaton finis eius differatur. Quibus adhuc peior est mixtura uerborum, qualis in illo uersu: Saxa uocant Itali, medijs quæ in fluctibus aras. Etiã interiectione, qua & oratores & historici frequenter utuntur, ut medio sermone aliquem inserant sensum, impediri solet intellectus, nisi quod interponitur breue est. Nam Vergilius illo loco, quo pullum equinum describit, cum dixisset, Nec uanos horret strepitus— compluribus insertis, alia figura quinto demum uersu redit, —Tum siqua sonum procul arma dedere, Stare loco nescit— Vitanda in primis ambiguitas, non hæc solum, de cuius genere suprà dictum est, quæ incertum intellectũ facit, ut Chremetem audiui percussisse Demeam, sed illa quoq;, quæ etiam si turbare non potest sensum, in idem tamen uerborũ uitium incidit, ut si quis dicat, uisum à se hominem librum scribentem. Nam etiam si librum ab homine scribi pateat, male tamen composuerat, feceratq; ambiguum, quantum in ipso fuit. Est etiam in quibusdam turba inanium uerborum: qui dum cõmunem loquendi morem reformidant, ducti specie nitoris, circumeunt omnia copiosa loquacitate, quæ dicere uolunt: ipsam deinde illam seriem cum alia simili iungentes, miscentesq;, ultra quàm ullus spiritus durare possit, extendunt. In hoc malum etiam à quibusdam laboratur: neq; id nouum uitium est, cum iam apud Titum Liuium inueniam fuisse præceptorem aliquẽ, qui discipulos obscurare quæ dicerent, iuberet, Græco uerbo

*& maltha pro insano

utens σκόπον. Vnde illa scilicet egregia laudatio: Tãto melior, ne ego quidem intellexi. Alij breuitatis æmuli, necessaria quoq; orationi subtrahunt uerba, & uelut satis sit scire ipsos quæ dicere uelint, quantum ad alios pertineat, nihil putant. At ego ociosum sermonem dixerim, quem auditor suo ingenio non intelligit. Quidã emutatis in peruersum dictis, de figuris idem uitium cõsequuntur. Pessima uero sunt ἀδιανόητα, hoc est quæ uerbis aperta, occultos sensus habent, ut conductus est cæcus secus uiam stare: & qui suos artus morsu laceraſſet, fingitur in scholis supra se cubasse. Ingeniosa hæc & fortia, ut ex ancipiti diserta credantur, perficiunt. At peruasit quidem iam multos ista persuasio, ut id iam demum eleganter, atq; exquisite dictum putent, quod interpretandum sit. Sed auditoribus etiam nonnullis grata sunt hæc, quæ cum intellexerint, acumine suo delectantur, & gaudent, non quasi audiuerint, sed quasi inuenerint. Nobis prima sit uirtus perspicuitatis, propria uerba, rectus ordo, non in longum dilata conclusio, nihil neq; desit, neq; superfluat. Ita sermo & doctis probabilis, & planus imperitis erit. Hæc est eloquendi obseruatio. Nam rerum perspicuitas quo modo præstanda sit, diximus in præceptis narrationis. Similis autem ratio est in omnibus. Nam si neq; pauciora quàm oportet, neq; plura, neq; inordinata, aut indistincta dixerimus, erunt dilucida, & negligenter quoq; audientibus aperta, quia id ipsum in consilio est habendum, non semper tam esse acrem iudicis intentionem, ut obscuritatem apud se ipse discutiat, & tenebris orationis inferat quoddam intelligentiæ suæ lumen: sed multis eum frequenter cogitationibus auocari, nisi tam clara fuerint, quæ dicemus, ut in animum eius oratio, ut sol in oculos, etiamsi in eam non intendatur, incurrat. Quare non ut intelligere possit, sed ne omnino possit non intelligere, curandum. Propter quod etiã repetimus sæpe, quæ non satis percepisse eos, qui cognoscunt, putamus. Quæ causa utiq; nostra culpa dicta obscurius est, quã causa

causa ad planiora, & communia magis uerba descendimus, cum id ipsum optime fiat, quod nos aliquando non optime feciſſe simulamus.

De ornatu. CAP. III.

VEnio nunc ad ornatum, in quo sine dubio plus, quàm in cæteris dicendi partibus, sibi indulget orator. Nam emendate quidem, ac dilucide dicentium, tenue præmium est: magisq; uitijs carere est, quàm ut aliquam magnam uirtutem adeptus esse uidearis. Inuentio cum imperitis sæpe communis, dispositio modicæ doctrinæ credi potest,* & quæ sunt artes altiores plerunq; occultantur, ut artes sint. Deniq; omnia hæc ad utilitatem causarum solam referenda sunt. Cultu uero atq; ornatu se quoq; commendat ipse qui dicit, & in cæteris iudicium doctorum, in hoc uero etiam popularem laudem petit. Nec fortibus modò, sed etiam fulgentibus armis, præliatus in causa est Cicero Cornelij, qui non assecutus esset docendo iudicem tantũ, & utiliter demum, ac Latine perspicueq; dicẽdo, ut populus Ro. admirationem suã non acclamatione tantum, sed etiam plausu contiteretur. Sublimitas profectò, & magnificẽtia, & nitor, & autoritas expreſsit illũ fragorem. Nec tam insolita laus esset prosecuta dicentem, si usitata, & cæteris similis fuisset oratio. Atq; ego illos credo qui aderant, nec sensisse quid facerent, nec sponte iudicioq; plausisse: sed uelut mente captos, & quo essent in loco ignaros, erupisse in hunc uoluntatis affectum. Sed ne causæ quidem parum confert idem hic orationis ornatus. Nam qui libenter audiunt, & magis attendunt, & facilius credunt, plerunq; ipsa delectatione capiuntur, nonnunquã admiratione afferuntur. Nam & ferrum affert oculis terroris aliquid, & fulmina ipsa non tam nos cõfunderent, si uis eorum tantum, non etiam ipse fulgor timeretur. Rectéq; Cicero his ipsis ad Brutũ uerbis quadam in epistola scribit: Nam eloquentiam quæ admirationem non habet, nullam iudico. Aristoteles quoq; eandem

*sed

petendam maxime putat. Sed hic ornatus (repetam enim) uirilis, fortis, & sanctus sit: nec effœminatam leuitatẽ, nec fuco eminentem colorem amet, sanguine & uiribus niteat. Hoc autem adeò uerum est, ut cùm in hac maxime parte sint uicina uirtutibus uitia, etiã qui uitijs utuntur, uirtutis tamen his nomen imponant. Quare nemo ex corruptis dicat, me inimicum esse culte dicentibus. Non nego hanc esse uirtutem, sed illis eam non tribuo. An ego fundum cultiorem putem, in quo mihi quis ostenderit lilia, & uiolas, & amœnos fontes surgentes, quàm ubi plena messis, aut graues fructu uites erunt? Sterilem platanum, tonsasq; myrtos, quàm maritam ulmum, & uberes oleas præoptauerim? Habeant illa diuites, licet quid essent, si aliud nihil haberent? Nullus ne ergo etiam fructiferis adhibendus est decor? quis negat? Nam & in ordinem certaq; interualla redigã eas arbores. Quid enim illo quincunce speciosius, qui in quamcunq; partem spectaueris rectus est? Sed protinus in id quoq; prodest, ut terræ succum æqualiter trahant. Surgentia in altum cacumina oleæ ferro coërcebo, in orbem se formosius fundet, & protinus fructum ramis pluribus feret. Decentior equus, cuius astricta ilia, sed idem uelocior. Pulcher aspectu sit athleta, cuius lacertos exercitatio expressit, idem certamini paratior. Nunquam uera species ab utilitate diuiditur. Sed hoc quidem discernere modici iudicij est: illud obseruatione dignius, quòd hic ipse honestus ornatus pro materiæ genere debet esse uariatus. Atq; ut à prima diuisione ordiar, non idem demonstratiuis, & deliberatiuis, & iudicialibus causis cõueniet. Nanq; illud genus ostentationi compositum, solam petit audientium uoluptatem, ideoq; omnes dicendi artes aperit, ornatumq; orationis exponit, ut qui non insidietur, nec ad uictoriam, sed ad solum finem laudis & gloriæ tendat. Quare quicquid erit sententijs populare, uerbis nitidum, figuris iucundum, translationibus magnificum, compositione elaboratum, uelut institor quidam eloquẽtiæ intuendum,

& penè

& penè pertractandum dabit. Nam cuentus ad ipsum non ad causam refertur. At ubi res agitur, & uera dimicatio est, ultimus fit famæ locus. Præterea non debet quisquam, ubi maxima rerum momẽta uersantur, de uerbis esse solicitus. Neq; hoc eò pertinet, ut in his nullus sit ornatus, sed uti pressior, & seuerior, eo minus cõfessus, præcipue ad materiam accommodatus. Nam & suadẽdo, sublimius aliquid senatus, cõcitatius populus, & in iudicijs publicæ capitalesq; causæ poscunt accuratius dicẽdi genus. At priuatum consilium, causasq; paucorum, ut frequenter accidit, calculorum, purus sermo, & dissimilis curæ magis decuerit. An non pudeat certam creditam pecuniam periodis postulare, aut circa stillicidia affici, aut in mãcipij redhibitione sudare? Sed ad propositum. Et quoniam orationis tam ornatus quàm perspicuitas, aut in singulis uerbis est, aut in pluribus positus, quid separata, quid coniuncta exigant, consideremus: quanquam rectissime traditum est, perspicuitatem proprijs, ornatum translatis uerbis magis egere. Sciamus inornatum esse quod sit improprium. Sed cum idem frequentissime plura significet, quod συνωνυμία uocatur, iam sunt alijs alia honestiora, sublimiora, nitidiora, iucundiora, uocaliora. Nam ut syllabæ è literis melius sonantibus sunt clariores, ita uerba è syllabis magis uocalia, & quo plus quæq; spiritus habet, auditu pulchrior. Et quod facit syllabarum, idem uerborum quoq; inter se copulatio, ut aliud alij iunctum melius sonet. Diuersus est tamen usus. Nam rebus atrocibus uerba etiam ipso auditu aspera magis conuenient. In uniuersum quidem optima simplicium creduntur, quæ aut maxime exclamant, aut sono sunt iucundissima. Et honesta quidem turpibus potiora semper, nec sordidis unquam in oratione erudita locus. Clara illa atq; sublimia plerunq; materiæ modo cernenda sunt. Quod enim alibi magnificum, tumidũ alibi. Et quæ humilia circa res magnas, apta circa minores uidentur. Et sicut in oratione nitida notabile est humi-

lius

lius uerbum, & uelut macula, ita à sermone tenui sublime, nitidumq; discordat, fitq; corruptum, quia in plano tumet. Quædam non tam ratione quàm sensu iudicantur, ut illud, —Cæsa iungebant fœdera porca, fecit elegans, fictio nominis: quòd si fuisset porco, uile erat. In quibusdã ratio manifesta est. Risimus & meritò nuper poëtam, qui dixerat,

Prætextam in cista mures rosere Camilli.

At Vergilij miramur illud. —Sæpe exiguus mus.

Nã epithetõ exiguus aptũ propriũ effecit ne plus expectaremus, & casus singularis magis decuit, & clausula ipsa unius syllabæ non usitata addidit gratiam. Imitatus est itaq; utrunq; Horatius, —Nascetur ridiculus mus. Nec augenda semper oratio, sed submittenda nõnunquam est. Vim rebus aliquando & ipsa uerborũ humilitas affert. An cum dicit in Pisonem Cicero: Cum tibi tota cognatio in serraco aduehatur, incidisse uidetur in sordidũ nomen? non eo contemptum hominis, quem destructum uolebat, auxisse? Et alibi: Caput opponis cũ eo conificans. Vnde interim grati idiotis ioci, qualis est ille apud M. Tullium Pusio, qui cum maiore sorore cubitabat: & Cn. Flauius, qui cornicũ oculos confixit: & pro Milone illud, Heus tu Ruscio: & Erutius Antoniaster. Id tamen in declamationibus est notabilius. Laudariq; me puero solebat, da patri panem: & in eodem, Etiam canem pascis. Res quidẽ præcipue in scholis anceps, sed frequẽter causa risus: nũc utiq; cum hæc exercitatio procul à ueritate seiuncta laboret incredibili uerborũ fastidio, ac sibi magnam partem sermonis absciderit. Cum sint autẽ uerba propria, ficta, translata, proprijs dignitatem dat antiquitas. Nanq; & sanctiorẽ, & magis admirabilem faciunt orationẽ, quibus nõ quilibet fuerat usurus, eoq; ornamento acerrimi iudicij P. Vergilius unice est usus. Olli enim, & quianam, & mis, & pone, pellucent, & aspergũt illam, quæ etiã in picturis est gratissima, uetustatis inimitabilem arti autoritatem. Sed utendum modò, nec ex ultimis tenebris repetenda

repetenda. Satis est uetus, Quæso quid necesse est dicere? Oppidò, quo sunt usi paululum tempore nostro superiores, uereor ut iam nõ ferat quisquam. Certe antigerio, cuius eadem significatio est, nemo nisi ambitiosus utetur. Aerumnas quid opus est? tanquam parum sit si dicatur, quod horridum reor, tolerabile autumo. Tragicum prolem dicẽdo, uniuersam eius prosapiam, insulsum. Quid multa? totus propè mutatus est sermo. Quædam tamen adhuc uetera uetustate ipsa gratius nitent, quædã etiam necessariò interim sumuntur. Emancipare, & fari, & multa alia etiam audientibus grata inseri possunt, sed ita demũ, si non appareat affectatio. In qua mirifice * Vergilius, * Virginius

Et Corinthiorum amator iste uerborum,
Iste iste rhetor, nanq; quatinus totus
Thucydides, * tyrannus, Atticæ febres, *Britannus
Tau Gallicum, minæ & spinæ, male illi sit,
Ita omnia ista uerba miscuit fratri.

Cimber hic fuit à quo fratrem necatum hoc Ciceronis dicto notatum est: Germanum Cimber occidit. Nec minus noto Sallustius epigrammate incessitur:

Et uerba antiqui multum furate Catonis,
Crispe Iugurthinæ conditor historiæ.

Odiosa cura. Nam est cuilibet facilis, & hoc pessima, quòd rei studiosus, nõ rebus uerba aptauit, sed res extrinsecus arcessit, quibus hæc uerba cõueniant. Fingere, ut primo libro dixi, Græcis magis cõcessum est, qui sonis etiã quibusdã, & affectibus nõ dubitauerunt nomina aptare, nõ alia libertate, quàm qua illi primi homines rebus appellationes dederũt. Nostri autẽ in iungẽdo, aut deriuando paulum aliquid ausi, uix in hoc satis recipiũtur. Nam memini iuuenis admodum inter Pomponium & Senecam etiam præfationibus esse tractatum, an gradus eliminat apud Actium in tragœdia dici oportuisset. At ueteres ne expectorat quidẽ timuerunt. Et sanè eiusdẽ notæ est exanimat. At in tractu

& decli

& declinatione talia sunt, qualia apud Ciceronem beatitas & beatitudo, quæ dura quidem sentit, ueruntamen usu putat posse molliri. Nec à uerbis modò, sed à nominibus quoq; deriuata sunt
*sullatum quædam, ut à Cicerone *subuculatũ, & ab Asinio fimbriatum, & fibulatum. Multa ex Græco formata noua, ac plurima à Ser=
Afranio gio Flauioq;, quorũ dura quædam admodũ uidentur, ut ens & essentia: quæ cur tantopere aspernemur nihil uideo, nisi quòd iniqui iudices aduersus nos sumus, ideoq; paupertate sermonis laboramus. Quædam tamẽ perdurant. Nam & quæ uetera nũc sunt, fuerunt olim noua. Et quædam in usu perquã recentia, ut Messala primus reatum, munerariũ Augustus primus dixerunt. Piraticam quoq; ut musicam & fabricam dici adhuc dubitabãt mei præceptores. Fauorem, & urbanum Cicero noua credit. Nam & in epistola ad Brutum, Eum, inquit, amorem, & eum (ut hoc uerbo utar) fauorem in consiliũ aduocabo, & ad Appiũ Pulchrum: Te hominem non solum sapientem, uerum etiam (ut nunc loquimur) urbanũ. Idem putat à Terentio primũ dictum esse obsequium. Cæcilius ad Sisennam, albenti cœlo. Ceruicẽ uidetur Hortẽsius primus dixisse. Nã ueteres pluraliter appellabant. Audendum itaq;. Neq; enim accedo Celso, qui ab oratore uerba fingi uetat. Nam cum sint eorum alia, ut dicit Cicero, natiua, id est, quæ significata sunt primo sensu: alia reperta, quæ ex his facta sunt, ut iam nobis ponere aliqua quæ illi rudes homines primúq; fecerũt, fas nõ sit: at deriuare, flectere, cõiungere, quod natis postea concessum est, quando desijt licere? Et siquid periculosius finxisse uidebimur, quibusdã remedijs præmuniendum est, Vt ita dicam, Si licet dicere, Quodammodo, Permittite mihi sic. Quod idem etiã in ijs quæ licentius translata erũt, proderit, quæ nõ tutò dici possunt. In quo nõ falli iudiciũ nostrum, solicitudine ipsa manifestum erit. Qua de re Græcum erit illud elegantissimum, quo precipitur ita, προεπιπλήσσειν τῇ ὑπερβολῇ. Translata probari nisi in cõtextu sermonis nõ possunt. Itaq; de singulis

singulis uerbis satis dictũ, quæ ut alio loco ostendi, per se nullam uirtutẽ habẽt. Sed ne inornata sunt quidẽ, nisi cũ sunt infra rei, de qua loquẽdum est, dignitatẽ: excepto, si obscœna nudis nominibus enũtientur. Quod uiderint qui nõ putant esse uitãda, quia nec sit uox ulla natura turpis: & siqua est rei deformitas, alia quoq; appellatione quacunq; ad intellectum eundẽ nihilominus perueniat. Ego Romani pudoris more cõtentus, ut iam respondi talibus, uerecundiã silentio uindicabo. Iam hinc igitur ad coniuncti sermonis rationẽ transeamus. Cuius ornatus in hæc duo prima diuiditur, quam cõcipiamus elocutionẽ, quo modo efferamus. Nam primum est, ut liqueat augere quid uelimus, an minuere, concitate dicere, an moderate, læte an seuerè, abundanter an presse, aspere an leniter, magnifice an subtiliter, grauiter an urbane. Tum quo translationis genere, quibus figuris, qualibus sententijs, quo modo, qua postremo collocatione id quod intendimus, efficere possimus. Cæterum dicturus quibus ornetur oratio, prius ea quæ sunt huic contraria laudi attingam. Nam prima uirtus est, uitio carere. Igitur ante omnia, ne speremus ornatam orationẽ fore, quæ probabilis nõ erit. Probabile autem Cicero id genus dicit, quod non plus minus ue est quàm decet. Non quia comi expoliriq; nõ debeat (nam & hæc ornatus pars est) sed quia uitium est ubiq;, quod nimiũ est. Itaq; uult esse auctoritatem in uerbis: sententias uel graues, uel aptas opinionibus hominum ac moribus. His enim saluis, licet assumere ea quibus illustrem fieri orationem putat. Delectant translata, superlata, ad nomen adiuncta, duplicata, eadem significantia, atq; ab imitatione rerum non abhorrentia. Sed quoniam uitia prius demonstrare aggressi sumus, uel hoc uitiũ sit quod κακόφατον uocatur, siue mala cõsuetudine in obscœnũ intellectũ sermo detortus est, ut ductare exercitus, & patrare bellum apud Sallustiũ, dicta sanctè & antiquè, ridẽtur à nobis, si dijs placet. quam culpam nõ scribentium quidem iudico, sed legentiũ: tamẽ uitanda, quatinus

quatinus uerba honesta moribus perdidimus, & euincentibus etiam uitijs cedendũ est, siue iunctura deformiter sonat: ut si cũ hominibus notis loqui nos dicimus, nisi hoc ipsum hominibus medium sit, in præfata uidemur incidere, quia ultima prioris syllabæ litera, quæ exprimi nisi labris coëuntibus non potest, aut intersistere nos indecentissime cogit, aut continuata cũ insequente, in naturam eius corrumpitur. Aliæ coniunctiones aliquid simile faciunt, quas persequi longũ est, in eo uitio, quod uitandum dicimus cõmorantes. Sed diuisio quoq; affert eandem iniuriam pudori, ut si intercapedinis nominatiuo casu quis utatur. Nec scripto modò id accidit, sed etiam sensu pleriq; obscœne intelligere, nisi cauĕris cupiunt, ut apud Ouidium:

Quæq; latent meliora putat— Ac ex uerbis quæ longissime ab obscœnitate absunt, occasionĕ turpitudinis rapere. Siquidem Celsus cacophaton apud Vergiliũ putat: Incipiunt agitata tumescere. quod si recipias, nihil loqui tutũ est. Deformitati proximum est humilitatis uitiũ, quod ταπείνωσιν uocant, qua rei magnitudo uel dignitas minuitur: ut, Saxea est uerruca in summo mõtis uertice. Cui natura cõtrariũ, sed errore par est, paruis dare excedentia modum nomina, nisi cùm ex industria risus inde captatur. Itaq; nec parricidam nequam dixeris hominem, nec deditum forte meretrici nefarium, quòd alterum parũ, alterum nimiũ est. Proinde quædam hebes, sordida, iciuna, tristis, ingrata, uilis oratio est. Quæ uitia facilime fiunt manifesta contrarijs uirtutibus. Nam primum acuto, secundũ nitido, tertium copioso, deinceps hilari, iucundo, accurato diuersum est. Vitanda & μέωσις, cũ sermoni quidem deest aliquid, quo minus plenus sit: quãquam id obscuræ potius quàm inornatæ orationis uitiũ est. Sed hoc quoq; cum à prudentibus fit, schema dici solet: sicut ταυτολογία, id est, eiusdem uerbi, aut sermonis iteratio. Hæc enim, quanquam nõ magnopere summis autoribus uitata, interim uitium uideri potest, in quod sæpe incidit etiã Cicero securus tam paruæ

paruæ obseruationis, sicut hoc loco: Non solum igitur illud iudicium iudicij simile iudices non fuit. Interim mutato nomine, ἐπανάληψις dicitur, atque est & ipsum inter schemata, quorum exempla illo loco reddã, quo uirtutes erũt. Peior hac ὁμοιολογία est, quæ nulla uarietatis gratia leuat tædium, atq; est tota coloris unius, quæ maxime deprehenditur carens arte oratoria. Eaq; & in sententijs, & figuris, & compositione longa, non animis solùm, sed etiam auribus est ingratissima. Vitãda μακρολογία, id est, longior quàm oporteat sermo, ut apud Liuium Legati nõ impetrata pace retrò domum, unde uenerant, abierunt. Sed huic uicina Periphrasis uirtus habetur. Est & πλεονασμὸς uitium, cũ superuacuis uerbis oneratur oratio: Ego meis oculis uidi. Satis est enim, uidi. Emendauit hoc non inurbanè in Hircium Cicero: Qui cùm in Pansam declamans, filiũ à matre decẽ mensibus in utero latum esse dixisset, Quid? aliæ, inquit, in penula solent ferre? Nonnunquam tamen illud genus, cuius exemplum priore loco posui, affirmationis gratia adhibetur:

—Vocemq; his auribus hausi. At uitium erit, quoties otiosum fuerit, & supererit, non cum adijcietur. Est etiam quæ περιεργία uocatur, superuacua, ut sic dixerim, operositas, ut à diligenti curiosus, & à religione superstitio distat. Atq; ut semel finiã, uerbum omne quod neque intellectum adiuuat, neq; ornatum, uitiosum dici potest. Κακόζηλον, id est, mala affectatio, per omne dicendi genus peccat. Nam & tumida, & exilia, & prædulcia, & abundantia, & arcessita, & exultantia sub idem nomen cadunt. Deniq; κακόζηλον uocatur, quicquid est ultra uirtutẽ, quoties ingenium iudicio caret, & specie boni fallitur, omnium in eloquentia uitiorũ pessimũ. Nam cætera cùm uitentur, hoc petitur. Est autẽ totum in elocutione. Nam rerũ uitia sunt stultũ, cõmune, cõtrarium, superuacuũ. Corrupta oratio in uerbis maxime improprijs, redundantibus, cõprehensione obscura, compositione fracta, uocum similium, aut ambiguarum puerili captatione

ptatione consistit. Est autẽ omne κακόζηλον utiq; falsum, etiamsi nõ omne falsum κακόζηλον: ut cum dicitur aliter quàm se natura habet, & quàm oportet, & quàm sat est. Totidem autẽ generibus corrumpitur oratio, quot ornatur. Sed de hac parte & in alio à nobis opere plenius dictũ est, & in hoc sæpe tractabitur, & adhuc spargetur omnibus locis. Loquentes enim de ornatu, subinde quæ sunt uitanda, similia uirtutibus uitia, dicemus. Sunt inornata & hæc, quod male dispositũ est, id ἀσύνθετον: quod male figuratum, id ἄσχηματον: quod male collocatum, id κακοσύνθετον uocant. Sed de dispositione diximus, de figuris & compositione dicemus. κοινότροπος quoque appellatur quædam mixta ex uaria ratione linguarum oratio, ut si Atticis, Dorica, Ionica, Aeolica etiam dicta confundas. Cui simile uitiũ est apud nos, si quis sublimia humilibus, uetera nouis, poëtica uulgaribus misceat. Id enim tale est monstrum, quale Horatius in prima parte libri de Arte poëtica fingit:

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere si uelit. Et cætera ex diuersis naturis subijciat.

Ornatum est quod perspicuo ac probabili plus est. Eius primi sunt gradus in eo quod uelis exprimendo concipiendoq;. Tertius qui hæc nitidiora faciat, quod proprie dixeris cultum. Itaq; ἐνέργειαν, cuius in præceptis narrationis feci mentionẽ, quia plus est euidentia, uel ut alij dicunt, repræsentatio, quàm perspicuitas, & illud quidem patet, hæc se quodammodo ostendit, inter ornamẽta ponamus. Magna uirtus est, res de quibus loquimur, clarè, atq; ut cerni uideantur, enunciare. Non enim satis efficit, neq; ut debet plene dominatur oratio, si usque ad aures uolet, atq; ea sibi iudex de quibus cognoscit, narrari credit, nõ expri mi, & oculis mentis ostendi. Sed quoniam pluribus modis accipi solet, non equidem in omnes eam particulas secabo, quarum ambitiose à quibusdam numerus augetur, sed maxime necessarias attingam. Est igitur unum genus, quo tota rerum imago quodam

quodammodo uerbis depingitur:

Constitit in digitos extemplo arrectus uterq;. Et cætera.

Quæ nobis illam pugilum cõgredientium faciem ita ostendũt, ut non clarior futura fuerit spectantibus. Plurimum in hoc genere, sicut in cæteris, eminet Cicero. An quisquam tam procul à concipiendis imaginibus rerum abest, ut cum illa in Verrem legit: Stetit soleatus Prætor populi Romani cum pallio purpureo, tunicaq; talari, muliercula nixus in littore, non solum ipsum os intueri uideatur, & locum & habitum, sed quædam etiam ex ijs quæ dicta nõ sunt sibi ipse astruat? Ego certe mihi cernere uideor, & uultum, & oculos, & deformes utriusque blanditias, & eorum qui aderant tacitam auersationem, ac timidam uerecundiam. Interim ex pluribus efficitur illa quã conamur exprimere facies, ut est apud eundem (nanq; ad omniũ ornandi uirtutum exempla uel unus sufficiat) in descriptione conuiuij luxurioſi: Vt clamor, ut conuitiũ mulierũ, ut symphoniæ cantus. Videbar mihi uidere alios intrantes, alios uero exeuntes, partim ex uino uacillantes, partim hesterna potatione oscitantes. Versabatur inter hos Gallius unguentis oblitus, redimitus coronis: Humus erat lutulenta uino, coronis languidulis, & spinis cooperta piscium. Quid plus uideret qui intrasset? Sic urbium captarum crescit miseratio. Sine dubio enim qui dicit expugnatam esse ciuitatem, complectitur omnia quæcunque talis fortuna recipit: sed in affectus minus penetrat breuis hic uelut nuntius. At si aperias hæc quæ uerbo uno inclusa erãt, apparebunt effusæ per domos ac templa flammæ, & ruentium tectorum fragor, & ex diuersis clamoribus unus quidam sonus, aliorum fuga ineerta, alij in extremo complexu suorum cohærentes, & infantium, fœminarumq; ploratus, & male usq; in illum diem seruati fato senes, tum illa profanorum sacrorumq; direptio, efferentium prædas repetentiumq; discursus, & acti ante suum quisq; prædonem catenati, & co-

nata retinere infantem suum mater, & sicubi maius lucrum est, pugna inter uictores. Licet enim hæc omnia, ut dixi, complecta tur euersio, minus est tamen totum dicere, quàm omnia. Consequemur autem ut manifesta sint, si fuerint ueri similia, & licebit etiam falsò effingere quicquid fieri solet. Contingit eadem claritas etiam ex accidentibus: —Mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusq; coit formidine sanguis.
Et trepidæ matres pressere ad pectora natos.
Atq; huius summæ, iudicio quidē meo, uirtutis facilima est uia. Naturam intueamur, hanc sequamur. Omnis *elegantia circa opera uitæ est. Ad se refert quisq; quæ audit, & id facilime accipiunt animi, quod cognoscūt. Præclare uero ad inferendā rebus lucem repertæ sunt similitudines, quarum aliæ sunt quæ probationis gratia inter argumenta ponuntur, aliæ ad exprimendam rerum imaginem compositæ, quod est huius loci proprium.
—Inde lupi ceu Raptores atra in nebula— &:
Misit aui similis, quæ circum littora, circum
Piscosos scopulos humilis uolat æquora iuxta.
Quo in genere id est præcipue custodiendum, ne id quod similitudinis gratia asciuimus, aut obscurum sit, aut ignotū. Debet enim quod illustrandæ alterius rei gratia assumitur, ipsum esse clarius eo quod illuminat. Quare sanè Poëtis quidem permittamus huiusmodi exemplа:
Qualis ubi hybernam Lyciam Xanthiq; fluenta
Deserit, aut Delon maternam inuisit Apollo.
Non idem decebit oratorem, ut occultis aperta demonstret. Sed illud quoque de quo in argumentis diximus, similitudinis genus ornat orationem, facitq; sublimem, floridam, iucundam, mirabilem. Nam quo quæq; longius petita est, hoc plus affert nouitatis, atq; inexpectata magis est. Illa uulgaria uideri possunt, & utilia tamen ad conciliandam fidem, ut terram cultu, sic animum disciplinis meliorē uberioremq; fieri. Et ut medici abalienata

*eloquentia

nata morbis membra præcidūt, ita turpes ac pernicioſos, etiamsi nobis sanguine cohæreāt, amputandos. Iam sublimius illud pro Archia: Saxa atq; solitudines uoci respondent, bestiæ sæpe immanes cantu flectuntur, atq; consistunt, & cætera. Quod quidem genus à quibusdam declamatoria maxime licentia corruptum est. Nam & falsis utuntur, nec illa ijs quibus tandem similia uideri uolunt, applicāt, quorum utrunq; in ijs est, quæ me iuuene ubiq; cantari solebant: Magnorū fluminum nauigabiles fontes sunt, & generosioris arboris statim plāta cum fructu est. In omni autem parabola, aut præcedit similitudo, & res sequitur: aut præcedit res, & similitudo sequitur: sed interim libera & separata est, interim quod longe optimum est, cum re cuius est imago, connectitur collatione inuicē respondente, quod facit redditio contraria, quæ ἀνταπόδοσις dicitur. Præcedit similitudo illa cuius modò feci mentionem: —Inde lupi ceu Raptores atra in nebula— Sequitur in primo Georgicon post longam de bellis ciuilibus atq; externis conquestionem:
Vt cum carceribus sese effudere quadrigæ,
Addunt se in spatia, & frustra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neq; audit currus habenas.
Sed hæc sunt sine antapodosi. Redditio autem illa rem utranq; quam comparat, uelut subijcit oculis, & pariter ostendit. Cuius præclara apud Vergilium multa reperio exempla, sed oratorijs potius utendum est. Dicit Cicero pro Murena: Vt aiunt in Græcis artificibus, eos aulœdos esse, qui citharœdi fieri non potuerunt: sic nos uidemus, qui oratores euadere non potuerunt, eos ad iuris studium deuenire. Illud pro eodē iam penè poëtico spiritu, sed tamen cum sua redditione, quod est ad ornatum accommodatius. Nā ut tempestates sæpe certo aliquo cœli signo commouentur, sæpe ex improuiso, nulla ex certa ratione, obscura aliqua causa concitantur, sic in hac comitiorum tempestate populari sæpe intelliges, quo signo cōmota sit, sæpe ita obscurum

est, ut sine causa excitata uideatur. Sunt & illæ breues: Vagiq́; per syluas ritu ferarum. Et illud Ciceronis in Clodium: Quo ex iudicio uelut ex incendio nudus effugit. Quibus similia possunt cuicũq; etiã ex quotidiano sermone succurrere. Huic subiacet uirtus non solum aperte ponendi rem ante oculos, sed circuncise atq; uelociter. Ac meritò laudatur breuitas integra, sed ea minus præstat quoties nihil dicit, nisi quòd necesse est, βραχυλογίαν uocant, quæ reddetur inter schemata. Est uero pulcherrima, cum plura paucis complectimur, quale illud Sallustij est: Mithridates corpore ingẽti perinde armatus. Hoc male imitantes sequitur obscuritas. Vicina prædictæ, sed amplior uirtus est ἔμφασις, altiorem præbẽs intellectum, quàm quem uerba per seipsa declarant. Eius duæ sunt species, altera quæ plus significat quàm dicit, altera quæ etiã id quod non dicit. Prior est & apud Homerum, cum Menelaus Graios in equum ascendisse ait: nam uerbo uno magnitudinem eius ostendit. Et apud Vergilium: Demissum lapsi per funem.

Nam sic quoq; altitudo demõstrata est. Idem Cyclopa cum iacuisse dicit per antrũ, prodigiosum illud corpus spatio loci mensus est. Sequens positum est in uoce, aut omnino suppressa, aut etiam abscissa. Supprimitur uox, ut fecit pro Ligario Cicero: Quòd si in tanta fortuna bonitas tanta nõ esset, quantam tu per te, per te inquã obtines: intelligo quid loquar. Tacuit enim illud quod nihilominus accipimus, non deesse homines qui ad crudelitatẽ eum impellerent. Abscinditur per ἀποσιώπησιν, quæ quoniã est figura, reddetur suo loco. Est in uulgaribus quoq; uerbis emphasis: Virum esse oportet, & homo est ille, & *uiuendũ est. Adeò similis est arti plerunq; natura. Non tamen satis eloquentiæ est, ea de quibus dicat, clare atque euidenter ostendere, sed sunt multi & uarij excolendæ orationis modi. Nam ipsa illa ἀφέλεια simplex & inaffectata habet quendã purum, qualis etiã in fœminis amatur, ornatũ. Et sunt quædam uelut è tenui diligentia

*uidendum

gentia circa proprietatem significationemq́; mundiciæ. Alia copia locuples, alia floribus læta, uirium non unum genus. Nam quicquid in suo genere satis effectum est, ualet: Præcipua tamen eius opera δείνωσις in exaggeranda indignitate, & in cæteris altitudo quædam: φαντασία in concipiendis uisionibus, ἐξεργασία in efficiendo uelut opere proposito, cui adijcitur ἐπεξεργασία repetitio probationis eiusdem, & cumulus ex abũdanti, ἐνέργεια confinis his est, ab agendo ducta, & cuius propria sit uirtus nõ esse quæ dicuntur otiosa. Est & amarũ quiddam, quod ferè in contumelia positum est, quale Caßij: Quid facies cum in bona tua inuasero? hoc est cum te docuero nescire maledicere. Et acre, ut illud Craßi: Ego te consulem putem, cum tu nõ putes me senatorem? Sed uis oratoris omnis in augendo minuendoq́; cõsistit. Vtriq; parti totidem modi, ex quibus præcipuos attingemus, reliqui similes erunt. Sunt autem positi in rebus & uerbis. Sed quæ sit rerum inuentio ac ratio tractauimus, nunc quid elocutio attollat, aut deprimat, dicendum.

De amplificatione. CAP. IIII.

PRima est igitur amplificandi uel minuendi species in ipso rei nomine, ut cum eum qui sit cæsus, occisum: eum qui sit improbus, latronem: contraq́; eum qui pulsauit, attigisse: qui uulnerauit, læsisse dicimus. Vtriusque pariter exemplum est pro M. Cælio: Si uidua libere, proterua petulanter, diues effuse, libidinosa meretricio more uiueret, adulterum ego putarem, si quis hanc paulò liberius salutasset? Nam & impudicam meretricem uocauit, & eum cui longior cum illa fuerat usus, liberius salutasse. Hoc genus increscit, ac fit manifestius, si ampliora uerba cum ipsis nominibus, pro quibus ea posituri sumus, conferantur: ut Cicero in Verrem: Non enim furem, sed raptorem: non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ: non sacrilegum, sed hostem sacrorum religionumq́;: non sicarium, sed crudelißimum carnificem ciuium sociorumq́; in uestrũ iudicium ad-

duximus. Illo enim modo,ut ſit multum, hoc etiam plus ut ſit, efficitur. Quatuor tamen maxime generibus uideo cõſtare amplificationem,incremento,comparatione, ratiocinatione, congerie. Incrementum eſt potentiſsimum, cum magna uidentur etiam quæ inferiora ſunt. Id aut gradu uno fit, aut pluribus: per id uenitur non modò ad ſummum, ſed interim quodammodo ſupra ſummum. Omnibus his ſufficit uel unũ Ciceronis exemplum: Facinus eſt uincire ciuem Romanum, ſcelus uerberare, propè parricidium necare: quid dicam in crucem tollere? Nam & ſi tantum uerberatus eſſet, uno gradu increuerat, ponendo etiam id eſſe facinus, quod erat inferius. Et ſi tantum occiſus eſſet, per plures gradus aſcenderat. Cum uero dixerit propè parricidium necare, ſupra quod nihil eſt, adiecit: quid dicam in crucem tollere? Ita cum id quod maximum eſt occupaſſet, neceſſe erat in eo quod ultra eſt uerba deficere. Fit & aliter ſupra ſummum adiectio, ut apud Vergilium de Lauſo:

—Quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.

Summum eſt enim, quo pulchrior alter non fuit. Huic deinde aliquid ſuprapoſitum eſt. Tertius quoque eſt modus, ad quem non per gradus itur, ut quod non eſt plus quàm maximum, ſed quo nihil maius eſt: Matrem tuam occidiſti, quid dicam amplius? matrem tuam occidiſti. Nam & hoc augendi genus eſt, tantum aliquid efficere, ut non poſſit augeri. Creſcit oratio minus aperte, ſed neſcio an hoc ipſo efficacius, cum citra diſtinctionem in contextu & curſu ſemper aliquid priore maius inſequitur, ut de uomitu in Antonium Cicero: In cœtu uero populi Rom. negotium publicum gerens, magiſter equitũ. Singula incrementum habent. Per ſe deforme, uel non in cœtu uomere: in cœtu etiam, non populi: populi etiam, nõ Romani: uel ſi nullum negotium ageret, uel ſi non publicũ, uel ſi nõ magiſter equitũ. Sed alius diuideret hæc, & circa ſingulos gradus moraretur, hic in

hic in ſublime etiam currit, & ad ſummum peruenit, non nixu, ſed impetu. Verum ut hæc amplificatio in ſuperiora tendit, ita quæ fit per comparationẽ, incrementum ex minoribus petit. Augẽdo enim quod eſt infrà, neceſſe eſt extollat id quod ſuprà poſitum eſt: ut idem, atq; in eodẽ loco: Si hoc tibi inter cœnam, & in illis immanibus poculis tuis accidiſſet, quis nõ turpe duceret? In cœtu uero populi Ro. Et in Catilinã: Serui mehercle mei, ſi me iſto pacto metuerent, ut te metuunt omnes ciues tui, domum meam relinquendam putarem. Interim propoſito uelut ſimili exemplo efficiendũ eſt, ut ſit maius id quod à nobis exaggerandum eſt: ut idem pro Cluentio, cum expoſuiſſet Mileſiam quandam à ſecundis hæredibus pro abortu pecuniã accepiſſe: Quanto eſt, inquit, Oppianicus in eadem iniuria maiore ſupplicio dignus? Siquidẽ illa cũ ſuo corpori *uim attuliſſet, ſe ipſa cruciauit: hic autem illud idem effecit per alieni corporis uim atq; cruciatum. Nec putet quiſquã hoc, quanquàm eſt ſimile, illi ex argumentis loco quo maiora ex minoribus colliguntur, idem eſſe. Illic enim probatio petitur, hic amplificatio, ſicut in Oppianico, non id agitur in illa comparatione, ut ille male fecerit, ſed ut peius. Eſt tamen quanquàm diuerſarum rerum quædam uicinia. Repetam itaq; hic quoq; idem, quo ſum illic uſus, exemplum, ſed non in eundem uſum. Nam hoc mihi oſtendendum eſt augendi gratia, non tota modò totis, ſed etiam partes partibus comparari: ſicut hoc loco, An uero uir ampliſsimus P. Scipio Pont. Max. Tib. Gracchum mediocriter labefactantem ſtatum Reipublicæ priuatus interfecit, Catilinam orbem terrarũ cæde atq; incẽdio uaſtare cupientem nos conſules perferemus? Hic & Catilinæ Graccho, & ſtatus Reipublicæ orbi terrarum, & mediocris labefactio cædi & incendijs & uaſtationi, & priuatus conſulibus comparatur, quæ ſi quis dilatare uelit, plenos per ſingula locos habeat. Quas dixi per ratiocinationem fieri amplificationes, uideamus an ſatis proprio uerbo ſignauerim. Nec ſum

*mortem

in hoc ſolicitus,dum res ipſa uolentibus diſcere appareat. Hoc ſum tamen ſecutus, quòd hæc amplificatio alibi poſita eſt, alibi ualet, ut aliud creſcat,aliud augeatur, inde ad id quod extolli uolumus,ratio deducitur.Obiecturus Antonio Cicero merũ & uomitũ:Tu,inquit,iſtis faucibus,iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate: Quid fauces & latera ad ebrietatem? minime ſunt otioſa.Nam reſpiciẽtes ad hæc, poſſumus æſtimare, quantum ille uini in Hippiæ nuptijs exhauſerit, quod ferre & coquere non poſſet illa gladiatoria corporis firmitate. Ergo ſi ex alio colligitur aliud, nec improprium, nec inuſitatum nomen eſt ratiocinationis,ut quod ex eadẽ cauſa inter ſtatus quoque habemus.Sic ex inſequentibus amplificatio ducitur. Siquidem tanta uis fuerit uini erumpentis,ut non caſum afferret, aut uoluntatẽ,ſed neceſsitatẽ,ubi minime deceret,uomendi:& cibus nõ recens,ut accidere interim ſolet,redderetur,ſed qui uſque in poſterũ diem redundaret. Idẽ hoc præſtant quæ anteceſſerunt. Nam cum Aeolus à Iunone rogatus,

–Cauum conuerſa cuſpide montem
Impulit in latus,ac uenti uelut agmine facto,
Quà data porta ruunt– Apparet quanta ſit futura tẽpeſtas.

Quid?cũ res atrociſsimas, quasq; in ſummã ipſi extulimus inuidiam,eleuamus conſulto, quo grauiora uideantur quæ ſecutura ſunt:ut à Cicerone factũ eſt,cum illa diceret: Leuia ſunt hæc in hoc reo crimina,metum uirgarũ nauarchus nobiliſsimæ ciuitatis pretio redemit,humanũ eſt. Alius ne ſecuri feriretur,pecuniã dedit,uſitatum eſt:non ne uſus eſt ratiocinatione,qua colligerẽt audientes quantũ illud eſſet quod inferebatur,cui cõparata hæc humana uiderẽtur,atq; uſitata? Sic quoq; ſolet ex alio aliud augeri, ut cũ Annibalis bellicis laudibus ampliatur uirtus Scipionis. Et fortitudinẽ Gallorum Germanorumq; miramur, quò ſit maior C. Cæſaris gloria. Illud quoq; eſt ex relatione ad aliqd, quod non eius rei gratia dictum uidetur amplificationis genus.

Non

Non putant indignum Troiani principes,Graios Troianosq; propter Helenæ ſpeciẽ tot mala,tanto tẽporis ſpatio ſuſtinere: quæ nã igitur illa forma credẽda eſt? Non enim hoc dicit Paris, qui rapuit,non aliquis iuuenis,aut unus è uulgo, ſed ſenes, & prudẽtiſsimi,& Priamo aſsidẽtes:Verũ & ipſe rex decẽnij bello exhauſtus,amiſsis tot liberis,imminẽte ſummo diſcrimine, cui faciẽ illam,ex qua tot lachrymarũ origo fluxiſſet, inuiſam atq; abominandã eſſe oportebat,& audit hæc, & eã filiã appellãs, iuxta ſe locat,& excuſat etiã, atq; ſibi eſſe malorũ cauſam negat.Nec mihi uidetur in Sympoſio Plato,cũ Alcibiadẽ confitentem de ſe quid à Socrate pati uoluerit, narrat,ut illũ culparet, hæc tradidiſſe,ſed ut Socratis inuictam continentiã oſtenderet, quæ corrũpi ſpecioſiſsimi hominis tam obuia uoluptate nõ poſſet.Quin ex inſtrumento quoq; heroum illorũ magnitudo æſtimanda nobis datur. Ad hoc pertinet clypeus Aiacis, & haſta Pelias Achillis. Qua uirtute egregie eſt uſus in Cyclope Vergilius: Nam quod illud corpus mẽte concipiam,cuius Truncã manum pinus regit? Quid?cum uix loricam duo Multiplicem cõnixi humeris– Ferrent:quãtus Demoleos, qui indutus eã Curſu palantes Troas agebat? Quid M. Tullius de M. Antonij luxuria tantum ſaltẽ fingere potuiſſet,quantum oſtendit dicendo? Conchyliatis Cn.Pompeij periſtromatis ſeruorum in cellis ſtratos lectos uideres. Conchyliata periſtromata,& Cn.Pompeij,& in cellis ſeruorum,nihil poteſt dici ultrà, & neceſſe eſt tamen ultrà infinito plus in domino cogitare. Eſt hoc ſimile illi quod Emphaſis dicitur : ſed illa ex uerbo , hoc ex re coniecturam facit:tantoq; plus ualet,quanto res ipſa uerbis eſt firmior. Poteſt adſcribi amplificationi congeries quoque uerborum, ac ſententiarum idem ſignificantium. Nam etiamſi nõ per gradus aſcendant, tamẽ uelut aceruo quodã alleuantur. Quid enim tuus ille Tubero diſtrictus in acie Pharſalica gladium agebat? cuius latus ille mucro petebat? q ſenſus erat armorũ

tuorum?

tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupie-bas? quid optabas? Simile est hoc figuræ, quam σωαθροισμὸν uocant. Sed illic pluriũ rerum est congeries, hic unius multiplicatio. Hæc etiã crescere solet uerbis omnibus altius atq; altius insurgẽtibus: Aderat ianitor carceris, carnifex Prætoris, mors terrorq; sociorũ, & ciuium Romanorũ, lictor Sextius. Eadem ferè est ratio minuendi. Nam totidẽ sunt ascendentibus quot descendentibus gradus. Ideoq; uno ero exẽplo cõtentus eius loci, quo Cicero de oratione Rulli hoc dicit: Pauci tamẽ qui proximi astiterant, nescio quid illũ de lege agraria uoluisse dicere suspicabantur. Quod si ad intellectũ referas, minutio est: si ad obscuritatem, incrementum. Scio posse uideri quibusdam speciẽ amplificationis hyperbolen quoq;. Nam & hæc in utranq; partẽ uadet: sed quia excedit hoc nomen, in tropos differenda est. Quos continuò subiungerẽ, nisi esset à cæteris separanda ratio dicendi, quæ cõstat non proprijs, sed translatis. Demus ergo breuiter hoc desiderio iam penè publico, nec omittamus eum quem pleriq; præcipuum, ac penè solum, putant orationis ornatum.

De generibus sententiarum. CAP. V.

SEntentiam ueteres quod animo sensissent uocauerũt. Id cũ est apud oratores frequentißimũ, tum etiã in usu quotidiano quasdã reliquias habet. Nam & iuraturi ex animi nostri sententia, & gratulantes ex sentẽtia dicimus. Non raro tamen & sic locuti sunt, ut sensa sua dicerent. Nam sensus corporis uidebantur, sed cõsuetudo iam tenuit, ut mente cõcepta sensus uocaremus, lumina autem, præcipueq; in clausulis posita, sententias, quæ minus crebra apud antiquos, nostris temporibus modo carent. Ideoq; mihi & de generibus earũ, & de usu arbitror pauca dicẽda. Antiquißimæ sunt quæ propriæ, quãuis omnibus idẽ sit nomẽ, sentẽtiæ uocãtur, quas Græci γνώμας appellãt. Vtrũq; tamẽ nomen ex eo acceperũt, quòd similes sunt cõsilijs atq; decretis. Est autem hæc uox uniuersalis, quæ etiã citra cõplexum causæ

causæ posit esse laudabilis. Interim ad rẽ tantũ relata, ut, Nihil est tam populare quàm bonitas: Interim ad personam, quale est Afri Domitij: Princeps qui uult omnia scire, necesse habet multa ignoscere. Hanc quidã partem enthymematis, quidã initium aut clausulam epichirematis esse dixerunt: & est aliquãdo, non tamen semper. Illud uerius, esse eam aliquando simplicem, ut ea quã suprà dixi: aliquando ratione subiecta: Nam in omni certamine qui opulentior est, etiamsi accipit iniuriam, tamen quia plus potest, facere uidetur. Nonnunquã duplicem: Obsequiũ amicos, ueritas odiũ parit. Sunt etiam qui decem genera fecerunt, sed eo modo quo fieri uel plura possunt, per interrogationem, comparationẽ, inficiationem, similitudinem, admirationẽ, & cætera huiusmodi. Per omnes enim figuras tractari potest. Illud notabile ex diuersis: Mors misera non est, aditus ad mortem miser est. Ac rectæ quidẽ sunt tales: Tam deest auaro quod habet, quàm quod non habet. Sed maiorẽ uim accipiunt ex mutatione figuræ, ut, Vsq; adeo´ne mori miserum est? Acrius enim hoc, quàm per se, Mors misera non est. Et translatione à communi ad propriũ. Nam cũ sit rectum, nocere facile est, prodesse difficile. Vehementius apud Ouidium Medea dicit:

Seruare potui, perdere an posim rogas?

Vertit ad personam Cicero: Nihil habet Cæsar nec fortuna tua maius, quàm ut posis: nec natura melius, quàm ut uelis seruare quãplurimos. Ita quæ erãt rerum propria, fecit hominis. In hoc genere custodiendũ est, & id quidẽ ubiq;, ne crebræ sint, ne palàm falsæ, quales frequenter ab his dicuntur, qui hæc catholica uocant, & quicquid pro sua causa uidetur, quasi indubitatum pronuntiant: & ne passim, & à quocũq; dicantur. Magis enim decet eos, in quibus est autoritas, ut rei pondus etiã persona cõfirmet. Quis enim ferat puerum, aut adolescentulum, aut etiam ignobilem, si iudicet in dicendo, & quodãmodo præcipiat? Enthymema quoq; est omne quod mente cõcipimus, proprie tamẽ

dicitur

dicitur, quæ est sententia ex cõtrarijs, propterea quòd eminere uidetur inter cæteras, ut Homerus Poëta, urbs Roma. De hoc in argumentis satis dictum est. Non semper autem ad probationẽ adhibetur, sed aliquando ad ornatum: Quorum igitur impunitas Cæsar tuæ clementiæ laus est, eorum te ipsorum ad crudelitatem acuet oratio? Non quia sit ratio dißimilis, sed quia iam per alia, ut id iniustum appareret, effectum erat. Et addita in clausula est epiphonematis modo nõ tam probatio, quàm extrema quasi insultatio. Est enim epiphonema rei narratæ, uel probatæ summa acclamatio,

Epiphonema.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Facere enim probus adolescens periculose, quàm perpeti turpiter maluit. Est & quod appellatur à nouis νόημα, qua uoce omnis intellectus accipi potest. Sed hoc nomine donarũt ea, quæ nõ dicunt, uerũ intelligi uolunt, ut in eum quẽ sæpius à ludo redemerat soror, agentẽ cum ea talionis quod ei pollicem dormienti recidisset: Eras dignus ut haberes integrã manũ. Sic enim auditur, ut depugnares. Vocatur aliqd & Clausula, quæ si est quod conclusionem dicimus, & recte, & quibusdam in partibus necessaria est: Quare prius de facto uestro fateamini necesse est, quàm Ligarij culpam ullam reprehẽdatis. Sed nunc illud uolũt, ut omnis locus, omnis sensus in fine sermonis feriat aurẽ. Turpe autem & propè nefas ducunt respirare ullo loco, qui acclamationẽ non petierit. Inde minuti corruptiq; sensiculi, & extra rẽ petiti. Neq; enim possunt tam multæ bonæ sententiæ esse, quàm necesse est multæ sint clausulæ. Iam hæc magis noua sententiarũ genera ex inopinato, ut dixit Vibius Crispus in eũ, qui cum loricatus in foro ambularet, prætẽdebat se id metu facere: Quis tibi sic timere permisit? Et insigniter Africanus apud Neronẽ de morte matris: Rogant te Cæsar Galliæ tuæ, ut felicitatẽ tuam fortiter feras. Sunt & aliò relata, ut Afer Domitius cũ Cloantillam defenderet, cui obiectum crimen, quòd uirũ qui inter rebellantes

lantes fuerat, sepelisset, remiserat Claudius, in epilogo filios eius alloquens: Matrẽ tamen, inquit, pueri sepelitote. Et aliunde petita, id est, in aliũ locũ ex alio trãslata, ut pro Spathale Crispus, quã qui hæredem amator instituerat, deceßit cũ haberet annos duodeuiginti. O hominẽ diuinum, qui sibi indulsit. Facit quasdam sententias sola geminatio, qualis est Senecæ in eo scripto, quod Nero ad Senatũ misit occisa matre, cũ se periclitatum uideri uellet: Saluũ me esse adhuc nec credo, nec gaudeo. Melior, cùm ex contrarijs ualet: Habeo quem fugiam, quẽ sequar nõ habeo. Quid? quòd miser cum loqui non posset, tacere nõ poterat? Ea uero fit pulcherrima, cũ aliqua comparatione clarescit. Trachallus contra Spathalen: Placent hæ ergo? & leges diligentissimæ pudoris custodes, decimas uxoribus dari, quartas meretricibus iubent. Sed horum quidẽ generũ & bonæ dici possunt, & malæ. Illæ semper uitiosæ, uti à uerbo, Patres conscripti, sic enim incipiendum est mihi, ut memineritis patrum. Peius adhuc quo magis falsum est & longius petitum. Contra eandem sororem gladiatoris, cuius modò feci mentionem: A digito pugnaui. Est etiã generis eiusdem, nescio an uitiosißimum, quoties uerborum ambiguitas cum rerũ falsa quadã similitudine iungitur. Clarum autorẽ iuuenis audiui, cum lecta in capide cuiusdã ossa sententiæ gratia tenẽda matri dedisset: Infelicißima fœmina nõdum extulisti filium, & iam ossa legisti. Ad hoc pleriq; minimis etiam inuentiunculis gaudent, quæ excussæ risum habent, inuentæ facie ingenij blãdiũtur. De eo qui naufragus, & antè agrorum sterilitate uexatus, in scholis fingitur se suspendisse: Quem nec terra recipit, nec mare, pendeat. Huic simile in illo de quo suprà dixi, cui pater sua membra laceranti uenenum dedit, Qui hæc edit, debet hoc bibere. Et in luxuriosum, qui ἀποκαρτέρησιν simulasse dicitur, Necte laqueum, habes quod faucibus tuis irascaris. Sume uenenũ, decet luxuriosum bibẽdo mori. Alia uana, ut suadentis purpuratis, ut Alexandrum Babylonis incendio sepeliant.

ſepeliant. Alexandrum ſepelio, hoc quiſquam ſpectabit è tecto? quaſi uero id ſit in re tota indigniſſimũ. Alia nimia, ut de Germanis dicentẽ quendam audiui: Caput neſcio ubi impoſitũ. Et de uiro forti, Bella umbone propellit. Sed finis non erit, ſi ſingulas corruptorum proſequar formas. Illud potius, quod eſt magis neceſſarium: Duæ ſunt diuerſæ opiniones, aliorum ſententias ſolas penè ſpectantiũ: aliorum omnino damnantiũ, quorum mihi neutrũ admodum placet. Denſitas earũ obſtat inuicem, ut in ſatis omnibus fructibuſq; * aruorũ, quorũ nihil ad iuſtam magnitudinẽ adoleſcere poteſt, quod loco in quẽ creſcat, caret. Nec pictura in qua nihil circunlitũ eſt, eminet. Ideoq; artifices etiam cũ plura in unam tabulã opera contulerunt, ſpatijs diſtinguũt, ne umbræ in corpora cadant. Facit res eadem conciſam quoq; orationẽ. Subſiſtit enim omnis ſententia, ideoq; poſt eam utiq; aliud eſt initiũ. Vnde ſoluta ferè oratio, & è ſingulis non membris, ſed fruſtis collata, ſtructura caret, cũ illa rotunda & undiq; circũciſa inſiſtere inuicẽ nequeant. Præter hoc etiam color ipſe dicendi quãlibet clarus, multis tamẽ ac uarijs uelut maculis conſpergitur. * Porrò ut affert lumẽ clauus purpuræ, loco inſertus: ita certe neminẽ deceat intertexta pluribus notis ueſtis. Quare licet hæc enitere, & aliquatenus extare uideantur, tamen & lumina illa non flammæ, ſed ſcintillis inter fumum emicantibus ſimilia dixeris, quæ nec apparent quidem, ubi tota lucet oratio, ut in ſole ſidera ipſa deſinũt cerni: & quæ crebris parùiſq; conatibus ſe attollunt, inæqualia tantum & uelut confragoſa, nec admirationem conſequuntur eminentium, & planorum gratiã perdunt. Hoc quoq; accidit, quòd ſolas captanti ſententias, multas neceſſe eſt dicere leues, frigidas, ineptas. Non enim poteſt eſſe delectus, ubi numero laboratur. Itaq; uideas & diuiſionem pro ſententia poni, & argumentum, ſi tantum in clauſulæ calce pronuntietur. Occidiſti uxorem ipſe adulter, nõ ferrem te etiam ſi repudiaſſes, diuiſio eſt. Vis ſcire uenenum eſſe amatorium? ui-

*arborum

ueret

ueret homo, niſi illud bibiſſet, argumentum eſt. Nec multas pleriq; ſententias dicunt, ſed omnia tanquam ſententias. Huic quibuſdam contrarium ſtudium, qui fugiunt ac reformidãt omnem hanc in dicendo uoluptatem, nihil probantes niſi planum, & ſine conatu. Ita dum timent ne aliquãdo cadant, ſemper iacent. Quod enim tantũ in ſentẽtia bona crimẽ eſt? nõ cauſæ prodeſt? non iudicem mouet? non dicentem commendat? At eſt quoddam genus quo ueteres non utebantur, & quam uos uocatis uetuſtatem? Nam ſi illam extremam, multa Demoſthenes quæ ante eum nemo. Quo modo poteſt probare Ciceronem, qui nihil putet ex Catone Gracchiſq; immutandum? Sed ante hoc ſimplicior adhuc ratio loquendi fuit. Ego uero hæc lumina orationis, uelut oculos quoſdam eſſe eloquentiæ credo. Sed neque oculos eſſe toto corpore uelim, ne cætera membra ſuum officium perdant. Et ſi neceſſe ſit, ueterem illum horrorem dicendi malim, quàm iſtam nouam licẽtiam. Sed patet media quædam uia, ſicut in cultu uictuq; acceſſit aliquis citra reprehenſionẽ nitor, * quem ſicut poſſumus adijciamus uirtutibus. Prius tamen ſit uitijs carere, ne dum uolumus eſſe meliores ueteribus, ſimus tantum diſſimiles. Reddam nunc, quam proximam eſſe dixeram partem de tropis, quos motus clariſſimi noſtrorum autores uocãt. Horum tradere præcepta & grammatici ſolent. Sed à me, cũ de illorum officio loquerer, dilata pars hæc eſt, quia de ornatu orationis grauior uidebatur locus, & maiori operi ſeruandus.

*quare

De tropis. CAP. VI.

TRopus eſt uerbi uel ſermonis à propria ſignificatione in aliam cum uirtute mutatio. Circa quem inexplicabilis & grammaticis inter ipſos, & philoſophis pugna eſt, quæ ſint genera, quæ ſpecies, qui numerus, quis cui ſubijciatur. Nos omiſſis quæ nihil ad inſtituendum oratorem pertinent çauillationibus, neceſſarios maxime, atque in uſum receptos exequemur, hoc modò in his annotaſſe contenti, quoſdam gratia ſigni-

 ficationis

fications, quosdam decoris assumi, & esse alios in uerbis proprijs, alios in translatis, uertiq; formas, nõ uerborum modò, sed & sensuum, & compositionis. Quare mihi uidentur errasse, qui non alios crediderunt tropos, quàm in quibus uerbum pro uerbo poneretur. Neq; illud ignoro: in ijsdem ferè qui significandi gratia adhibentur, esse & ornatum, sed non idem accidet contrà, eruntq; quidam tantum ad speciem accommodati. Incipiamus igitur ab eo qui cum frequẽtissimus est, tum longe pulcherrimus, Translationem dico, quæ μεταφορὰ Græcè uocatur. Quæ quidem cum ita est ab ipsa nobis concessa natura, ut indocti quoque, ac non sentientes, ea frequenter utantur: tum ita iucunda atque nitida, ut in oratione quamlibet clara, proprio tamen lumine eluceat. Neque enim uulgaris esse, nec humilis, nec insuauis, rectè modò ascita sit, potest. Copiam quoque sermonis
*permiscẽdo auget * permutando, aut mutuando, quæ non habet: quodq; difficilimum est, præstat, ne ulli rei nomen deesse uideatur. Transfert ergo nomen, aut uerbum, ex eo loco in quo proprium est, in eũ in quo aut proprium deest, aut translatum proprio melius est. Id facimus, aut quia necesse est, aut quia significantius, aut, ut dixi, quia decentius. Vbi nihil horum præstabit, quod transferetur, improprium erit. Necessitate rustici dicunt gemma in uitibus. Quid enim dicerent aliud? & sitire segetes, & fructus laborare. Necessitate nos durum hominem, aut asperum. Non enim proprium erat, quod daremus his affectibus nomen. Iam incensum ira, & inflammatum cupiditate, & lapsum errore significandi gratia. Nihil enim horum suis uerbis, quàm his accersitis magis proprium erat. Illa adornatum, lumen oratio-
*cõtentionũ nis, & generis claritatem, & * concionum procellas, & elo-
*fulmina quentiæ * flumina, ut Cicero pro Milone Clodium fontem gloriæ eius uocat: & alio loco, segetem, ac materiam. Quædam etiam parum speciosa dictu per hanc explicantur,

Georg. 3. Hoc faciunt nimio ne luxu obtusior usus

Sit

Sit genitali aruo, & sulcos oblimet inertes.

In totum autem metaphora breuior est quàm similitudo, eoq; distat, quòd illa comparatur rei quam uolumus exprimere, hæc pro ipsa re dicitur. Comparatio est, cùm dico fecisse quid hominem, ut leonem: Translatio, cùm dico de homine, leo est. Huius uis omnis quadruplex maximè uidetur, cùm in rebus animalibus aliud pro alio ponitur, ut de agitatore:

–Gubernator magna contorsit equum ui.

Et ut Liuius Scipionem à Catone allatrari solitum refert.

Inanima pro alijs generis eiusdem sumuntur, ut:

–Classiq; immittit habenas. Aut pro rebus animalibus inanima: Ferro an fato uirtus Argiuũm occidit.

Aut contrà: –Sedet insçius alto
Accipiens sonitum saxi de uertice pastor.

Præcipueq; ex his oritur mira sublimitas. quæ audaciæ proxima, periculo translationis attollitur, cum rebus sensu carentibus actum quendam & animos damus, qualis est:

–Pontem indignatus Araxes.

Et illas Ciceronis: Quid enim tuus ille Tubero districtus in acie Pharsalica gladius agebat? Cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? Duplicatur interim hæc uirtus apud Vergilium: –Ferrumq; armare ueneno.

Nam & ueneno armare, & ferrũ armare translatio est. Secantur hæc in plures, ut à rationali ad rationale, & idẽ de irrationalibus, & hoc inuicem, quibus similis ratio est, & à toto & à partibus, sed iam nõ pueris præcipimus, ut accepto genere species intelligere non possint. Vt modicus autem atq; opportunus eius usus illustrat orationem: ita frequens & obscurat, & tædio complet: continuus uero in allegoriam & ænigmata exit. Sunt quædam etiam humiles translationes, ut id de quo modò dixi, saxea est uerruca: & sordidæ. Non enim si Cicero recte sentinam Reipublicæ dixit, fœditatem hominum significans, idcirco

probem illud quoq; ueteris oratoris: Perſecuiſti Reipublicæ uomicas. Optimeq; Cicero demonſtrat cauendum, ne ſit deformis translatio, qualis eſt (nam ipſis eius utar exemplis) Caſtratam morte Africani Rempublicam: & ſtercus curiæ Glauciam. Ne nimio maior, aut quod ſæpius accidit, minor. Ne diſſimilis, quorum exempla nimium frequenter deprehendet, qui ſcierit hæc uitia eſſe. Sed & copia quoq; modum egreſſa uitioſa eſt, præcipue in eadem ſpecie. Sunt & duræ, id eſt à longinqua ſimilitudine ductæ, ut: —Capitis niues. Et,

Hor. in Odis Iuppiter hybernas cana niue conſpuit alpes.

In illo uero plurimum erroris, quòd ea quæ Poëtis (qui & omnia ad uoluptatem referunt, & plurima uertere, etiam ipſa metri neceßitate coguntur) permiſſa ſunt, conuenire quidam etiam proſæ putant. At ego in agẽdo nec paſtorem populi, autore Homero dixerim, nec uolucres pennis remigare, licet Vergilius in Apibus, ac Dædalo ſpecioſißime ſit uſus. Metaphora enim aut uacãtem occupare locum debet, aut ſi in alienũ uenit, plus ualere eo quod expellit. Quod aliquanto penè iam magis de ſynecdoche dicam. Nam translatio permouendis animis plerunq;, & ſignandis rebus, ac ſub oculos ſubijciendis reperta eſt. Hæc uariare ſermonem poteſt, ut ex uno plures intelligamus, parte totum, ſpecie genus, præcedentibus ſequentia, uel contrà: omnia liberiora Poëtis quàm oratoribus. Nam proſa ut mucronem pro gladio, & tectum pro domo, recipiet: ita non puppim pro naui, nec abietes pro tabellis. Et rurſus, ut pro gladio ferrum, ita non pro equo quadrupedem. Maxime autem in orando ualebit numerorum illa libertas. Nam & Liuius ſæpe ſic dicit: Romanus prælio uictor, cum Romanos uiciſſe ſignificat. Et contrà Cicero ad Brutum: Populo, inquit, impoſuimus, & oratores uiſi ſumus: cum de ſe tantum loqueretur. Quod genus non orationes modò ornat, ſed etiam quotidiani ſermonis uſus recipit. Quidam σωικδοχὴν uocant, cum & id in contextu ſermonis,

monis, quod tacetur, accipimus. Verbum enim ex uerbo intelligitur, quod inter uitia ἔλλειψις uocatur:

Arcades ad portas ruere— Mihi hanc figuram eſſe magis placet, illic ergo reddetur. Aliud etiam intelligitur ex alio:

Aſpice, aratra iugo referunt ſuſpenſa iuuenci.

Vnde apparet noctem appropinquare. Id neſcio an oratori cõueniat, niſi in argumentando, cum rei ſignum eſt. Sed hoc ab elocutionis ratione diſtat. Nec procul ab hoc genere diſcedit μετωνυμία, quæ eſt nominis pro nomine poſitio, cuius uis eſt, pro eo quod dicitur, cauſam, propter quã dicitur, ponere. Sed, ut ait Cicero, hypallagen rhetores dicunt. Hæc inuenta ab inuentore, & ſubiecta ab obtinentibus ſignificat, ut:

Cererem corruptam undis. Et: —Receptus Hor. in Arte
Terra Neptunus claſſes Aquilonibus arcet.

Quod fit retrò, durius. Refert autem inquantum dictus tropus oratorem ſequatur. Nam ut Vulcanum pro igne uulgò audiuimus, & uario Marte pugnatũ, eruditus eſt ſermo, & Venerem quàm coitum dixiſſe magis decet: ita Liberum & Cererem pro uino & pane licentius, quàm ut fori ſeueritas ferat. Sicut ex eo quod continet, id quod continetur, uſus recipit, ut bene moratas urbes, & poculum epotum, & ſeculum felix. At id quod contrà eſt, raro audeat quis niſi Poëta:

—Iam proximus ardet Vcalegon.

Niſi fortè hoc potius eſt à poſſeſſore quod poßidetur, ut hominem deuorari, cuius patrimonium conſumitur, quo modo fiunt innumerabiles ſpecies. Huius enim ſunt generis cùm ab Annibale cæſa apud Cannas ſexaginta milia dicimus, & apud Tragicos ab Egialeo, & carmina Vergilij ueniſſe, & uenire cõmeatus qui afferantur, & ſacrilegium deprehenſum, nõ ſacrilegum, armorum ſcientiam habere, non artis. Illud quoque & Poëtis & oratoribus frequens, quo eum qui efficit ex eo quod efficitur oſtendimus. Nam & carminum autores:

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumq; turres. Et,
Pallentesq; habitant morbi, tristisq; senectus.
Et orator, præcipitē iram, hilarem adolescentiam, segne otium dicet. Est etiam huic tropo quædam cum synecdoche uicinia. Nam dico uultus hominis, pro uultu. Dico pluraliter quod singulare est: quod plurale est, singulariter. Sed nō id ago, ut unum ex multis intelligatur, nam id est manifestū, sed nomen immuto, ut cum aurata tecta, aurea: pusillum à uero discedo, quia nō est nisi pars aurata. Quæ singula persequi minutioris est curæ, etiā non oratorem instruentibus. ὀνοματοποιία quæ aliquid pro nomine ponit, Poëtis quoq; modo frequentissima, & per epitheton, quia detracto eo cui apponitur, ualet pro nomine, Tytides, Pelides: & ex his quæ in quoq; sunt præcipua:
–Diuūm pater atq; hominum rex.
Et ex factis quibus persona signatur:
–Thalamo quæ fixa reliquit Impius–
Oratoribus etiam si rarus eius rei, nonnullus tamen usus est. Nam ut Tytiden & Peliden non dixerint, ita dixerunt impium pro parricida. Euersorem quoque Carthaginis & Numantiæ pro Scipione, & Romanæ eloquentiæ principem pro Cicerone posuisse non dubitent: Cicero ipse certe usus est hac libertate, Non multa peccas, inquit, illi fortissimo uiro senior magister: & si peccas, te regere possum. Neutrum enim nomen positum est, & utrunq; intelligitur. Ονομαποιία quidem, id est fictio nominis, Græcis inter maximas habita uirtutes, nobis uix permittitur. Et sunt plurima ita posita ab ijs, qui sermonem primi fecerunt, aptantes affectibus uocem. Nam mugitus, & sibilus, & murmur inde uenerunt. Deinde tanquam consummata sint omnia, nihil generare audemus ipsi, cum multa quotidie ab antiquis ficta moriantur. Vix illa quæ * πεπλασμένα πλαγιόπτωσις uocant, quæ ex uocibus in usum receptis quocunq; modo declinantur, nobis permit

permittimus, qualia sunt sullaturit, & proscripturit, atque laureati postes, pro illo, lauro coronati, ex eadem fictione sunt. Sed hoc feliciter eualuit: at contrà, uio pro eo infelicius. In Græcis obeliscos, coludumo &c. dure etiā iungere uetamur, qui tolerāter uidere septentriones uidemur. Eo magis necessaria καταχρήσις, quam recte dicimus abusionem, quæ non habentibus nomen suum, accommodat quod in proximo est, sic:
–Equum diuina Palladis arte Aedificant. & apud Tragicos: Et iam leo pariet, at pater est. Mille sunt hæc, & aceta bula quicquid habet, & pyxides cuiuscūq; materiæ sunt, et parricida matris quoq; aut fratris interfector. Discernendumq; est hoc totum à translatione genus, quod abusio est, ubi nomen defuit, translatio ubi aliud fuit. Nam poëtæ solent abusiue etiā in his rebus, quibus nomina sua sunt, uicinis potius uti, quod rarum in prosa est. Illa quoq; quidam καταχρήσεις esse uolunt, cùm pro temeritate uirtus, aut pro luxuria liberalitas dicitur. A' quibus hæc quidem dissonantia sunt, quòd in his non uerbum pro uerbo ponitur, sed res pro re. Neq; enim putat quisquam & luxuriam & liberalitatem idem significare: uerum id quod fit, alius luxuriam esse dicit, alius liberalitatem, quamuis neutri dubium sit, hæc esse diuersa. Supereſt ex ijs quæ aliter significant, μετάληψις, id est transumptio, quæ ex alio in aliud uelut uiam præstat, tropus & rarissimus & maxime improprius, Græcis tamen frequentior, qui Centaurum Chirona, & νόσους θοὰς ὀξείας dicunt. Nos quis ferat, si Verrem suem, aut Lælium doctum nominemus? Est enim hæc in metalepsi natura, ut inter id quod trāsfertur, sit medius quidam gradus, nihil ipse significans, sed præbens transitum, quem tropum magis affectamus, ut habere uideamur, quàm ut ullo in loco desideremus. Nam eius frequentissimum exemplum est, Cano, canto, dico, ita cano, dico. Item est medium illud cano, nec diutius in eo morandum: nihil enim usus admodum uideo, nisi ut dixi in medijs. Cætera iam non si

gnificandi gratia, sed ad ornandam modò, non augendam orationem aßumuntur. Ornat enim ἐπίθετον, quod recte dicimus appositum, à nonnullis sequens dicitur. Eo poëtæ & frequentius & liberius utuntur. Nanq; illis satis est cõuenire uerbo cui apponitur, & ita dentes albi, & humida uina in his nõ reprehenduntur. Apud oratorem, nisi aliquid efficitur, redũdat. Tum autem efficitur, si sine illo quod dicitur minus est, qualia sunt: O scelus abominandum, O deformem libidinem. Exornatur autem res tota maxime translationibus, cupiditas effrenata, & insanæ substructiones. Et solet fieri alijs adiunctis epitheton tropis, ut apud Vergilium, Turpis egestas, & Tristis senectus. Veruntamen talis est ratio huiusce uirtutis, ut sine appositis nuda sit, & uelut incompta oratio, ne oneretur tamen multis. Nam fit longa & impedita, ut in quæstionibus eam iudices similem agmini totidem lixas habẽti, quot milites quoq;. In quo & numerus est duplex, nec duplum uirium: quanquam non singula modò, sed etiam plura uerba apponi solent, ut: Cõiugio Anchisa Veneris dignate superbo. Sed hoc quoq; modo duo uerba uni apposita, ne uersum quidem decuerint. Sunt autẽ quibus non uideatur hic omnino tropus, quia nihil uertat. Necesse est enim semper ut id quod est appositum, si à proprio diuiseris, per se significet, & faciat antonomasiam. Nam si dicas: Ille qui Carthaginem & Numantiam euertit, antonomasia est: si adieceris, Scipio, appositum. Non potest ergo non esse iunctum. At ἀλλαγορία, quam inuersionem interpretamur, aliud uerbis, aliud sensu ostendit, ac etiam interim contrarium. Prius, ut:

O nauis referent in mare te noui
Fluctus, ò quid agis fortiter occupa Portum.

Totusq; etiam ille Horatij locus, quo nauim pro republica, fluctuum tempestates pro bellis ciuilibus, portum pro pace atq; concordia dicit. Tale Lucretius: Lucrct. li. 4.

Auia Pieridum peragro loca– Et Vergilius:

Sed

Sed nos immensum spatijs confecimus æquor: Georg. 2.
Et iam tempus equum spumantia soluere colla.

Sine translatione uero in Bucolicis:

Certe equidem audieram, quà se subducere colles
Incipiunt, molliq; iugum demittere cliuo
Vsq; ad aquam, & ueteris confracta cacumina fagi.
Omnia carminibus uestrum seruasse Menalcam.

Hoc enim loco præter nomen cætera proprijs decisa sunt uerbis. Verum non pastor Menalcas, sed Vergilius est intelligendus. Habet usum talis allegoriæ frequenter oratio, sed raro totius, plerunq; apertis permixta est. Tota apud Ciceronem talis: Hoc miror enim, quorq; quenquam hominem ita peßundare alterum uerbis uelle, ut etiam nauem perforet, in qua ipse nauiget. Illud commixtum frequentißimum: Equidem cæteras tempestates & procellas in illis duntaxat fluctibus concionum semper Miloni putaui esse subeundas. Nisi adiecisset duntaxat fluctibus concionum, esset allegoria, nunc eam miscuit. Quo in genere & species ex arcessitis uerbis uenit, & intellectus ex proprijs. Illud uero longe speciosißimum genus orationis, in quo trium permixta est gratia, simulitudinis, allegoriæ, & translationis. Quod fretum, quem Euripum, tot motus, tantas, tam uarias habere creditis agitationes, commutationes, fluctus, quantas perturbationes, & quantos æstus habet ratio comitiorum? Dies intermißus unus, aut nox interposita sæpe & perturbat omnia, & totam opinionem parua nonnunquàm commutat aura rumoris. Nam id quoq; in primis est custodiendum, ut quo ex genere cœperis translationis, hoc desinas. Multi autem, cum initium à tempestate sumpserunt, incendio aut ruina finiũt, quæ est inconsequentia rerum fœdißima. Cæterum allegoria paruis quoque ingenijs & quotidiano sermoni frequentißime seruit. Nam illa agendis causis iam detrita, pedem conferre, & iugulum petere, & sanguinem mittere, inde sunt, nec offendunt ta-

men. Est enim grata in eloquendo nouitas & commutatio, & magis inopinata delectant. Ideoq; iam in his amisimus modum, & gratiam rei nimia * coaptatione consumpsimus. Est in exemplis allegoria, si non prædicta ratione ponantur. Nam ut Dionysium Corinthi esse, quo Græci omnes utuntur, ita plura similia dici poßunt. Hæc allegoria quæ est obscurior, αἴνιγμα dicitur, uitium meo quidem iudicio, si quidem dicere dilucide, uirtus, quo tamen & poëtæ utuntur:

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tris pateat cœli spatium non amplius ulnas?

Et oratores nonnunquàm ut Cæcilius: Quadrantariam Clytemnestrã, & in triclinio choam, & in cubiculo nolam. Nãq; & nunc quædam soluuntur, & tum erant notiora cum dicerẽtur, & ænigmata sunt tamen, nec ea nisi quis interpretetur intelligas. In eo uero genere quo contraria ostenduntur, εἰρωνεία est, illusionem uocãt: quæ aut pronunciatione intelligitur, aut persona, aut rei natura. Nam si qua earũ uerbis dissentit, apparet diuersam esse orationi uolũtatem, quanquàm in plurimis id tropis accidit, ut intersit quid de quo dicatur. Quia, quod dicitur alibi, uerum est, aut laudi simulatione detrahere, aut uituperationi laude cõceßum est. Quale est, quòd C. Verres Prætor urbanus, homo sanctus & diligens, subsortitionem eius eo die nõ haberet. Et contrà: Oratores uisi sumus, & populo imposuimus. Aliquando cum risu quodam contraria dicuntur ijs, quæ intelligi uolunt: quemadmodum in Clodium, Integritas tua te purgauit, mihi crede, pudor eripuit, uita anteacta seruauit. Præter hæc usus est allegoriæ, ut tristia dicamus melioribus uerbis, aut bonæ rei gratia quædam contrarijs significemus, aliud textu, quæ & enumerauimus. Hæc si quis profecto ignorat, quibus Græci nominibus appellent, σαρκασμὸν, ἀστεισμὸν, ἀντίφρασιν, παροιμίαν dici sciat. Sunt etiam qui hæc non species allegoriæ, sed ipsa tropos dicunt, acri quidem ratione, quòd illa obscurior sit, &

*captatione

sit, & in his omnibus aperte appareat quod uelimus. Cui accedit hoc quoque, quòd genus cum diuiditur in species, nihil habet proprium, ut arboris species sunt pinus, & olea, & cupressus, & ipsius per se nulla proprietas. Allegoria uero habeat aliquid proprium, quod quo modo fieri potest, nisi ipsa species est? Sed ad utendum nihil refert. Adijcitur his μυκτηρισμὸς, simulatus quidem, sed non latens derisus. Pluribus autem uerbis, cum id quod uno aut paucioribus certe dici potest, explicatur, περίφρασιν uocant, circuitum loquendi, qui nonnunquàm neceßitatem habet, quoties dictu deformia operit, ut Sallustius: Ad requisita naturæ. Interim ornatum petit solum, qui est apud poëtas frequentißimus, ut:

Tempus erat quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, & dono diuûm gratißima serpit.

Et apud oratores non rarus, semper tamen astrictior. Quicquid enim significari breuius potest, & cum ornatu latius ostenditur, περίφρασις est, cui nomen Latine datum est, non sanè orationis aptum uirtuti, circumlocutio. Verum hæc ut cùm decorem habet, periphrasis: ita cum in uitium incidit, περισσολογία dicitur. Obstat enim quicquid nõ adiuuat. ὑπέρβατον quoq;, id est, uerbi transgreßionem, quam frequenter ratio comparationis & decor poscit, non immeritò inter uirtutes habemus. Fit enim frequentißime aspera, & dura, & dissoluta, & hians oratio, si ad neceßitatem ordinis sui uerba redigantur, & ut quodq; oritur, ita proximis etiã si uinciri non potest alligetur. Differenda igitur quædam & præsumenda, atque ut in structuris lapidum impolitiorum, loco quo conuenit quidq; ponendum. Non enim recidere ea, nec polire poßumus, quæ coagmentata se magis iungant, sed utendum his qualia sunt, eligendæq; sedes. Nec aliud potest sermonem facere numerosum, quàm opportuna ordinis mutatio. Neque alio, κατέβην χθὲς εἰς πειραιᾶ Platonis inuenta sunt quatuor illa uerba, quibus in illo pulcherrimo operum in Piræum descendisse

disse significat, plurimis modis scripta, quòd eum quoque maximi facere experiretur. Verum id cum duobus uerbis fit, ἀναστροφὴ dicitur, reuersio quædam, qualia sunt uulgò, mecum, secũ: apud Romanos oratores & historicos, Quibus de rebus. At cùm decoris gratia contrahitur longius uerbum, proprie hyperbati tenet nomen, ut, Animaduerti iudices omnem accusatoris orationem in duas diuisam esse parteis. Nam, in duas partes diuisam esse, rectum erat, sed durum, & incomptum. Poëtæ quidem etiam uerborum diuisionem faciunt, & transgreßionem:

–Hyperboreo septẽ subiecta trioni, quod oratio nequaquàm recipiet. At id quod est, & propter quod cũ dicitur, tropus fit, quia componendus est è duobus intellectus. Alioqui ubi nihil ex significatione mutatum est, & structura sola uariatur, figura potius uerborum dici potest, sicut multi narrationẽ longis mutant hyperbatis. Ex confusis quæ uitia accidunt, suo loco diximus. ὑπερβολὴ audacioris ornatus summo loco posui. Est hæc ementiens superiectio. Virtus eius ex diuerso par augendi atque minuendi fit pluribus modis: Aut enim plus facto dicimus, sicut: Vomens, fructis esculentis gremium suum, & totum tribunal impleuit.

–Geminiq; minantur, In cœlum scopuli.

Aut res per similitudinem attolimus.

–Credas in nare reuulsas, Cycladas.

Aut per comparationem, ut:

Fulminis ocyor alis. Aut signis quasi quibusdam,
Illa uel intactæ segetis per summa uolaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas.

Vel translatione, ut ipsum illud uolaret. Crescit interim hyperbole alia insuper addita, ut Cicero in Antoniũ dicit: Quæ Charybdis tam uorax? Charybdim dico, quæ si fuit, fuit animal unũ. Oceanus mediusfidius uix uidetur tot res, tam dißipatas, tam distantibus in locis positas, tam citò absorbere potuisse. Exquisitam

sitam uero figuram huius rei deprehendisse apud principẽ Lyricorum Pindarum uideor, in libro quẽ inscripsit ὕμνους. Is nãq; Herculis impetum aduersus Meropas, qui in insula Co dicũtur habitasse, non igni, nec uẽtis, nec mari, sed fulmini dicit similem fuisse, ut illa minora, hoc par esset. Quod imitatus Cicero illa composuit in Verrem: Versabatur in Sicilia longo interuallo, non Dionysius ille, nec Phalaris (tulit enim illa quondam insula multos & crudeles tyrannos) sed nouum quoddam monstrũ ex uetere illa immanitate, quæ in ijsdem uersata locis dicitur. Non enim Charybdim tam infestam, neq; Scyllã nauibus, quàm istum in eodem freto fuisse arbitror. Nec pauciora sunt genera minuendi: –Vix oßibus hærent.

Et quod Cicero in quodam ioculari libello:

Fundum Varro uocat quò poßim mittere funda,
Ni lapis exciderit, quà caua funda patet.

Sed huius quoq; rei seruetur mensura quædã: quamuis est enim omnis hyperbole ultra fidem, nõ tamen esse debet ultra modũ: nec alia magis uia in κακοζηλίαν itur. Piget referre plurima hinc orta uitia, cum præsertim minime sint ignota & obscura. Monere satis est mentiri hyperbolen, nec ita ut mendacio fallere uelit. Quo magis intuendum est quousq; deceat extollere, quod nobis non creditur. Peruenit hæc *res frequentißime ad risum, qui si aptus est, urbanitatis: sin aliter, stultitiæ nomen assequitur. Est autẽ in usu uulgò quoq;, & inter ineruditos, & apud rusticos, uidelicet quòd natura est omnibus augendi res, uel minuendi cupiditas insita, nec quisquam uero contentus est. Sed ignoscitur, quia nõ affirmamus. Tum est hyperbole uirtus, cùm res ipsa, de qua loquendum est, naturalem modum exceßit. Conceditur enim amplius dicere, quia dici quantum est, non potest, meliusq; ultra quàm citra stat oratio. Sed de hac satis, quia eundem locum plenius in eo libro quo causas corruptæ eloquentiæ reddebamus, tractauimus.

*species

M. Fab.

M. FAB. QVINTILIANI DE INSTITVTIONE Oratoria, Liber Nonus.

In quo differant figuræ à tropis.

CAP. I.

CVM SIT proximo libro de tropis dictũ, sequitur pertinens ad figuras, quæ schemata Græce uocantur, locus, ipsa rei natura coniũctus superiori. Nam plerique has tropos esse existimauerũt, quia siue ex hoc duxerint nomen, quòd sint formati quodammodo, siue ex eo quòd uertant orationem, unde & motus dicuntur, fatendum erit esse utrunq; eorũ etiam in figuris. Vsus quoq; est idem. Nam & uim rebus adijciunt, & gratiam præstant. Nec desunt qui tropis figuræ nomẽ imponant, quorum est C. Artorius Proculus. Quin adeò similitudo manifesta est, ut eam discernere non sit in promptu. Nam quo modo quædam in his speciebus planè distant, manente tamen generali illa societate, quòd utraq; res à recta & simplici ratione cum aliqua dicendi uirtute deflectitur: ita quædam perquam tenui limite diuiduntur, ut cùm ironia tam inter figuras sententiæ, quàm inter tropos reperiatur. περίφρασιν autem, & ὑπέρβατον, & ὀνοματοποιΐαν, & ἐπίθετον, clari quoque autores figuras uerborum, potius quàm tropos dixerunt. Quo magis signanda est utriusq; rei differẽtia. Est igitur tropus sermo à naturali & principali significatione translatus ad aliam, ornandæ orationis gratia: uel (ut pleriq; grãmatici finiunt) dictio ab eo loco in quo propria est, translata in eum, in quo propria non est. Figura (sicut nomine ipso patet) cõfirmatio quædã orationis remota à communi & primum se offerẽte ratione. Quare in tropis ponuntur uerba alia pro alijs, ut in μεταφορᾷ, μετωνυμίᾳ

μετωνυμίᾳ, & ἀντονομασίᾳ, μεταλήψει, συνεκδοχῇ, καταχρήσει, ἀλληγορίᾳ, ὑπερβολῇ plerunq;. Ἀλληγορία nanq; & rebus fit & uerbis. Ὀνοματοποιΐα fictio est nominis. Ergo hoc quoq; pro alijs ponitur, quibus usuri fuimus, si illud nõ fingeremus. Περίφρασις, etiam si frequenter & id ipsum in cuius locũ assumitur, nomen complecti solet, utitur tamen pluribus pro uno. Ἐπίθετον quoniã plerunq; antonomasiæ pars est, cõiunctione eius fit tropus. In ὑπερβάτῳ cõmutatio est ordinis. Ideoq; multi tropis hoc genus eximunt. Transfert tamen uerbum, aut partem eius à suo loco in alienum. Horum nihil in figuras cadit. Nam & proprijs uerbis, & ordine collocatis fieri figura potest. Quomodo autem ironia alia sit tropi, alia schematis, suo loco reddam. Nomine enim fateor esse cõmunia hæc, & scio quàm multiplicẽ habeãt, quamq; scrupulosam disputationem, sed ea non pertinet ad præsens meum propositum. Nihil enim refert quomodo appelletur utrumlibet eorum, si quid orationi prosit, appareat. Nec mutatur uocabulis uis rerum. Et sicut homines, si aliud acceperunt, quàm quod habuerãt nomẽ, ijdem sunt tamen: ita hæc de quibus loquimur, siue tropi, siue figuræ dicẽtur, idẽ efficient. Nõ enim nominibus prosunt, sed effectibus, ut statum cõiecturalẽ, an inficialem, an facti, an substantiæ, an de substãtia nominemus, nihil interest, dum idẽ quæri sciamus. Optimũ ergo in his sequi maxime receptã, & rem ipsam quocũq; appellabitur modo intelligi. Illud tamen notandũ, coire frequenter in easdem sententias, & tropon, & figuram. Tam enim trãslatis uerbis, quàm proprijs figuratur oratio. Est autem nõ mediocris inter autores dissensio, & quæ uis nominis eius, & quot genera, & quàm multæ sint species. Quare primũ intuendum est quid accipere debeamus figuram. Nam duobus modis dicitur: Vno, qualiscunq; forma sententiæ, sicut in corporibus, in quibus quoquo modo sunt cõposita, utiq; habitus est aliquis: Altero, quod proprie schema dicitur, in sensu uel sermone aliqua à uulgari & simplici specie

cum

cum ratione mutatio: ſicut nos ſedemus, incũbimus, reſpicimus. Itaq; cum in eoſdem caſus, aut tempora, aut numeros, aut etiam pedes, cõtinuò quis aut certe nimium frequenter incurrit, præcipere ſolemus uariandas figuras eſſe uitandæ ſimilitudinis gratia. In quo ita loquimur, tanquam omnis ſermo habeat figurã. Itemq; eadem figura dicimus curſitare, qua lectitare, id eſt eadẽ ratione declinari. Quare illo intellectu priore & cõmuni nihil non figuratum eſt. Quo ſi contenti ſumus, non immeritò Apollodorus, ſi tradenti Cælio credimus, incomprehenſibilia partis huius præcepta exiſtimauit. Sed ſi habitus quidam, & quaſi geſtus ſic appellandi ſint, id demum hoc loco ſchema* dici oportebit, quod ſit à ſimplici ac in promptu poſito dicendi modo poëtice uel oratorie mutatum. Sic enim uerum erit, aliam eſſe orationem ἀχημάτιστον, id eſt carentem figuris, quod uitium nõ inter minima eſt, aliam ἐσχηματισμένην, id eſt, figuratam. Verum id ipſum anguſte tamen & Cælius terminauit, qui id ſolum putauerit ſchema, quo aliud ſimulatur dici quàm dicitur: quod ſanè uulgò quoq; ſic accipi ſcio. Vnde & figuratæ cõtrouerſiæ quædam, de quibus paulò pòſt dicam, uocantur. Ergo figura ſit arte aliqua nouata forma dicendi. Genus eius unum quidam putauerunt, in hoc ipſo diuerſas opiniones ſecuti. Nam hi, quia uerborum mutatione ſenſus quoq; uerterent, omnes figuras in uerbis eſſe dixerunt: Illi, quia uerba rebus accõmodarent, omnes in ſenſibus. Quorum utraq; manifeſta cauillatio eſt. Nam ut eadẽ dici ſolent aliter atq; aliter, manetq; ſenſus elocutione mutata, ita & figura ſententiæ, plures habere uerborum figuras poteſt. Illa eſt enim poſita in concipienda cogitatione, hæc in enuncianda: ſed frequẽtiſſime coëunt: ut in hoc, Iam iam Dolabella neq; me tui, neq; tuorum liberûm. Nam oratio à iudice auerſa, in ſententia: iam iam, & liberûm, in uerbis ſunt ſchemata. Inter plurimos enim, quod ſciã, cõſenſum eſt duas eius eſſe partes, διανοίας, id eſt mentis uel ſenſus uel ſententiarum, nam ijs omnibus modis dictum

*accipi

ctum eſt: & λέξεως, id eſt uerborum, uel dictionis, uel elocutionis, uel ſermonis, uel orationis. Nam & uariatur, & nihil refert. Cornelius tamen Celſus adijcit uerbis & ſententijs figuras colorum, nimia profectò nouitatis cupiditate ductus. Nam quis ignoraſſe eruditum alioqui uirum credat colores & ſententias ſenſuum eſſe? Quare ſicut omnem orationem, ita figuras quoq; uerſari neceſſe eſt in ſenſu & in uerbis. Vt uero natura prius eſt, concipere animo res quàm enunciare, ita de ijs figuris antè loquendum eſt quæ ad mentem pertinẽt, quarum quidẽ utilitas tum magna, tum multiplex, in nullo nõ orationis opere uel clariſſime elucet. Nam etſi minime uidetur pertinere ad probationem qua figura quicq; dicatur, facit tamen credibilia quæ dicimus, & in animos iudicum quà non obſeruatur irrepit. Nanq; ut in armorum certamine, & aduerſos ictus, & rectas ac ſimplices manus tum uidere, tum etiã cauere ac propulſare facile eſt, auerſæ tectæq; minus ſunt obſeruabiles, & aliud oſtẽdiſſe quàm petas artis eſt: ſic oratio quæ aſtu caret, pondere, mole, & impulſu præliatur. Simulanti uariantiq; conatus, in latera atq; in terga incurrere datur, & arma aduocare, & uelut nutu fallere. Iam uero affectus nihil magis ducit. Nam ſi frons, oculi, manus multum ad motum animorum ualent, quanto plus orationis ipſius uultus ad id quod intendimus efficere cõpoſitus? Plurimum tamen ad cõmendationem facit, ſiue in conciliandis agẽtis* moribus, ſiue ad promerendum actioni fauorem, ſiue ad leuandum uarietate faſtidium, ſiue ad quædam uel decentius indicanda uel tutius. Sed antequam quæ cuiq; rei figura conueniat oſtendo, dicendum eſt nequaquàm eſſe tam multas, quàm ſint à quibuſdam conſtitutæ. Neq; enim me mouent nomina illa quæ fingere utiq; Græcis promptiſſimum eſt. Ante omnia igitur illi qui totidem figuras putant quot affectus, repudiandi: non quia affectus non ſit qualitas quædam mentis, ſed quia figura, quam non communiter, ſed proprie nominamus, nõ ſit ſimplex rei cuiuſcun

*motibus

iuſcunq; enuntiatio. Quapropter in dicendo iraſci, dolere, miſereri, timere, confidere, contemnere, non ſunt figuræ, non magis quàm ſuadere, minari, rogare, excuſare. Sed fallit parum diligẽter intuentes, quòd inueniunt in omnibus his locis figuras, & earum exempla ex orationibus excerpunt. Neq; enim pars ulla dicendi eſt, quæ non recipere eas poſſit. Sed aliud eſt admittere figuram, aliud figuram eſſe. Neq; enim uerebor explicandæ rei gratia frequentiorem eiuſdem nominis repetitionẽ. Quare dabunt mihi aliquam in iraſcente, deprecante, miſerãte figuram, ſcio, ſed non ideo iraſci, miſereri, deprecari figura erit. Cicero quidem omnia orationis lumina in hunc locum congerit, mediam quandam, ut arbitror, ſecutus uiam, ut nec omnis ſermo ſchema iudicaretur, nec ea ſola quæ haberent aliquã remotam ab uſu communi fictionem, ſed quæ eſſent clariſſima, & ad mouendum auditorem ualerent plurimum, quem duobus ab eo libris tractatum locum ad literam ſubieci, ne fraudarem legentes iudicio maximi autoris. In tertio de Oratore ita ſcriptũ eſt: In perpetua autem oratione, cum & coniunctionis lenitatẽ, & numerorum, quam dixi, rationem tenuerimus, tum eſt quaſi luminibus diſtinguenda & frequentanda omnis oratio ſententiarum atq; uerborum. Nam & cõmoratio una in re permultũ mouet, & illuſtris explanatio rerum, quæ quaſi gerantur ſub aſpectum penè ſubiectio, quæ & in exponenda re plurimũ ualet, & ad illuſtrandum id quod exponitur, & ad amplificandũ, ut ijs qui audient illud quod augebimus, quantum efficere oratio poterit, tantum eſſe uideatur. Et huic contraria ſæpe præciſio eſt, & ad plus intelligendum quàm dixeris ſignificatio, & indiſtincte conciſa breuitas, & extenuatio, & huic adiũcta illuſio, à præceptis Cæſaris non abhorrens, & ab re non longa digreſſio: in qua cum fuerit delectatio, tum reditus ad rem aptus, & concinnus eſſe debebit: propoſitioq; quid ſis dicturus, & ab eo quod eſt dictum ſeiunctio & reditus ad propoſitum, & itera

iteratio, & rationis apta concluſio, tum augendi minuendi ue cauſa ueritatis ſuperlatio, atq; traiectio & rogatio, atq; huic finitima quaſi percontatio, expoſitioq; ſententiæ ſuæ: tum illa quæ maxime quaſi irrepit in hominum mentes, alia dicentis ac ſignificantis diſſimulatio, quæ eſt periucunda cum in orationis non cõtentione, ſed ſermone tractatur. Deinde dubitatio, tum diſtributio, tum correctio, uel antè, uel poſtquam dixeris, uel cum aliquid à te ipſo reijcias. Præmunitio eſt etiam ad id quod aggrediare, & reiectio in alium, cõmunicatio, quæ eſt quaſi cum his ipſis apud quos dicas, deliberatio, morum ac uitæ imitatio, uel in perſonis, uel ſine illis magnum quoddam ornamẽtum orationis, & aptum ad animos conciliandos uel maxime, ſæpe autem etiam ad cõmouendos. Perſonarum ficta inductio, uel grauiſſimum lumen augendi, deſcriptio, erroris inductio, in hilaritatem impulſio, antè occupatio, tum duo illa quæ maxime mouent, ſimilitudo & exemplum, digeſtio, interpellatio, contentio, reticentia, commendatio, uox quædam libera, atq; etiam effrenatior augendi cauſa: iracundia, obiurgatio, promiſſio, deprecatio, obſecratio, declinatio, breuis à propoſito, non ut ſuperior illa, digreſſio, purgatio, conciliatio, læſio, optatio, atq; execratio. His ferè luminibus illuſtrant orationem ſententiæ. Orationis autem ipſius tanquam armorum eſt, uel ad uſum commina-tio & quaſi petitio, uel ad uenuſtatem ipſam tractatio. Nam & geminatio uerborum habet interdum uim, lepôrem aliâs, & paululum immutatum uerbum atq; deflexum, & eiuſdem uerbi crebra tum à primo repetitio, tum in extremum conuerſio, & in eadem uerba impetus & concurſio, & adiunctio, & progreſſio, & eiuſdem uerbi crebrius poſiti quædam diſtinctio, & reuocatio uerbi, & illa quæ ſimiliter deſinunt, aut quæ cadunt ſimiliter, aut quæ paribus paria referũtur, aut quæ ſunt inter ſe ſimilia. Eſt etiam gradatio quædam & conuerſio, & uerborum concinna tranſgreſſio, & contrarium, & diſ-

ſolutum,& declinatio,& reprehenſio,& exclamatio, & im-
munutio,& quod in multis caſibus ponitur, & quod de ſingu-
lis rebus propoſitis ductum refertur ad ſingula, & ad propo-
ſitum ratio ſubiecta, & item in diſtributis ſuppoſita ratio, &
*promiſsio *permiſsio,& rurſus alia dubitatio, & improuiſum quiddam,
& dinumeratio,& alia correctio,& diſputatio, & quod con-
tinuatum,& interruptum,& imago, & ſibijpſi reſponſio, &
immutatio,& diſiunctio,& ordo,& relatio, & digreſsio, &
circumſcriptio. Hæc enim ſunt ferè,atq; horum ſimilia, uel plu-
ra etiam eſse poſsunt,quæ ſententijs oratione,uerborumq; con-
formationibus illuminent. Eadem ſunt in Oratore plurima,non
omnia tamen,& paulo magis diſtincta, quia poſt orationis &
ſententiarum figuras,tertium quendam locum ſubiecit ad alias,
(ut ipſe ait) quaſi uirtutes dicendi pertinentē. Et reliqua quæ
ex collatione uerborum ſumuntur quaſi lumina, magnum affe-
runt ornatum orationi. Sunt enim ſimilia illis quæ in amplo or
natu ſcenæ aut fori appellantur inſignia, non quia ſola ornēt,
ſed quòd excellant. Eadem ratio eſt horum quæ ſunt orationis
lumina, & quodammodo inſignia, aut cum duplicantur ite-
ranturq; uerba, aut breuiter commutata ponuntur, aut ab eo-
dem uerbo ducitur ſæpius oratio,aut in idem conijcitur, aut in
utrunq;,aut adiungitur idem iteratum, aut idem ad extremum
refertur,aut continenter unum uerbum non in eadem ſententia
ponitur,aut cum ſimiliter uel cadunt uerba,uel deſinunt,aut cū
multis modis contrarijs relata contraria,aut cum gradatim ſur
ſum uerſus reditur, aut cum demptis coniunctionibus diſſolute
plura dicuntur, aut cum aliquid prætereuntes cur id faciamus
oſtendimus,aut cum corrigimus noſmetipſos quaſi reprehen-
dentes,aut ſi eſt aliqua exclamatio, uel admirationis, uel con-
queſtionis,aut cū eiuſdem nominis caſus ſæpius commutantur.
Sententiarum maiora ornamenta ſunt, quibus quia frequentiſsi
me Demoſthenes utitur, ſunt qui putent idcirco eius eloquen-
tiam

tiam maxime eſse laudabilem. Enimuero nullus ferè ab eo locus
ſine quadam conformatione ſententiæ edicitur, nec aliud quic-
quam eſt dicere,niſi omnes,aut certe pleraſq; aliqua ſpecie illu
minare ſententias. Quas cum tu optime Brute teneas,quid atti-
net nominibus uti,aut exemplis? tantummodo notetur locus. Sic
igitur dicet ille quem expetimus,ut uerſet ſæpe multis modis ea
dem,& in una re hæreat,in eademq; commoretur ſententia. Sæ
pe etiā ut extenuet aliquid,ſæpe ut irrideat,aut declinet à pro-
poſito, deflectatq; ſententiam,ut proponat quid dicturus ſit,ut
cum tranſegerit iam aliquid definiat,ut ſe ipſe reuocet,ut quod
dixerit iteret,ut argumentum ratione concludat, ut interrogā-
do urgeat,ut rurſus quaſi ad interrogata ſibijpſe reſpondeat,
ut contrà ac dicat,accipi & ſentiri uelit,ut addubitet quid po-
tius,aut quomodo dicat,ut diuidat in partes, ut aliquid relin-
quat,ac negligat,ut ante præmuniat, ut in eo ipſo in quo re-
prehendatur,culpam in aduerſarium conferat, ut ſæpe cum ijs
qui audiunt, nonnunquàm etiam cum aduerſario quaſi delibe-
ret,ut hominum mores ſermonesq; deſcribat, ut muta quædam
loquentia inducat,ut ab eo quod agitur auertat animos,ut ſæ-
pe in hilaritatem riſum'ue conuertat,ut antè occupet quod pu-
tat opponi,ut comparet ſimilitudines,ut utatur exēplis,ut aliud
alij tribuens diſpertiat,ut interpellatorem coërceat, ut aliquid
reticere ſe dicat,ut denuntiet quid caueat, ut liberius quid au-
deat,ut iraſcatur etiam,ut obiurget aliquando, ut deprecetur,
ut ſupplicet,ut medeatur,ut à propoſito declinet aliquātulum,
ut optet,ut execretur,ut fiat ijs apud quos dicit familiaris, atq;
alias etiam dicendi quaſi uirtutes ſequatur,breuitatem,ſi res pe
tet. Sæpe etiam rem dicendo ſubijciet oculis, ſæpe ſuprà feret
rem quàm fieri poſsit, ſignificatio ſæpe erit maior quàm ora-
tio,ſæpe hilaritas,ſæpe uitæ naturarumq; imitatio. Hoc in ge-
nere,nam quaſi ſyluam uides, omnis eluceat oportet eloquen-
tiæ magnitudo.

De figuris sententiarum. CAP. II.

ERgo cui latius complecti cõformationes uerborum ac sententiarum placuerit, habet quod sequatur, nec affirmare ausim, quicquam esse melius, sed hæc ad propositi mei rationẽ legat. Nam mihi de ijs sententiarum figuris dicere in animo est, quæ ab illo simplici modo dicendi recedunt, quod idem multis doctißimis uiris uideo placuisse. Omnia tamen illa, etiam quæ sunt alterius modi lumina, adeò sunt uirtutes orationis, ut sine his nulla intelligi uere possit oratio. Nam quo modo iudex doceri potest, si desit illustris explanatio, propositio, permissio, finitio, seiunctio, expositio sententiæ, siue rationis apta conclusio, præmunitio, similitudo, exemplum, digestio, distributio, interpellatio, interpellantis coërtio, contentio, purgatio, læsio? Quid uero agit omnino eloquentia detractis amplificandi minuendiq; rationibus? Quarum prior desiderat illam plus quàm dixeris significationem, id est, ὑπερβολήν, & superlationem ueritatis, & traiectionẽ. Hæc altera extenuationẽ deprecationemq;. Qui affectus erunt uel concitati, detracta uoce libera, effrenatiore iracũdia, obiurgatione, optatione, execratione: uel illi mitiores, nisi adiuuantur commendatione, conciliatione, ad hilaritatem impulsione? Quæ delectatio, aut quod mediocriter saltem docti hominis indicium, nisi alia repetitione, alia cõmoratione infigere, digredi à re, & redire ad propositum suum scierit, remouere à se, in aliũ traijcere, quæ relinquenda, quæ contemnẽda sunt iudicare? Motus est in his orationis atq; actus, quibus detractis iacet, & uelut agitante corpus spiritu caret. Quæ cum adesse debent, tum disponenda atq; uarianda sunt, ut auditorẽ, quod in fidibus fieri uidemus, omni sono permulceant. Verum ea plerunq; recta sunt, nec se fingunt, sed confitentur. Admittũt autẽ, ut dixi, figuras, quod uel ex proximo doceri potest. Quid enim tam commune quàm interrogare, uel percontari? Nam utroque utimur indifferenter, cum alterum noscendi, alterum arguendi gratia uideatur adhiberi. At ea res utrocunq; modo dicatur, etiam multiplex habet schema. Incipiamus enim ab ijs quibus acrior & uehementior fit probatio, quod primo loco posuimus. Simplex est sic rogare:

Sed uos qui tandem, quibus aut uenistis ab oris?

Figuratum autem, quoties non sciscitandi gratia aßumitur, sed instandi: Quid enim tuus ille Tubero districtus in acie Pharsalica gladius agebat? Et: Quousq; tandẽ abutêre Catilina patientia nostra? Et: Patêre tua consilia non sentis? Et totus denique hic locus. Quãto enim magis ardet, quàm si diceretur? Diu abuteris patientia nostra. Et: Patẽt tua cõsilia. Interrogamus etiã quod negari non possit: Dixit´ne tandẽ causam Caius Fidiculanius Falcula? Aut ubi respõdendi difficilis est ratio, ut uulgò uti solemus, Quomodo? quî fieri potest? Aut inuidiæ gratia, ut Medea apud Senecam: Quas peti terras iubes?

Aut miserationis, ut Sinon apud Vergilium:

Heu quæ me tellus, inquit, quæ me æquora possunt
Accipere? Aut instandi, & auferendæ dißimulationis, ut Asinius: Audis´ne? furiosum inquam, non inofficiosum testamentum reprehendimus. Totum hoc plenum est uarietatis. Nam & indignationi conuenit:

–Et quisquam numen Iunonis adoret? Et admirationi: Aeneid. 1
–Quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames?

Et interim acrius imperandi genus:

Non arma expedient, totáq; ex urbe sequentur?

Et ipsi nosmet rogamus, quale est illud Terentianum:

Quid igitur faciam?

Est aliqua etiã in respondendo figura, cùm aliud interroganti, ad aliud, quia utilius sit, occurritur: tum augendi criminis gratia, ut testis in reum rogatus, an ab reo fustibus uapulasset: Innocens, inquit. Tum declinandi, quod est frequentißimũ. Quæro an occideris hominem, respondetur, Latronem. An fundum

occupaueris,respondetur,Meum:ut confessionem præcedat defensio. Vt apud Vergilium in Bucolicis dicenti,

Non ego te uidi Damonis pessime caprum
Excipere insidijs? Occurritur:
An mihi cantando victus non redderet ille? Cui est confinis dissimulatio, non alibi quàm in risu posita, ideoq; tractata suo loco. Nam seriò si fiat, pro cõfessione est. Cæterum etiam interrogandi seipsum, & respondendi sibi, solent esse nõ ingratæ uices: ut Cicero pro Ligario, Apud quem igitur hæc dico? nempe apud eum, qui cùm hoc sciret, tamen me antequã uidit, Reipub. reddidit. Aliter pro Cælio ficta interrogatione: Dicet aliquis, Hæc igitur est tua disciplina? Sic tu instituis adolescẽtes? & totus locus. Deinde: Ego si quis iudices hoc robore animi, atque hac indole uirtutis, ac cõtinentiæ fuit, & cætera. Cui diuersum est, cum alium rogaueris, non expectare responsum, & statim subijcere: Domus tibi deerat? at habebas: pecunia superabat? at egebas: quod schema quidam per subiectionem uocant. Fit & comparatione. Vter igitur facilius suæ sententiæ rationem redderet: & alijs modis tum breuius, tũ latius, tum de una re, tum de pluribus. Mire uero in causis ualet præsumptio, quæ προλη-ψις dicitur, cùm id quod obijci potest occupamus. Id neque in alijs partibus parum est, & præcipue proœmio conuenit. Sed quãquàm generis unius, diuersas tamen species habet. Est enim quædam præmunitio, qualis Ciceronis contra Q. Cæcilium, quòd ad accusandum descẽdat qui semper defenderat. Quædam confessio, ut pro Rabirio Posthumo, quẽ sua quoq; sententia reprehendendum fatetur, quòd pecuniam regi crediderit. Quædam prædictio, ut: Dicam enim non augendi criminis gratia. Quædam emendatio, ut: Rogo ignoscatis mihi si longius sum euectus. Frequentissima præparatio, cum pluribus uerbis, uel quare facturi quid simus, uel quare fecerimus dici solet. Verborum quoque uis ac proprietas confirmatur uel præsumptione: quan

(quanquam illa non pœna, sed prohibitio sceleris fuit) aut reprehensione: Ciues inquam, si hoc eos appellari nomine fas est. Affert aliquam fidẽ ueritatis & dubitatio, cũ simulamus quærere nos, unde incipiendum, ubi desinẽdum, quid potissimũ dicendum, an omnino dicendum sit, cuiusmodi exemplis plena sunt omnia. Sed unum interim sufficit: Equidem quod ad me attinet, quò me uertam nescio: Negẽ fuisse infamiã iudicij corrupti? & cætera. Hoc etiã in præteritũ ualet. Nam & dubitasse nos fingimus. A quo schemate nõ procul abest illa quæ dicitur cõmunicatio, cũ aut ipsos aduersarios cõsulimus, ut Domitius Afer pro Cloantilla: At illa nescit trepida, quid liceat fœminæ, quid coniugem deceat, fortè uos in illa solicitudine obuios casus miseræ mulieri obtulit: tu frater, uos paterni amici, quod consilium datis? Aut cum iudicibus quasi deliberamus, quod est frequentissimum: Quid suadetis? &, Vos interrogo, quid tandem fieri oportuit? ut Cato: Cedo, si uos in eo loco essetis, quid aliud fecissetis? Et alibi: Cõmunem rem agi putatote, ac uos huic rei præpositos esse. Sed nõnunquam communicantes aliquid inexpectatum subiungimus, quod & per se schema est, ut in Verrem Cicero: Quid deinde? quid censetis? furtum fortasse, aut prædam aliquã? Deinde cum diu suspendisset iudicum animos, subiecit quod multò esset improbius. Hoc Celsus sustentationem uocat. Est autem duplex. Nam contrà, frequenter cum expectationem grauissimorum fecimus, ad aliquid, quod sit leue, aut nullo modo criminosum, descendimus. Sed quia non tantum per communicationem fieri solet, παράδοξον alij nominauerunt, id est, inopinatum. Illis non accedo, qui schema esse existimant, etiam si quid nobis ipsis dicamus inexpectatum accidisse, ut Pollio: Nunquam fore credidi iudices, ut reo Scauro nequid in eius iudicio gratia ualeret, precarer. Est penè idem fons illius, quam permissionẽ uocant, qui cõmunicationis, cũ aliqua ipsis iudicibus relinquimus æstimanda, aliqua nonnunquam aduersarijs quoq;, ut Caluus

Vatinio: Perfrica frontem, & dic te digniorem, qui Prætor fieres, quàm Catonem. Quæ uero sunt augendis affectibus accommodatæ figuræ, constant maxime simulatione. Nanq; & irasci nos, & gaudere, & timere, & admirari, & dolere, & indignari, & optare, quæq; sunt similia his, fingimus. Inde sunt illa: Liberatus sum, respiraui, & bene habet, & quæ amentia est hæc? Et: O tempora, ò mores, ò miserum me, consumptis enim lachrymis, infixus tamen pectori hæret dolor. Et:

—Magnæ nunc hiscite terræ. Quod exclamationem quidam uocant, ponuntq; inter figuras orationis. Hæc quoties uera sunt, non sunt in ea forma de qua nunc loquimur, sed assimulata & arte composita proculdubio schemata sunt existimanda. Quod idem dictum sit de oratione libera, quam Cornificius licentiam uocat, Græci παῤῥησίαν. Quid enim minus figuratum, quàm uera libertas? Sed frequenter sub hac facie latet adulatio. Nam Cicero cum dicit pro Ligario: Suscepto bello Cæsar, gesto iam ex parte magna, nulla ui coactus, cõsilio ac uoluntate mea, ad ea arma profectus sum, quæ erant cõtra te sumpta. Non solum ad utilitatem Ligarij respicit, sed magis laudare uictoris clementiam non potest. In illa uero sententia: Quid autem aliud egimus Tubero, nisi ut quod hic potest, nos possemus? admirabiliter utriusq; partis facit bonã causam, sed hoc cũ
* ualentiorũ demeretur cuius mala fuerat. Illa adhuc audaciora, & *maiorũ (ut Cicero existimat) laterum, fictiones personarũ, quæ προσωποποιΐαι dicuntur. Mire nanq; tum uariant orationem, tum excitant. His etiam aduersariorũ cogitationes, uelut secum loquentium protrahimus, quæ tamen ita demum à fide non abhorrent, si ea locutos finxerimus, quæ cogitasse eos non sit absurdum. Et nostros cum alijs sermones, & aliorũ inter se credibiliter introducimus, & suadendo, obiurgãdo, quærẽdo, laudando, miserando personas idoneas damus. Quin deducere deos in hoc genere dicendi, & inferos excitare, concessum est. Vrbes etiã populiq;

uoces

uoces accipiunt. Ac sunt quidam qui has demum προσωποποιΐας dicant, in quibus & corpora & uerba fingimus. Sermones hominum aßimulatos dicere διαλόγους malunt, quàm quod Latinorum quidam dixerunt, sermocinationem. Ego iam recepto more utrunq; eodem modo appellaui. Nam certe sermo fingi non potest, ut non personæ sermo fingatur. Sed in his quæ natura non permittit, hoc modo mollior fit figura. Etenim si mecum patria, quæ mihi uita mea multò est charior, si cuncta Italia, si omnis Respub. sic loquatur: Marce Tulli quid agis? Illud audacius genus: Quæ tecum Catilina sic agit, & quodammodo tacita loquitur: Nullum iam aliquot annis facinus extitit nisi per te. Commode etiam apud nos aliquas ante oculos esse rerũ personarum'ue imagines fingimus, aut eadem aduersarijs, aut iudicibus non accidere miramur: qualia sunt, Videtur mihi, & non'ne uidetur tibi? Sed magna quædam uis eloquentiæ desideratur. Falsa enim & incredibilia natura necesse est aut magis moueant, quia supra uera sunt: aut pro uanis accipiantur, quia uera nõ sunt. Vt dicta autem quædam, ita scripta quoq; fingi solent, quod facit Asinius pro Liburnia: Mater mea, quæ mihi tum charissima, tum dulcissima fuit, quæq; mihi uixit, bisq; eadẽ die mihi uitam dedit, & reliqua, deinde, exhæres esto. Hæc tum per se figura est, tum duplicatur, quoties sicut in hac causa ad inuitationem alterius scripturæ cõponitur. Nam contrà recitabatur testamẽtum: P. Nouanius Gallio, cui ego omnia meritissimo uolo, & debeo, pro eius animi in me summa uoluntate, & adiectis deinde alijs, hæres esto. Incipit esse quodãmodo παῤῳδία, quod nomen ductum à canticis ad aliorum similitudinem modulatis, abusiue etiam in uersificationis ac sermonũ imitatione seruatur. Sed formas quoq; fingimus sæpe, ut famam Vergilius: ut uoluptatem ac uirtutem (quemadmodum à Xenophonte traditur) Prodicus: ut mortem ac uitam, quas contendentes in Satyra tradit Ennius. Est & incertæ personæ ficta oratio: Hic aliquis. &,

Dicat

Dicat aliquis. Est & iactus sine persona sermo:
Hic Dolopum manus, hic sæuus tendebat Achilles.
Quod fit mixtura figurarum, cum προσωποποιία accedit illa, quæ est orationis per detractionem, detractum est enim, quis diceret. Vertitur interim προσωποποιία in speciem narrandi. Vnde apud historicos reperiuntur obliquæ allocutiones, ut in Titi Liuij primo statim libro: Vrbes quoq; ut cætera ex infimo nasci, deinde quæ sua uirtus ac dij iuuent, magnas opes sibi, magnum nomen facere. Auersus quoq; à iudice sermo, qui dicitur ἀποστροφή, mire mouet, siue aduersarios inuasimus: Quid enim tuus ille Tubero in acie Pharsalica gladius agebat? Siue ad inuocationem aliquam cõuertimur: Vos enim iam ego Albani tumuli atq; luci. Siue ad inuidiosam implorationem: O leges Porciæ, legesq; Semproniæ. Sed illa quoq; uocatur auersio, quæ à proposita quæstione abducit audientem:
Non ego cum Danais Troianam excindere gentem
Aulide iuraui. Quod fit & multis & uarijs figuris, cùm aut aliud expectasse nos, aut maius aliquid timuisse simulamus, aut plus uideri posse ignorantibus, quale est prooemium pro Cælio: Illa uero, ut ait Cicero, sub oculos subiectio tum fieri solet, cum res non gesta indicatur, sed ut sit gesta ostenditur, nec uniuersa, sed per partes, quem locum proximo libro subiecimus euidẽtiæ. Et Celsus hoc nomen isti figuræ dedit, ab alijs ὑποτύπωσις dicitur, proposita quædam forma rerum ita expressa uerbis, ut cerni potius uideatur quàm audiri: Ipse inflammatus scelere ac furore in forum uenit, ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat. Nec solum quæ facta sint aut fiant, sed etiam quæ futura sint, aut futura fuerint, imaginamur. Mire tractat hæc Cicero pro Milone, quæ facturus fuerit Clodius si Prætura inuasisset. Sed hæc quidem translatio temporum, quæ proprie μετάστασις dicitur, *ὑποτυπώσει uerecundior apud priores fuit. Proponebant enim talia: Credite uos intueri: ut Cicero, Hæc quæ non uidistis

*in διατυπώσ

uidistis oculis, animis cernere potestis. Noui uero, & præcipue declamatores audacius, nec mehercules sine motu quodam imaginantur, ut Seneca in controuersia, cuius summa est, quòd pater filium & nouercam inducente altero filio in adulterio deprehensos occidit. Duc, sequor. Accipe hanc senilem manum, & quocunq; uis imprime. Et paulò pòst: Aspice inquit, quod diu non credidisti. Ego uero nõ uideo, nox oboritur, & crassa caligo. Habet hæc figura manifestius aliquid. Nõ enim narrari res, sed agi uidetur. Locorum quoq; dilucida & significans descriptio eidem uirtuti assignatur à quibusdam: alij τυπωσιαν dicunt. Εἰρωνείαν inueni qui dissimulationem uocarent, quo nomine, quia parum totius huius figuræ uidentur uires ostendi, nimirum sicut in plerisq;, Græca erimus appellatione contenti. Igitur εἰρωνεία quæ est schema, ab illa quæ est tropus, genere ipso nihil admodum distat: in utroq; enim contrarium ei quod dicitur intelligendum est: Species uero prudentius intuenti diuersas esse, facile est deprehendere. Primùm quòd tropus apertior est, & quanquam aliud dicit ac sentit, non tamen aliud simulat. Nam & omnia circa ferè recta sunt, ut illud in Catilinã: A quo repudiatus ad sodalem tuum uirum optimum* Metellum demigrasti. In duobus demum uerbis est ironia, ergo etiam breuior est tropus. At in figura totius uoluntatis fictio est apparens magis quàm confessa, ut illic uerba sint uerbis diuersa, hic sensus sermoni: & ioci, & tota interim causæ conformatio. Tum etiam uita uniuersa ironiam habere uidetur, qualis est uita Socratis. Nam ideo dictus εἴρων, id est, agens imperitum, & admirator aliorum tanquam sapientium, ut quemadmodum ἀλληγορίαν facit continua μεταφορά, sic hoc schema faciat troporum ille cõtextus. Quædam uero genera huius figuræ nullam cum tropis habent societatem, ut illa statim prima quæ dicitur à negando, quam nonnulli uocãt ἀποφασιν. Non agam tecum iure summo: non dicam quod forsitan obtinerem. Et: Quid ego istius decreta? quid

*M. Marcellum

rapinas

rapinas? quid hæreditatum possessiones datas? quid ereptas proferam? Et: Mitto illã primam libidinis iniuriam. Et: Ne illa quidem testimonia recito quæ dicta sunt de sestertijs septingentis millibus. Et: Possum dicere. Quibus generibus per totas interim quæstiones decurrimus: ut Cicero, Hoc ego si sic agerẽ tanquam mihi crimen esset diluendum, hæc pluribus dicerem. Εἰρωνία est & cum similes imperantibus uel permittentibus sumus.

I, sequere Italiam uentis— Et cum ea quæ nolumus uideri in aduersarijs esse, concedimus eis. Id acrius fit, cum eadem in nobis sunt, & in aduersario non sunt. —Meq; timoris
Argue tu Drance, quando tot cædis aceruos
Teucrorum tua dextra dedit.

Quod idem contrà ualet, cùm aut ea quæ à nobis absunt, aut etiam quæ in aduersarios recidunt, quasi fatemur.

Me duce Dardanius Spartam expugnauit adulter.

Nec in personis tantum, sed & in rebus uersatur hæc contraria dicendi, quàm quæ intelligi uelis, ratio: ut totum pro Q. Ligario proœmium, & illæ eleuationes, uidelicet:

O dij boni. Scilicet is superis labor est—

Et ille pro Oppio locus: O amorem mirum. O beneuolentiam singularem. Non procul autem absunt ab hac simulatione tres inter se simules: Confessio nihil nocitura, qualis est: Habes igitur Tubero quod est accusatori maxime optandum, confitentem reum. Et concessio, cum aliquid etiam iniquũ uidemur causæ fiducia pati: Metu uirgarum nauarchus nobilissime ciuitatis pretio se redemit, humanum est. Et pro Cluentio de inuidia: Dominetur in concionibus, iaceat in iudicijs. Tertia consensio, ut pro eodem: Iudicium esse corruptum. Hæc euidentior figura est, cum alicui rei assentimur, quæ est futura pro nobis. Verum
*uelut id accidere sine aduersarij uitio non potest. Quædã etiam * uel laudamus, ut Cicero in Verrem circa crimen Apollonij Drepanitani: Gaudeo etiam si quid ab eo abstuliſti, & abs te nihil rectius

rectius factum esse dico. Interim augemus crimina, quæ ex facili aut diluere possumus, aut negare, quod est frequentius, quàm ut exemplum desideret. Interim hoc ipso fidem detrahimus illis, quòd sint tam grauia, ut pro Roscio Cicero, cum immanitatem parricidij, quanquam per se manifestam, tamen etiã ui orationis exaggerat. Ἀποσιώπησις, quam * idem Cicero reticentiam, Celsus *idcirco obticentiam, nonnulli interruptionem appellant, & ipsa ostendit aliquid affectus uel iræ, ut:

Quos ego. sed motos præstat componere fluctus.

Vel solicitudinis, & quasi religionis: An huius ille legis, quam Clodius à se inuentam gloriatus est, mentionẽ facere ausus esset uiuo Milone, ne dicam Consule? De nostrũ enim omnium. non audeo totum dicere. Cui simile est in proœmio pro Ctesiphonte Demosthenis: Vel aliò transeundi gratia: Communis autem, Tametsi ignoscite mihi iudices. In quo est & illa (si tamẽ inter schemata numerari debet, cum alijs etiam pars causæ uideatur) digressio. Abit enim causa in laudes Cn. Pompeij. Idq; fieri etiã sine ἀποσιωπήσει potuit. Nam breuior illa, ut ait Cicero, à re digressio plurimis fit modis. Sed hæc exẽpli gratia sufficient: Tum Caius Varenus, is qui à familia Anchariana occisus est, hoc quæso iudices diligenter attendite. Et pro Milone: Et aspexit me illis quidem oculis, quibus tum solebat, cum omnibus omnia minabatur. Est alia non quidem reticentia, quæ sit imperfecti sermonis, sed tamen præcisa uelut ante legitimum finem oratio, ut illa: Nimis urgeo, commoueri uidetur adolescens. Et: Quid plura? ipsum adolescentem dicere audistis. Imitatio morum alienorum, quæ ἠθοποιΐα, uel, ut alij malunt, μίμησις dicitur, iam inter leuiores affectus numerari potest. Est enim posita ferè in eludendo, sed uersatur & in factis, & in dictis: In factis, quod est ὑποτυπώσει uicinum: In dictis, quale est apud Terent.

At ego nesciebam quorsum tu ires. Paruula
Hinc est abrepta, eduxit mater pro sua,

Soror

Soror dicta est. Cupio abducere ut reddam suis.

Sed nostrorum quoq; dictorum factorumq; similis imitatio est per relationem, nisi quòd frequentius asseuerat, quàm eludit. Dicebam habere eos actorem Q. Cæcilium. Sunt & illa iucũda, & ad cõmendationem cum uarietate, tum etiam ipsa natura plurimum prosunt, quæ simplicem quandã & nõ præparatam ostendendo orationem minus nos suspectos iudici faciunt. Hinc est quasi pœnitentia dicti, ut pro Cælio: Sed quid ego tam grauem personam introduxi? Et quibus utimur uulgò: Imprudens incidi. Vel cum quærere nos quid dicamus fingimus: Quid reliquũ est? Et: Num quid omisi? Et cum ibidem in Verrem ait Cicero: Vnum etiam mihi reliquum huiusmodi crimen est. &, Aliud ex alio succurrit mihi. Vnde etiam uenusti transitus fiunt, nõ quia transitus ipse sit schema, ut Cicero narrato Pisonis exẽplo, qui anulum sibi cudi ab aurifice in tribunali suo iusserat, uelut hoc in memoriam adductus, adiecit: Hic modò me commonuit Pisonis anulus, quod totum effluxerat, quàm multis istum putatis hominibus honestis de digitis anulos aureos abstulisse? Et cum aliqua uelut ignoramus. Sed earũ rerũ artificem quem? quem nã? recte admones, Polycletum esse dicebant. Quod quidem non in hoc tantum ualet. Quibusdam enim dum aliud agere uidemur, aliud efficimus, sicut hic Cicero consequitur, ne cùm morbum in signis atq; tabulis obijciat Verri, ipse quoq; earũ rerum studiosus esse credatur. Et Demosthenes iurando per interfectos in Marathone & Salamine, id agit, ut minore inuidia cladis apud Chæroneam acceptæ laboret. Faciunt illa quoq; iucundã orationem, aliqua mentione habita differre, & deponere apud memoriam iudicis, & reposcere quæ deposueris, & separare quædam schemate aliquo: non enim est ista ipsa per se iteratio schema, & excipere aliqua, et dare actioni uarios uelut uultus. Gaudent enim res uarietate, & sicut oculi diuersarũ aspectu rerum magis detinentur, ita semper animis præstant, in quod se uelut nouum

nouum, intendant. Est Emphasis etiam inter figuras, cum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur, ut apud Vergilium:

Non licuit thalami expertem sine crimine uitam
Degere more feræ? Quanquam enim de matrimonio queritur Dido, tamen huc erupit eius affectus, ut sine thalamis uitam non hominum putet, sed ferarum. Aliud apud Ouidium genus, apud quem & Myrrha nutrici amorem patris sic confitetur:

–O', dixit, felicem coniuge matrem.

Huic uel confinis, uel eadem est, qua nunc utimur plurimum. Iam enim ad id genus, quod & frequentißimũ est, & expectari maxime credo, ueniendũ est, in quo per quãdã suspicionẽ, quod nõ dicimus, accipi uolumus, non utiq; contrarium, ut in ἐφωνέσει, sed aliud latens, & auditori quasi inueniendum, quod ut suprà ostendi, iam ferè solum schema à nostris uocatur, & unde controuersiæ figuratæ dicuntur. Eius triplex usus est: unus si dicere palàm parum tutum est: Alter, si non decet: Tertius, qui uenustatis modò gratia adhibetur: & ipsa nouitate ac uarietate magis, quàm si relatio sit recta, delectat. Ex his quod est primũ, fre quens in scholis est. Nam & *actiones deponentium imperium tyrannorum, & post ciuile bellũ senatusconsulta finguntur, & capitale est obijcere anteacta, ut quod in foro non expedit, illic nec liceat. Sed schematũ conditio non eadẽ est. Quamlibet enim apertum, quod modò & aliter intelligi possit, in illos tyrannos bene dixeris, quia periculum tantum, non etiam offensa uitatur. Quòd si ambiguitate sententiæ possit eludi, nemo non illi furto fauet. Vera negotia nunquã adhuc habuerunt hanc silentij necessitatem, sed aliã huic simulem, uerùm multò ad agendum difficiliorem, cum personæ potentes obstant, sine quarum reprehensione teneri causa non possit. Ideoq; hoc parcius & circunspectius faciendum, quia nihil interest quomodo offendas, & aperta figura perdit hoc ipsum quod figura est: ideoq; à quibusdam tota res repudiatur, siue intelligatur, siue non. Sed licet

*pactiones

modum adhibere: In primis ne sint manifestæ. Non erunt autẽ si ex uerbis dubijs, & quasi duplicibus petentur, qualis est in ſpecta nuru: Duxi uxorẽ, quæ patri placuit. Aut quod est multò ineptius, compositionibus ambiguis, ut illa controuersia, in qua infamis amore uirginis filiæ pater, raptam eã interrogat, à quo uitiata sit: Quis te, inquit, rapuit? tu pater nescis? Res ipsæ perducant iudicem ad suspicionem, & amoliamur cætera, ut hoc solum supersit. In quo multum etiã affectus iuuant, & interrupta silentio dictio, & cũctationes. Sic enim fiet ut iudex quærat illud, nescio quid, quod ipse fortasse non crederet, si audiret, & ei quod à se inuentum existimat, credat. Sed ne si optimæ quidem sint, esse debent frequentes. Nam densitate ipsa figuræ aperiuntur, nec offensæ minus habẽt, sed autoritatis. Nec pudor uidetur, quòd non palàm obijcias, sed diffidentia. In summa, sic maxime iudex credit figuris, si nos putat nolle dicere. Equidem quandoq; & in personas incidi tales, & in rem quoque (quod est magis rarum) quæ obtineri nisi hac arte non posset. Ream tuebar quæ subiecisse dicebatur marito testamentum, & dicebantur chirographum, marito expirante, hæredes dedisse, & uerum erat. Nam quia per leges institui uxor non poterat hæres, id fuerat actum, ut ad eam bona per hoc tacitum fideicommissum peruenirent. Et caput quidem quæri facile erat, si hoc diceremus palàm, sed per se deperibat hæreditas. Ita ergo fuit nobis agendum, ut iudices illud intelligerent factum, delatores non possent apprehendere ut dictum, & contigit utrunque. Quod non inseruissem, ueritus opinionem iactantiæ, nisi probare uoluissem, in fòro quoque esse his figuris locum. Quædam etiã quæ probare nõ possis, figura potius spargenda sunt. Hæret enim nonnunquam telum istud occultum, & hoc ipso quòd non apparet, eximi non potest. At si idem dicas palàm, & defenditur, & probandum est. Cum autem obstat nobis personæ reuerentia, quod secundum posuimus genus, tanto cautius dicendum est

dum est, quanto ualidius bonos inhibet pudor, quàm metus. Hic uero tegere nos iudex quod sciamus, & uerba ui quadam ueritatis erumpentia credat coërcere. Nam quanto minus, aut ipsi in quos dicimus, aut iudices aut assistentes oderint hanc maledicendi lasciuiam, si nolle nos credant? Aut quid interest, quomodo dicatur, cùm & res & animus intelligitur? Quid dicẽdo deniq; proficimus, nisi ut palàm sit nos facere, quod ipsi sciamus non esse faciendum? Atqui præcipue prima, quibus præcipere cœperam, tempora hoc uitio laborarũt. Dicebant enim libenter tales controuersias quæ difficultatis gratia placent, cum sint multò faciliores. Nam rectũ genus approbari nisi maximis uiribus non potest: hæc diuerticula & anfractus suffugia sunt infirmitati, ut qui cursu parũ ualent, flexu eludũt, cum hæc quæ affectatur ratio sententiarũ, non procul à ratione iocandi abhorreat. Adiuuat etiam quòd auditor gaudet intelligere, & fauet ingenio suo, & alio dicente se laudat. Itaque non solum si persona obstaret rectæ orationi, quo in genere sæpius modo quàm figuris opus est, decurrebant ad schemata, sed faciebãt illis locum etiam ubi personæ inutiles ac nefariæ essent, ut si pater qui infamem in matrem filium secretò occidisset, reus malæ tractationis, iacularetur in uxorem obliquis sententijs. Nam quid impurius quàm retinuisse talem? Quid porrò tam contrarium, quàm eũ qui accusatur, quia summum nefas suspicatus de uxore uideatur, confirmare id ipsa defensione, quod diluendum est? At si iudicum sumerent animum, scirent quàm eiusmodi actionem laturi non fuissent, multoq; etiam minus, cum in parentes abominanda crimina spargerentur. Et quatinus huc incidimus, paulò plus scholis demus. Nam & in his educatur orator, & in eo quo modo declametur, positum est etiam quo modo agatur. Dicendum ergo de ijs quoq;, in quibus non asperas figuras, sed palàm contrarias causæ pleriq; fecerunt: Tyrannidis affectatæ damnatus torqueatur, ut conscios indicet. Accusator eius optet

quod uolet. Patrẽ qui accuſauit, optat ne is torqueatur. Pater eĩ cõtradicit. Nemo ſe tenuit agens pro patre, quin figuras in filium faceret, tanquã illum cõſcium in tormentis eſſet nominaturus. Quo quid ſtultius? Nam cum hoc iudices intellexerint, aut non torquebitur, cum ideo torqueri uelit: aut torto non credetur. At credibile eſt hoc eũ uelle fortaſſe. Diſſimulet ergo ut efficiat. Sed nobis (declamatoribus dico) quid proderit hoc intelexiſſe, niſi dixerimus? Ergo ſi uere ageretur, ſimiliter conſilium illud latens prodidiſſemus. Quid, ſi neq; utiq; uerũ eſt, & habere alias hic damnatus contradicendi cauſas poteſt, uel quòd legẽ cõſeruandam putet, uel quòd nolit accuſatori debere beneficiũ, uel (quod ego maxime ſequerer) ut ſe innocentẽ in tormentis eſſe prætendat? Quare ne illud quidem ſemper ſuccurret ſic dicentibus: Patrocinĩũ hoc uoluit qui controuerſiam finxit. Fortaſſe enim noluit. ſed eſto uoluerit, continuo´ne ſi ille ſtulte cogitauit, nobis quoq; ſtulte dicendum eſt? At ego in cauſis agendis frequenter non puto intuendum quid litigator uelit. Eſt & ille in hoc genere frequens error, ut putent aliud quoſdã dicere, aliud uelle, præcipue cum in themate eſt, aliquem ut ſibi mori liceat poſtulare, ut in illa controuerſia: Qui aliquando fortiter fecerat, & alio bello petierat, ut militia uacaret ex lege, quòd quinquagenarius eſſet, aduerſante filio ire in aciem coactus deſeruit. Filius qui fortiter eodem prælio fecerat, incolumitatẽ eius optat, cõtradicit pater. Non enim, inquiunt, mori uult, ſed inuidiã filio facere. Equidem rideo, quòd illi ſic timent, tanquã ipſi morituri, & in conſilium ſuos metus ferunt, obliti tot exemplorũ circa uoluntariam mortem, cauſarũ quoq; quas habet factus ex uiro forti deſertor. Sed de una cõtrouerſia loqui ſuperuacuũ eſt. Ego in uniuerſum neq; oratoris puto eſſe unquã prævaricari, neq; litem intelligo, in qua pars utraq; idem uelit, neq; tam ſtultum quenquam, qui ſi uiuere uelit, mortem potius male petat, quàm omnino non petat. Non tamen nego eſſe controuerſias

trouerſias huiuſmodi figuratas, ut eſt illa: Reus parricidij, quòd fratrem occidiſſet, damnatũ iri uidebatur. Pater pro teſtimonio dixit, eum ſe iubente fecisſe. Abſolutum abdicat. Nam neq; in totum filio parcit, nec quod priore iudicio affirmauit, mutare palàm poteſt, & ut non durat ultra pœnam abdicationis ira, abdicat tamen, & obliqua figura in patrẽ plus facit quàm licet, in filium minus. Vt autem nemo cõtra id quod uult dicit, ita poteſt aliquid melius uelle quàm dicit. Quo modo ille abdicatus, qui à patre ut filium expoſitum, & ab eo educatum ſolutis alimentis recipiat poſtulat, reuocari fortaſſe mauult, non tamen quod petit non uult. Eſt latens & illa ſignificatio, qua cum ius aſperius petitur à iudice, fit ei tamen *ſpecies aliqua clementiæ non palàm, ne paciſcamur, ſed per quandã credibilem ſuſpicionem, ut in multis cõtrouerſijs, ſed in hac quoq;: Raptor niſi intra trigeſimum diem, & raptæ patrem, & ſuum exorauerit, pereat. Qui exorato raptæ patre ſuum non exorat, agit cum eo dementiæ. Nam ſi palàm promittat hic pater, lis tollitur: Si nullã ſpem faciat, ut non demens, crudelis certe uideatur, & à ſe iudicẽ auertat. Latro igitur optime. Occidet ergo, ſi potero. Remiſſius, & pro ſuo ingenio pater Gallio, Dura anime hodie, dura, heri fortior fuiſti. Confinia ſunt his celebrata apud Græcos ſchemata, per quæ res aſperas mollius ſignificãt. Nam Themiſtocles ſuaſiſſe exiſtimatur Atheniẽſibus, ut urbem apud deos deponerẽt, quia durũ erat dicere, ut relinquerẽt: & qui uictorias aureas in uſum belli conflari uolebat, ita declinauit, uictorijs utendũ eſſe. Totum autem allegoriæ ſimile eſt, aliud dicere, aliud intelligi uelle. Quæſitum etiam eſt quo modo contra figuras reſponderi oporteat, & quidam ſemper ex diuerſo aperiendas putauerũt, ſicut latentia uitia reſcinduntur. Idq; ſanè frequentiſſime faciendum eſt, aliter enim dilui obiecta nõ poſſunt, utiq; cum quæſtio in eo conſiſtit, quod figuræ petunt. At cum male dicta ſunt tantum, & non intelligere interim bonæ conſcientiæ eſt: atque

*ſpes

etiam si fuerint crebriores figuræ,quàm ut dißimulari poßint, poßulandum est, ut illud nescio quid, quod aduersarij obliquis sententijs significare uoluerint, si fiducia sit, obijciant palàm, aut certe non exigant,ut quod ipsi non audent dicere, id iudices non modò intelligant, sed etiam credant. Vtilis etiam aliquando dißimulatio est,ut in eo(nota enim fabula est) qui cum esset contra cum dictum,Iura per patroni tui cineres,paratum se esse respõdit, & iudex conditione usus est,clamante multum aduocato,schemata de rerum natura tolli:ut protinus etiã præceptum sit,eiusmodi figuris utendum temere non esse. Tertium est genus, in quo sola melius dicendi petitur occasio, ideoq; id Cicero non putat esse positum in contentione. Tale est illud, quo idem utitur in Clodium: Quibus iste, qui omnia sacrificia nosset, facile à se deos placari posse arbitrabatur. Ironia quoq; in hoc genere materiæ frequentißima est. Sed eruditißimum longe,si per aliam rem alia inducatur,ut cũ aduersus tyrannum, qui sub pacto abolitionis dominationem deposuerat, agit competitor: Mihi in te dicere nõ licet,tu in me dic, & potes. Nuper te uolui occidere.Frequens illud est,nec magnopere captandum, quod petitur iureiurando, ut est pro exhæredato: Ita mihi contingat hærede filio mori.Nam in totum iurare,nisi ubi necesse est, graui uiro parum conuenit. Et est à Seneca dictum eleganter,non patronorum hoc esse,sed testium. Nec meretur fidem,qui sententiolæ gratia iurat, nisi si potest tam bene quàm Demosthenes,ut suprà dixi.Leuißimum autem longe genus ex uerbo,etiamsi est apud Ciceronem in Clodiam: Præstim quam omnes amicam omnium potius, quàm cuiusquam inimicam putauerunt. Comparationẽ equidem uideo figuram non esse,cùm sit interim probationis,interim etiam causæ genus,& sit talis eius forma,qualis est pro Murena: Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas, ille ut quò contendit, mature cum exercitu perueniat.Te gallorum,illum buccinarum cantus exuscitat

exuscitat, & cætera:nescio an orationis potius quàm sententiæ sit.Id enim solum mutatur,quòd non uniuersa uniuersis, sed singula singulis opponuntur. Et Celsus tamen, & non negligens autor Visellius,in hac eam parte posuerunt. Rutilius quidẽ Lupus in utroq; genere,idq; ἀνήθειαν uocat. Præter illa uero quæ Cicero inter lumina posuit sententiarum, multa alia, & idem Rutilius Gorgiam secutus, non illum Leontinum, sed alium sui temporis,cuius quatuor libros in unum suum trãstulit,& Celsus uidelicet Rutilio accedens, posuerunt schemata, Cõsummationem,quam Græcus διαλλαγὴν uocat,cùm plura argumenta ad unum effectum deducuntur. Consequens, ille ἐπακολούθησιν, de quo nos in argumentis diximus. Collectionem, qui apud illum est συλλογισμὸς. Minas, id est, κατάπληξιν. Exhortationem πδραινετικὸν, quorum nihil non rectum est, nisi cum aliquam ex his de quibus locuti sumus,figuram accipit. Præter hæc Celsus excludere, assueuerare,detrectare,excitare iudicem, prouerbijs uti, & uersibus,& ioco,& inuidia,& inuocatione,intendere crimen, quod est δέήσις, adulari, ignoscere,fastidire, admonere, satisfacere, precari, corripere, figuras putat.Partitionem quoque, & propositionem, & diuisionem,& rerum duarum cognationem, quod est ut idem ualeant,quæ uidentur esse diuersa,ut non is demum sit ueneficus,qui uitam abstulit data potione, sed etiam qui mentem. Quod est in parte finitionis. Rutilius siue Gorgias, ἀναγκαῖον, ἀνάμνησιν, ἀνθυποφορὰν, ἀνήρησιν, πδραίρεσιν, προέκθεσιν, quod est dicere quid fieri oportuerit, deinde quid factum sit, ἐνθυμότητα unde sit enthymema, κατ' ἀνάπαυσιν, μετάληψιν, κατ' ἀνάγκην etiam,quo statu Hermagoras utitur. Visellius, quanquã paucißimas faciat figuras, facit ἐνθύμημα tamen,quod cõmentũ uocat,& rationẽ appellans, ἐπιχείρημα inter eas habet. Quod quidem recipit quodammodo & Celsus, nam consequens an epichirema sit dubitat. Visellius adijcit & sententiam.Inuenio qui aggregent his διασκευὰς ἀπαγορεύσεις,

παραδιηγήσεις. Sed ut hæc non ſunt ſchemata, ſic alia uel ſunt forſitan ac nos fugerunt: uel etiam noua fieri adhuc poſſunt, eiuſdem tamen naturæ cuius ſunt ea de quibus dictum eſt.

De figuris uerborum. CAP. III.

VErborum uero figuræ, & mutatæ ſunt ſemper, & utcunque ualuit conſuetudo, mutantur. Itaq; ſi antiquum ſermonem noſtro comparemus, penè iam quicquid loquimur figura eſt: ut huic rei inuidere, non ut omnes ueteres, & Cicero præcipue hanc rem, & incumbere illi, non in illum, & plenum uino, non uini, & huic non hunc adulari, iam dicitur, & mille alia, utinamq; non peiora uincant. Verum ſchemata λέξεως, duorum ſunt generum, alterum loquendi rationem uocant: alterum, quod collocationẽ, maximè exquiſitum eſt. Quorum tametſi utrunq; conuenit orationi, tamen poſsis illud grãmaticum, hoc magis rhetoricum dicere. Prius fit ijſdem generibus quibus uitia. Eſſet enim omne ſchema uitium, ſi non peteretur: ſed accideret. Verum autoritate, uetuſtate, conſuetudine plerunq; defenditur, ſæpe etiam ratione quadam. Ideoq; cum ſit à ſimplici rectoq; loquendi genere deflexa, uirtus eſt, ſi habet probabile aliquid quod ſequatur. Vna tamen in re maxime utilis, ut quotidiani, & ſemper eodem modo formati ſermonis, faſtidiũ leuet, & nos à uulgari dicendi genere defendat. Quo ſi quis parcè, & cum res poſcet, utetur, uelut aſperſo quodam condimento iucundior erit. At qui nimium affectauerit, ipſam illam gratiam uarietatis amittet. Quanquã ſunt quædam figuræ ita receptæ, ut penè iam hoc ipſum nomen effugerint, quæ etiam ſi fuerint crebriores, aures conſuetas minus ferient. Nam & ſecretæ, & extra uulgarem uſum poſitæ, ideoq; magis nobiles, ut nouitate aurem excitant, ita copia ſatiant: nec ſe obuias fuiſſe dicenti, ſed conquiſitas, & ex omnibus latebris extractas congeſtasq; declarant. Fiunt ergo & circa genus figuræ in nominibus. Nam & oculis capti talpæ, & timidi damæ dicũtur à Vergilio: ſed ſubeſt ratio,

ratio, quia ſexus uterque altero ſignificatur. Tam enim mares eſſe talpas damasq;, quàm fœminas certũ eſt. Et in uerbis, ut fabricatus eſt gladium, & inimicos punitus eſt. Quod mirum minus eſt, quod in natura uerborum eſt, & quæ facimus patiendi modo ſæpe dicere, ut arbitror, ſuſpicor: & contrà faciendi, quæ patimur, ut uapulo: ideoq; frequens permutatio eſt, & pleraq; utroq; modo efferũtur, luxuriatur luxuriat, fluctuatur fluctuat, aſſentior aſſentio, reuertor reuerto. Eſt figura & in numero, uel cum ſingulari pluralis ſubiungitur: Gladio pugnaciſſima gens Romani. Gens enim ex multis. Vel è diuerſo:

–Cui non riſere parentes, Vergil. in
Nec deus hunc menſa, dea nec dignata cubili eſt. Aegl.

Ex illis enim qui non riſere, hunc non dignatus deus, nec dea dignata. Et mutatione partium, ut in Satyria:

–Et noſtrum iſtud uiuere triſte Aſpexi. cum infinito uerbo ſit uſus pro appellatione. Noſtram enim uitam uult intelligi. Vtimur & uerbo pro participio, ut:

–Magnum dat ferre talentum. tanquam ferendum.

Et participio pro uerbo, Volo datum. Interim etiam dubitari poteſt, cui ſimile ſit ſchema, ut in hoc: Virtus eſt uitium fugere– Aut enim partes orationis mutant ex illo: Virtus eſt fuga uitiorum, aut caſus ex illo: Virtutis eſt uitium fugere. Multa tamen hoc utroque excitatius. Iunguntur interim ſchemata, Sthenelus ſciens pugnæ. Eſt etiim ſciens Sthenelus pugnandi. Transferuntur etiam tempora: Timarchides negat eſſe ei periculum à ſecuri: Præſens enim pro præterito poſitum eſt. Et futurum pro præſenti, Hoc Ithacus uelit– Et ne te morer, per omnia ſit genera, per quæ ſit ſolœciſmus: hæc eſt quoq; quam ὑποφορὰν uocant, cum diſſimilis eſt, tum zeugma dicitur, ut apud Salluſtium: Neque ea res falſum me habuit. & Duci probare. Ex quibus ferè præter nouitatẽ, breuitas etiam peti ſolet. Vnde eouſque proceſſum eſt, ut non pœniturum, pro non

acturo pœnitentiã: & uisuros, ad uidendum missos, idem autor dixerit. Quæ ille quidẽ fecerit schemata, an idem uocari poßint uidendum, quia recepta sint. Nam receptis etiam uulgo autore contenti sumus. Verum natura eualuit à gentibus, quod Pollio in Labieno damnat: & contumeliam fecit, quod à Cicerone reprehendi notum est. Affici enim contumelia dicebant. Alia commendatio uetustatis, cuius amator unice Vergilius fuit:

Aeneid. 11. Vel cum se pauidum contra mea iurgia iactat:
Progeniem sed enim Troiano à sanguine duci Audierat.

Quorum similia apud ueteres tragicos, comicosq́; sunt plurima. Illud etiam in cõsuetudine remansit. Enimuero his amplius apud eundem: Nam quis te iuuenum confidentißime- cùm quis sermonis initium sit. &:

Georg. 4. Tam magis illa tremens, & tristibus effera flammis,
Quàm magis effuso crudescunt sanguine pugnæ. Quod est uersum ex illo: Quàm magis ærumna uiget, tam magis ad malefaciendum urget. Pleni talibus antiqui, sicut initio Eunuchi Terentius: Quid igitur faciam, inquit. Allusit tandem leno. Catullus in Epithalamio:
-Dum innupta manet, dum chara suis est.

Sed prius dum, significat quoad: sequens, usque eo. Ex Græco uero translata uel Sallustij plurima, quale est, Vulgus amat fieri: uel Horatij. Nam id maxime probat hoc Ciceronis.

Et mutatio casus: ut, -Nec longe inuidit auenæ.
Et Vergilij: -Tyrrhenum nauigat æquor.

Etiam uulgatum actis quoq;, Saucius pectus. Ex eadem parte figurarum additio & abiectio est. Illaq́; prior uideri potest superuacua, sed non sine gratia est:

Nam neq; Parnaßi uobis iuga, nam neq; Pindi. Potest enim deesse alterum nam. Et apud Horatium illud: -Fabriciumq́; Hunc, & intonsis Curium capillis. poßis demere hunc.

Est etiam adiectio, quæ in complexu sermonis aut uitium habet, aut

bet, aut figuram. Figuram, ut, Accede ad ignem hunc, iam calesces plus satis. De altera quæ detractio est, pluribus dicendum est. Vtimur uulgò & comparatiuis pro absolutis, ut cum se quis infirmiorem esse dixerit, duo inter se comparatiua committimus: Si te Catilina comprehendi, si interfici iussero, credo erit uerendum mihi, ne non potius omnes boni serius à me, quàm quisquam crudelius factum esse dicat. Sunt illa non similia solœcismo quidem, sed tamen numerum mutantia, quæ & tropis aßignari solent, ut de uno pluraliter dicamus:

Sed nos immensum spatijs confecimus æquor.

Et de pluribus singulariter:

Haud secus ac patrijs acer Romanus in armis,

Specie diuersa, sed genere eadem & hæc sunt:

Ne´ue tibi ad solem uergant uineta cadentem:
Nec mihi tum molles sub diuo carpere somnos,
Neu dorso nemoris libeat iacuisse per herbas.

Non enim nescio cui alij prius, nec postea sibi uni, sed omnibus præcipit. Et de nobis loquimur tanquam de alijs: Dicit Seruius. Negat Tullius. Et nostra persona utimur pro aliena, & alios pro alijs fingimus. Vtriusq; rei exemplum pro Cecinna, Pisonem aduersæ partis aduocatum alloquens Cicero dicit: Restituisse te dixti. Nego me edicto prætoris restitutum esse. Verum enim illud restituisse Ebutius dixit. Nego me, Cecinna, edicto Prætoris restitutum esse. Vbi & ipsum dixti extrita syllaba, figura in uerbo est. Illa quoque ex eodem genere possunt uideri: quam nos interpositionem, uel interclusionem dicimus, Græci παρένθεσιν uocant, dum continuationi sermonis medius aliquis sensus interuenit: Ego cum te (mecum enim sæpißime loquitur) patriæ reddidissem. Cui adijciunt Hyperbaton, nõ illud quod inter tropos esse uoluerunt, sed alterum, quod est eius figuræ sententiarum, quæ ἀποστροφὴ dicitur, simile: cùm non sensus mutatur, uerum forma eloquendi:

-Decios,

–Decios, Marios, magnosq; Camillos,
Scipiadas duros bello, & te maxime Cæsar.

Acutius adhuc in Polydoro:

Aeneid.3. Fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur. quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames? Qui tam parua momenta nominibus discreuerunt, μετάβασιν uocant, quam & aliter fieri putant: Quid loquor, aut ubi sum? Coniunxit autem πδρένθεσιν & ἀποσροφὴν Vergilius in illo loco:

Aeneid.9. Haud procul inde citæ Metium in diuersa quadrigæ
Distulerant (at tu dictis Albane maneres)
Raptabatq; uiri mendacis uiscera Tullus.

Hæc schemata, aut his similia, quæ erunt per mutationem, adiectionem, detractionem, ordinem, & conuertunt in se auditorem, nec languere patiuntur, subinde aliqua notabili figura excitatum, & habent quandam ex illa uitij similitudine gratiã, ut in cibis interim acor ipse iucundus est. Quod continget, si neq; supra modum multæ fuerint, nec eiusdem generis, aut iunctiæ, aut frequẽtes, quia satietatem ut uarietas earum, ita raritas effugit. Illud est acrius genus, quod non tantum in ratione positum est loquendi, sed ipsis sensibus tum gratiam, tum etiam uires accõmodat. E` quibus primum sit, quod fit per adiectionem. Plura sunt genera: nam & uerba geminantur uel amplificandi gratia: ut, Occidi, occidi non Sp. Melium. Alterũ est enim quod indicat, alterum quod affirmat. Vel miserandi, ut: Ah Corydon, Corydon– Quæ eadem figura nonnunquam per ironiam ad eleuandum conuertitur. Similis geminationis, post aliquam interiectionem, repetitio est, sed paulò etiã uehementior: Bona, miserum me (consumptis enim lachrymis, tamen infixus animo hæret dolor) bona, inquã, Cn. Pompeij acerbissimæ uoci subiecta præconis. Viuis, & uiuis nõ ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Et ab ijsdem uerbis plura acriter & instanter

instanter incipiunt: Nihil´ne te nocturnum præsidium palatij, nihil urbis uigiliæ, nihil timor populi, nihil cõsensus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora uultusq; mouerunt? Et ijsdem desinunt: Quis eos postulauit? Appius: Quis perduxit? Appius. Quanquã hoc exemplum ad aliud quoque schema pertinet, cuius initia inter se & fines ijdẽ sunt, quis & quis, Appius & Appius. Quale est: Qui sunt qui fœdera sæpe ruperunt? Carthaginienses. Qui sunt qui bellum crudelissime gesserunt? Carthaginienses. Qui sunt qui Italiam deformarũt? Carthaginiẽses. Qui sunt qui sibi ignosci postulant? Carthaginienses. Etiam in contrapositis uel comparatiuis, solet respondere primorum uerborum alterna repetitio, quod modò huius esse loci potius dixi: Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas: ille, ut eò quò intendit, mature cum exercitu perueniat. Te Gallorum, illum buccinarum cantus excitant. Tu actionem instituis, ille aciem instruit. Tu caues ne consultores tui, ille ne urbes, aut castra capiantur. Sed hac gratia non fuit contentus orator, uertit in contrarium eandem figuram. Ille tenet & scit ut hostium copiæ, tu ut aquæ pluuiæ arceantur. Ille exercitatur in propagandis finibus, tu in regendis. Possunt media quoq; respondere, uel primis, ut:

Te nemus Angitiæ, uitrea te Fucinus unda.

Vel ultimis, Et hæc nauis onusta præda Sicilienſi, cum ipsa quoque esset etiam præda. Nec quisquam dubitauit idem posse fieri iteratis utrinque medijs. Respondent primis & ultima: Multi & graues dolores inuenti parentibus, & propinquis multi. Est & illud repetendi genus, quod semel proposita iterat & diuidit:

Iphitus & Pelias mecum, quorum Iphitus æuo
Iam grauior, Pelias & uulnere tardus Vlyssi.

Ἐπάνοδος dicitur Græce, nostri regressionem uocant. Nec solum in eodem sensu, sed etiam in diuerso eadem uerba contrà

sumuntur

ſumuntur: Principum dignitas erat penè par, non par fortaſſe eorum qui ſequebantur. Interim uariatur caſibus hæc & generibus iteratio: Magnus eſt labor dicendi, magna res eſt. Et apud Rutiliũ longiore πολυπτώτῳ & hæc initia ſententiarũ ſunt: Pater hic tuus? patrem hunc appellas? patris tu huius filius es? Fit caſibus modò hoc ſchema, quod πολυπτώτῳ uocant. Conſtat & alijs etiam modis, ut pro Cluentio: Quod autem tempus ueneni dandi? illo die? in illa frequentia? per quem porrò datum? unde ſumptum? quæ porrò interceptio poculi? cur non de integro autem datum? Hanc rerum coniunctam diuerſitatem Cæcilius μεταβολὴν uocat, qualis eſt pro Cluentio locus in Oppianicum: illum tabulas publicas uiolaſſe, cenſorias corrupiſſe, decuriones uniuerſi iudicauerunt: cum illo nemo rationẽ, nemo rem ullam contrahebat, nemo illum ex tam multis cognatis & affinibus tutorem unquam liberis ſuis ſcripſit. & deinceps adhuc multa. Vt hæc in unum congeruntur, ita cõtrà illa diſperſa ſunt, quæ à Cicerone diſſipata dici puto:

Hic ſegetes, illic ueniunt felicius uuæ,
Arborei fœtus alibi. & deinceps.

Illa uero apud Ciceronem mira figurarum mixtura deprehenditur, in qua & primo uerbo longo pòſt interuallo redditum eſt ultimum, & media primis, & medijs ultima congruunt: Veſtrum iam hic factum deprehenditur P. C. non meum, ac pulcherrimum quidem factum, uerum ut dixi, non meum ſed ueſtrum. Hanc frequentiorem repetitionem πλόκην uocant, quæ fit ex permixtis figuris, ut ſuprà dixi, utq; ſe habet epiſtola ad Brutum: Ego cum in gratiam redierim cum Appio Claudio, & redierim per Cn. Pompeium, te ego ergo cum redierim. Et in eiſdem ſententijs crebrioribus mutata declinationibus iteratione uerborum, ut apud Perſium: -Vſq; adeo´ne
Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter?
Et apud Ciceronẽ: Neq; enim poterat indicio ex his damnatis qui indi

qui indicabantur. Sed ſenſus quoq; toti quemadmodũ cœperũt, deſinent: Venit ex Aſia, hoc ipſum quàm bonum? Tri.pl. uenit ex Aſia. In eadem tamen periodo & uerbũ ultimũ primo refertur: tertium iam ſermone adiectum eſt: Verũtamen uenit. Interim ſententia quidem repetitur, ſed eodem uerborum ordine: Quid Cleomenes facere potuit? Non enim poſſum quẽquam inſimulare falſo: Quid inquã Cleomenes facere potuit? Prioris ſententiæ uerbum ultimum ac ſequentis primum frequenter eſt idem, quo quidem ſchemate utuntur Poëtæ ſæpius:

Pierides uos hæc facietis maxima Gallo,
Gallo cuius amor tantum mihi creſcit in horas.

Sed ne oratores quidem raro: Hic tamen uiuit, uiuit? imò etiam in ſenatum uenit. Aliquando, ſicut in geminatione uerborum diximus, initia quoq; & clauſulæ ſententiarum alijs, ſed non aliò tendentibus uerbis, inter ſe conſonant. Initia hoc modo: Dederim periculis omnibus, obtulerim inſidijs, obiecerim inuidiæ. Rurſus Clauſulæ, ibidem ſtatim: Vos enim ſtatuiſtis, uos ſententiam dixiſtis, uos iudicaſtis. Hoc alij μετωνυμίαν, alij diſiunctionem uocant, utrũq;, etiãſi eſt diuerſum, recte. Nam eſt nominum idẽ ſignificantiũ ſeparatio. Cõgregantur quoq; uerba idẽ ſignificantia: Quæ cum ita ſint Catilina, perge quò cœpiſti: Egredere aliquãdo ex urbe: Patent portæ, proficiſcere. Et in eundem alio libro: Abijt, exceſſit, erupit, euaſit. Hoc Cæcilio πλεονασμὸς uidetur, id eſt, abundans ſupra neceſſitatem oratio, ſicut illa: Vidi oculis antè ipſe meis. In illo enim uidi, ineſt ipſe. Verum id (ut alio quoq; loco dixi) cùm ſuperuacua oneratur adiectione, uitium dicitur: cum autem auget manifeſtam ſententiã, ſicut hic, uirtus: Vidi, ipſe, antè, oculis. quot uerba, totidem ſunt affectus. Cur tamen hæc proprie nomine tali notarit, non uideo. Nam & geminatio & repetitio & qualiſcunq; adiectio πλεονασμὸς uideri poteſt. Nec uerba modò, ſed ſenſus quoque idem facientes aceruãtur: Perturbatio iſtum mentis, & quædam ſcelerum

lerum offusa caligo,& ardentes furiarũ faces excitarunt. Congeruntur & diuersa: Mulier, tyranni sæua crudelitas, patris amor, ira præceps, temeritas, dementia. Et apud Ouidium:

Ouid. 5. Metamorph.

Sed graue Nereidum numen, sed corniger Ammon,
Sed quæ uisceribus ueniebat bellua ponti Exaturanda meis.

Inueni qui & hoc uocarent πλεοναζον, cui non assentior, cum sint unius figuræ: mixta quoq;, & idem & diuersum significantia, quod & ipsum διαλλαγὴν uocant: Quæro ab inimicis, sintne hæc inuestigata, comperta, patefacta, sublata, deleta, extincta per me. Et inuestigata, comperta, patefacta, aliud ostẽdunt: Sublata, deleta, extincta, sunt inter se simulia, sed non etiam prioribus. Et hoc autem exemplum, & superius aliam quoq; efficiunt figuram: quæ quia cõiunctionibus caret, Dissolutio uocatur, apta cum quid instantius dicimus. Nam & singula inculcantur, & quasi plura fiunt. Ideoq; utimur hac figura, nõ in singulis modò uerbis, sed sententijs etiã: ut Cicero dicit contra concionem Metelli, Qui indicabãtur, eos uocari, custodiri, ad senatũ adduci iussi, in senatu sunt positi. Et totus hic locus. Rutilius hoc genus διάλυσιν uocat, eorũ quæ possunt esse copulata, dissolutionẽ. Cõtrariũ est schema, quod cõiunctionibus abũdat. Illud ἀσύνδετον, hoc πολυσύνδετον dicitur, hoc est uel ijsdẽ sæpius repetitis, ut:

–Tectumq; laremq;
Armaq; Amycleumq; canem, Cressamq; pharetram.

Vel diuersis: Arma uirumq;– Multum ille & terris–
Multa quoq; & bello.

Aduerbia quoq; & pronomina uariantur.

Hic illum uidi iuuenem– Bissenos cui nostra dies–
Hic mihi responsum primus dedit ille petenti.

Sed utrunque horum coaceruatio: etenim tantum iuncta aut dissoluta. omnibus scriptores sua nomina dederunt: sed uaria, & ut cuique fingenti placuit. Fons quidem unus, quia acriora facit, & instantiora quæ dicimus, & uim quandam præ se ferentia

rentia, uelut sæpius erumpentis affectus. Gradatio quæ dicitur κλῖμαξ, apertiorem habet artem, & magis affectatam, ideoq; esse rarior debet. Est autem ipsa quoque adiectionis. Repetit enim quæ dicta sunt, & priusquam ad aliud descendat, in prioribus resistit. Eius exemplum ex Græco notissimo transferatur: Nec hæc dixi quidem, sed nec scripsi: nec scripsi quidem, sed nec obij legationem: nec obij quidem, sed nec persuasi Thebanis. Sunt tamen erudita & latina. Africano uirtutem industria, uirtus gloriam, gloria æmulos comparauit. Et Calui: Non ergo magis pecuniarum repetundarum quàm maiestatis, neque maiestatis magis quàm Plautiæ legis, neque Plautiæ legis magis quàm ambitus, neque ambitus magis quàm omnium legum iudicia perierunt. Inuenitur apud Poëtas quoq;, ut apud Homerum de sceptro quod à Ioue ad Agamemnonẽ usq; deducit, & apud nostrum etiam Tragicum:

Ioue propagatus est, ut perhibent, Tantalus,
Ex Tantalo Pelops, ex Pelope autem satus
Atreus, qui nostrum porrò propagat genus.

At quæ per detractionem fiunt figuræ, breuitatis nouitatisq; maxime gratia petuntur, quarum una est ea, quam libro proximo in figuras distuli, Synecdoche, cum subtractum uerbum aliquod satis ex cæteris intelligitur, ut Cælius in Antonium: Stupere gaudio Græcus. Simul enim auditur cœpit. Cicero ad Brutum, Sermo nullus, scilicet nisi de te. Quid enim potius? Tum Flauius: Erras, inquit, tabellarie, & ego ibidem orans inter cœnam exoraui. Cui simulia sunt illa meo quidem iudicio, in quibus uerba decenter pudoris gratia subtrahuntur:

Nouimus & qui te, transuersa tuentibus hirquis,
Et quo, sed faciles Nymphæ riscre, sacello.

Hanc quidam Aposiopesim putant, frustra. Nam illa quid taceat incertum est, aut certe longiore sermone explicandum. Hic unum uerbum, & manifestum quidem desideratur, quæ si

Aposiopesis est, nihil in quo deest aliquid, non idem appellabitur. Ne ego illud quidem Aposiopesim semper uoco, in quo res quæcunq; relinquitur intelligenda, ut ea quæ in epistolis Cicero: Data Lupercalibus, quo de Antonius Cæsari. quia nihil hic aliud intelligi poterat, quàm hoc, diadema imposuit. Altera est per detractionem figura, de qua modò dictum est, cui coniunctiones eximuntur. Tertia quæ dicitur σωειδυγμένον, in qua unum ad uerbum plures sententiæ referuntur, quarũ unaquæq; desideraret illud, si sola poneretur. Id accidit aut præposito uerbo ad quod reliqua respiciant, Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Aut illato, quo plura clauduntur: Neq; enim is es Catilina, ut te aut pudor unquam à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore reuocauerit. Medium quoq; potest esse, quod & prioribus & sequentibus sufficiat. Iungit autem & diuersos sexus, ut cũ marem fœminamq; filios dicimus. Et singularia pluralibus miscet. Sed hæc adeò sunt uulgaria, ut sibi artem figurarum asserere nõ possint. Illud planè figura est, qua diuersa sermonis forma coniungitur.

—Socijs tunc arma capessant
Edico, & dira bellum cum gente gerendum.

Quamuis enim pars bellum posterior participio insistat, utriq; tamen conuenit illud edico, nam utriq; detractionis gratia facta coniunctio. Σωοικείωσιν uocant, quæ duas res diuersas colligat: Tam deest auaro quod habet, quàm quod nõ habet. Huic diuersam uolunt esse distinctionẽ, cui dant nomen παραδιασολὴν, qua similia discernũtur, Cũ te pro astuto sapientẽ appelles, pro confidente fortem, pro illiberali diligentẽ: quod pendet ex finitione, ideoq; an figura sit dubito. Cui contraria est ea quæ ex uicinia transit ad diuersa aut simulia: —Breuis esse laboro, Obscurus fio, & quæ sequuntur. Tertium est genus figurarũ, quæ aut similitudine aliqua uocum, aut paribus, aut contrarijs uertunt in se aures & animos excitant. Huic nomen est παρονομασία, quæ

dicitur agnominatio. Ea non uno modo fieri solet, sed ex uicinia quadam prædicti nominis ducta casibus declinatur, ut Domitius Afer pro Cloantilla: Mulier rerum omnium imperita, in omnibus rebus infelix. Et cũ uerbo idem uerbum plus significanter subiungitur: Quando homo, hostis homo. Quibus exemplis sum in aliud usus, sed in uno facilis est geminatio. Παρονομασία ei contrariũ est, quod eodem uerbo quasi falsum * augetur. Quæ lex priuatis hominibus esse lex non uidebatur. Cui cõfinis est ἀντανάκλασις, eiusdem uerbi contraria significatio, cum Proculeius quereretur de filio, quòd is mortem suam expectaret, & ille dixisset, se uero non expectare: Imò inquit, rogo expectes. Non ex eodem sed diuerso uicinũ accipitur, cùm supplicio afficiendum dicas, quẽ supplicatione dignũ iudicaris. Aliter quoq; uoces aut eædem diuersa in significatione ponuntur, aut productione tantum uel correptione mutatæ, quod etiam in iocis frigidum: equidem tradi inter præcepta miror, eorumq; exempla uitandi potius quàm imitandi gratia pono: Amari iucundum est, si curetur ne quid insit amari. Auium dulcedo ad auium ducit. Et apud Ouidium ludentem, Cur ego non dicam Furia te furiam. Cornificius hanc traductionem uocat, uidelicet alterius intellectus ad alterũ. Sed elegantius, quod est positũ in distinguendam rei proprietatem: Hanc reipublicæ pestem paulisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse. Et quæ præpositionibus in contrarium mutantur. Non emissus ex urbe, sed immissus in urbem esse uideatur. Melius atq; acrius, quod cũ figura iucundum est, tum etiam sensu ualet. Emit morte immortalitatẽ. Illa leuior est: Non Pisonum, sed pistorum, & ex aratore orator. Pessimum uero: Ne patres conscripti uideantur circumscripti. Raro euenit sed uehementer uenit. Sic contingit, ut aliquis sensus uehemens & acer uenustatem aliquam non eodem ex uerbo non dissonã accipiat. Et cur me prohibeat pudor uti domestico exemplo? Pater meus contra eum qui se legationi immoriturum

*negatur

dixerat, deinde uix paucis diebus insumptis re infecta redierat, Non exigo uti immoriaris legationi, immorare. Nam & ualet sensus ipse, & in uerbis tantũ distantibus iucunde cõsonat uox, præsertim nõ captata, sed uelut oblata, cũ altero suo sit usus, alterũ ab aduersario acceperit. Magnæ ueteribus curæ fuit, gratiã dicendi è paribus cõtrarijs acquirere. Gorgias in hoc immodicus, copiosus utiq; prima ætate Isocrates fuit. Delectatus est his etiam M. Tullius, uerum & modum adhibuit non ingratæ (nisi copia redundet) uoluptati, & rem alioqui leuem sententiarum pondere impleuit. Nam per se frigida & inanis affectatio cum in acreis incidit sensus, innata uidetur esse non accersita. Similiũ ferè quadruplex ratio est. Nam est primũ, quoties uerbum uerbo simile, aut non dißimile ualde quæritur, ut:

–Puppesq́; tuæ pubesq́; tuorum.

Et, Sic in hac calamitosa fama, quasi in aliqua perniciosißima flamma. Et: Non enim tam spes laudanda, quàm res est. Aut certe par est extremis syllabis consonans: Non uerbis sed armis. Et hoc quoque quoties in sententias acres incidit pulchrum est: Quantum poßis in eo semper experire ut prosis: hoc est πάρισον, ut plerisq; placuit. Cleosteleus πάριβον existimat, quod sit è membris non dißimilibus. Secundum ut clausula similiter cadat, uel ijsdem in ultimam partem collatis, ὁμοιοτέλευτον similem duarum sententiarum uel plurium finem. Non modò ad salutem eius extinguendam, sed etiam gloriam per tales uiros infringendam. Ex quibus ferè sunt, non tamen ut semper ultimis consonent, quæ τρίκωλα dicunt: Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationẽ amentia. Sed in quaternas quoq;, ac plures hæc ratio ire sententias potest. Fit etiam singulis uerbis: Hæc cubat, dolet, piget, pudet. Et: Abijt, exceßit, erupit, euasit. Tertium est quod in eosdem casus cadit, ὁμοιόπτωτον dicitur. Sed neque quod finem habet similem, est ὁμοιόπτωτον: utique in eundem finem uenit ὁμοιοτέλευτον. Quia ὁμοιόπτωτον, est tantum casus similis

similis, etiamsi dißimilia sunt quæ declinentur, nec tantum in fine deprehenditur, sed respondent uel prima inter se, uel medijs, uel extremis, uel etiam permutatis his, ut media primis, & summa medijs accommodentur, & quocunque modo accommodari poterunt. Nec enim semper paribus syllabis constat, ut est apud Afrum: Amisso nuper infelicis aulæ si non præsidio inter pericula, tamẽ solatio uitæ inter aduersa. Ea uerò uidentur optima in quibus initia sententiarum & fines consentiunt, ut hic, Præsidio, solatio, & ut penè similia sint uerbis, & paribus cadant, & eodem desinant modo. Etiam ut sint, quod est quartum, membris æqualibus, quod ἰσόκωλον dicitur: Si quantum in agro locisq́; desertis audacia potest, tantum in foro atq; iudicijs impudentia ualeret, ἰσόκωλον est, & ὁμοιόπτωτον habet. Non minus nunc in causa cederet A. Cecinna Sexti Ebutij impudentiæ, quàm tum in ui faciẽda ceßit audaciæ, ἰσόκωλον, ὁμοιόπτωτον, ὁμοιοτέλευτον. Accedit & ex illa figura gratia, qua nomina dixi mutatis casibus repeti. Non minus cederet quàm ceßit. Adhuc ὁμοιοτέλευτον & παρωνομασία est: Neminem posse alteri dare matrimonium, nisi quem penes sit patrimonium. Contrapositum autem, uel ut quidam uocant, contentio (ἀντίθετον dicitur) non uno fit modo. Nam & fit si singula singulis opponuntur, ut in eo quod modò dixi, Vicit pudorem libido, timorem audacia. Et bina binis: Non nostri ingenij, uestri auxilij est. Et sententiæ sentẽtijs, Dominetur in concionibus, iaceat in iudicijs. Cui commodißime subiungitur & ea species, quam distinctionem diximus: Odit populus Romanus priuatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit. Et quæ sunt simili casu, dißimili sentẽtia in ultimo locata, ut: Quod in tempore mali fuit, nihil obsit, quin quod in causa boni fuit, prosit. Nec semper contrapositũ subiungitur, ut in hoc: Est igitur iudices non scripta, sed nata lex. Verũ, sicut Cicero dicit, quod de singulis rebus propositis refertur ad singula, ut in eo quod sequitur: Quam non didicimus,

accepimus,legimus,uerum ex natura ipsa arripuimus,hausimus, expreßimus. Nec semper quod aduersum est cõtraponitur,quale est apud Rutiliũ: Nobis primũ dij immortales fruges dederũt, nos quæ soli accepimus,in omnes terras distribuimus. Nobis maiores nostri rẽpub.reliquerũt:nos etiã socios nostros de seruitute eripuimus. Fit etiã aßumpta illa figura, qua uerba declinata repetuntur,quod ἀνταμοιβὴ dicitur: Non ut edam uiuo, sed ut uiuã edo. Et quod apud Ciceronẽ cõuersum ita est, ut cũ mutationẽ casus habeat, etiã similiter desinat:ut & sine inuidia culpa plectatur,& sine culpa inuidia ponatur,quod & eodẽ cludi tur uerbo, ut quod dicit de Sexto Roscio : Etenim cum artifex eiusmodi sit,ut solus dignus uideatur esse qui scenam introëat, tum uir eiusmodi sit, ut solus uideatur dignus, qui eò non accedat. Est & in nominibus ex diuerso collocatis sua gratia: Si Consul Antonius,Brutus hostis,si conseruator reipublicæ Brutus, hostis Antonius. Olim plura de figuris quàm necesse erat: & adhuc erit,qui putet esse figuram:Incredibile est quod dico, sed uerum, ἀνθυπόφορὰν uocant. Et aliquis hoc,Semel tulit, ego bis,ego ter, ὀλίγοδρ. ἄφοδρ, Longius euectus sum, sed redeo ad propositum. Quædam uerborum figuræ paulum figuris sententiarum declinãtur,ut dubitatio. Nam cum est in re, priori parti aßignanda est,cum in uerbo,sequẽti, Siue me malitiam,siue stultitiam dicere oportet. Item correctionis eadem ratio est. Nam quod illic dubitat,hic emendat. Etiam in personæ fictione accidere quidam idem putauerunt, ut in uerbis etiam esset hæc figura:Crudelitatis est mater auaritia. Et apud Sallustium in Ciceronem: O Romule Arpinas. quale est & apud Menandrum, Oedipus Othryasius. Hæc omnia copiosius sunt executi, qui nõ ut partem operis transcurrerunt, sed proprie libros huic operi
iuuant dedicauerunt, sicut Cæcilius, Dionysius, Rutilius, Cornificius, Visellius,alijq; nõ pauci:sed nõ minor erit eorũ qui uiuũt gloria. Vt fateor autẽ uerborũ figuras posse plures reperiri à quibusdam

busdam,ita ijs quæ ab autoribus claris traduntur, meliores non assentior. Nam in primis M.Tullius multas in tertio de Orat. libro posuit, quas in Oratore postea scripto trãseundo uidetur ipse damnasse:quarum pars est,quæ sententiarum potius, quàm uerborum sit,ut imminutio, improuisa imago,sibi ipsi restrõsio, digreßio, permißio, contrarium. Hoc enim puto quod dicitur ἔνστασις, sumpta ex aduerso probatio. Quædam omnino non sunt figuræ,sicut ordo,dinumeratio, circũscriptio, siue hoc nomine significatur comprehensa breuiter sententia, siue finitio. Nam & hæc Cornificius,atq; Rutilius schemata λέξεως putant. *continua
Verborũ autem*concinna transgreßio,id est hyperbaton,quod Cæcilius quoq; putat schema,à nobis est interposita:et mutatio, quæ si ea est, quam Rutilius ἀλλοίωσιν uocat, dißimilitudinem ostendit hominũ,rerum,factorumq;:si latius fiat, figura non est: si angustius,in ἀντίθεσιν cadet. Si uero hæc appellatio significat ὑπαλλαγὴν,satis de ea dictum est. Quod uero schema est ad propositum subiecta ratio? utrum quod Rutilius ἀποδειξιν uocat? nam de illo dubitari posit an schema sit, distributis subiecta ratio:quod apud eũdem primo loco positum est, προσαπόδοσις dicitur,quæ ut maxime seruetur,sanè est in pluribus propositis,quia aut singulis statim ratio subijcitur, ut est apud Antonium,Sed neq; accusatorem eũ metuo, qui sum innocens:neq; competitorem uereor,qui sum Antonius:neq; Consulem spero,qui est Cicero. Aut positis duobus uel tribus eodem ordine singulis continuo redditur, quale apud Brutum de dictatura Cn.Pompeij: Præstat enim nemini imperare, quàm alicui seruire: Sine illo enim uiuere honeste licet, cum hoc uiuendi nulla conditio est. Sed uni rei multiplex ratio subijcitur,ut apud Vergilium:

Siue inde occultas uires & pabula terræ
Pinguia cõcipiunt,siue illis omne per ignẽ Excoquitur uitiũ.
Et totus locus. Seu plures calor ille uias– Seu durat magis–

Relationem quid accipi uelit,non liquet mihi. Nã si ὑπαλλαγὴν,

aut ἐπάνοδον, aut αὐξμεταβολὴν dicit. de omnibus locuti sumus. Sed quicquid id est, neq; hoc, neq; superiora in Oratore repetit. Sola in eo libro posita ponitur inter figuras uerborum, exclamatio, quam sententiæ potius puto. Affectus enim est, & cæteris omnibus consentio. Adijcit his Cæcilius περίφρασιν, de qua dixi. Cornificius interrogationem, ratiocinationem, subiectionem, translationem, occultationem. Præterea sententiam, membrum, articulum, interpretationem, conclusionem: quorũ priora alterius generis sunt schemata, sequentia schemata omnino non sunt. Item Rutilius præter ea quæ apud alios quoq; sunt schemata, παρομολογίαν, ἀναγκαῖον, ἠθοποιΐαν, δικαιολογίαν, πρόληψιν, χθρακτηρισμὸν, βραχυλογίαν, πειρασώπησιν, παῤῥησίαν, de quibus idem dico. Nam eos quidem autores, qui nullum propè finem fecerunt exquirendis nominibus, præteribo: qui etiam quæ sunt argumentorum, figuris adscripserunt. Ego illud de his etiã quæ uere sunt, adijciam breuiter, sicut ornant orationes opportunè positæ, ita ineptißimas esse, cum immodicè petuntur. Sunt qui neglecto rerum pondere, & uiribus sententiarum, si uel inania uerba in hos modos deprauarint, summos se iudicent artifices, ideoq; non desinunt eas nectere, quas sine sententia sectari tam est ridiculum, quàm quærere habitum, gestumq; sine corpore. Sed ne hæ quidẽ quæ recte fiunt, densandæ sunt nimis. Nam & uultus mutatio, oculorumq; coniectus multum in actu ualet, sed si quis ducere os exquisitis modis, & frontis ac luminum inconstantia trepidare non desinat, rideatur. Et oratio habeat rectam quandam uelut faciem, quæ ut stupere immobili rigore non debebit, ita sæpius in ea quam natura dedit, specie continenda est. Sciendum uero in primis quid quisq; in orando postulet locus, quid persona, quid tempus. Maior enim pars harum figurarum posita est in delectatione. Vbi uero atrocitate, inuidia, miseratione pugnandum est, quis ferat contrapositis, & pariter cadentibus, & consimilibus irascentem, flentem, rogantem? cum his rebus

rebus cura uerborum deroget affectibus fidem, & ubicunq; ars ostentatur, ueritas abesse uideatur.

De compositione. CAP. IIII.

DE compositione non equidem post Marcum Tullium scribere auderem, cui nescio an ulla pars operis huius sit magis elaborata, nisi & eiusdem ætatis homines scriptis ad ipsum etiam literis reprehendere uel collocandi genus ausi fuissent, & post eum plures multa ad eandem rem pertinẽtia memoriæ tradidissent. Itaq; accedã in plerisq; Ciceroni, atq; in his ero, quæ indubitata sunt, breuior: in quibusdam paulum fortasse dissentiã. Nam etiam cũ iudicium meum ostendero, suũ tamen legentibus relinquam. Neq; ignoro quosdam esse, qui curam omnẽ cõpositionis excludant, atq; illum horridum sermonẽ ut fortè effluxerit, modò magis naturalem, modò etiã magis uirilem esse cõtendant. Qui si id demum naturale esse dicunt, quod à natura primum ortum est, & quale ante cultum fuit, tota hæc ars ornandi subuertetur. Neq; enim locuti sunt ad hanc regulam & diligentiam primi homines, nec proœmijs præparare, docere expositione, argumentis probare, affectibus cõmouere scierunt. Ergo his omnibus, nõ sola cõpositione caruerunt: quorũ si fieri nihil melius licebat, ne domibus quidẽ casas, aut uestibus pellium tegmina, aut urbibus montes ac syluas mutari oportuit. Quæ porrò ars statim fuit? quid non cultu nitescit? cur uites coërcemus manu? cur eas fodimus? rubos aruis excidimus? terra & hæc generat. Mansuefacimus animalia? indomita nascuntur. Verum id est maxime naturale, quod fieri natura optime patitur. Fortius uero quî incompositum potest esse, quàm iunctum & bene collocatum? Neq; si parui pedes uim detrahant rebus, ut Sotadeorum, & Galliamborum, & quorundam in oratione simili penè licentia lasciuientium, compositionis est iudicandum. Cæterum quantò uehemẽtior fluminum cursus est prono alueo, ac nullas moras obijciente, quàm inter obstantia saxa fractis aquis ac re-

luctantibus, tantò quæ connexa est, & totis uiribus fluit, fragosa atque interrupta melior oratio. Cur ergo uires ipsas specie solui putent, quando nec ulla res sine arte satis ualeat, & comitetur semper artem decor? An non eam quæ emissa optime est, hastam specioſissime contortam ferri uidemus? & arcu dirigentium tela quò certior manus, hoc est habitus ipse formosior? Iam in certamine armorum, atq; in omni palæstra quid satis recte cauetur ac petitur, cui non artifex motus, & certi quidam pedes adsint? Quare mihi compositione uelut amĕtis quibusdam neruis ue intendi & concitari sententiæ uidentur. Ideo eruditiſsimo cuiq; persuasum est, ualere eam quamplurimũ, non ad delectationem modò, sed ad motum quoq; animorum. Primum quia nihil intrare potest in affectum, quod in aure, uelut quodam uestibulo, statim offendit: deinde quòd natura ducimur ad modos. Neq; enim aliter eueniret, ut illi quoq; organorum soni, quanquàm uerba non exprimunt, in alios tamĕ atq; alios motus ducerent auditorem. In certaminibus sacris non eadĕ ratione concitant animos ac remittunt, nec eosdem modos adhibent cum bellicum est canendum, & cum posito genu supplicandum. Nec idem signorum concentus est procedente ad præ-
canente lium exercitu, idem receptui carmen. Pythagoreis certe moris fuit, & cum euigilassent, animos ad lyram excitare, quo essent ad agendum erectiores: & cum somnum peterent, ad eandem prius lenire mentes, ut si quid fuisset turbidiorum cogitationũ, componerent. Quòd si numeris & modis ineſt quædam tacita uis, in oratione est uehementiſsima: quantumq; interest sensus idem quibus uerbis efferatur, tantum uerba eadem qua compositione uel in exitu iungantur, uel fine claudantur. Nam quædã & sententijs parua, & elocutione modica, uirtus hæc sola cõmendat. Deniq; quod cuiq; uisum erit uehemĕter, dulciter, speciosè dictum, soluat, & turbet, abierit omnis uis, iucunditas, decor. Soluit quædam sua in Oratore Cicero: Nam neq; me diuitiæ mo

tiæ mouent, quibus omnes Africanos & Lælios multi uenalitij mercatores q̃; superarunt. & sequentes deinceps periodos: quas si ad illum modũ perturbes, uelut fracta aut transuersa tela proieceris. Idem corrigit quæ à Graccho composita durius putat. Illum decet, nos hac simus probatione contenti, quòd in scribĕdo quæ se nobis solutiora obtulerint, componemus. Quid enim attinet eorũ exempla quærere, quæ sibi quisq; experiri potest? Illud notasse satis habeo, quo pulchriora & sensu, & elocutione diſsolueris, hoc orationĕ magis deformem fore, quia negligĕtia collocationis ipsa uerborum luce deprehenditur. Itaq; ut cõfiteor penè ultimam oratoribus artĕ compositionis, quæ perfecta sit, contigisse, ita illis priscis habitam inter curas, inquantum adhuc profecerãt, puto. Neq; enim mihi quamlibet magnus autor Cicero persuaserit Lysiam, Herodotum, Thucydidem, parũ studioſos eius fuisse. Genus fortasse sint secuti nõ idem quod Demosthenes, aut Plato, quãquàm & ij ipsi inter se diſsimiles fuerunt. Nam neq; illud in Lysia dicendi textum tenue, atq; rarũ lætioribus numeris corrumpendũ erat. Perdidisset enim gratiã, quæ in eo maxima est, simplicis atq; inaffectati coloris: perdidisset fidem quoq;. Nam scribebat alijs, nõ ipse dicebat, ut oportuerit esse illa rudibus & incompositis similia, quod ipsum cõpositio est. Et historiæ (quæ currere debet ac ferri) minus conueniſsent interſistentes clausulæ, & debita actionibus respiratio, & cludendi inchoandiq; sentĕtias ratio. In cõcionibus quidem etiam similiter cadentia quædam & contrapositа deprehendas: in Herodoto uero cum omnia (ut ego quidem sentio) leniter fluunt, tum ipsa διάλεκτος habet eam iucunditatem, ut latentes etiam numeros complexa uideatur. Sed de propositorũ diuersitate pòst paulum. Nunc quæ prius ijs qui recte componere uolĕt, diſcenda sint. Est igitur ante omnia oratio alia uincta atq; cõtexta, soluta alia, qualis in sermone & epiſtolis, niſi cum aliquid supra naturam suã tractant, ut de philoſophia, de

repu

republica,similibusq;. Quod non eò dico, quia non illud quoq; solutum habeat suos quosdam,& forsitan difficiliores etiam pedes: neq; enim aut hiare semper uocalibus, aut destitui temporibus uolunt sermo & epistola: sed non fluunt, nec cohærẽt, nec uerba de uerbis trahunt, ut potius laxiora in his uincula, quàm nulla sint. Nonnunquàm in causis quoq; minoribus decet eadẽ simplicitas, quæ non illis sed alijs utitur numeris, dißimulatq; eos,& tantum communit occultius. At illa connexa series tres habet formas: incisa, quæ κόμματα dicuntur: membra, quæ κῶλα, & περίοδον, quæ est uel ambitus, uel circũductum, uel continuatio, uel conclusio. In omni porrò compositione tria sunt necessaria, ordo, iunctura,& numerus. Primũ igitur de ordine. Eius obseruatio in uerbis est singulis,& contextis. Singula sunt quæ diximus ἀσύνθετα. In his cauendum ne decrescat oratio,& fortiori iungatur aliquid infirmius, ut sacrilego fur, aut latroni petulans. Augeri enim debent sententiæ & insurgere: ut optime Cicero, Tu, inquit, istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate. Aliud enim maius alio superuenit. At si cœpisset à toto corpore, non bene ad latera faucesq; descenderet. Est & alius naturalis ordo, ut uiros ac fœminas, diem ac noctem, ortum & occasum dicas potius, quàm retrorsum. Quædam ordine permutato fiũt superuacua, ut fratres gemini. Nam si præcesserint gemini, fratres addere non est necesse. Illa nimia quorũdam fuit obseruatio, ut uocabula uerbis, uerba rursus aduerbijs, nomina appositis,& pronominibus rursus essent priora. Nam fit contrà quoq; frequenter non indecore. Necnon & illud nimiæ est superstitionis, ut quæq; sint tempore, ea etiam facere ordine priora, non quin frequenter sit hoc melius, sed quia interdum plus ualent antè gesta, ideoq; leuioribus superponenda sunt. Verbo sensum cludere multò, si compositio patiatur, optimum est. In uerbis enim sermonis uis inest. At si id asperum erit, cedat hæc ratio numeris, ut fit apud summos Græcos, Latinosq;

nosq; oratores frequentißime. Sine dubio enim omne quod nõ cludet, hyperbaton est. Ipsum hoc inter tropos uel figuras, quæ sunt uirtutis, receptum est. Non enim ad pedes uerba dimensa sunt. Ideoq; ex loco transferuntur in locum, ut iungantur, quo congruunt maxime, sicut in structura saxorum rudium, etiam ipsa enormitas inuenit cui applicari,& in quo posßit insistere. Felicißimus tamen sermo est, cui & rectus ordo,& apta iunctura,& cum his numerus opportunè cadens contingit. Quædam uero transgreßiones & longæ sunt nimis, ut in superioribus diximus libris,& interim etiam compositione uitiosæ, quæ in hoc ipsum petuntur, ut exultent atq; lasciuiant, quales illæ Mecœnatis, Sole & aurora rubẽt plurima. Inter sacra mouit aquæ fraxinos. Ne exequias quidem unus inter miserrimos uiderem meas. Quod inter hæc peßimum est, quia in re tristi ludit compositio. Sæpe tamen est uehemens aliquis sensus in uerbo, quod si in media parte sententiæ latet, transiri intentione,& obscurari circũiacentibus solet, in clausula positũ aßignatur auditori & infigitur: quale est illud Ciceronis, Vt tibi necesse esset in cõspectu populi Romani uomere postridie. Trãsfer hoc ultimũ, minus ualebit. Nam totius ductus hic est quasi mucro, ut per se fœdæ uomendi necessitati, iam nihil ultra expectantibus, hanc quoq; adijceret deformitatem, ut cibus teneri non posset postridie. Solebat Afer Domitius traijcere in clausulas uerba tantum asperandæ cõpositionis gratia,& maxime in proœmijs, ut pro Cloantilla: Gratias agam continuò. Et pro Lælia: Eis utrisque apud te iudicem periclitatur Lælia. Adeò refugit teneram delicatamq; modulandi uoluptatem, ut occurrentibus per se numeris, quo eos inhiberet, obijceret. Amphibologiam quoq; fieri uitiosa locatione uerborum, nemo est qui nesciat. Hæc arbitror, ut in breui, de ordine fuisse dicenda: qui si uitiosus est, licet & iuncta sit,& apte cadens oratio, tamen meritò incomposita dicatur. Iunctura sequitur. Ea est in uerbis, incisis, membris, periodis

riodis. Omnia nanq; ista & uirtutes, & uitia in complexu habent. Atq; ut ordinem sequar, primùm quæ imperitis quoq; ad reprehensionem notabilia uidentur, id est, quæ cõmissis inter se uerbis duobus ex ultima prioris, ac prima sequentis syllaba, deforme aliquod nomen efficiunt. Tum uocalium concursus, qui cum accidit, hiat & intersistit, & quasi laborat oratio. Pessimè longæ, quæ easdem inter se literas committunt, sonabunt. Præcipuus tamen erit hiatus earũ, quæ cauo aut patulo maxime ore efferuntur. E, plenior est, I, angustior, ideoq; obscurius in his uitium. Minus peccabit qui longis breues subijciet, & adhuc qui præponet longæ breuem. Minima est in duabus breuibus offensio. Atq; cum aliæ subiunguntur alijs, perinde asperiores erunt, prout oris hiatu simili, aut diuerso pronuntiabuntur. Non tamen id ut crimen ingens expauescendum est, ac nescio negligẽtia in hoc, an solicitudo sit peior. Inhibeat enim necesse est hic metus impetum dicendi, & à potioribus auertat. Quare ut negligentiæ est hoc pati, ita humilitatis ubiq; perhorrescere, nimiosq; non immeritò in hac cura putant omnes Isocratem secutos, præcipueq; Theopompum. At Demosthenes & Cicero modice respexerunt ad hanc partem. Nam & coëuntes literæ, quæ συναλοιφὴ dicitur, etiam leniorem faciunt orationem, quàm si omnia uerba suo fine cludantur: & nonnunquàm hiulca etiã decent, faciuntq; ampliora quædam: ut, Pulchra oratione apta omnino iactare: tum longæ per se, & uelut optimæ syllabæ aliquid etiam medij temporis inter uocales quasi intersistatur assumunt. Qua de re utar Ciceronis potissimum uerbis, Habet, inquit, ille tanquam hiatus & concursus uocalium molle quiddã, & quod indicet non ingratam negligentiam de re hominis magis quàm de uerbis laborantis. Cæterum consonantes quoque, eæq; præcipue quæ sunt asperiores, in commissura uerborum rixantur, & S, ultima cum X, proxima, quarũ tristior etiam, si binæ collidantur, stridor est: ut, Ars studiorum: quæ fuit causa & Ser

& Seruio, ut dixi, subtrahendæ S, literæ, quoties ultima esset, aliaq; consonante susciperetur: quod reprehendit Lauranius, Messala defendit. Nam neq; Lucilium putant uti eadẽ ultima, cùm dicit: Serenu' fuit, & dignu' loco. Quinetiam Cicero in Oratore plures antiquorum tradit sic locutos:

Inde belligerare po' meridiem, & illa Censorij Catonis,
Die' hanc, æque M, litera in E, mollita, quæ in ueteribus libris reperta mutare imperiti solẽt: & dum librariorum insciti am insectari uolunt, suam cõfitentur. Atqui eadem illa litera quoties ultima est, & uocalem uerbi sequentis ita contingit, ut in eam transire posit, etiam si scribitur, tamen parum exprimitur: ut, Multum ille. &: Quantum erat. adeò ut penè cuiusdã nouæ literæ sonum reddat. Neq; enim eximitur, sed obscuratur, & tantum aliqua inter duas uocales uelut nota est, ne ipsæ coëant. Videndum etiam ne syllabæ uerbi prioris ultimæ, sint primæ sequentis. Id ne quis præcipi miretur, Ciceroni in epistolis excidit: Res mihi inuisæ uisæ sunt Brute. Et in carmine:

O' fortunatam natam me consule Romam.

Etiam monosyllaba si plura sunt, malè continuabuntur, quia necesse est compositio multis clausulis concisa subsultet. Ideoq; etiam breuium uerborum ac nominum uitanda continuatio, & ex diuerso quoq; longorum. Afferunt enim quandam dicendi tarditatem. Illa quoq; uitia sunt eiusdem loci, si cadentia similiter, & similiter desinentia, & eodem modo declinata multa iũgantur. Nec uerba quidem uerbis, aut nomina nominibus, similiaq; his continuari decet, cùm uirtutes etiam ipsæ tædium pariant, nisi gratia uarietatis adiutæ. Membrorum incisorumq; iũctura non eo modo est obseruanda, quo uerborum, quanquàm & in his extrema & prima coëunt. Sed plurimũ refert compositionis, quæ quibus anteponas. Nam & uomens frustis escu lentis uinum redolentibus gremium suum, & totũ tribunal impleuit. Et contrà (nam frequentius utar ijsdem diuersarũ quoq; rerum

rerum exemplis, quò sint magis familiaria) Saxa atq; solitudines uoci respondent, bestiæ sæpe immanes cantu flectũtur atq; cõsistunt. Magis id insurgebat si uerteretur. Nã etsi plus est saxa quàm bestias cõmoueri, inest tamen cõpositioni decor. Sed transeamus ad numeros. Omnis structura, ac dimensio, & copulatio uocum, constat aut numeris (numeros ῥυθμοὺς accipi uolo) aut μέτρῳ, id est dimensione quadã. Quod etiã si constat utrũq; pedibus, habet tamen non simplicem differentiã. Nam rhythmi, id est numeri, spatio temporum constant: metra etiam ordine. ideóq; alterum esse quantitatis uidetur, alterũ qualitatis. Ῥυθμὸς aut par est, ut dactylus: unã enim syllabam parem breuibus habet. Est quidem uis eadem & alijs pedibus, sed nomen illud tenet. Longam esse duorum temporum, breuem unius, etiam pueri sciunt. Aut sesquiplex, ut Pæan, cuius uis est ex longa & tribus breuibus, quiq; ei contrarius ex tribus breuibus & longa, uel alio quoquo modo, tempora tria ad duo relata sesquiplum fãciunt. Aut duplex, ut Iambus: nam est ex breui & longa, quiq; est ei cõtrarius. Sunt hi & metrici pedes, sed hoc interest, quòd rhythmo indifferens est, Dactylus ne ille priores habeat breues, an sequentes. Tempus enim solum metitur, ut à sublatione ad positionem ijsdem sit spatijs pedum. In uersu pro Dactylo poni non poterit Anapæstus, aut Spondeus, nec Pæan eadem ratione à breuibus incipiet ac desinet. Neq; solum alium pro alio pedem metrorum ratio non recipit, sed ne Dactylum quidem, aut fortè Spondeum, alterum pro altero. Itaq; si quinque cõtinuos Dactylos (ut sunt in illo, Panditur interea domus omnipotentis olympi) confundas, solueris uersum. Sunt & illa discrimina, quòd rhythmis libera spatia, metris finita sunt, & his certæ clausulæ, illi quo modo cœperant currunt usq; ad μεταβολὴν, id est, transitum in aliud genus rhythmi. Et quod metrum in uerbis modò, rhythmus etiam in corporis motu est. Inania quoque tempora rhythmi facilius accipient, quanquàm hæc & in metris

metris accidunt: maior tamen illic licentia est, ubi tẽpora etiam animo metiuntur, & pedum, & digitorum ictu interualla signant quibusdam notis: atq; æstimant quot breues illud spatiũ habeat, inde τετράσημον, πεντάσημον. Deinceps longiores fiunt percussiones. Nam σημεῖον tempus est unum. In compositione orationis certior, & magis omnibus aperta seruari debet dimẽsio. Est igitur in pedibus. Et metrici quidem pedes adeò reperiuntur in oratione, ut in ea frequenter nõ sentientibus nobis, omnium generũ excidant uersus. Et contrà, nihil est prosa scriptum, quod non redigi possit in quædam uersiculorum * genera. Sed in adeò molestos incidimus grammaticos, quorum fuerunt qui Lyricorum quædam carmina in uarias mensuras coëgerunt. At Cicero frequentissime dicit totum hoc constare numeris, ideóq; reprehenditur à quibusdam, tanquam orationem ad rhythmos alliget. Nam sunt numeri rhythmi, ut & ipse constituit, & secuti eum Vergilius, cum dicit:

—Numeros memini si uerba tenerem. & Horatius,

Numerisq; fertur Lege solutis.

Inuadunt ergo hanc inter cæteras uocem. Neque enim Demosthenes fulmina tantopere uibrasse diceretur, nisi numeris contorta ferrentur. In quo si hoc sentit, rhythmis contorta, dissentio. Nam rhythmi, ut dixi, neque finem habent certum, nec ullam in contextu uarietatem, sed qua cœperunt sublatione ac positione, ad finem usq; decurrunt. Oratio nõ descendit ad stre-pitum digitorum: Id quod Cicero optime uidet, ac testatur frequenter se quod numerosum sit quærere, ut magis nõ ἄρυθμὸν, quod esset inscitum atq; agreste, quam εὔρυθμὸν, quod poëticum est, esse compositionem uelit: sicut etiam quos palæstritas esse nolumus, eos qui dicuntur ἀπάλαιστροι. Verum ea quæ efficitur ex pedibus æquâ cõclusio, nomẽ aliquod desiderat. Quid sit igitur potius quàm numerus, & oratorius numerus, ut enthymema, rhetoricus syllogismus? Ego certe ne in calumniam

*membra

cadam, qua ne M. quidē Tullius caruit, posco hoc mihi, ut cum pro composito dixero numerum, & ubicunq; iam dixi, oratorium dicere intelligar. Collocatio autem uerba iam probata, & electa, & uelut aßignata sibi debet connectere: nam uel dura inter se commissa potiora sunt inutilibus, tamē & eligere quædam, dum ex ijs quæ idem significent, atq; idem ualeant, permiserim: & adijcere, dum non otiosa, & detrahere, dum non necessaria. Sed & figuris mutare & casus & numeros, quorum uarietas frequenter gratia compositionis adscita etiam sine numero solet esse iucunda: etiam ubi aliud ratio, aliud consuetudo poscit, utrum uolet sumat compositio, Vitauisse uel uitasse, deprehendere uel deprendere. Coitus etiam syllabarum non negabo, & quicquid sententijs aut eloquentiæ non nocebit. Præcipuum tamen in hoc opus est, scire quod quoque loco uerbum maxime quadret. Atq; is optime componet, qui hoc solum componendi gratia faciet. Ratio uero pedum, in oratione est multò quàm in uersu difficilior. Primū quòd uersus paucis continetur, oratio longiores habet sæpe circuitus. Deinde quòd uersus semper similis sibi est, & una ratione decurrit: orationis cōpositio nisi uaria est, & offendit similitudine, & affectatione deprehenditur. Et in omni quidem corpore, totoq́; (ut ita dixerim) tractatu numeris inserta est. Neq; enim loqui poßumus nisi è syllabis breuibus ac longis, ex quibus pedes fiunt. Magis tamē & desideratur in clausulis, & apparet, primū quia sensus omnis habet suū finem, poßidetq́; naturale interuallū quo à sequētis initio diuidatur. Deinde quòd aures continuam uocē secutæ, ductæq́; uelut prono decurrentis orationis flumine, tum magis iudicant, cum ille impetus stetit, & intuendi tempus dedit. Non igitur durum sit, neq; abruptū, quo animi uelut respirant ac reficiuntur. Hæc est sedes orationis, hoc auditor expectat, hic laus omnis declamat. Proximā clausulis diligentiā postulant initia: nam & ad hæc intentus auditor est. Sed eorum facilior ratio est

est. Non enim cohærent alijs, nec præcedentibus seruiunt, sed nouum exordium sumūt, cū illa quamlibet sit composita, ipsam gratiam perdat, si ad eam rupta uia ueniamus. Nanq; cum sit, ut uidetur, seuera Demosthenis compositio, πρῶτον μὲν ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις, & illa quæ ab uno, (quod sciam) Bruto minus probatur, cæteris placet, κ' ἂν μήπω βάλλῃ, μηδὲ τοξεύῃ. Non desunt qui Ciceronē carpant in his: Familiaris cœperat esse balneatori. & nō minus dura archipiratæ. nam balneatori & archipiratæ idē finis est, qui πᾶσι καὶ πάσαις, & qui μηδὲ τοξεύῃ: sed priora sunt, ideo seueriora. Est in eo quoq; nōnihil, quòd hic singulis uerbis bini pedes continentur, quod etiam in carminibus est permolle, nec solū ubi quinæ syllabæ nectuntur, ut in his: Fortißima Tyndaridarum. sed etiam quaternæ, cum uersus cluditur, Apennino, & armamentis, & Oriona. Quare hoc quoq; uitandum est, ne plurium syllabarum uerbis utamur in fine. Medijs quoque non ea modò cura sit, ut inter se cohæreant, sed ne pigra, ne longa sint: ne, quod nunc maximum uitiū est, breuium contextu resultent, ac sonum reddant penè pueriliū crepitaculorū. Nam ut initia clausulæq́; plurimum momenti habent, quoties incipit sensus aut desinit, sic in medijs quoq; sunt quidā conatus qui leuiter intersistūt. Vt currentiū pes etiamsi non moratur, tamen uestigiū facit. Itaq; non modò membra atque incisa bene incipere, atque cludi decet, sed etiam in ijs quæ nō dubie contexta sunt, nec respiratione utuntur illi uel occulti gradus. Quis enim dubitet unum sensum & unius spiritus esse? Animaduerti Iudices, omnē accusatoris orationem in duas diuisam esse partes. Tamen & duo prima uerba, & tria proxima, & deinceps duo rursus, ac tria, suos quasi numeros habent spiritū sustinentes, sicut apud rhythmicos æstimantur hæ particulæ, prout sunt graues, acres, lentæ, celeres, remissæ, exultantes. Proinde id quod ex illis conficitur, aut seuerum, aut luxuriosum, aut quadratū, aut solutū erit. Quædam

etiam clausulæ sunt claudæ atq; pendentes si relinquantur: sed sequentibus suscipi ac sustineri solent, eoq; facto uitium quod erat in fine, continuatio emendat. Non uult P.R. obsoletis criminibus accusari Verrem: durum si desinas. sed cùm est continuatum ijs quæ sequũtur, quanquã natura ipsa diuisa sint, Noua postulat, inaudita desiderat, saluus est cursus. Vt adeas tantum dabis, male cluderet: nam & trimetri uersus pars ultima est. excipit, Vt cibum uestitumq; introferre liceat, tantum: præceps adhuc firmatur ac sustinetur ultima, Recusabat nemo. Versum in oratione fieri multo fœdißimum est totum, sicut etiã in parte deforme, utique si pars posterior in clausula deprehendatur, aut rursus prior in ingreßu. Nam quod est cõtrà sæpe etiã decet, quia & cludit interim optime prima pars uersus, dum intra paucas syllabas, præcipue senarij atq; octonarij. In Africa fuisse, initium senarij est: primum pro Q. Ligario caput cludit, Esse uideatur. Nam nimis frequens octonarium inchoat. Talia sunt Demosthenis, πᾶσι καὶ πάσαις. καὶ πᾶσιν ὑμῖν ὅσην εὔνοιαν, & totum penè principium. Et ultima uersuum initio conueniunt orationis: Etsi uereor iudices. &: Animaduerti iudices. Sed initia initijs nõ cõueniunt. Titus Liuius hexametri exordio cœpit: Facturus ne operæpretium sim. Nam ita edidit, estq; melius quàm quo modo emendatur. Nec clausulæ clausulis, ut Cicero: Quò me uertam nescio: qui trimetri finis est. Trimetrũ &, Pro misero dicere liceat. Sex enim pedes tres percußiones habent. Peius claudit finis hexametri, ut Brutus in epistolis: Neq; enim illi malunt habere tutores aut defensores, quanquàm sciunt placuisse Catoni. Illic minus sunt notabiles, quia hoc genus sermoni proximũ est. Itaq; & uersus hi ferè excidunt, quos Brutus ipso componẽdi ductus studio sæpißime facit: non raro Asinius. Sed etiã Cicero nonnunquã, ut in principio statim orationis in Lucium Pisonem: Prò dij immortales, quis illuxit dies? Non minore autem cura uitandum est, quicquid εὐρυθμὸν, quale est apud Sallu

stium: Falsò queritur de natura sua. Quanuis enim uincta sit, tamen soluta uideri debet oratio. Atqui Plato diligentißimus compositionis, in Timæo prima statim parte uitare ista nõ potuit. Nam & initium hexametri statim inuenias, & anacreontion protinus colon efficias, & si uelis trimetron, & quod duobus pedibus, & parte, πενθημιμερὴς à Græcis dicitur, & hæc omnia in tribus uerbis, ut Thucydidis, ἐν δρύμασι κᾶρες ἐφάνησαν, ex mollißimo rhythmorum genere excidant. Sed quia orationem iam constare pedibus dixi, aliqua de his quoque, quorum nomina quoniam uaria esse traduntur, constituendum est, quo quenq; appellemus: & quidem Ciceronem sequar: nam is eminentißimos Græcorum est secutus, excepto quòd pedes mihi trisyllabos non uidetur excedere, quãquàm ille Pæane Dochimoq;, quorum prior in quatuor, secũdus in quinq; excurrit, utatur. Nec tamen ipse dißimulat quibusdã numeros uideri non pedes, neq; immeritò. Quicquid enim supra tris syllabas, id ex pluribus est pedibus. Ergo cum constent quatuor pedes binis, octo ternis, Spondeum longis duabus, Pyrrhichium (quem alij Periambum uocant) breuibus: Iambum breui longaq;, huic contrarium è longa & breui: hunc Choreũ nos, ut alij Trochæũ, nominemus. Ex his uero qui ternas syllabas habent, Dactylum, longa duabusq; breuibus: huic tẽporibus parem, sed retrò actũ, appellari constat Anapæston. Media inter longas breuis faciet Amphimacrum, sed frequentius eius nomen est Creticus. Longa inter breues, Amphibrachys. Duabus longis breuẽ sequentibus Bacchius, totidem longis breuẽ præcedentibus, huic contrarius Palimbacchius erit. Tres breues Trochæum, quem Tribrachin dici uolunt, qui choreo trochæi nomen imponunt, totidem longæ Moloßon efficiunt. Horum pedum nullus non in orationem uenit. Sed quò quiq; sunt temporibus pleniores, longisq; syllabis magis stabiles, hoc grauiorem faciunt orationem, breues celerem ac mobilem. Vtrunq; locis utile. Nam & illud, ubi opus

est uelocitate, tardũ & segne: & hoc ubi pondus exigitur, præceps ac resultans meritò damnetur. Sit in hoc quoq; aliquid for tasse momenti, quòd & longis longiores, & breuibus sunt breuiores syllabæ, ut quanuis neq; plus duobus temporibus, neque uno minus habere uideãtur (ideoq; in metris omnes breues longæq; inter se obsessæ sunt pares) lateat tamẽ nescio quid, si quicquàm supersit aut desit. Nam uersuum propria conditio est, ideoq; in his quædam etiam communes. Veritas uero quia patitur æquè breuem esse uel longam uocalem cum est sola, quàm cùm eam consonantes una plures ue præcedunt, certe in dimensione pedum, syllaba quæ est breuis insequente alia uel breui, quæ tamen duas primas consonantes habeat, fit longa: ut,

Agrestem tenui musam meditaris auena.

Nam licet gre breuis, facit tamen longã a priorẽ. Dat igitur illi aliquid ex suo tempore: quomodo, nisi habeat plus quàm quæ breuissima, qualis ipsa esset detractis consonantibus? nunc unum tempus accõmodat priori, & unum accipit à sequente: ita duæ natura breues, positione sunt temporum quatuor. Miror autẽ in hac opinione doctissimos homines fuisse, ut alios pedes ita eligerent, alios damnarent, quasi ullus esset quem nõ sit necesse in oratione deprehendi. Licet enim Pæanem sequatur Ephorus inuẽtum à Thrasymacho, probatũ ab Aristotele, Dactylumq;, ut temperatiores breuibus, ac longis, fugiat Spondeum & Trochæum, alterius tarditate, alterius celeritate damnata, & Herous qui est idem Dactylus, Aristoteli amplior, Iambus humanior uideatur, Trochæũ ut nimis currentẽ damnet, eiq; Chordacis nomen imponat, eademq; dicãt Theodectes ac Theophrastus, similia post eos Halicarnasseus Dionysius, irrumpent etiã ad *inuitos, nec semper illis Heroo aut Pæane suo: quem quia uersus raro facit, maxime laudant, uti licebit. Vt sint tamẽ alijs alij crebriores, non uerba facient, quæ neq; augeri, nec minui, nec sicut modulatione produci aut corripi possint: sed transmutatio & collo

*uicinos

collocatio. Plerique enim ex commissuris eorum, uel diuisione fiunt pedes: quo fit ut ijsdem uerbis alij atq; alij uersus fiant, ut memini quendam non ignobilem poëtam ita lusisse:

Astra tenet cœlum, mare classes, area messem.

Hic retrorsum fit Sotadeus. Itemq; Sotadeo adiungat retro trimetros: Caput exeruit mobile pinus repetita.

Miscendi ergo sunt, curandumq; ut sint plures qui placeant, & circũfusi bonis deteriores lateant. Nec uero in literis syllabisq; natura mutatur, sed refert quæ cum quaq; optime coëat. Plurimum igitur autoritatis, ut dixi, & ponderis habent longæ, celeritatis breues: quæ si miscentur quibusdam longis, currunt: si cõtinuantur, exultant. Acres, quæ ex breuibus ad longas insurgũt: leniores, quæ à longis in breues descendunt. Optime incipitur à longis, recte aliquando à breuibus: ut, Nouum crimen C. Cæsar. Leuius: ut, Animaduerti iudices. Sed pro Cluentio recte, quòd initium eius partitioni simile est, quæ celeritate gaudet. Clausula quoque è longis firmissima est, sed cludent & breues, quanuis habeatur indifferens ultima. Neq; enim ego ignoro in fine pro longa accipi breuem, quòd uidetur aliquid uacantis temporis ex eo quod insequitur, accedere: aures tamen consulens meas, intelligo multum referre, utrum'ne longa sit quæ cludit, an pro longa. Neque euim tam plenum est dicere: Incipientem timere, quàm illud: Ausus est confiteri. Atqui si nihil refert breuis an longa sit ultima, idem pes erit: uerum nescio, quomodo sedebit hoc, illud subsistet. Quo moti quidam, longæ ultimæ tria tempora dederunt, ut illud tẽpus, quod breuis ex longa accipit, huic quoq; accederet. Nec solum refert, quis claudat, sed quis antecedat. Retrorsum autẽ neq; plus tribus, ijq; si nõ ternas syllabas habebũt, repetẽdi sunt (absit tamẽ poëtica obseruatio) neq; minus duobus, alioqui pes erit, non numerus. Potest tamen uel unus esse Dichoreus, si unus est qui constat ex duobus Choreis. Itemq; Pæan, qui est ex Choreo & Pyrrhichio, quẽ aptum

initijs putant: uel contrà qui ẽſt è tribus breuibus & longa, cui clauſulam aſſignant, de quibus ferè duobus ſcriptores huius artis loquuntur. Alios omnes quotcunq; ſint temporum, quæ ad orationem pertineant, Pæanas appellant. Eſt & Dochimus, qui fit ex Bacchio, & Iambo, uel Iambo & Cretico, ſtabilis in clauſulis & ſeuerus. Spondeus quoque, quo plurimum eſt Demoſthenes uſus, moram ſemper per ſe habet: optime præcedet eum Creticus, ut in hoc, De quo ego nihil dicam, niſi depellendi criminis cauſa. Illud eſt quod ſuprà dixi multum referre, uno'ne uerbo pedes ſint duo comprehenſi, an uterq; liber. Sic enim fit forte criminis cauſa: molle, archipiratæ, mollius ſi Tribrachys præcedat, facilitates, temeritates. Eſt enim quoddam in ipſa diuiſione uerborum latens tempus, ut in pentametri medio, Spondeo, qui niſi alterius uerbi fine, alterius initio conſtet, uerſum non efficit. Poteſt, etiamſi minus bene, præponi Anapæſtus: Muliere non ſolum nobili, uerumetiam nota. Tum Anapæſtus & Creticus. Iambus quoque, qui eſt utroque ſyllaba minor, præcedet enim tres longas breuis. Sed & Spondeus Iambo recte præponitur: Iiſdem in armis fui. Tum Spondeus & Bacchius, ſic enim fiet ultimus Dochimus: Iiſdem in armis fui. Ex ijs quæ ſuprà probaui, apparet Moloſſon quoque clauſulæ conuenire, dum habeat ex quocũq; pede ante ſe breuem. Illud ſcimus, ubicunq; ſunt, eſſe pro nobis. Minus grauis erit Spondeus præcedente Pyrrhichio, ut: Iudicij Iuniani. & adhuc peius priore Pæane, ut: Brute dubitaui. niſi potius hoc eſſe uelimus Dactylum & Bacchium. Duo Spondei non ferè coniungi patiuntur, quæ in uerſu quoque notabilis clauſula eſt, niſi cum id fieri poteſt ex tribus quaſi membris: Cur de profugis noſtris copias cõparatis contra nos? una ſyllaba, duabus, una. Ne Dactylus quidem Spondeo bene præponitur, quia finem uerſus damnamus in fine orationis. Bacchius, & cludit, & ſibi iungitur: Venenum timeres. Vitat Choreum, Spondeum autem amat, ut: Non uenena

uenena timeres, ſed uirus timeres. Contrario quoq; quis cludet, niſi ſi ultimam longam eſſe uolumus: optimeq; habebit ante ſe Moloſſon: ut, Et ſpinis reſperſum: aut Bacchium, Quod hic poteſt, nos poſſemus. Sed uerius erit claudere Choreum præcedenti Spondeo. Nam hic potius eſt numerus, Nos poſſemus: &, Romanus ſum. Cludet & Dichoreus, ſi pes idem ſibijpſi iungetur, quo Aſiani ſunt uſi plurimum. Cuius exemplum Cicero ponit, Patris dictum ſapiens temeritas filij comprobauit. Accipiet ante ſe Choreus & Pyrrhichium, Omnes propè ciues, uirtute, gloria, dignitate, ſuperabat. Cludet & Dactylus, niſi eum obſeruatio ultimæ Creticum facit: ut, Muliercula nixus in littore. Habebit ante bene Creticum & Iambum, Spondeum male, peius Choreum. Cludit Amphibrachus: Q. Ligarium in Africa fuiſſe: ſi non eum malumus eſſe Bacchiũ. Non optimus eſt Trochæus, ſi ultima eſt breuis, quod certe ſit neceſſe eſt, alioqui quomodo cludet, qui placet pleriſq; Dichoreus? Illa obſeruatione ex Trochæo fit Anapæſtus. Idem Trocheus præcedente longa fit Pæan, quale eſt, Si potero. &, Dixit hoc Cicero, Obſtat inuidia. Sed hoc initijs dederunt. Cludit & Pyrrhichius Choreo præcedente. Nam ſic Pæan eſt. Omnes ij qui in breues excidũt, minus erunt ſtabiles, nec alibi ferè ſatis apti, quàm ubi curſus orationis exigitur, & clauſulis nõ interſiſtitur. Creticus eſt initijs optimus, Quod precatus à dijs immortalibus ſum. & clauſulis, In conſpectu populi Romani uomere poſtridie. Apparet uero quàm bene eum præcedant, uel Anapæſtus, uel ille qui uidetur fini aptior, Pæan. Sed & ſe ipſe ſequitur, Seruare quamplurimos. Sic melius, quàm Choreo præcedente, Quis nõ turpe duceret? niſi ultima breuis pro longa ſit. Sed fingamus ſic, Non turpe duceret? Sed hic eſt illud inane quod dixi. Paululum enim moræ damus inter ultimum atque proximum uerbum, & turpe illud interuallo quodam producimus: alioqui ſit exultantiſſimum, & trimetri finis, Quis non turpe duceret? ſicut illud,

Ore ſpiritum excipere liceret: ſi iungas, laſciui carminis eſt, ſed interpunctis quibuſdam, & tribus quaſi initijs ſit plenum autoritatis. Nec ego cum præcedentes pedes poſui, legem dedi, ne alij eſſent, ſed quid ferè accideret, quod in præſentia uideretur optimum, oſtendi. Et quidem non optime eſt ſibi iunctus Anapæſtus, ut qui ſit pentametri finis, uel rhythmus, qui nomen ab eo traxit, Nam ubi libido dominatur, innocentiæ leue præſidiũ eſt. Nam Synalœphe facit, ut ultimæ ſyllabæ pro una ſonent. Mollior fiet præcedẽte Spondeo uel Bacchio, ut ſi mutes idem, Leue innocentiæ præſidium eſt. Non me capit (ut à magnis uiris diſſentiam) Pæan, qui eſt ex tribus breuibus & longa. Nam eſt ipſe una plus breui Anapæſto, facilitas & agilitas: quod quid ita placuerit his, non uideo, niſi quòd illum ferè probauerint, quibus loquendi magis quàm orandi ſtudium fuit. Nam & ante ſe breuibus gaudet Pyrrhichio & Choreo, mea uel noſtra facilitas. At præcedente Spondeo tum planè finis eſt trimetri, cum ſit per ſe quoq; ei contrarius. Principijs meritò laudatur. Nam & primam ſtabilem & tres celeres habet, tamẽ hoc quoq; meliores alios puto. Totus uero hic locus non ideo tractatur à nobis, ut oratio quæ ferri debet ac fluere, demetiendis pedibus, ac perpendendis ſyllabis conſeneſcat. Nam id tum miſeri, tum in minimis occupati eſt. Neq; enim qui ſe totũ in hac cura conſumpſerit, potioribus uacabit, ſiquidem relicto rerum pondere, ac nitore contempto, teſſerulas (ut ait Lucilius) ſtruet, & uermiculate inter ſe lexeis committet. Non ne ergo refrigeretur ſic calor, & impetus pereat, ut equorum curſum qui dirigit, minuit, & paſſus qui æquat, curſum frangit, quaſi numeri non fuerint in compoſitione deprehenſi? Sicut poëma nemo dubitauerit imperito quodam initio fuſum, & aurium menſura, & ſimiliter decurrentium ſpatiorum obſeruatione eſſe generatum, mox in eo repertos pedes. Satis igitur in hoc nos cõponit multa ſcribẽdi exercitatio, ut ex tempore etiã ſimilia fundamus. Neq; uero

uero tum ſint intuendi pedes, quàm uniuerſa comprehenſio: ut uerſum facientes, totũ illum decurſum non ſex uel quinq; *partes, ex quibus conſtat uerſus, aſpiciũt. Antè enim carmen ortum eſt, quàm obſeruatio carminis. Indeq; illud: *pedes

Verſibus quos olim Fauni uatesq; canebant.

Ergo quem in poëmate locũ habet uerſificatio, eum in oratione compoſitio. Optime autem de illa iudicant aures, quæ & plena ſentiũt, & parũ expleta deſiderant, & fragoſis offendũtur, & lenibus mulcẽtur, & cõtortis excitãtur, & ſtabilia probãt, clauda deprehẽdunt, redũdantia & nimia faſtidiũt. Ideoq; docti rationẽ componendi intelligunt, & indocti uoluptatem. Quædam uero arte tradi non poſſunt. Mutandus eſt caſus, ſi durius is quo cœperamus feratur: num in quem tranſeamus ex quo præcipi poteſt? Figuræ laboranti etiam compoſitione uariatæ ſæpe ſuccurrunt. Quæ? cum orationis, tum etiam ſententiæ: num præſcriptũ eius rei ullum eſt? Occaſionibus utendum, & cũ re præſenti deliberandũ. Enimuero ſpatia ipſa quæ in hac quidẽ parte plurimum ualent, quod poſſunt niſi aurium habere iudiciũ? Cur alia paucioribus uerbis ſatis plena, uel nimium, alia pluribus breuia, & abſciſſa ſunt? Cur in circunductionibus etiam cum ſenſus finitus eſt, aliquid tamen loci uacare uideatur? Neminem ueſtrum ignorare arbitror iudices, hunc per hoſce dies ſermonẽ uulgi atq; hanc opinionem populi Romani fuiſſe. Cur hoſce potius quàm hos? Neq; enim erat aſperum. Rationem fortaſſe non reddam, ſentiam eſſe melius. Cur non ſatis ſit, ſermonem uulgi fuiſſe? Cõpoſitio enim patiebatur. Ignorabam, ſed ita ut audio, hoc animus accipit plenum ſine hac geminatione nõ eſſe. Ad ſenſum igitur referenda ſunt. Nequis ſatis fortè quid ſeuerũ, quid iucundum ſit, intelligere: facias quidẽ natura duce melius quàm arte, ſed naturæ ipſi ars inerit. Illud prorſus oratoris, ſcire, ubi quoq; genere cõpoſitionis ſit utendũ. Ea duplex obſeruatio, altera quæ ad pedes refertur, altera quæ ad comprehẽſiones, quæ

efficiuntur

efficiuntur ex pedibus: & de his prius. Diximus igitur esse incisa, membra, circuitus. Incisum (quantū mea fert opinio) erit sensus nō expleto numero cōclusus, pleriſq; pars membri. Tale est enim quo Cicero utitur: Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia superabat? at egebas. Fiunt autē etiam singulis uerbis incisa: ut, Diximus, testes dare uolumus. Incisum est, diximus. Membrum autē est sensus numeris conclusus, sed à toto corpore abruptus, & per se nihil efficiēs. Id enim, O callidos homines, perfectum est: at remotū à cæteris uim non habet, ut per se manus, & pes, & caput. &, O rem excogitatam. Quando ergo incipit corpus esse? cùm uenit extrema cōclusio: quē quæso nostrum fefellit? id uos ita esse facturos? quā Cicero breuißimā putat. Itaq; ferè incisa & membra mixta sunt, & conclusionem utiq; desiderant. Periodo plurima nomina dat Cicero, ambitum, circuitum, comprehensionem, continuationem, circunscriptionem. Genera eius duo sunt, alterum simplex, cum sensus unus longiore ambitu circunducitur: alterum quod constat membris, & incisis, quæ plures sensus habent, Aderat ianitor carceris, & carnifex Prætoris, & reliqua. Habet periodos membra minimum duo. Medius numerus uidetur quatuor, sed recipit frequenter & plura. Modus eis à Cicerone, aut quatuor senarijs uersibus, aut ipsius spiritus modo terminatur. Præstare debet, ut sensum concludat: sit aperta, ut intelligi posit: non immodica, ut memoria contineri. Membrum longius iusto tardum, breuius instabile est. Vbicunq; acriter erit & instanter pugnaciterq; dicēdum, membratim cæsimq; dicemus. Nam hoc in oratione plurimum ualet: adeoq; rebus accōmodanda cōpositio, ut asperis asperos etiam numeros adhiberi oporteat, & cum dicēte æquè audientem inhorrescere. Membratim plerunq; narrabimus, aut ipsas periodos maioribus interuallis, & uelut laxioribus nodis resoluemus, exceptis quæ non docendi gratia, sed ornandi narrantur, ut in Verrem Proserpinæ raptus. Hæc enim lenis & fluens cōtextus decet

decet. Periodos apta proœmijs maiorum causarum, ubi solicitudine, cōmendatione, miseratione res eget. Item communibus locis, & in omni amplificatione, sed poscitur tum austera, si accuses: tum fusa, si laudes. Multum & in epilogis pollet. Totum autem adhibendum est, quo sit amplius compositionis genus, cum iudex non solum rem tenet, sed etiā captus est oratione, & se credit actori, & uoluptate iam ducitur. Historia non tam finitos numeros, quàm orbem quendam contextumq; desiderat. Nanq; omnia eius membra cōnexa sunt, quoniam lubrica est, ac fluit, ut homines, qui manibus inuicem apprehensis gradum firmant, continent, & continentur. Demonstratiuum genus omne fusiores habet liberioresq; numeros. Iudiciale & concionale ut materia uarium est, sic etiā ipsa collocatione uerborum: ubi iam nobis pars ex duabus (quas modo fecimus) secūda tractanda est. Nam quis dubitat alia lenius, alia concitatius, alia sublimius, alia pugnacius, alia grauius esse dicēda? Grauibus, sublimibus, ornatis, longas magis syllabas conuenire? Ita ut lenia spatium, sublimia & ornata claritatem quoq; uocum poscant, potius quàm his contraria. Magis laudarem, breuibus argumēta, partitiones, locos, & quicquid est sermoni magis simile. Itaq; componemus proœmium uarie, atq; ut sensus eius postulabit. Neq; enim accesserim Celso, qui unam quandam huic parti formam dedit, & optimam compositionem esse proœmij, ut apud Asinium, dixit: Si Cæsar ex omnibus mortalibus, qui sint, ac fuerint, posset huic causæ disceptator legi, non quisquam te potius optandus nobis fuit. Non quia negem hoc bene esse compositum, sed quia legem hanc esse componendi in omnibus principijs recusem. Nam iudicis animus uarie præparatur, tum miserabiles esse uolumus, tum modesti, tum acres, tum graues, tum blandi, tum flectere, tum ad diligentiam hortari. Hæc ut sunt diuersa natura, dißimilem componendi quoq; rationem desiderant. An similibus Cicero usus est numeris in exordio pro Milone, pro Cluentio, pro

Q. Ligario

Q. Ligario? Narratio ferè tardiores, atq; (ut sic dixerim) modestiores desiderat pedes, & nominibus maxime mixtos. Nam & uerbis, ut sæpius pressa est, ita interim insurgit, sed docere & infigere animus res semper cupit, quod minime festinantium opus est. Ac mihi uidetur tota narratio constare longioribus membris, breuioribus periodis. Argumenta acria, & citata, pedibus quoq; ad hanc naturam accommodatis utentur. Non tamen ita ut trochæis, quæ celeria quidem, sed sine uiribus sunt. Verum quamuis sint breuibus longisq; mixta, non tamen plures longas quàm breues habentia. Illa sublimia, spatiosas clarasq; uoces habent, amant amplitudinem. Dactyli quoque ac Pæanes, etiamsi maiori ex parte syllabis breuibus, temporibus tamen satis pleni. Aspera contrà, iambis maxime concitantur, non solùm quòd sint è duabus modò syllabis, eoq; frequentiorem quasi pulsum habent, quæ res lenitati cõtraria est, sed etiam quòd omnibus partibus insurgunt, & à breuibus in longas nituntur, & crescunt. Ideoq; meliores choreis, qui à longis in breues cadunt. Summissa, qualia in epilogis, lentas & ipsa & minus exclamantes exigunt. Vult esse Celsus aliquam & superiorem compositionem, quam si quidem sciremus, doceremus: sed sit necesse est tarda & supina. Verum nisi ex uerbis atque sententijs per sese id quæritur, satis odiosa esse non poterit. Deniq;, ut semel finiam, sic ferè componendum, quo modo pronuntiandum erit. An non in proœmijs plerunq; submissi, nisi cum in accusatione concitandus est iudex, aut aliqua indignatione complendus? In narratione pleni atque expressi? In argumentis citati, atque ipso etiam motu celeres sumus? ut in iocis ac descriptionibus fusi ac fluentes, in epilogis plerunq; deiecti & infracti? Atqui corporis quoque motui sua quædam tempora, & ad signa pedum, non minus saltationi, quàm modulationibus adhibet musica ratio numeros. Quid? non uox ad actus accommodatur naturæ ipsarum de quibus dicimus rerum? Quo minus id mirum in pedibus

orationis, cum debeant sublimia ingredi, lenia duci, acria currere, delicata fluere. Itaque ubi est necesse, affectamus etiam tumorem, qui Spondeis atque Iambis maxime continetur,

Hyperoargus sceptra mihi liquit Pelops.

At ille comicus æquè senarius, quem Trochaicum uocant, pluribus Choreis, qui Trochæi ab alijs dicuntur. Pyrrhichius quidem decurrit, sed quantum celeritatis habet, tantum grauitatis amittit:

Quid igitur faciam? non eam? ne nunc quidem? Aspera uero, & maledicta etiam in carmine Iambis crassatur:

Quis hoc potest uidere? quis potest pati?

Nisi impudicus & uorax, & aleo?

In uniuersum autem, si sit necesse, duram potius atq; asperam compositionem malim esse, quàm effœminatam & eneruem: qualis apud multos, & quotidie magis lasciuimus, scilicet in tonorum modis saltitantes. At ne tam bona quidem ulla erit, ut debeat esse continua, & in eosdem semper pedes ire. Nam & uersificandi * genus est unam legem omnibus sermonibus dare, & id cum manifesta affectatione, cuius rei maxime caucenda suspicio est, tum etiam tædium ex similitudine ac satietatem creat. Quodq; est dulcius magis perdit, amittitq; & fidem, & affectus, motusq; omnes, qui est in hac cura deprehensus: nec potest ei credere, aut propter eum dolere, & irasci iudex cui putat hoc uacare. Ideoq; initia quædam quasi soluenda de industria sunt, illa quidem maximi laboris, ne laborata uideantur. Sed neque longioribus quàm oportet hyperbatis compositioni seruiamus, ne quæ eius gratia fecerimus, propter eam fecisse uideamur. Et certè nullum aptum atque idoneum uerbum prætermittemus gratia lenitatis. Neq; enim erit ullum tam difficile, quod non commode inseri possit, nisi quòd in euitandis eiusmodi uerbis non decorem compositionis quærimus, sed facilitatem. Non tamen mirabor Latinos magis indulsisse compositioni,

*modus

tioni,quàm Atticos,quamuis minus in uerbis habeant uarietatis & gratiæ. Nec uitium dixerim, si Cicero à Demosthene paululum in hac parte desciuit. Sed quæ sit differentia nostri Græciq; sermonis,explicabit summus liber. Compositio (nam finem imponere egresso destinatum modum uolumini festino) debet esse honesta, iucunda, uaria. Eius tres partes,ordo,coniunctio, numerus. Ratio in adiectione, detractione, mutatione,usu,pro natura rerum, quas dicimus. Cura magna, ut sentiendi atq; loquendi,prior sit. Dissimulatio curæ præcipua,ut numeri sponte fluxisse,non arcessiti & coacti esse uideantur.

M. FAB. QVINTILIANI ORATORIARVM INSTITUTIONUM, Liber Decimus.

De copia uerborum. CAP. I.

SED HAEC eloquendi præcepta sicut cognitioni sunt necessaria, ita nõ satis ad uim dicendi ualent, nisi illis firma quædam facilitas, quæ apud Græcos εξις nominatur, accesserit: quam scribendo plus, an legendo, an dicendo consequamur,solere quæri scio. Quod esset diligenti nobis examinandum cura,si qualibet earum rerum possemus una esse contenti. Verum ita sunt inter se connexa & indiscreta omnia, ut si qui flexus iisdem defuerint, frustra sit in cæteris laboratum. Nam neq; solida atq; robusta fuerit unquã eloquẽtia,nisi multo stylo uires acceperit,& citra lectionis exemplum labor ille carens rectore fluit. Qui autẽ scierit quo sint quæq; modo dicenda,nisi tanquã in procinctu paratam quidem ad omnes casus habuerit eloquẽtiam,uelut clausis thesauris incubabit. Non autem ut quicq; præcipue necessarium est,sic ad efficiendum oratorem maximi protinus erit momenti. Nam certe cum sit in eloquendo positum

positum oratoris officium,dicere ante omnia est, atq; hinc initium eius artis fuisse manifestũ est:proximam deinde imitationẽ, nouissimã scribendi quoq; diligentiã. Sed ut perueniri ad summa nisi ex principijs non potest, ita procedente iam opere minima incipiunt esse, quæ prima sunt. Verum nos nõ quo modo sit instituẽdus Orator,hoc loco dicimus:nã id quidem aut satis, aut certe uti potuimus,dictum est: sed ut athleta qui omnia iam perdidicerit à præceptore nimirum quo genere exercitationis ad certamina præparandus sit: ita eum qui res inuenire & disponere sciet,uerba quoq; & eligendi, & collocandi rationem pceperit,instruamus qua in oratione, quæ dicere,facere, quàm optime,quàmfacilime possit. Non ergo dubiũ est, quin ei uelut opes sint quædam parandæ, quibus ubicunq; desideratum erit, possit ei constare copia rerum ac uerborũ. Sed res propriæ sunt cuiuscunq; causæ,aut paucis cõmunes,uerba in uniuersas parandа:quæ si rebus in singulis essent singula,minorem curã postularent,nam cuncta sese cum ipsis protinus rebus offerrent. Sed cũ sint alijs alia aut magis propria, aut magis ornata, aut plus efficiẽtia,aut melius sonantia,debent esse non solũ nota omnia, sed in promptu,atq; ut ita dicam, in conspectu, ut cum se iudicio dicẽtis ostenderint,facilis ex his optimorũ sit electio. Equidem scio quosdam collecta, quæ idem significarent uocabula, solitos ediscere, quò facilius & occurreret unum ex pluribus, & cum essent usi aliquo, si breue intra spatiũ rursus desideraretur,effugiẽdæ repetitionis gratia sumerent aliud,quo idẽ intelligi posset:quod cũ est puerile,& cuiusdã infelicis operæ,tum etiam utile parũ:turbam enim modò congregat, ex qua sine discrimine occupet proximũ quodq;. Nobis autem copia cum iudicio paranda est,uim orandi, non circulatoriam uolubilitatem spectantibus:id autẽ consequemur optima legendo atq; audiendo. Non solum enim nomina ipsa rerũ cognoscemus hac cura, sed cui quodq; loco sit aptissimum. Omnibus enim ferè, præter

pauca, quæ sunt parum uerecunda, in oratione locus est. Nam scriptores Iamborum, ueterisq; comœdiæ, etiã in illis sæpe laudantur: sed nobis nostrũ opus interim tueri satis est. Omnia uerba (exceptis de quibus dixi) sunt alicubi optima: & humilibus interim & uulgaribus est opus, & quæ nitidiore in parte uidentur sordida, ubi res poscit, propriè dicũtur. Hæc ut sciamus, atq; eorum non significationem modò, sed formas etiam mensurasq; norimus, & ut ubicunq; erunt posita conueniant, nisi multa lectione atq; auditione assequi non possumus, cum omnẽ sermonem auribus primum accipiamus, propter quod infantes à mutis nutricibus iussu regum in solitudine educati, etiamsi uerba quædam emisisse traduntur, tamen loquendi facultate caruerunt. Sunt autem alia huius naturæ, ut idem pluribus uocibus declarent, ita ut nihil significationis, quo potius utaris, intersit, ut ensis & gladius: alia quæ etiamsi propria rerum aliquarum sint nomina, τροπικῶς tamen ad eundem intellectum feruntur, ut ferrũ & mucro. Nam per abusionem sicarios etiam omnes uocamus qui cædem telo quocunq; commiserint: Alia circuitu uerborum plurium ostendimus, quale est:

—Et pressi copia lactis.

Plurima uero mutatione figuramus: Scio, non ignoro: & ,non me fugit, non me præterit, & quis nescit? nemini dubiũ est. Sed etiam ex proximo mutuari licet: nã & intelligo & sentio & uideo, sæpe idem ualent quod scio: quorum nobis ubertatem ac diuitias dabit lectio, ut non solum cum occurrerint, sed etiã cum oportet, utamur. Non semper enim hæc inter se idem faciunt: nec sicut de intellectu animi recte dixerim uideo, ita de uisu oculorum intelligo: nec ut mucro gladium, sic mucronem gladius ostendit. Sed ut copiosus uerborum sit paratus, ita non uerborũ tantum gratia legendum uel audiendum est. Nam omniũ quæcunq; docemus, hoc sunt exempla potentiora etiam ipsis quæ traduntur artibus, cum eò, qui discit, perductus est, ut intelligere ea sine

ea sine demonstrante, & sequi iam suis uiribus possit: quia quæ doctor præcipit, orator ostendit. Alia uero legentes, alia audientes magis adiuuant. Excitat qui dicit, spiritu ipso, nec imagine & ambitu rerum, sed rebus incendit: uiuunt enim omnia & mouentur, excipimusq; noua illa uelut nascentia, cum fauore ac solicitudine: nec fortuna modò iudicij, sed etiam ipsorũ qui orant periculo afficimur. Præter hæc uox, & actio decora, cõmẽdabit qd quisq; locus postulabit, & pronũciandi uel potentissima in dicẽdo ratio, & ut semel dicã, pariter omnia docet. In lectione certius iudiciũ, quod audiẽti frequẽter, aut suus cuiq; fauor, aut ille laudantium clamor extorquet: pudet enim dissentire, & ab illis tacita quadam uerecũdia inhibemur plus nobis credere, cum interim & uitiosa pluribus placeant, & à corrogatis laudentur etiam quæ nõ placent. Sed è contrario quoq; accidit, ut optime dictis gratiam praua iudicia non referant. Lectio libera est, nec actionis impetu trãscurrit: sed repetere sæpius licet, siue dubites, siue memoriæ penitus affigere uelis. Repetimus autem & tractamus, & ut cibos mãsos ac propè liquefactos demittimus, quo facilius digerantur: ita lectio non cruda, sed multa iteratione mollita, & uelut confecta, memoriæ imitationiq; tradatur, ac diu non nisi optimus quisq;, & qui credentem sibi minime fallat, legendus est, sed diligenter, & penè ad scribendi solicitudinem: nec per partes modò scrutanda omnia, sed perlectus liber utiq; ex integro resumẽdus, præcipueq; oratio, cuius uirtutes frequẽter ex industria quoq; occultãtur. Sæpe enim præparat dissimulatim insidias orator, atq; in prima parte actionis dicit, quæ sunt in summa profutura: itaque suo loco minus placent, adhuc nobis quare dicta sint ignorantibus: ideoq; erunt cognitis omnibus, repetẽda. Illud uero utilissimum, nosse eas causas, quarum orationes in manus sumpsimus, & quoties continget utrinq; habitas legere actiones, ut Demosthenis atq; Aeschinis inter se contrarias: ut Seruij Sulpitij atque Messalæ,

quorum alter pro Aufidia, contrà dixit alter. Et Pollionis & Caßij reo Aßpernate, aliasq; plurimas. Quinetiam si minus pares uidebuntur, aliquæ tamẽ ad cognoscendam litium quæstionem recte requirentur, ut contra Ciceronis orationes, Tuberonis in Q. Ligarium, & Hortensij pro Verre. Quinetiam easdẽ causas utile erit scire: nã pro domo Ciceronis dixit Calidius, & pro Milone orationem Brutus exercitationis gratia scripsit, etiam si egisse eum Corn. Celsus falsò existimat: & Pollio ac Messala defenderunt eosdẽ: Et nobis pueris insignes pro Voluseno Catulo, Domitij Afri, Crißpi Paßieni, Decimi Lælij orationes ferebantur. Neq; id statim legẽti persuasum sit, omnia quæ omnes autores dixerint, utiq; esse perfecta: nam & labant aliquãdo, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum suorum uoluptati: nec semper intendunt animũ, & nonnunquàm fatigantur, cũ Ciceroni dormitare interim Demosthenes, Horatio etiã Homerus ipse uideatur. Summi enim sunt, homines tamen: acciditq; ijs, qui quicquid apud illos repererunt, dicendi legem putant, ut deteriora imitentur (id enim est facilius) ac se abunde similes putent, si uitia magnorum consequantur. Modeste tamẽ & circunspecto iudicio de tantis uiris pronunciandum est, ne (quod pleriſq; accidit) damnent quæ non intelligunt: ac si necesse est in alteram errare partem, omnia eorum legentibus placere, quàm multa displicere maluerim. Plurimum dicit oratori conferre Theophrastus lectionem Poëtarum, multiq; eius iudicium sequuntur, neq; id immeritò: nanq; ab his & in rebus spiritus, & in uerbis sublimitas, & in affectibus motus omnis, & in personis decor petitur, præcipueq; uelut attrita quotidiano actu forensi ingenia, optime rerum talium blanditia reparantur: ideoq; in hac lectione Cicero requiescendum putat. Meminerimus tamen non per omnia Poëtas esse oratori sequendos, nec libertate uerborum, nec licentia figurarũ, totumq; illud studiorum genus ostentationi comparatum, & præter id quod solam petit uoluptatẽ, eamq; fingendo non falsa modò, sed etiam quædam incredibilia sectatur: patrocinio quoq; aliquo iuuari possit, quòd alligati ad certam pedum necessitatem non semper pprijs uti possint, sed depulsi à recta uia necessariò ad eloquẽdi quædam diuerticula confugiant. Nec mutare quædam modò uerba, sed extendere, corripere, conuertere, diuidere cogantur. Nos uero armatos stare in acie, & summis de rebus decernere, & ad uictoriam niti decet. Neq; ego arma squalere situ ac rubigine uelim, sed fulgorẽ inesse qui terreat, qualis est ferri, quo mens simul uisusq; perstringatur: nõ qualis auri argentiq; imbellis, & potius habenti periculosus. Historia quoq; alere orationem quodam molli iucundoq; succo potest: uerum & ipsa sic est legenda, ut sciamus pleraſq; eius uirtutes oratori esse uitandas: est enim proxima Poëtis, & quodammodo carmen solutum, & scribitur ad narrandum, non ad probandum, totumq; opus non ad *actum rei pugnamq; præsentem, sed ad memoriã posteritatis, & ingenij famam componitur: ideoq; & uerbis remotioribus, & liberioribus figuris narrãdi tædium euitat. Itaq; ut dixi, neque Sallustiana breuitas, qua nihil apud aures uacuas atq; eruditas potest esse perfectius, apud occupatum uarijs cogitationibus iudicem, & sæpius ineruditum, captanda nobis est: neq; illa T. Liuij lactea ubertas satis docebit eum, qui non speciem expositionis, sed fidem quærit. Adde quòd M. Tullius ne Thucydidem quidem aut Xenophontem utiles oratori putat, quanquam illum bellicum canere, huius ore Musas esse locutas existimet. Licet tamen nobis in digreßionibus uti uel historico nonnunquàm nitore, dum in ijs, de quibus erit quæstio, meminerimus nõ athletarũ thoros, sed militum lacertos esse, nec uersicolorem illam, qua Demetrius Phalereus dicebatur uti, uestem bene ad forensem puluerem facere. Est & alius ex historijs usus, & is quidem maximus, sed non ad præsentem pertinens locum, ex cognitione rerum exemplorumq;, quibus in

*intuitum

*expetat primis instructus esse debet orator, ne omnia testimonia *expe ctet à litigatore, sed pleraq; ex uetustate diligenter sibi cognita sumat, hoc potentiora, quòd ea sola criminibus odij, & gratiæ uacant. A philosophorum uero lectione ut essent nobis multa petenda, uitio factum est oratorum, qui quidem illis optima sui operis parte cesserũt. Nam & de iustis, honestis, utilibus, quæq; sunt istis contraria, & de rebus diuinis maxime dicunt, & argumẽtantur acriter, & altercationibus atq; interrogationibus oratorem futurum optime Socratici præparant. Sed his quoq; adhibendum est simile iudicium, ut etiam cum in rebus uersemur ijsdem, non tamen eandem esse conditionem sciamus litium ac disputationum, fori & auditorij, præceptorum ac periculorum. Credo exacturos plerosq;, cum tantum esse utilitatis in legendo iudicemus, ut id quoq; adiungamus operi, qui sint legendi, quæ in quoq; autore præcipua uirtus. sed persequi singulos infiniti fuerit operis, quippe cum in Bruto M. Tullius tot millibus uersuum de Romanis tantum oratoribus loquatur, & tamen de omnibus ætatis suæ, quibus cũ uiuebat, exceptis Cæsare atq; Marcello, silentium egerit: quis erit modus si & illos, & qui postea fuerunt, & Græcos omnes, & Philosophos, & Poëtas persequi uelim? Fuerit igitur breuitas illa tutissima, quæ est apud Liuium in epistola ad filiũ scripta, Legendos Demosthenem atq; Ciceronẽ, tum ita ut quisq; esset Demostheni & Ciceroni similimus. Non est tamen dissimulanda nostri quoq; iudicij summa. Paucos enim, uel potius uix ullum ex ijs qui uetustatem pertulerunt, existimo posse reperiri, qui iudicium adhibentibus nõ allaturus sit utilitatis aliquid, cũ se Cicero ab illis quoq; uetustissimis autoribus, ingeniosis quidem, sed arte carentibus, plurimum fateatur adiutũ. Nec multò aliter de nobis sentio: quotus enim quisq; inueniri tam demens potest, qui ne minima quidem alicuius certæ fiducia partis memoriam posteritatis sperauerit? Qui si quis est, intra primos statim uersus deprehẽdetur, & citius

& citius non dimittet, quàm ut eius nobis magno temporis detrimento constet experimentum. Sed non quicquid ad aliquam partem scientiæ pertinet, protinus ad faciendam etiam phrasin (de qua loquimur) accõmodatum est. Verum antequam de singulis loquar, pauca in uniuersum de uarietate opinionum dicenda sunt. Nam quidam solos ueteres legẽdos putant, neq; in ullis alijs esse naturalem eloquentiam, & robur uiris dignum, arbitrantur: Alios recens hæc lasciuia delitiæq;, & omnia ad uoluptatem multitudinis imperitæ cõposita delectant. Sunt etiã qui rectum dicendi genus sequi uolunt. Alij pressa demũ & tenuia, & quæ minimũ ab usu quotidiano recedant, sana & uere Attica putant. Quosdam elatior ingenij uis, & magis cõcitata, & plena spiritus capit. Sunt & lenis, & nitidi, & compositi generis non pauci amatores: de qua differentia disseram diligentius, cum de genere dicendi quærẽdum erit. Interim summatim quid à quaq; lectione petere possint, qui confirmare facultatẽ dicendi uolunt, attingam. Paucos enim qui sunt eminentissimi excerpere in animo est. Facile est autem studiosis, qui sint his similimi iudicare: ne quisquam queratur omissos fortè aliquos eorũ, quos ipse ualde probet. Fateor enim plures legendos esse, quàm qui à me nominabuntur. Sed nunc genera ipsa lectionum, quæ præcipue conuenire intendentibus, ut oratores fiant, existimẽ, persequar. Igitur ut Aratus à Ioue incipiẽdum putat, ita nos rite cœpturi ab Homero uidemur. Hic enim, quemadmodum ex Oceano dicit ipse amnium uim fõtiumq; cursus initiũ capere, omnibus eloquentiæ partibus exemplum & ortum dedit. Hunc nemo in magnis sublimitate, in paruis proprietate superauerit. Idem lætus ac pressus, iucũdus ac grauis, tum copia, tum breuitate mirabilis: nec Poëtica modò, sed oratoria uirtute eminẽtissimus. Nam ut de laudibus, exhortationibus, consolationibus taceam, non ne uel nonus liber, quo missa ad Achillem legatio cõtinetur, uel in primo inter duces illa cõtentio, uel dictæ in secun

do sententiæ, omnes litiũ ac consiliorum explicant artes? Affectus quidẽ uel illos mites, uel hos concitatos, nemo erit tam indoctus, qui nõ in sua potestate hunc autorẽ habuisse fateatur. Age uero, non ne in sui utriusq; operis ingressu pauciſsimis uersibus legem procemiorũ non dico seruauit, sed cõstituit? Nam & beneuolum auditorẽ inuocatione dearum, quas præsidere uatibus creditum est, & intentum propositarũ rerũ magnitudine, & docilem summa celeriter comprehensa facit. Narrare uero quis breuius, quàm qui mortem nunciat Patrocli? quis significantius potest, quàm qui Curetum Aetolorumq; prælium exponit? Iam similitudines, amplificationes, exempla, digressus, signa rerum, & argumenta, cæteraq; probandi ac refutandi, sunt ita multa, ut etiam qui de artibus scripserunt, plurima earum rerum testimonia ab hoc Poëta petant. Nam epilogus quidẽ quis unquàm poterit illis Priami rogantis Achillem precibus æquari? Quid? in uerbis, sententijs, figuris, dispositione totius operis, non ne humani ingenij modum excedit? ut magni sit uiri, uirtutes eius nõ emulatione, quod fieri non potest, sed intellectu sequi. Verum hic omnes sine dubio, & in omni genere eloquentiæ procul à se reliquit: * Heroicos tamen præcipue, uidelicet quia clarissima in materia similis comparatio est. Raro assurgit Hesiodus, magnaq; pars eius in nominibus est occupata, tamen utiles circa præcepta sententiæ, lenitasq; uerborum, & compositionis probabilis: daturq; ei palma in illo medio genere dicendi. Contrà in Antimacho uis & grauitas, & minime uulgare eloquẽdi genus, habet laudem. Sed quãuis ei secundas ferè grammaticorum consensus deferat, & affectibus, & iucunditate, & dispositione, & omnino arte deficitur, ut planè manifestò appareat, quanto sit aliud proximum esse, aliud secundum. Panyasim ex utroque mixtum putant, in eloquẽdo neutrius æquare uirtutes, alterum tamen ab eo materia, alterũ disponẽdi ratione superari. Apollonius in ordinem à grammaticis datum non uenit, quia Aristarchus

*Epicos
Hesiodus.
Antimachus.
Panyasis.
Apollonius.

chus atq; Aristophanes Poëtarum iudices, neminẽ sui temporis in numerum redegerunt, non tamen cõtemnendum edidit opus, æquali quadã mediocritate. Arati materia motu caret, ut in qua nulla uarietas, nullus affectus, nulla persona, nulla cuiusquam sit oratio: sufficit tamen operi cui se parem credidit. Admirabilis in suo genere Theocritus, sed Musa illa rustica & pastoralis, non forum modò, uerũ ipsam etiam urbem reformidat. Audire uideor undiq; congerentes nomina plurimorum Poëtarũ. Quid? Herculis acta non bene Pisandros? Quid? Nicandrum frustra secuti Macer atq; Vergilius? Quid? Euphorionem frustra transibimus? quẽ nisi probasset Vergilius, idem nunquàm certe conditorum Chalcidico uersu carminum fecisset in Bucolicis mentionem. Quid? Horatius frustra Tyrtæum Homero subiungit? Nec sanè quisquam est tam procul à cognitione eorum remotus, ut non indicẽ certe ex bibliotheca sumptum trãsferre in libros suos posit. Nec ignoro igitur quos trãseo, nec utiq; dãno, ut qui dixerim esse in omnibus utilitatis aliquid, sed ad illos iam perfectis cõstitutisq; uiribus reuertemur, qd' etiã in cœnis grãdibus sæpe facimus, ut cum optimis satiati simus, uarietas tamen nobis ex uilioribus grata sit. Tunc & elegiam uacabit in manus sumere, cuius princeps habetur Callimachus: secundas confessione plurimorum Philætas occupauit. Sed dum assequimur illam firmam, ut dixi, facilitatem, optimis assuescendum est, & multò magis quàm multorum lectione formanda mens, & ducendus est color. Itaque ex tribus receptis, Aristarchi iudicio, scriptoribus Iamborum, ad ἕξιν maximè pertinebit unus Archilochus. Summa in hoc uis elocutionis, cum ualidæ, tum breues uibrantesq; sententiæ, plurimum sanguinis atq; neruorum: adeò ut uideatur quibusdam, quòd quidem minor est, materiæ esse, non ingenij uitium. Nouem uerò Lyricorum longe Pindarus princeps, spiritus magnificentia, sententijs, figuris, beatissima rerum uerborumq; copia, & uelut quodam eloquentiæ flu-

Callimachus.
Philætas.
Pindarus.

mine:propter quæ Horatius cum merito credidit nemini imitã-
Steſichorus. bilẽ.Steſichorus quàm ſit ingenio ualidus,materiæ quoq; oſten-
dunt,maxima bella,& clariſsimos canentẽ duces, & Epici car-
minis onera lyra ſuſtinentem:reddidit enim perſonis in agendo
ſimul loquẽdoq; debitam dignitatem:ac ſi tenuiſſet modum, ui-
detur emulari proximus Homerum potuiſſe: ſed redundat, atq;
effunditur, quod ut eſt reprehendendum, ita copiæ uitium eſt.
Alcæus. Alcæus in parte operis aureo plectro meritò donatur, qua ty-
rannos inſectatur:multum etiam moribus confert,in eloquendo
quoq; breuis & magnificus,& diligens,Homero ſimilis, ſed in
Simonides. luſus & amores deſcendit,maioribus tamen aptior . Simonides
tenuis, alioqui ſermone proprio,& iucunditate quadam com-
mendari poteſt : præcipua tamen eius in commouenda miſera-
tione uirtus,ut quidam in hac eũ parte omnibus eiuſdem ope-
Antiqua co- ris autoribus præferant. Antiqua illa comœdia cum ſyncerã
mœdia. illam ſermonis Attici gratiam propè ſola retinet, tum fœcun-
diſsimæ libertatis,etſi eſt in inſectandis uitijs præcipua,plurimũ
tamen uirium etiam in cæteris partibus habet. Nam & gran-
dis,& elegãs,& uenuſta,& neſcio an ulla, poſt Homerum ta-
men, quem ut Achillem ſemper excipi par eſt, aut ſimilior ſit
oratoribus, aut ad oratores faciendos aptior.Plures eius auto-
res,Ariſtophanes tamẽ,& Eupolis,Cratinusq; præcipui. Tra
Aeſchylus. gœdias primum in lucem Aeſchylus protulit,ſublimis, & gra-
uis,& grandiloquus ſæpe uſq; ad uitium:ſed rudis in pleriſque
& incompoſitus, propter quod correctas eius fabulas in certa-
men deferre poſterioribus Poëtis Athenienſes permiſere, ſuntq;
eo modo multi coronati . Sed longe clarius illuſtrauerunt hoc
Sophocles. opus Sophocles atq; Euripides: quorum in diſpari dicendi uia
Euripides. uter ſit Poëta melior, inter plurimos quæritur : idq; ego ſanè,
quoniam ad præſentem materiam nihil pertinet, iniudicatũ re-
linquo.Illud quidem nemo non fateatur neceſſe eſt,ijs qui ſe ad
agendum comparent, utiliorem longe fore Euripidem:nanq; is
& in

& in ſermone, quo ipſum reprehendunt, quibus grauitas, &
cothurnus,& ſonus Sophoclis uidetur eſſe ſublimior,magis ac-
cedit oratorio generi, & ſententijs denſus, & in ijs quæ à ſa-
pientibus tradita ſunt,penè ipſis par, & in dicendo ac reſpon-
dendo,cuilibet eorum qui fuerunt in foro diſerti,comparandus.
In affectibus uero cum omnibus mirus,tum in ijs qui miſeratio-
ne cõſtant,facile præcipuus, & admirãdus maxime eſt, ut ſæpe
teſtatur,& cum ſecutus, quanquam in opere diuerſo, Menan- Menander.
der,qui uel unus,meo quidem iudicio,diligenter lectus, ad cun-
cta quæ præcipimus,efficienda ſufficiat.Ita omnem uitæ imagi-
nem expreſsit,tanta in eo inueniendi copia, eloquendi facultas,
ita eſt omnibus rebus, perſonis, affectibus accommodatus . Nec
nihil profecto uiderunt, qui orationes, quæ Chariſij nomine Chariſij ora-
eduntur , à Menandro ſcriptas putant . Sed mihi longe magis tiones.
orator probari in opere ſuo uidetur,niſi forte aut illa mala iu-
dicia,quæ ἐπιζέωντας, ἐπικλήρους,Lectos habent:aut meditatio-
nes in Sophocle,& Nomothete, Hypobolimæo,non omnibus
oratorijs numeris ſunt abſolutæ. Ego tamen plus adhuc quid-
dam collaturum declamatoribus puto, quoniam his neceſſe eſt
ſecundum conditionem cõtrouerſiarum plures ſubire perſonas,
patrum,filiorum,maritorum,militum,ruſticorum,diuitum,pau-
perum, iraſcentium,deprecantium,mitium, aſperorũ:in quibus
omnibus mire cuſtoditur ab hoc Poëta decorum. Atq; ille quidẽ
omnibus eiuſdem operis autoribus abſtulit nomen , & fulgore
quodam ſuæ claritatis tenebras obduxit.Habent tamẽ alij quoq;
comici,ſi cum uenia legãtur,quædam quæ poſsis decerpere, &
præcipue Philemon, qui ut prauis ſui temporis iudicijs Me- Philemon.
nandro ſæpe prælatus eſt, ita conſenſu tamen omnium meruit
credi ſecundus. Hiſtoriam multi ſcripſere præclare, ſed ne-
mo dubitat longe duos cæteris præferendos , quorum diuerſa
uirtus laudem penè eſt parem conſecuta. Denſus & breuis & Thucydi-
ſemper inſtans ſibi Thucydides. Dulcis & candidus & effuſus des.

Herodo

Herodotus. Herodotus:ille concitatis, hic remißis affectibus melior:ille con=
Theopõpus. cionibus,hic ſermonibus:ille ui,hic uoluptate. Theopompus his
proximus,ut in hiſtoria prædictis minor, ita oratori magis ſimi
lis,ut qui antè quàm eſt ad hoc opus ſolicitatus, diu fuerit ora=
Philiſtus. tor. Philiſtus quoq; miretur,qui turbæ, quamuis bonorum poſt
hos autorum, eximatur,imitator Thucydidis,& ut multo infir
Ephorus. mior,ita aliquatenus lucidior.Ephorus,uti Iſocrati uiſum, cal=
Clitarchus. caribus eget. Clitarchi probatur ingeniũ, fides infamatur.Lon=
Timagenes. go pòſt interuallo tẽporis natus Timagenes, uel hoc ipſo pro=
babilis, quòd intermiſſam hiſtorias ſcribendi induſtriam, noua
laude reparauit.Xenophon non excidit mihi,ſed inter philoſo=
phos reddendus eſt. Sequitur oratorũ ingens manus, ut de=
cem ſimul Athenis ætas una tulerit, quorum longe princeps
Demoſthe= Demoſthenes, ac penè lex orandi fuit:tanta uis in eo, tam den=
nes. ſa omnia, ita quibuſdam neruis intenta ſunt, tam nihil otioſum,
is dicendi modus, ut nec quid deſit in eo, nec quid redundet,
Aeſchines. inuenias. Plenior Aeſchines & magis fuſus,& grandiori ſimi=
lis, quo minus ſtrictus eſt: carnis tamen plus habet,lacertorum
Hyperides. minus. Dulcis in primis & acutus Hyperides eſt, ſed minori=
Lyſias. bus cauſis, ut non dixerim utilior, magis par. His ætate Ly=
ſias maior, ſubtilis atque elegans, & quo nihil, ſi oratori ſatis
ſit docere,quæras perfectius: nihil enim eſt inane, nihil arceſ=
Iſocrates. ſitum, puro tamen fonti quàm magno flumini propior. Iſocra=
tes in diuerſo genere dicendi nitidus & comptus, & palæſtræ
quàm pugnæ magis accommodatus, omnes dicendi ueneres ſe=
ctatus eſt,nec immeritò,auditorijs enim ſe,non iudicijs compa=
rarat. In inuentione facilis, honeſti ſtudioſus, in compoſitione
adeò diligens,ut cura eius reprehendatur. Neque ego in ijs de
quibus ſum locutus, has ſolas uirtutes, ſed has præcipuas puto,
nec cæteros parum fuiſſe magnos. Quinetiam Phalereum illum
Demetrius Demetrium (quanquam is primus inclinaſſe eloquentiam dici=
Phalereus. tur) multum ingenij habuiſſe, & facundiæ fateor: uel ob hoc
memoria

memoria dignũ,quòd ultimus eſt ferè ex Atticis, qui dici poſ=
ſit orator:quem tamen in illo medio genere dicendi præfert o=
mnibus Cicero. Philoſophorum,ex quibus plurimum ſe tra=
xiſſe eloquentiæ Marcus Tullius confitetur, quis dubitet Pla= Plato.
tonem eſſe præcipuum? ſiue acumine diſſerendi, ſiue eloquendi
facultate diuina quadam & Homerica? multũ enim ſupra pro=
ſam orationẽ,& quam pedeſtrem Græci uocant,ſurgit:ut mihi
non hominis ingenio,ſed quodã Delphico uideatur oraculo in=
ſtinctus. Quid ego cõmemorem Xenophontis illam iucunditatẽ Xenophon.
inadfectatã,ſed quã nulla poßit adfectatio cõſequi? ut ipſæ fin=
xiſſe ſermonem Gratiæ uideantur. Et quod de Pericle ueteris
comœdiæ teſtimoniũ eſt, in hunc transferri iuſtiſſime poßit, in
labris eius ſediſſe quandam perſuadendi deam. Quid reliquorũ
Socraticorum elegantiam? quid Ariſtotelem? quem dubito ſciẽ= Ariſtoteles.
tia rerum, an ſcriptorum copia, an eloquendi ſuauitate, an in=
uentionum acumine,an uarietate operum clariorẽ putem.Nam
in Theophraſto tam eſt eloquendi nitor ille diuinus, ut ex eo Theophra=
nomen quoque traxiſſe dicatur. Minus indulſere eloquentiæ ſtus.
Stoici ueteres, ſed cum honeſta ſuaſerunt, tum in colligendo,
probandoq;,quæ inſtituerant,plurimum ualuerunt:rebus tamen
acuti magis, quàm (id quod ſane nõ adfectarunt) oratione ma
gnifici.Idem nobis per Romanos quoq; autores ordo ducendus
eſt. Itaq; ut apud illos Homerus, ſic apud nos Vergilius auſpi= Vergilius.
catiſſimum dederit exordium, omnium eius generis Poëtarum,
Græcorũ noſtrorũq; illi haud dubie proximus. Vtar enim uer=
bis ijſdem, quæ ex Afro Domitio iuuenis accepi: qui mihi in=
terroganti, quem Homero crederet maxime accedere, Secun=
dus, inquit, eſt Vergilius, propior tamen primo quàm tertio.
Et hercle ut illi naturæ cœleſti atque immortali ceſſerimus, ita
curæ & diligentiæ uel ideo in hoc plus eſt, quòd fuit ei ma=
gis laborandum. Et quantum eminentioribus uincimur, for=
taſſe æqualitate penſamus.Cæteri omnes longe ſequentur.Nam

Macer

Macer. Macer & Lucretius legendi quidem, sed non ut φράσιν, id est, corpus eloquentiæ, faciant. Elegantes in sua quisq; materia, sed alter humilis, alter difficilis. Attacinus Varro in ijs per quæ nomen est adsecutus, interpres operis alieni, non spernendus quidem, uerū ad augendam facultatem dicendi parū locuples. Ennium sicut sacros uetustate lucos adoremus, in quibus grandia & antiqua robora, iam nō tantam habent speciem quantam religionē. Propiores alij, atq; ad hanc phrasin de qua loquimur, magis utiles. Lasciuus quidē in heroicis quoq; Ouidius, & nimū amator ingenij sui, laudandus tamen parcius. Cornelius autem Seuerus, etiamsi uersificator quàm Poëta melior, si tamen, ut est dictum, ad exemplar primi libri bellum Siculum perscripsisset, uendicaret sibi iure secundū locum: *Varenum consummari mors immatura nō passa est: puerilia tamen eius opera & maximā indolem ostendunt, & admirabilem præcipue in ætate illa recti generis uoluntatem. Multum in Valerio Flacco nuper amisimus. Vehemens & Poëticū ingenium Salei Bassi fuit, nec ipsum senectute maturum. Rabirius & Pedo non indigni cognitione si uacet. Lucanus ardens & concitatus, & sententijs clarissimus, & ut dicā quod sentio, magis oratoribus quàm Poëtis annumerandus. Hos nominauimus, quia Germanicum Augustum ab institutis studijs deflexit cura terrarum, parumq; dijs uisum est esse eum maximū Poëtarum. Quid tamen ijs ipsis eius operibus, in quæ donatus imperio iuuenis successerat, sublimius, doctius, omnibus deniq; numeris præstātius? Quis enim caneret bella melius, quàm qui sic gerit? quem præsidentes studijs deæ propius audirent? cui magis aperiat suas artes familiare numen Mineruæ? Dicent hæc plenius futura secula, nunc enim cæterarum fulgore uirtutum laus ista præstringitur. Nos tamen sacra literarum colentes feras Cæsar, si non tacitum hoc præterimus, & Vergiliano certe uersu testamur:*

Ennius. Ouidius. Cor. Seuerus. Varenus. *sed eum consum. Val. Flaccus. Saleius Bass. Rabirius. Pedo. Lucanus. Germanicus.

Inter uictrices hederam tibi serpere lauros.

Elegeia

Elegeia Græcos quoq; prouocamus, cuius mihi tersus atque elegans maxime uidetur autor Tibullus. Sunt qui Propertium malint. Ouidius utroq; lasciuior, sicut durior Gallus. Satyra quidem tota nostra est, in qua primus insignē laudem adeptus est Lucilius. qui quosdā ita deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum non eiusdem modo operis autoribus, sed omnibus poëtis præferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium fluere lutulentū, & esse aliquid quod tollere possis, putat: nam & eruditio in eo mira, & libertas, atq; inde acerbitas, & abunde salis. Multo est tersior ac purus magis Horatius: *&, nisi labor eius amore, præcipuus. Multum & ueræ gloriæ, quāuis uno libro, Persius meruit. Sunt clari hodie quoq;, & qui olim nominabuntur. Alterū illud est & prius satyræ genus, quod non sola carminum uarietate mistum, condidit Terentius Varro, uir Romanorum eruditissimus: plurimos hic libros & doctissimos cōposuit, peritissimus linguæ Latinæ, & omnis antiquitatis, & rerum Græcarum nostrarumq;, plus tamen scientiæ collaturus quàm eloquentiæ. Iambus nō sanè à Romanis celebratus est ut proprium opus, à quibusdam interpositus, cuius acerbitas in Catullo, Bibaculo, Horatio, quanquam illi Epodos interuenire non reperiatur. At Lyricorum idem Horatius ferè solus legi dignus: nam & insurgit aliquando, & plenus est iucunditatis & gratiæ, & uarijs figuris, & uerbis felicissime audax. Si quē adijcere uelis, is erit Cæsius Bassus, quem nuper uidimus, sed eū longe præcedūt ingenia uiuentiū. Tragœdiæ scriptores ueterum Accius atq; Pacuuius clarissimi, grauitate sentētiarū, uerborumq; pondere, & autoritate personarum. Cæterū nitor & summa in excolēdis operibus manus, magis uideri potest temporibus quàm ipsis defuisse: uirtū tamen Accio plus tribuitur: Pacuuium uideri doctiorem, qui esse docti affectant, uolūt. Iam Varij Thyestes cuilibet Græcorum comparari potest. Ouidij Medea uidetur mihi ostendere,*

Tibullus. Propertius. Gallus. Lucilius. Horatius. Persius. *als: & ad notandos hominū mores præcipuus. Terent. Varro. Catullus. Bibaculus. Cæsius Bass. Accius. Pacuuius. Varius.

quantum

*imperare quantum uir ille præstare potuerit, si ingenio suo * temperare, quàm indulgere maluisset. Eorũ quos uiderim longe princeps Pomponius Secundus, quẽ senes parum tragicũ putabant, eruditione ac nitore præstare cõfitebantur. In comœdia maxime claudicamus, licet Varro dicat Musas, Aelij Stolonis sententia, Plautino sermone locuturas fuisse, si Latine loqui uellent: licet Cæciliũ ueteres laudibus ferant: licet Terẽtij scripta ad Scipionem Aphricanum referantur, quæ tamen sunt in hoc genere elegãtißima, & plus adhuc habitura gratiæ, si intra uersus trimetros stetissent. Vix leuem cõsequimur umbram, adeò ut mihi sermo ipse Romanus nõ recipere uideatur illam solis concessam Atticis uenerem, quãdo eam ne Græci quidẽ in alio genere linguæ obtinuerint. Togatis excellit Afranius, utinamq; nõ inquinasset argumenta puerorum fœdis amoribus, mores suos fassus. At historia nõ cesserit Græcis, nec opponere Thucydidi Sallustium uereat, nec indignetur sibi Herodotus æquari T. Liuium, cum in narrando miræ iucunditatis, clarißimiq; candoris, tum in concionibus suprà quàm enarrari potest eloquentem. Itaq; dicuntur omnia cum rebus, tum personis accõmodata. Sed affectus quidem, præcipue eos qui sunt dulciores, ut parcißime dicam, nemo historicorum commendauit magis. Ideoq; immortalem illam Sallustij uelocitatem, diuersis uirtutibus consecutus est. Nam mihi egregie dixisse uidetur Seruilius Nouianus, pares eos magis quàm similes: qui & ipse à nobis auditus est, clari uiri ingenij, & sententijs creber, sed minus pressus, quàm historiæ autoritas postulat: quam paulum ætate præcedens eum Bassus Aufidius, egregie utique in libris belli Germanici præstitit, genere ipso probabilis in omnibus, sed in quibusdam uiribus minor. Superest adhuc & exornat ætatis nostræ gloriam uir seculorum memoria dignus, qui olim nominabitur, nunc intelligitur. Habet amatores, nec immeritò, ut libertas, quanquàm circunciſis quæ dixisset, ei nocuerit: sed elatum abunde spiritum,

Plautus. Terentius. Afranius. T. Liuius. Seruil. Nouianus. Bassus Aufidius.

& audaces sententias deprehendes etiam in ijs quæ manent. Sunt & alij scriptores boni, sed nos genera degustamus, non bibliothecas excutimus. Oratores uero uel præcipue Latinam eloquentiam parem facere Græcæ possunt: nam cuicunq; eorum Ciceronem fortiter opposuerim. Nec ignoro quantam mihi concitem pugnam, cum præsertim id non sit propositi, ut eum Demosthenj comparem hoc tempore: neq; enim attinet, cum Demosthenem in primis legendum, uel ediscendum potius putem. Quorum ego uirtutes pleraſq; arbitror similes, consilium, ordinem diuidendi, præparandi, probandi rationem, omnia denique quæ sunt inuentionis. In eloquendo est aliqua diuersitas: densior ille, hic copiosior: ille concludit astrictius, hic latius pugnat: ille acumine semper, hic frequenter & pondere: illi nihil detrahi potest, huic nihil adijci: curæ plus in illo, in hoc naturæ. Salibus certe, & commiseratione, qui duo plurimum affectus ualent, uincimus. Et fortasse epilogos illi mos ciuitatis abstulerit, sed & nobis illa, quæ in Atticis mirantur, diuersa Latini sermonis ratio minus permiserit. In epistolis quidem, quanquam sunt utriusq;, nulla contentio est. Cedendum uero in hoc quidem, quòd & ille prior fuit, & ex magna parte Ciceronem, quantus est, fecit. Nam mihi uidetur Marcus Tullius cum se totum ad imitationem Græcorum contulisset, effinxisse uim Demosthenis, copiam Platonis, iucunditatem Socratis. Nec uero quod in quoq; optimum fuit, studio consecutus est tantum, sed plurimas uel potius omnes ex seipso uirtutes extulit immortalis ingenij beatißima ubertate. Non enim pluuias (ut ait Pindarus) aquas colligit, sed uiuo gurgite exundat, dono quodam Prouidentiæ genitus, in quo totas uires suas eloquentia experiretur. Nam quis docere diligentius, mouere uehementius potest? cui tanta unquam iucunditas affuit? ut ipsa illa quæ extorquet impetrare eum credas, & cum transuersum ui sua iudicem ferat, tamen ille nõ rapi uideatur, sed sequi. Iam in omnibus quæ

Cicero.

dicit, tanta autoritas ineſt, ut diſſentire pudeat, nec aduocati ſtudium, ſed teſtis aut iudicis afferat fidē. Tum interim hæc omnia, quæ uix ſingula quiſquam intentiſſima cura conſequi poſſet, fluunt illaborata: & illa, qua nihil pulchrius auditu eſt oratio, præ ſe fert tamē feliciſſimā facilitatem. Quare non immeritò ab hominibus ſuæ ætatis regnare in iudicijs dictus eſt: apud poſteros uero id conſecutus, ut Cicero iam nō hominis, ſed eloquentiæ nomen habeatur. Hunc igitur ſpectemus, hoc propoſitum nobis ſit exemplum: ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero ualde placebit. Multa in Aſinio Pollione inuentio, ſumma diligētia, adeò ut quibuſdam etiam nimia uideatur, & conſilij & animi ſatis, à nitore & iucūditate Ciceronis ita longe abeſt, ut uideri poſſit ſeculo prior. At Meſſala nitidus & candidus, & quodammodo præ ſe ferens in dicendo nobilitatem ſuam, uiribus minor. C. uero Cæſar ſi foro tantum uacaſſet, non alius ex noſtris contrà Ciceronem nominaretur: tanta in eo uis eſt, id acumen, ea cōcitatio, ut illum eodem animo dixiſſe quo bellauit, appareat. Exornat tamen hæc omnia mira ſermonis, cuius proprie ſtudioſus fuit, elegantia. Multum ingenij in Cælio, & præcipue in accuſando, multa urbanitas, dignusq; uir cui & mens melior, & uita longior contigiſſet. Inueni qui Caluum præferrent omnibus, inueni qui contrà crederent, eum nimia contra ſe calumnia uerum ſanguinem perdidiſſe. Sed eſt & ſancta, & grauis oratio, & caſtigata, & frequenter uehemēs quoq;. Imitator autem eſt Atticorum, fecitq; illi properata mors iniuriam, ſi quid adiecturus, non ſi quid detracturus fuit. Et Seruius Sulpitius inſignem non immeritò fāmam tribus orationibus meruit. Multa, ſi cum iudicio legatur, dabit imitatione digna Caſius Seuerus: qui ſi cæteris uirtutibus colorem & grauitatem orationis adieciſſet, ponendus inter præcipuos foret. Nam & ingenij plurimum eſt in eo, & acerbitas mira, & urbanitas & uis ſumma: ſed plus ſtomacho, quàm conſilio dedit: præterea ut amari ſales, ita frequenter

Aſinius. Pollio.

Meſſala.

C. Cæſar.

Cælius.

Ser. Sulpitius.

Caſs. Seuerus.

frequenter amaritudo ipſa ridicula eſt. Sunt alij multi diſerti, quos perſequi lōgum eſt. Eorum, quos uiderim, Domitius Afer, & Iulius Africanus longe præſtantiſſimi: uerborum arte ille, & toto genere dicendi proferendus, & quem in numero uetera locare non timeas. Hic concitatior, ſed in cura uerborum nimius, & compoſitione nonnunquam longior, & translationibus parum modicus. Erant clara & nuper ingenia: nam & Trachallus plerunq; ſublimis, & ſatis apertus fuit, & quē uelle optima crederes: auditus tamen maior: nam & uocis, quantam in nullo cognoui, felicitas, & pronunciatio uel ſcenis ſuffectura, & decor: omnia deniq; ei, quæ ſunt extra, ſuperfuerunt. Et Vibius Criſpus compoſitus, & iucundus, & delectationi natus, priuatis tamen cauſis quàm publicis melior. Iulio Secundo ſi longior contigiſſet ætas, clariſſimum profecto nomen oratoris apud poſteros foret. Adieciſſet enim, atque adijciebat cæteris uirtutibus ſuis, quod deſiderari poteſt: id eſt autem, ut eſſet multo magis pugnax, & ſæpius ad curam rerum ab elocutione reſpiceret: cæterum interceptus quoque magnum ſibi uendicat locum. Ea eſt facundia, tanta in explicando, quod uellet, gratia, tam candidum & lene & ſpecioſum dicendi genus, tanta uerborum, etiam quæ aſſumpta ſunt, proprietas, tanta etiam in quibuſdam ex periculo petitis ſignificantia. Habebunt qui poſt nos de oratoribus ſcribent, magnam, eos qui nunc uigent, materiam uere laudandi. Sūt enim ſumma hodie, quibus illuſtratur forum, ingenia: Nanq; & conſummati iam patroni ueteribus æmulantur, & eos iuuenum ad optima tendentium imitatur ac ſequitur induſtria. Superſunt qui de philoſophia ſcripſerūt, quo in genere pauciſſimos adhuc eloquentes literæ Romanæ tulerūt. Idem igitur M. Tullius, qui ut ubiq;, etiā in hoc opere Platonis æmulus extitit. Egregius uero multoq; quàm in orationibus præſtātior Brutus, ſuffecit ponderi rerum, ſcias eum ſentire quæ dicit. Scripſit non parum multa Cornelius Celſus, Scepticos ſecutus,

Domitius Afer.

Iul. Africa.

Trachallus.

Vibius Criſ.

Iul. Secūdus.

non sine cultu ac nitore. Plancus in Stoicis rerum cognitione utilis. In Epicureis leuis quidem, sed non iniucundus tamen autor est Catius. Ex industria Senecam in omni genere eloquentiæ uersatum distuli, propter uulgatam falsò de me opinionem, quia damnare eum, & inuisum quoq; habere sum creditus. Quod accidit mihi, dum corruptum, & omnibus uitijs fractum dicendi genus, reuocare ad seueriora iudicia contendo: tum autem solus ferè hic in manibus adolescentium fuit, quem non equidem omnino conabar excutere, sed potioribus præferri non sinebam, quos ille non destiterat incessere, cum diuersi sibi conscius generis, placere se in dicendo posse, quibus illi placerent, diffideret. Amabant autem eum magis quàm imitabantur, tantumq; ab eo defluebant, quantum ille ab antiquis descenderat: foret enim optandum pares, ac saltem proximos illi uiro fieri: sed placebat propter sola uitia, & ad ea se quisq; dirigebat effingẽda, quæ poterat. Deinde cùm se iactaret eodem modo dicere, Senecam infamabat: cuius & multæ alioquin & magnæ uirtutes fuerunt, ingenium facile & copiosum, plurimum studij, multa rerum cognitio, in qua tamen aliquando ab ijs quibus inquirenda quædam mandabat, deceptus est. Tractauit etiam omnem fermè studiorum materiam. Nam & orationes eius, & poëmata, & epistolæ, & dialogi feruntur. In philosophia parum diligens, egregius tamen uitiorum insectator fuit: multæ in eo claraq; sententiæ, multa etiam morum gratia legenda, sed in eloquendo corrupta pleraque, atq; eò perniciosissima, quòd abundant dulcibus uitijs. Velles eum suo ingenio dixisse, alieno iudicio. Nam si aliqua contempsisset, si parum concupisset, si non omnia sua amasset, si rerum pondera minutissimis sententijs non fregisset, consensu potius eruditorum, quàm puerorum amore comprobaretur. Verum sic quoque iam robustis, & seueriore genere satis firmatis, legendus, uel ideo, quòd exercere potest utrunq; iudicium. Multa enim, ut dixi, probanda in eo

in eo, multa etiam admiranda sunt: eligere modò curæ sit, quod utinam ipse fecisset. Digna enim fuit illa natura, quæ meliora uellet, quæ quod uoluit effecit.

De imitatione. CAP. II.

EX his cæterisq; lectione dignis autoribus, & uerborum sumenda copia est, & uarietas figurarum, & componendi ratio, tum ad exemplum uirtutum omnium mens dirigenda. Neq; enim dubitari potest, quin artis pars magna contineatur imitatione: nam ut inuenire primum fuit, estq; præcipuum, sic ea quæ bene inuenta sunt, utile sequi. Atq; omnis uitæ ratio sic constat, ut quæ probamus in alijs, facere ipsi uelimus. Sic literarum ductus, ut scribendi fiat usus, pueri sequuntur: sic musici uocem docentium, pictores opera priorum, rustici probatam experimento culturam, in exemplum tuentur. Omnis denique disciplinæ initia, ad propositum sibi præscriptum formari uidemus. Et hercle necesse est, aut simules, aut dissimiles bonis simus. Similem raro natura præstat, frequenter imitatio. Sed hoc ipsum, quod tanto faciliorem nobis rationem rerum omnium facit, quàm fuit ijs qui nihil quod sequerentur, habuerunt, nisi caute & cum iudicio apprehenditur, nocet. Ante omnia igitur imitatio per se ipsa non sufficit: uel quia pigri est ingenij contentum esse ijs, quæ sint ab alijs inuenta. Quid enim futurum erat temporibus illis, quæ sine exemplo fuerunt, si homines nihil, nisi quod iam cognouissent, faciendum sibi aut cogitandum putassent? nempe nihil fuisset inuentum. Cur igitur nefas est reperiri aliquid à nobis, quod antè non fuerit? An illi rudes solamentis natura ducti sunt in hoc, ut tam multa generarent, nos ad quærendum non eo ipso concitemur, quòd certe scimus inuenisse eos qui quæsierint? Et cum illi, qui nullum cuiusquam rei habuerunt magistrum, plurima in posteros tradiderint, nobis usus illarum rerum ad eruendas alias non proderit? sed nihil habebimus nisi beneficij alieni? Quemadmodum quidam pictores

in id ſolum ſtudent ut deſcribere tabulas menſuris ac lineis ſciãt. Turpe etiam illud eſt, contentum eſſe id conſequi quod imiteris: nam rurſus quid erat futurum, ſi nemo plus effeciſſet eo quem ſequebatur? Nihil in poëtis ſupra Liuium Andronicum: nihil in hiſtorijs ſupra Pontificum annales haberemus: ratibus adhuc nauigaremus: non eſſet pictura, niſi quæ lineas modò extremas umbræ, quam corpora in ſole feciſſent, circunſcriberet. Ac ſi omnia percenſeas, nulla ſit ars qualis inuenta eſt, nec intra initium ſtetit, niſi forte noſtra potiſſimum tempora damnamus huius infelicitatis, ut nunc demum nihil creſcat: nihil autem creſcit ſola imitatione. Quòd ſi prioribus adijcere fas non eſt, quomodo ſperare poſſumus ullum oratorem perfectum? cum in ijs, quos maximos adhuc nouimus, nemo ſit inuentus, in quo nihil aut deſideretur, aut reprehendatur. Sed etiam qui ſumma non appetent, contendere potius quàm ſequi debent: nam qui agit ut prior ſit, forſitan, etiam ſi non tranſierit, æquabit. Eum uero nemo poteſt æquare, cuius ueſtigijs ſibi utiq; inſiſtendum putat: neceſſe eſt enim ſemper ſit poſterior, qui ſequitur. Adde quòd plerunq; facilius eſt plus facere, quàm idem: Tantam enim difficultatem habet ſimilitudo, ut ne ipſa quidem natura in hoc ita eualuerit, *ut non res ſimpliciſſimæ, quæq; pares maxime uideantur, diſcrimine aliquo diſcernantur. Adde quòd quicquid alteri ſimile eſt, neceſſe eſt minus ſit eo quod imitatur, ut umbra corpore, & imago facie, & actus hiſtrionum ueris affectibus. Quod in orationibus quoq; euenit: nanq; ijs quæ in exemplum aſſumimus, ſubeſt natura & uera uis. Cõtrà omnis imitatio ficta eſt, & ad alienum propoſitum accõmodatur. Quò fit, ut minus ſanguinis ac uiriũ declamationes habeãt, quàm orationes: quod in illis uera, in his aſſimulata materia eſt. Adde quòd ea quæ in oratore maxima ſunt, imitabilia non ſunt, ingenium, inuentio, uis, facilitas, & quicquid arte non traditur. Ideoq; pleriq; cum uerba quædam ex orationibus excerpſerunt, aut aliquos compoſitionis

*ut nõ res quæ ſimilimę uideãtur, utiq; diſcrimine aliq.

poſitionis certos pedes, mire à ſe quæ elegerunt effingi arbitrantur, cum & uerba intercidant inualeſcantq; temporibus, ut quorum certiſſima ſit regula in conſuetudine, eaq; non ſua natura ſint bona aut mala (nam per ſe ſoni tantum ſunt) ſed prout opportune proprieq;, aut ſecus collocata ſunt, & compoſitio cum rebus accommodata ſit, tum ipſa uarietate gratiſſima. Quapropter exactiſſimo iudicio circa hanc partem ſtudiorum examinanda ſunt omnia. Primum quos imitemur: nam ſunt plurimi, qui ſimilitudinem peſſimi cuiuſq; & corruptiſſimi concupierint: Deinde in ipſis quos elegerimus, quid ſit ad quod efficiendum nos comparemus. Nam in magnis quoq; autoribus incidunt aliqua uitioſa, & à doctis, inter ipſos etiam mutuò reprehenſa: atq; utinam tam bona imitantes dicerent melius, quàm mala peius dicunt. Nec uero ſaltem ijs quibus ad euitanda uitia iudicij ſatis fuit, ſufficiat imaginem uirtutis effingere, & ſolam, ut ſic dixerim, cutem, uel potius illas Epicuri figuras, quas è ſummis corporibus dicit effluere. Hoc autem ijs accidit, qui non introſpectis penitus uirtutibus ad primũ ſe uelut aſpectum orationis aptarunt: & cùm ijs felicißime ceſſit imitatio, qui uerbis atq; numeris ſunt non multum differentes, uim dicendi atq; inuentionis non aſſequuntur, ſed plerunq; declinant in peius, & proxima uirtutibus uitia cõprehendunt, fiuntq; pro grandibus tumidi: preſsis, exiles: fortibus, temerarij: lætis, corrupti: compoſitis, exultantes: ſimplicibus, negligẽtes. Ideoq; qui horride atq; incompoſite quidlibet illud frigidum & inane extulerunt, antiquis ſe pares credunt, qui carẽt cultu atq; ſententijs, Atticis: qui præciſis concluſionibus obſcuri, Salluſtium atq; Thucydidem ſuperant: triſtes ac ieiuni Pollionem æmulantur: otioſi ac ſupini, ſi quid modò longius circunduxerunt, iurant ita M. Ciceronem locuturũ fuiſſe. Noueram quoſdam, qui ſe pulchre expreſſiſſe genus illud cœleſtis huius in dicendo uiri ſibi uiderentur, ſi in clauſula poſuiſſent, eſſe uideatur. Ergo primum eſt, ut quod

imitaturus est quisq; intelligat, & quare bonum sit, sciat: tum in
suscipiendo onere consulat suas uires. Nam quædam sunt inimi-
tabilia, quibus aut infirmitas naturæ non sufficiat, aut diuersitas
repugnet. Nec cui tenue ingeniū erit, sola uelit fortia & abru-
*subtilitatis pta: cui forte quidem, sed indomitum, amore *sublimitatis & uim
suam perdat, & elegantiam quam cupit, non assequatur: nihil
est enim tam indecens, quàm cum mollia dura fiunt. Atq; ego illi
præceptori, quem institueram in libro secundo, tradidi non ea
sola docenda esse, ad quæ quenq; discipulorum natura composi-
tum uideret: nam is & adiuuare debet quæ in quoq; eorum in-
uenerit bona, & quantum fieri potest, adijcere quæ desunt, &
emendare quædam & mutare. Rector enim est aliorum inge-
niorum, atq; formator. Difficilius est enim naturam suam finge
re. Sed ne ille quidem doctor, quanquam omnia quæ recta sunt
uelit esse in suis auditoribus quamplenissima, in eo tamen cui na
turam obstare uiderit, laborabit. Id quoq; uitandum, in quo
magna pars errat, ne in oratione poëtas nobis & historicos, in
illorum operibus oratores aut declamatores imitandos pute-
mus. Sua cuique proposita lex, suus cuique decor est. Nec comœ-
dia in cothurnos assurgit, nec contrà tragœdia socco ingredi-
tur. Habet tamen omnis eloquentia aliquid commune, id imite-
mur quod commune est. Etiam hoc solet incommodi accidere
ijs qui se uni alicui generi dediderunt, ut si asperitas ijs pla-
cuit alicuius, hanc etiam in leni ac remisso causarum genere
non exuant: si tenuitas aut nuditas, in asperis grauibusq; cau-
sis ponderi rerum parum respondeant: cùm sit diuersa, non
causarum modò inter se ipsas conditio, sed in singulis etiam cau
sis partium, sintq; alia leniter, alia aspere, alia cōcitate, alia re-
misse, alia docēdi, alia mouendi gratia dicēda. Quorum omnium
dissimilis atq; diuersa inter se ratio est. Itaque ne hoc quidem
suaserim, uni se alicui proprie, quem per omnia sequatur addi-
cere. Longe omnium perfectissimus Græcorum Demosthenes,
aliquid

aliquid tamen aliquo in loco melius alij. Plurima ille: sed nō qui
maxime imitandus, etiam solus imitandus est. Quid ergo? nō est
satis omnia sic dicere, quemadmodum M. Tullius dixit? Mihi
quidem satis esset, si omnia consequi possem. Quid tamen noce-
ret, uim Cæsaris, asperitatem Cælij, diligentiam Pollionis, iudi-
cium Calui quibusdam in locis assumere? Nam præter id quod
prudentis est, quod in quoq; optimum est, si possit, suum facere,
tum in tanta rei difficultate, unum intuentes, uix aliqua pars se-
quitur. Ideoq; cum totum exprimere quem elegeris, penè sit
homini inconcessum, plurium bona ponamus ante oculos, ut
aliud ex alio hæreat, & quo quidq; loco conueniat, aptemus.
Imitatio autem (nam sæpius idem dicam) non sit tantum in
uerbis: illuc intendenda mens, quantum fuerit illis uiris decoris
in rebus atque personis, quod consilium, quæ dispositio, quàm
omnia, etiam quæ delectationi uideantur data, ad uictoriam
spectent, quid agant procœmio, quæ ratio, & quàm uaria nar-
randi, quæ uis probandi ac refellendi, quanta in affectibus om-
nis generis mouendis scientia, quantaq; laus ipsa popularis,
utilitatis gratia assumpta: quæ tum est pulcherrima, cùm se-
quitur, non cum arcessitur. Hæc si præuiderimus, tum uere imi-
tabimur. Qui uero etiam propria his bona adiecerit, ut sup-
pleat quæ deerant, circuncidat si quid redundabit, is erit, quem
quærimus, perfectus orator: quem nunc consummari potissi-
mum oportebat, cùm tanto plura bene dicendi exempla super-
sunt, quàm illis, qui adhuc summi sunt, contigerunt. Nam erit
hæc quoque laus eorum, ut priores superasse, posteros docuisse
dicantur.

Quis modus scribendi sit. CAP. III.

ET hæc quidem auxilia extrinsecus adhibētur, in ijs autem
quæ nobis ipsis paranda sunt, ut laboris, sic utilitatis etiam
longe plurimum affert stylus. Nec immeritò M. Tullius hunc
optimum effectorem ac magistrum dicendi uocat, cui sententiæ

perſonam L. Craſſi in diſputationibus, quæ ſunt de oratore aſſẽ gnando, iudicium ſuũ cum illius autoritate coniunxit. Scribendum ergo quàmdiligentiſsime & quàmplurimum. Nam ut terra altius effoſſa generandis alendiſq; ſeminibus fœcũdior fit, ſic profectus nõ à ſummo petitus, ſtudiorum fructus & fundit uberius, & fidelius continet. Nam ſine hac quidem conſcientia, illa ipſa ex tempore dicendi facultas inanem modò loquacitatem dabit, & uerba in labris naſcentia: illic radices, illic fundamenta ſunt, illic opes uelut ſanctiore quodam ærario reconditæ, unde ad ſubitos quoq; caſus, cum res exiget, proferantur. Vires faciamus ante omnia, quæ ſufficiant labori certaminum, & uſu non exhauriantur. Nihil enim rerum ipſa natura uoluit magnum effici citò, præpoſuitq; pulcherrimo cuiq; operi difficultatem, quæ naſcendi quoq; hãc fecerit legem, ut maiora animalia diutius uiſceribus parentum continerentur. Sed cũ ſit duplex quæſtio, quomodo, & quæ maxime ſcribi oporteat, iam hinc ordinem ſequar. Sit primo uel tardus, dum diligens ſtylus. Quæramus optima, nec protinus offerentibus ſe gaudeamus. Adhibeatur iudicium inuẽtis, diſpoſitio probatis. Delectus enim rerum uerborumq; habendus eſt, & pondera ſingulorum exhibenda & examinanda. Pòſt ſubeat ratio collocandi, uerſenturq; omni modo numeri. Non ut quodq; ſe proferet uerbum, occupet locum. Quæ quidem ut diligentius exequamur, repetenda ſæpius erunt ſcriptorum proxima. Nam præter id quòd ſic melius iũguntur prioribus ſequentia, calor quoq; ille cogitationis, qui ſcribendi mora refrixit, recipit ex integro uires, & uelut repetito ſpatio ſumit impetum: quod in certamine ſaliendi fieri uidemus, ut conatum longius petant, & ad illud quò cõtenditur ſpatium curſu ferantur: utq; in iaculãdo brachia reducimus, & expulſuri tela, neruos retro tendimus. Interim tamen ſi fuerit flatus, danda ſunt uela, dum nos indulgentia illa non fallat. Omnia enim noſtra dum naſcuntur placent, alioqui nec ſcriberentur. Sed re

Sed redeamus ad iudicium, & retractemus ſuſpectam facilitatẽ. Sic ſcripſiſſe Salluſtium accepimus, & ſanè manifeſtus eſt etiã ex ipſo opere labor. Vergilium quoq; pauciſsimos die compoſuiſſe uerſus, autor eſt Varus. Oratoris quidem alia conditio eſt, itaq; hanc moram & ſolicitudinem initijs impero. Nam primũ hoc conſtituendum, hoc obtinendum eſt, ut quàm optime ſcribamus, celeritatem dabit conſuetudo, paulatim res facilius ſe oſtendent, uerba reſpondebunt, compoſitio ſequetur, cuncta deniq;, ut in familia bene inſtituta, in officio erunt. Summa hæc eſt rei, citò ſcribendo non fit ut bene ſcribatur: bene ſcribendo fit ut citò. Sed tum maximè, cùm facultas illa cõtigerit, reſiſtamus, prohibeamus, & efferentes equos frenis quibuſdam coërceamus. Quod non tam moram faciet, quàm nouos impetus dabit. Neque enim rurſus eos qui robur aliquod in ſtylo fecerint, ad infelicem calumniandi ſe pœnam alligandos puto. Nam quomodo ſufficere officijs poſsit ciuilibus, qui ſingulis actionũ partibus inſeneſcat? Sunt autem quibus nihil ſit ſatis, omnia mutare, omnia aliter dicere quàm occurrit, uelint: increduli quidam, & de ingenio ſuo peßime meriti, qui diligentiam putant facere ſibi ſcribendi difficultatem. Nec promptum eſt dicere utros peccare ualidius putem, quibus omnia ſua placent, an quibus nihil. Accidit enim ingenioſis adoleſcentibus frequenter, ut labore conſumantur, & in ſilentium uſq; deſcendant nimia bene dicendi cupiditate. Qua de re memini narraſſe mihi Iulium Secundum illum æqualem meum, atq; à me, ut notum eſt, familiariter amatum, miræ facundiæ uirum, infinitæ tamen curæ, quid eſſet ſibi à patruo ſuo dictum. Is fuit Iulius Florus in eloquentia Galliarum (quoniam ibi demũ exercuit eam) princeps, alioquin inter paucos diſertus, & dignus illa propinquitate. Is cum Secundum ſcholæ adhuc operam dantem triſtem fortè uidiſſet, interrogauit, quæ cauſa frontis tam obductæ: nec diſsimulauit adoleſcens, tertiũ iam diem eſſe ex quo omni labore materiæ ad ſcriben

scribendum destinatæ non inueniret exordiũ, quo sibi non præsens tantum dolor, sed etiam desperatio in posterũ fieret. Tum Florus arridens, Nunquid tu, inquit, melius dicere uis quàm potes? Ita se res habet, curandum est, ut quàmoptime dicamus, dicendum tamen pro facultate: ad profectum enim opus est studio, non indignatione. Vt posimus autẽ scribere etiam plura & celerius, non exercitatio modò præstabit, in qua sine dubio multum est, sed etiam ratio, si non resupini spectantesq; tectum, & cogitationem murmure agitantes, expectauerimus quid obueniat, quid res poscat, quid personam deceat, quod sit tẽpus, qui iudicis animus intuiti, humano quodammodo ad scribendum accesserimus. Sic nobis initia, & quæ sequuntur natura ipsa præstabit. Certa sunt enim pleraq;, & nisi conniueamus, in oculos incurrunt. Ideoq; nec indocti, nec rustici diu quærunt unde incipiant: quò pudendum est magis, si difficultatem facit doctrina. Non ergo putemus semper optimum esse quod latet, ne immutescamus alioqui, si nihil dicendum uideatur, nisi quod non inuenimus. Diuersum est huic eorum uitium, qui primo quasi decurrere per materiam stylo quàmuelocissimo uolunt, & sequẽtes calorem ac impetum ex tempore scribunt: hanc syluam uocant. Repetunt deinde, & componunt quæ effuderant, sed uerba emendantur & numeri manent in rebus temere congestis, quæ fudit leuitas. Protinus ergo adhibere curã rectius erit, atq; ab initio sic opus ducere, ut cælandum, non ex integro fabricãdum sit. Aliquando tamen affectus sequemur, in quibus ferè plus calor quàm diligentia ualet. Satis apparet ex eo, quòd hãc scribentium negligentiam damno, quid de illis dictandi delicijs sentiam. Nam in stylo quidem, quamlibet properato, dat aliquam cogitationi moram, non consequens celeritatem eius manus: ille cui dictamus urget, atq; interim pudet etiam dubitare, aut resistere, aut mutare, quasi conscium infirmitatis nostræ timentes. Quo fit, ut non rudia tantũ & fortuita, sed impropria interim, dum

Sylua.

dum sola est connectendi sermonis cupiditas effluant, quæ nec scribentium curam, nec dicentium impetum consequantur. At idem ille qui excipit, si tardior in scribendo, aut inertior in legendo uelut offensator fuerit, inhibetur cursus, atq; omnis quæ erat conceptæ mentis intentio, mora, & interdũ iracundia excutitur. Tum illa quæ altiorem animi motum sequuntur, quæq; ipsa animum quodammodo concitant, quorum est iactare manum, torquere uultum, simul uertere latus, & interim obiurgare, quæq; Persius notat, cum leuiter dicendi genus significat, Nec pluteum, inquit, cædit, nec demorsos sapit ungues: etiam ridicula sunt, nisi cùm soli sumus. Deniq; ut semel, quod est potissimum, dicam, secretum quod dictando perit, atq; liberum arbitris locum, & quàmaltissimum silentium scribentibus maxime conuenire nemo dubitauerit. Non tamen protinus audiendi, qui credunt aptissima in hoc nemora syluasq;, quòd illa cœli libertas, locorumq; amœnitas sublimem animum, & beatiorem spiritum parent. Mihi certe iucundus hic magis, quàm studiorum hortator uidetur esse seceßus. Nanq; illa ipsa quæ delectant, necesse est auocent ab intentione operis destinati. Neq; enim se bona fide in multa simul intendere animus totum potest, & quocunq; respexerit, desinit intueri quod propositum fuerat. Quare syluarum amœnitas, & præterlabentia flumina, & inspirãtes ramis arborum auræ, uolucrumq; cantus, & ipsa late circumspiciendi libertas, ad se trahunt: ut mihi remittere potius uoluptas ista uideatur cogitationem, quàm intendere. Demosthenes melius, qui se in locum, ex quo nulla exaudiri uox, nihilq; prospici posset, recondebat, ne aliud agere mentem cogerent oculi. Ideoq; lucubrantes, silentium noctis, & clausum cubiculum, & lumen unum uelut tectos maxime teneat. Sed cũ in omni studiorum genere, tum in hoc præcipue bona ualetudo, quæq; eam maxime præstat frugalitas necessaria est, cũ tempora ab ipsa rerum natura ad quietem refectionemq; nobis data, in

ta,in acerrimum laborem conuertimus: cui tamen non plus irro gandũ eſt,quàm quod ſomno ſupererit,aut deerit. Obſtat enim diligentiæ ſcribendi etiam fatigatio : & abunde, ſi uacet, lucis ſpatia ſufficiunt:occupatos in noctem neceßitas agit. Eſt tamen lucubratio,quoties ad eam integri ac refecti uenimus,optimum ſecreti genus.Sed ſilentium & feceßus,& undiq; liber animus, ut ſunt maxime optanda, ita non poßunt ſemper contingere. Ideoq; non ſtatim, ſi quid obſtrepet, abijciendi codices erunt, & deplorandus dies:uerum incommodis repugnandum,& hic faciendus uſus,ut omnia quæ impedient,uincat intentio : quam ſi tota mente in opus ipſum dixeris,nihil eorum quæ uel oculis, uel auribus incurſant,ad animum perueniet. An non frequenter etiam fortuita hoc cogitatio præſtat,ut obuios nõ uideamus, & itinere deerremus ? Non conſequemur idem ſi & uoluerimus? Non eſt indulgendum cauſis deſidiæ,nam ſi non niſi refecti,nõ niſi hilares,non niſi alijs curis uacantes ſtudendum exiſtimaue rimus,ſemper erit propter quod nobis ignoſcamus. Quare in turba,itinere,conuiuijs, uel concione etiam, faciat ſibi cogita tio ipſa ſecretum. Quid alioqui fiet,cum in medio foro,tot cir cumſtantibus iudicijs, iurgijs, fortuitis etiam clamoribus, erit ſubitò continua oratione dicendum,ſi particulas quas ceris mã damus,niſi in ſolitudine reperire non poßumus ? propter quæ idem ille tantus amator ſecreti Demoſthenes, in littore,in quod maximo cum ſono fluctus illideretur,meditans conſueſcebat cõ cionum fremitus non expaueſcere. Illa quoq; minora (ſed nihil in ſtudijs paruum eſt) non ſunt tranſeunda,ſcribi optime ceris, in quibus facilima eſt ratio delendi,niſi fortè uiſus infirmior mẽ branarum potius uſum exiget:quæ ut iuuant aciem, ita crebra relatione,quoad intinguntur calami, morantur manum, & co gitationis impetum frangunt. Relinquendæ autem in utroli bet genere uacuæ tabellæ,in quibus libera adijciendi ſit excur ſio. Nam interim pigritiam emendanti angustiæ faciunt, aut certe

certe nouorum interpoſitione priora confunduntur. Ne latas quidem ultra modum eſſe ceras uelim, expertus iuuenem ſtu dioſum alioqui,prælongos habuiſſe ſermones, quia illos nume ro uerſuum metiebatur:idq; uitium quod frequenti admonitio ne corrigi non potuerat,mutatis codicibus eſſe ſublatum.Debet uacare etiam locus in quo notentur,quæ ſcribentibus ſolent ex tra ordinem,id eſt,ex alijs quàm qui ſunt in manibus loci oc currere.Irrumpunt enim optimi nõnunquàm ſenſus, quos neq; inſerere oportet,neq; differre tutum eſt, quia interim elabun tur,interim memoriæ ſuæ intentos ab alia inuentione declinãt, ideoq; optime ſunt in depoſito.

De emendatione. CAP. IIII.

SEquitur emendatio, pars ſtudiorum longè utiliſſima : neq; enim ſine cauſa creditum eſt,ſtylum non minus agere, cum delet.Huius autem operis eſt adijcere,detrahere,mutare:ſed fa cilius in ijs ſimpliciusq; iudicium, quæ replenda uel deijcienda ſunt:premere uero tumẽtia,humilia extollere,luxuriantia aſtrin gere,inordinata digerere,ſoluta cõponere,exultantia coërcere, duplicis operæ:nam & damnanda ſunt quæ placuerant,& in uenienda quæ fugerant.Nec dubium eſt optimum eſſe emendã di genus,ſi ſcripta in aliquod tempus reponantur,ut ad ea poſt interuallum, uelut noua atq; aliena redeamus, ne nobis ſcripta noſtra tanquam recentes fœtus blandiantur.Sed neq; hoc con tingere ſemper poteſt, præſertim oratori, cui ſæpius ſcribere ad præſentes uſus neceſſe eſt : & ipſa emendatio finem habet. Sunt enim qui ad omnia ſcripta tanquam uitioſa redeant, & quaſi nihil fas ſit rectum eſſe quod primum eſt, melius exiſti ment quicquid eſt aliud : idq; faciant quoties librum in manus reſumpſerunt : ſimiles medicis etiam integra ſecantibus. Acci dit itaque ut cicatricoſa ſint & exanguia, & cura peiora. Sit igitur aliquando quod placeat,aut certe quod ſufficiat,ut opus poliat lima, non exterat. Temporis quoque eſſe debet modus.

Nam

Nam quod Cinnæ Smyrnam nouem annis accepimus ſcriptam, & Panegyricum Iſocratis, qui parciſſime, decem annis dicunt elaboratum, ad oratorem nihil pertinet: cuius nullū erit, ſi tam tardum fuerit auxilium.

Quæ ſcribenda præcipue ſint. CAP. V.

PRoximum eſt ut dicamus quæ præcipue ſcribenda ſint. Hoc exuberantis quidē eſt operis, ut explicemus quæ ſint materiæ, quæ prima aut ſecunda, aut deinceps tractanda ſint: nam id factum eſt etiam primo libro, quo puerorum: & ſecundo, quo iam robuſtorum ſtudijs ordinem dedimus: ſed de quo nūc agitur, unde copia & facilitas maxime ueniat. Vertere Græca in Latinum ueteres noſtri oratores optimum iudicabant. Id ſe L. Craßus in illis Ciceronis de Oratore libris dicit factitaſſe. Id Cicero ſua ipſe perſona frequentißime præcipit: Quinetiam libros Platonis atq; Xenophontis edidit hoc genere translatos. Id Meßalæ placuit, multæq; ſunt ab eo ſcriptæ ad hunc modū orationes, adeò ut etiam cum Hyperidis illa pro Phryne difficilima Romanis ſubtilitate contenderet. Et manifeſta eſt exercitationis huiuſce ratio: nam & rerum copia Græci autores abundant, & plurimū artis in eloquentiam intulerunt, & hos trāsferentibus, uerbis uti optimis licet: omnibus enim utimur noſtris. Figuras uero quibus maxime ornatur oratio, multas ac uarias excogitandi etiam neceſsitas quædam eſt, quia plerunq; à Græcis Romana diſſentiunt. Sed & illa ex Latinis conuerſio, multū & ipſa contulerit. Ac de carminibus quidem neminem credo dubitare, quo ſolo genere exercitationis dicitur uſus eſſe Sulpitius. Nam & ſublimis ſpiritus attollere orationem poteſt, & uerba poëtica libertate audaciora, præſumunt eandem proprie dicendi facultatem: ſed & ipſis ſententijs adijcere licet oratorium robur, & omiſſa ſupplere, & effuſa ſubſtringere. Neq; ego παράφρασιν eſſe interpretationem tantum uolo, ſed circa eoſdem ſenſus certamen atq; æmulationē. Ideoq; ab illis diſſentio, qui uertere

tere orationes latinas uetant, quia optimis occupatis, quicquid aliter dixerimus, neceſſe ſit eſſe deterius. Nam neq; ſemper eſt deſperandum, aliquid illis quæ dicta ſunt melius poſſe reperiri. Neq; adeò ieiunam ac pauperem natura eloquentiam fecit, ut una de re bene dici niſi ſemel, non poßit, niſi forte hiſtrionum multa circa uoces eaſdē uariare geſtus poteſt, orandi minor uis, ut dicatur aliquid, præter quod in eadem materia nihil dicendū ſit. Sed eſto, neq; melius, quod inuenimus ſit, nec par: eſt certe proximis locus. An non ipſi nos bis ac ſæpius de eadem re dicimus, & quidem continuas nōnunquàm ſententias? niſi forte cō tendere nobiſcum poßumus, cū alijs non poßumus. Nam ſi uno tantum genere bene dicetur, fas erit exiſtimari, præcluſam nobis à prioribus uiam in dicendo: nunc uero innumerabiles ſunt modi, plurimæq; eodem uiæ ducunt. Sua breuitati gratia, ſua copiæ, alia translatis uirtus, alia proprijs. Hoc oratio recta, illud figura declinata commendat: Ipſa deniq; utiliſſima eſt exercitationi difficultas. Quid? quod autores maximi ſic diligentius cognoſcuntur? Nō enim ſcripta lectione ſecura tranſcurrimus, ſed tractamus ſingula, & neceſſariò introſpicimus, & quantum habeant uirtutis uel hoc ipſo cognoſcimus, quòd imitari nō poßumus. Nec aliena tantū transferre, ſed etiam noſtra pluribus modis tractare proderit, ut ex induſtria ſumamus ſentētias quaſdā, easq; uerſemus quàmnumeroſiſſime, ueluti eadem cera aliæ atq; aliæ formæ duci ſolent: Plurimum autem parari facultatis exiſtimo ex ſimpliciſſima quaq; materia. Nam in illa multiplici perſonarum, cauſarum, temporum, locorum, dictorum, factorum, diuerſitate, facile deliteſcet infirmitas, tot ſe undiq; rebus, ex quibus aliqua apprehendas offerentibus. Illud uirtutis indiciū eſt, fundere quæ natura cōtracta ſunt, augere parua, uarietatē ſim- *ſimilibus
plicibus, uoluptatē expoſitis dare, & bene dicere multa de paucis. In hoc optime faciēt infinitæ quæſtiones, quas uocari θέσεις diximus, quibus Cicero iam princeps in Rep. exerceri ſolebat.

His confinis eſt deſtructio & confirmatio ſententiarũ: nam cum ſit ſententia decretum quoddam atq; præceptum, quod de reo, idem de iudicio rei quæri poteſt. Tum loci cõmunes, quos etiã ſcriptos ab oratoribus ſcimus: nam qui hæc recta tantum, & in nullos flexus recedentia copioſe tractauerit, utiq; in illis plures excurſus recipientibus magis abundabit: eritq; in omnes cauſas gratus: omnes enim generalibus quæſtionibus cõſtant. Nã quid intereſt, Cornelius Trib. pleb. quod codicem legerit, reus ſit: an quæramus uioletuŕne maieſtas, ſi magiſtratus rogationẽ ſuam populo ipſe recitauerit? Milo Clodiũ recténe occiderit, ueniat in iudicium, an oporteat́ne inſidiatorem interfici, uel pernicioſum Reip. ciuem, etiamſi non inſidietur? Cato Martiam honeſténe tradiderit Hortenſio, an cõueniat́ne res talis bono uiro? De perſonis iudicatur, ſed de rebus contenditur. Declamationes uero quales in ſcholis rhetorum dicuntur, ſi modò ſunt ad ueritatem accommodatæ, & orationibus ſimiles, non tantũ dum adoleſcit profectus, ſunt utiliſſimæ, quæ inuentionem & diſpoſitionem pariter exercent, ſed etiam cum eſt conſummatus, ac iam in foro clarus. Alitur enim atq; eniteſcit uelut pabulo lætiore facũdia, & aſſidua contentionũ aſperitate fatigata, renouatur. Quapropter hiſtoriæ nonnunquam ubertas in aliqua exercẽdi ſtyli parte ponenda, & dialogorum libertate geſtiendum. Ne carmine quidem ludere contrarium fuerit, ſicut athletæ remiſſa quibuſdam temporibus ciborum atq; exercitationum certa neceſſitate, otio, & iucundioribus epulis reficiuntur. Ideoq; mihi uidetur M. Tullius tantum intuliſſe eloquentiæ lumen, quod in hos quoq; ſtudiorũ ſeceſſus excurrit. Nam ſi nobis ſola materia fuerit ex litibus, neceſſe eſt deteratur fulgor, & dureſcat articulus, & ipſe ille mucro ingenij quotidiana pugna retundatur. Sed quemadmodũ forenſibus certaminibus exercitatos, & quaſi militantes reficit ac reparat hæc uelut ſagina dicendi: ſic adoleſcẽtes non debent nimium in falſa rerum imagine detineri, & inanibus

nibus ſimulacris: uſq; adeò, ut difficile ab his digreſſos ſit aßuefacere, ne ab illa, in qua propè conſenuerint umbra, uera diſcrimina, uelut quendam ſolem, reformident. Quod accidiſſe etiam Portio Latroni, qui primus clari nominis profeſſor fuit, traditur: ut cùm ei ſummam in ſcholis opinionem obtinenti cauſa in foro eſſet orãda, impenſe petierit, uti ſubſellia in baſilicã trãsferrentur. Ita illi cœlum nouum fuit, ut omnis eius eloquentia cõtineri tecto ac parietibus uideretur. Quare iuuenis qui rationem inueniendi eloquendiq; à præceptoribus diligenter acceperit, quod non eſt infiniti operis, ſi docere ſciant, & exercitationem quoq; modicam fuerit conſecutus, oratorem ſibi aliquem (quod apud maiores fieri ſolebat) deligat, quem ſequatur, quẽ imitetur, iudicijs interſit quàmplurimis, & ſit certaminis cui deſtinatur, frequens ſpectator, tum cauſas uel eaſdẽ quas agi audierit, ſtylo & ipſe componat, uel etiam alias, ueras modò, & utrunq; tractet. Et quod in gladiatoribus fieri uidemus * retiarijs exerceatur, ut feciſſe Brutũ diximus pro Milone. Melius hoc quàm reſcribere ueteribus orationibus, ut fecit Seſtius contra Ciceronis actionem habitam pro eodem, cum alteram partẽ ſatis noſſe non poſſet ex ſola defenſione. Citius autem ſic idoneus erit iuuenis, quem præceptor coëgerit in declamãdo quàmſimilimum eſſe ueritati, & per totas ire materias, quarum nunc facilima & maxime fauorabilia decerpunt. Obſtat huic (quod ſecũdo libro poſui) frequens turba diſcipulorum, & conſuetudo claſſiũ certis diebus audiendarum, nonnihil etiam perſuaſio patrum, numerantium potius declamationes, quàm æſtimantium. Sed quod dixi primo (ut arbitror) libro, nec ille ſe bonus præceptor maiore numero, quàm ſuſtinere poßit, onerabit, & nimiam loquacitatem recidet, ut omnia quæ ſunt in controuerſia, nõ (ut quidam uolunt) quæ in rerum natura dicantur. Et uel longiore potius dierum ſpatio laxabit dicendi neceßitatem, uel materias diuidere permittet: una enim diligẽter effecta plus proderit, quàm

* alis: rhetoricis exerc. Alij legunt, in rebus actis exerceaẽ.

plures inchoatæ,& quasi degustatæ: propter quod accidit, ut nec suo loco quicquàm ponatur,nec illa quæ prima sunt seruēt suam legem,iuuenibus flosculos omnium partiū in ea quæ sunt dicturi congerentibus:quo fit,ut timentes ne sequentia perdāt, priora confundant.

De cogitatione. CAP. VI.

PRoxima stylo cogitatio est,quæ & ipsa uires ab hoc accipit,& est inter scribendi laborem,extemporalemq; fortunam media quædam,& nescio an usus frequētissimi. Nam scribere nec ubiq;,nec semper possumus,cogitationi temporis ac loci plurimum est.Hæc paucis admodum horis magnas etiam causas complectitur.Hæc quoties intermissus est somnus, ipsis noctis tenebris adiuuatur. Hæc inter medios rerum actus aliquid inuenit uacui,nec otium patitur.Neq; uero rerum ordinem modò (quod ipsum satis erat) intra se ipsa disponit,sed uerba etiā copulat,totamq; ita contexit orationem, ut ei nihil præter manum desit.Nam memoriæ quoq; plerūq; inhæret fidelius,quòd nulla scribendi securitate laxatur.Sed ne ad hanc quidē uim cogitandi peruenire potest,aut subitò,aut citò.Nam primū faciendā multo stylo forma est, quæ nos etiam cogitantes sequatur, tum assumendus usus paulatim, ut pauca primum complectamur,quæ reddi fideliter possint,mox per incrementa tam modica,ut onerari se labor ille non sentiat,augenda usu,& exercitatione multa continenda est,quæ quidem maxima ex parte memoria constat:ideoq; mihi aliqua in illum locū differenda sunt. Eò tamen peruenit,ut is cui non refragetur ingenium,acri studio adiutus,tantum consequatur,ut etiam quæ cogitarit, quæq; scripserit,atq; edidicerit,in dicendo fidem seruent. Cicero certe Græcorum Metrodorum Scepsium, & Eriphilum Rhodiū, nostrorumq; Hortensium tradidit quæ cogitauerant,ad uerbum in agendo retulisse.Sed si fortè aliquis inter dicendū effulserit extemporalis color, nō superstitiose excogitatis demum est inhærendum

rendum.Neq; enim tantū habent curæ,ut non sit dandus & fortunæ locus,cū sæpe etiam scriptis ea quæ subitò nata sunt, inserantur.Ideoq; totū hoc exercitationis genus ita instituendū, ut & digredi ex eo,& redire in id facile possimus.Nam ut primū est domo afferre paratam dicēdi copiam & certam, ita refutare temporis munera longe stultissimū est. Quare cogitatio in hoc præparetur,ut nos fortuna decipere nō possit, adiuuare possit. Id autē fiet memoriæ uiribus,ut ea quæ complexi animo sumus, fluant secura,ne solicitos & respiciētes,& una spe suspēsos recordationis,nō sinant præuidere:alioqui uel extēporalē temeritatē malo,quàm male cohærentē cogitationē. Pcius enim quæritur retrorsus,quia cū illa desideramus ab alijs auertimur,& ex memoria potius repetimus,quàm ex materia. Plura sunt autē si utrūq; quærēdū est,quæ inueniri possūt,quàm quæ inuēta sunt.

Quemadmodum extemporalis facultas paretur & contineatur. CAP. VII.

MAximus uero studiorum fructus est, & uelut præmium quoddam amplius longi laboris,ex tempore dicendi facultas:quam qui non erit consecutus,mea quidem sententia ciuilibus officijs renunciabit,& solam scribendi facultatem potius ad alia opera conuertet.Vix enim bonæ fidei uiro conuenit auxilium in publicum polliceri,quod præsentissimis quibusq; periculis desit, ut indicare portū ad quē nauis accedere,nisi lenibus uentis uecta,non possit.Siquidem innumerabiles accidūt subitæ necessitates,uel apud magistratus,uel repræsentatis iudicijs,continuò agendi.Quarum si qua, non dico cuicunq; innocentiū ciuium,sed amicorum ac propinquorum alicui euenerit,stabit'ne mutus & salutarem petentibus uocem,statimq;, si non succurratur,perituris,moras & secessum & silentiū quæret,dum illa uerba fabricentur,& memoriæ insidant,& uox ac latus præparetur? Quæ uero patitur hoc ratio,ut quisquā sit orator imparatus ad casus? Quid,cùm aduersario respondendū erit,fiet? Nam

ſæpe ea quæ opinati ſumus, & contra quæ ſcripſimus, fallũt, ac tota ſubitò cauſa mutatur: atq; ut gubernatori ad incurſus tẽpeſtatum, ſic agenti ad uarietatẽ cauſarũ ratio mutanda eſt. Quid porrò multus ſtylus & aßidua lectio, & longa ſtudiorũ ætas facit, ſi manet eadẽ quæ fuit incipientibus difficultas? perijſſe profecto confitendum eſt præteritum laborem, cui ſemper idem laborandum eſt. Neq; ego hoc ago ut ex tẽpore dicere malit, ſed ut poßit. Id autem maxime hoc modo cõſequemur: Nota ſit primum dicendi uia, neq; enim prius cõtingere curſus poteſt, quàm ſcierimus quò ſit, & quà perueniendũ. Nec ſatis eſt nõ ignorare quæ ſint cauſarum iudicialiũ partes, aut quæſtionũ ordinẽ recte diſponere, quanquã iſta ſunt præcipua: ſed quid quoq; loco primũ ſit, qd ſecundũ, ac deinceps: quæ ita ſunt natura copulata, ut mutari, aut interuelli ſine cõfuſione nõ poßint. Quiſquis aũt uiã quà ſit ingrediendũ, diſcet, ducetur ante omnia rerũ ipſa ſerie uelut duce, propter quod homines etiã modice exercitati, facilime tenorem in narrationibus ſeruant. Deinde, quid quoq; loco quærẽt, ſcient, nec circũſpectabunt, nec offerẽtibus ſe aliunde ſenſibus turbabuntur: nec confundent ex diuerſis orationẽ uelut ſalientes huc illuc, nec uſquã inſiſtentes. Poſtremo habebũt modũ & finem, qui eſſe citra diuiſionẽ nullus poteſt. Expletis pro facultate omnibus quæ propoſuerint, peruenisſe ſe ad ultimũ ſentient. Et hæc quidẽ ex arte: illa uero ex ſtudio, ut copiam ſermonis optimi, quemadmodũ præceptum eſt, cõparemus: multo ac fideli ſtylo ſic formetur oratio, ut ſcriptorũ colorem etiã ea quæ ſubitò effuſa ſint reddant, ut cum multa ſcripſerimus, etiã multa dicamus. Nam conſuetudo & exercitatio facilitatẽ maxime parit, quæ ſi paulum intermiſſa fuerit, non uelocitas illa modò tardatur, ſed* ipſum coit atq; concurrit. Quanquàm enim opus eſt naturali quadã mobilitate animi, ut dũ proxima dicimus, ſtruere ulteriora poßimus, ſemperq; noſtram uocẽ prouiſa & formata cogitatio excipiat, uix tamen aut natura, aut ratio in tam multiplex

*al's: ipſum
νάρκημα coit

tiplex officium diducere animum queat, ut inuentioni, diſpoſitioni, elocutioni, ordini uerborũ rerumq;, tum ijs quæ dicit, quæ ſubiuncturus eſt, quæ ultrà ſpectanda ſunt, adhibita uocis, pronũtiationis, geſtus obſeruatione, una ſufficiat. Longe enim præcedat oportet intẽtio, ac præ ſe res agat: quantumq; dicẽdo cõſumitur, tantũ ex ultimo prorogetur, ut donec perueniamus ad finem nõ minus proſpectu procedamus quàm gradu, ſi nõ interſiſtentes offenſantesq; breuia illa atq; conciſa ſingultantiũ modo eiecturi ſumus. Eſt igitur uſus quidã irrationabilis, quem Græci ἄλογον τριβὴν uocant, quo manus in ſcribendo decurrit, quo oculi totos ſimul in lectione uerſus flexusq; eorum & tranſitus intuentur, & antè ſequẽtia uident, quàm priora dixerunt, quo cõſtant miracula illa in ſcenis pilariorũ ac uẽtilatorum, ut ea quæ emiſerint ultrò uenire in manus credas, & quà iubentur decurrere. Sed hic uſus ita proderit, ſi ea de qua locuti ſumus, ars anteceſſerit: ut ipſum illud quod in ſe rationẽ nõ habet, in ratione uerſetur. Nam mihi ne dicere quidem uidetur, niſi qui diſpoſite, ornate, copioſeq; dicit. Sed nec tumultuarij, nec fortuiti ſermonis contextum mirabor unquã, quem iurgantibus etiã muliercu lis ſuperfluere uideo. Quem ſi calor ac ſpiritus tulit (frequẽter enim accidit, ut ſucceßum extemporalem conſequi cura nõ poſſit) deum tunc adfuiſſe, cum id eueniſſet, ueteres oratores (ut Cicero dicit) aiebant. Sed ratio manifeſta eſt, nam bene concepti adfectus, & recentes rerum imagines continuo impetu ferũtur, quæ nonnunquàm mora ſtyli refrigeſcunt, & dilatæ non reuertuntur. Vtiq; uero cum infelix illa uerborum cauillatio acceſſit, & curſus ad ſingula ueſtigia reſtitit, non poteſt ferri contorta uis, ſed ut optime uocum ſingularum cedat electio, non continua ſed compoſita eſt. Quare capiendæ ſunt illæ, de quibus dixi, rerũ imagines, quas uocari φαντασίας indicauimus, omniaq; de quibus dicturi erimus, perſonæ, quæſtiones, ſpes, metus habẽda in oculis, in affectus recipiẽda. Pectus eſt enim quod diſertos

Pilarij.
Vẽtilatores.

facit,& uis mentis. Ideoq; imperitis quoq;, si modò sunt aliquo affectu concitati, uerba non desunt. Tum intendendus animus, non in aliquam rem unam, sed in plures simul continuas: ut si per aliquam rectam uiam mittamus oculos, simul omnia quæ sunt in ea, circaq;, intuemur, non ultimum tantum uidemus, sed usq; ad ultimum. Addit ad dicendum etiam pudor stimulos: Habet & dicendorum expectata laus, mirumq; uideri potest, quod cum stylus secreto gaudeat, atq; omnes arbitros reformidet, ex-
*cõgestu si. temporalis actio auditorum frequentia, ut miles *cõcentu signorum, excitatur. Nanq; & difficiliorem cogitationẽ exprimit & expellit dicendi necessitas, & secundos impetus auget placendi cupido: adeò præmium omnia spectant, ut eloquentia quoque, quanquàm plurimũ habeat in se uoluptatis, maxime tamen præsenti fructu laudis opinionisq; ducatur. Nec quisquàm tantũ fidat ingenio, ut id sibi speret incipienti statim posse contingere,
*facilitatem sed sicut in cogitatione præcepimus, ita *facultatem quoq; extẽporalem à paruis initijs, paulatim perducemus ad summã, quæ nec perfici, nec contineri nisi usu potest. Cæterum peruenire eò
*tutior debet, ut cogitatio non utiq; melior sit ea, sed *utilior, cum hanc
*felicitatem *facilitatem non in prosa modò multi sint consecuti, sed etiã in carmine, ut Antipater Sidonius, & Licinius Archias: credẽdum enim Ciceroni est: non quia nostris quoque temporibus non & fecerint quidam hoc, & faciant. quod tamen ipsum non tam probabile puto (neque enim habet aut usum res, aut necessitatem) quàm exhortandis in hanc spem, qui foro præparantur, utile exemplum. Neq; uero tantam esse unquam fiduciam facilitatis uelim, ut nõ breue saltem tempus, quod nusquã ferè deerit, ad ea quæ dicturi sumus dispicienda sumamus: quod quidem in iudicijs ac foro datur semper. Neq; enim quisquàm est qui causam, quã non didicerit, agat. Declamatores quosdam peruersa ducit ambitio, ut exposita controuersia, protinus dicere uelint: quin etiam, quod est in primis friuolũ ac scenicum, uerbũ petant quo

quo incipiant. Sed tam contumelioſos in se ridet inuicem eloquentia, & qui stultis eruditi uideri uolunt, stulti eruditis uidentur. Si qua tamẽ fortuna tam subitã fecerit agendi necessitatẽ, mobiliore quodã opus erit ingenio, & uis omnis intẽdenda rebus, & in præsentia remittendum aliquid ex cura uerborũ, si sequi utrunq; non dabitur. Tum & tardior pronũtiatio moras habet, & suspẽsa ac ueluti dubitans oratio, ut tamen deliberare, nõ hæsitare uideamur. Hoc dũ egredimur è portu, si nos nondũ aptatis satis armamentis aget uentus. Deinde paulatim simul euntes aptabimus uela, & disponemus rudentes, & impleri sinus optabimus. Id potius, quàm se inani uerborũ torrẽti dare, quasi tempestatibus, quò uolent, auferendum. Sed non minore studio continetur hæc facultas, quàm paratur. Ars enim semel percepta non labitur. Stylus quoq; intermissione paulum admodũ de celeritate perdit, promptum hoc & in expedito positũ exercitatione sola cõtinetur. Hac uti sic optimũ est, ut quotidie dicamus audientibus pluribus, maxime de quorũ sumus iudicio atq; opinione solliciti: rarũ est enim ut satis se quisq; uereatur: uel soli tamẽ dicamus potius, quàm non omnino dicamus. Est alia exercitatio cogitandi, totasq; materias uel silentio, dum tamen dicat intra se ipsum, persequendi: quæ nullo nõ & tẽpore & loco, quãdo non aliud agimus, explicari potest, & est in parte utilior quàm hæc proxima. Diligẽtius enim cõponitur quàm illa, in qua contextũ orationis intermittere ueremur. Rursus illa prior plus confert uocis firmitate, oris facilitate, motu corporis, qui & ipse, ut dixi, excitat oratorẽ, & iactatione manus, pedis supplosione, sicut cauda leones facere dicuntur, hortatur. Studendum uero semper & ubiq;. Neq; enim ferè tã ullus est dies occupatus, ut nihil *lu- * lucri
cratiuæ (ut Cicero Brutum facere tradit) operæ ad scribendum, aut ad legendũ, aut dicendũ rapi aliquo momẽto tẽporis possit. Siquidẽ C. Carbo etiã in tabernaculo solebat hac uti exercitatione dicẽdi. Ne id quidẽ tacendũ est, quod eidem Ciceroni placet,

nullum noſtrum uſquam negligentem eſſe ſermonem, quicquid loquemur, ubicunq; ſit pro ſua ſcilicet portione perfectũ. Scribendum certe nunquã eſt magis, quàm cũ multa dicemus ex tempore. Ita enim ſeruabitur põdus, & uibrans illa uerborũ facilitas in altũ reducetur, ſicut ruſtici proximas uitis radices amputant, quæ illã in ſummũ ſolum ducũt, ut inferiores penitus deſcendendo firmẽtur. Ac neſcio an utrũq; cum cura & ſtudio fecerimus, inuicem proſit, ut ſcribẽdo dicamus diligẽtius, dicẽdo ſcribamus facilius. Scribendum ergo quoties licebit: ſi id nõ dabitur, cogitandum: ab utroq; excluſi, debẽt tamen adniti, ut neq; deprehenſus orator, neq; litigator deſtitutus eſſe uideatur. Plerũq; autem multa agẽtibus accidit, ut maxime neceſſaria & utiq; initia ſcribant, cætera quæ domo afferũt, cogitatione cõplectantur, ſubitis ex tẽpore occurrant. Quod feciſſe M. Tulliũ cõmentarijs ipſius apparet: ſed ferũtur aliorũ quoq;, & inuẽti forte ut eos dicturus quiſq; cõpoſuerat, & in libros digeſti, ut cauſarũ quæ ſunt actæ à Seruio Sulpitio, cuius tres orationes extant. Sed hi de quibus loquor cõmentarij ita ſunt exacti, ut ab ipſo mihi in memoriam poſteritatis uideãtur cõpoſiti. Nam Ciceronis ad præſens modo tempus aptatos libertus Tyro cõtraxit. Quos nõ ideo excuſo, quia non probem, ſed ut ſint magis admirabiles. In hoc genere prorſus recipio hanc breuem annotationẽ, libelloſq; qui uel manu teneantur, & ad quos interim reſpicere fas ſit. Illud quod Lænas præcipit diſplicet mihi, quæ ſcripſerimus, in ſummas ſiue commentarios & capita conferre. Facit enim & diſcendi negligentiam hæc ipſa fiducia, & lacerat ac deformat orationẽ. Ego autem ne ſcribendum quidem puto quod ſimus memoria proſecuturi. Nam hoc quoq; accidit ut reuocet nos cogitatio ad illa elaborata, nec ſinat præſentem fortunã experiri. Sic anceps inter utrunq; animus æſtuat, cum & ſcripta perdit, & non quærit noua. Sed de memoria deſtinatus eſt proximo libro locus, nec huic parti ſubiungendus, quia ſunt alia prius nobis dicenda.

M. FAB.

M. FAB. QVINTILIANI ORATORIARVM INſtitutionum, Liber Vndecimus.

Præfatio, & de apte dicendo.

CAP. I.

PARATA, ſicut ſuperiore libro continetur, facultate ſcribendi cogitandiq;, & ex tempore etiam cum res poſcet orandi, proxima eſt cura ut dicamus apte: quam uirtutem elocutionis quartam Cicero demonſtrat, quæq; eſt meo quidem iudicio maxime neceſſaria. Nam cum ſit ornatus orationis uarius & multiplex, conueniatq; alius alij, niſi fuerit accommodatus rebus atque perſonis, non modò non illuſtrabit eam, ſed etiam deſtruet, & uim rerum in contrarium uertet. Quid enim prodeſt eſſe uerba & Latina, & ſignificantia, & nitida, figuris etiam numeriſq; elaborata, niſi cum ijs in quæ iudicem duci formariq; uolumus, conſentiant? Si genus ſublime dicendi paruis in cauſis, paruum limatumq; grandibus, lætũ triſtibus, lene aſperis, minax ſupplicibus, ſummiſſum concitatis, trux atq; uiolentum iucundis adhibeamus? ut monilibus, & margaritis, ac ueſte longa, quæ ſunt ornamenta fœminarum, deformẽtur uiri: nec habitus triũphalis, quo nihil cogitari poteſt auguſtius, fœminas deceat. Hunc locum Cicero breuiter in tertio de Oratore libro perſtringit, neque tamen uideri poteſt quicquam omiſiſſe, dicendo, Non omni cauſæ, nec auditori, nec perſonæ, nec tempori congruere orationis unum genus. Nec ferè pluribus in Oratore eadem. Sed illic L. Craſſus, cum apud ſummos oratores, hominesq; eruditiſſimos dicat, ſatis habet partem hanc uelut notare inter agnoſcentes. Et hic Cicero alloquens Brutum teſtatur eſſe hæc ei nota, ideoq; breuius à ſe dici, quanquam ſit fuſus locus, tracteturq; à philoſophis latius. Nos inſtitutionem

profeſſi

profeßi, non ſolum ſcientibus iſta, ſed etiam diſcentibus tradimus: ideoq; paulò pluribus uerbis debet haberi uenia. Quare notum ſit nobis ante omnia, quid conciliando, docendo, mouendo iudici conueniat, quid quaq; parte orationis petamus. Ita nec uetera, nec translata, aut ficta uerba incipiẽdo, narrãdo, argumentando, tractabimus, neq; decurrentis cõtexto nitore circuitus ubi
*dirigenda diuidenda erit cauſa, & in partes ſuas * digerenda, neq; humile, atq; quotidianum ſermonis genus, & compoſitione ipſa diſſolutum epilogis dabimus, nec iocis lachrymas, nec rurſus lachrymas ubi opus erit miſeratione ſiccabimus. Nam ornatus omnis non tam ſua, quàm rei cui adhibetur, cõditione conſtat: nec plus refert quid dicas, quàm quo loco. Sed totũ hoc aptè dicere, non elocutionis tantum genere conſtat, ſed eſt cum inuentione commune: Nam ſi tantum habent etiam uerba momentum, quanto res ipſæ maius? Quarum quæ eſſet obſeruatio, ſuis locis ſubinde ſubiecimus. Illud eſt diligentius docendum, eum demum dicere aptè, qui non ſolum quid expediat, ſed etiã quid deceat inſpexerit. Nec me fugit plerunq; hæc eſſe cõiuncta. Nam quod decet, ferè prodeſt: neq; alio magis animi iudicum conciliari, aut ſi res in contrariũ tulit, alienari ſolent. Aliquãdo tamen & hæc diſſentiunt. Quoties autem pugnabunt, ipſam utilitatem uincet quod decet. Nam quis neſcit nihil magis profuturum ad abſolutionem Socrati fuiſſe, quàm ſi eſſet uſus illo iudiciali genere defenſionis, & oratione ſummiſſa cõciliaſſet iudicum animos ſibi, crimenq; ipſum ſolicite redarguiſſet? Verum id minime eũ decebat, ideoq; ſic egit, ut qui pœnam ſuam honoribus ſummis eſſet æſtimaturus. Maluit enim uir ſapientiſſimus quod ſupereſſet ex uita ſibi perire, quàm quod præteriſſet. Et quando ab hominibus ſui temporis parum intelligebatur, poſterorum ſe iudicijs reſeruauit, breui detrimento iam ultimæ ſenectutis æuum ſeculorũ omnium
*unus conſecutus. Itaq; quamuis Lyſias, qui * tum in dicendo præſtantiſſimus habebatur, defenſionem illi ſcriptam obtuliſſet, uti

ea no

ea noluit, cum bonam quidem, ſed parum ſibi conuenientem iudicaſſet. Quo uel ſolo patet, non perſuadendi, ſed bene dicendi finem in oratore ſeruandum, cum interim perſuadere deforme ſit. Non fuit hoc utile abſolutioni: ſed, quod eſt maius, homini fuit. Et nos ſecundum communem potius loquendi conſuetudinem, quàm ipſam ueritatis regulam diuiſione hac utimur, ut ab eo quod deceat utilitatem ſeparemus: niſi forte prior ille Aphricanus, qui patria cedere, quàm cum Tribuno Ple. humilimo contendere de innocentia ſua maluit, inutiliter ſibi uidetur conſuluiſſe. Aut P. Rutilius, uel cùm illo penè Socratico genere defenſionis eſt uſus, uel cùm reuocante eum P. Sylla manere in exilio maluit, quid ſibi maxime conduceret neſciebat. Hi uero parua illa quæ abiectiſſimus quiſq; animus utilia credit, ſi cum uirtute conferantur, deſpicienda iudicauerunt, ideoq; perpetua ſeculorum admiratione celebrantur. Neque nos ſimus tam humiles, ut quæ laudamus, inutilia credamus. Sed hoc qualecunq; diſcrimen raro admodum euenit. Cæterum idem ferè, ut dixi, in omni genere cauſarum & proderit, & decebit. Eſt autem quod omnes, & ſemper, & ubiq; perſuadere ac dicere honeſte, honeſteq; facere deceat, contraq; neminem unquã ullo in loco turpiter. Minora uero, quæq; ſunt ex medijs, plerunq; ſunt talia, ut alijs ſint concedenda, alijs non ſint. Aut pro perſona, tẽpore, loco, cauſa, magis ac minus, uel excuſata debeant uideri, uel reprehendenda. Cum dicamus autem de rebus aut alienis, aut noſtris, diuidenda eſt ratio eorum, dum ſciamus pleraq; neutro loco conuenire. In primis enim omnis ſui uitioſa iactatio eſt, eloquentiæ tamen in oratore præcipue, affertq; audientibus non faſtidium modò, ſed plerunq; etiam odium. Habet enim mens noſtra natura ſublime quiddam & erectum, & impatiens ſuperioris. Ideoq; abiectos aut ſubmittentes ſe libenter alleuamus, quia hoc facere tanquam maiores uidemur, & quoties diſceſſit æmulatio, ſuccedit humanitas. At qui ſe ſupra modũ extollit, premere ac deſpicere

creditur

creditur,nec tam se maiorem,quàm minores cæteros facere. Inde inuident humiliores:nam hoc uitium est eorũ,qui nec cedere uo lunt,nec poßunt cõtendere,rident superiores, improbãt bonos. Plerunq; uero deprehendas arrogantium fallacem de se opinio= nem,sed in ueris quoq; sufficit cõscientia. Reprehẽsus est in hac parte non mediocriter Cicero, quanquam is quidem rerum à se gestarum maior,quàm eloquẽtiæ fuit in orationibus utiq; iacta= tor. Ac plerunq; illud quoq; non sine aliqua ratione fecit. Aut enim tuebatur eos,quibus erat usus adiutoribus in opprimenda coniuratione:aut respondebat inuidiæ, cui tamen non fuit par, seruatæ patriæ pœnam paßus exilium,ut illorum quæ egerat in consulatu frequẽs cõmemoratio, poßit uideri nõ gloriæ magis, quàm defensioni data. Eloquentiam quidẽ cum plenißimam di= uersæ partis aduocatis concederet,sibi nũquam in agẽdo immo dice arrogauit. Illius sunt enim:Siquid est in me ingenij iudices, quod sentio quàm sit exiguum : &, Nam quo minus ingenio poßum,subsidio mihi diligentiam cõparaui. Quinetiam contra Q. Cæcilium de accusatore in Verrem constituendo, quamuis multum esset in hoc quoq; momenti, uter ad agendũ magis ido neus ueniret,dicendi tamen facultatem magis illi detraxit,quàm arrogauit sibi,seq; nõ consecutũ, sed omnia feciße ut posset eam cõsequi, dixit. In epistolis aliquando familiariter apud amicos, nonnunquam in dialogis, aliena tamen persona, uerum de elo= quentia sua dicit. Et aperte tamen gloriari, nescio an sit magis tolerabile, uel ipsa uitij huius simplicitate, quàm illa iactatione peruersa,si abundans opibus,pauperem se neget,nobilis obscu= rum, & potens infirmum,quàm si se disertus imperitum planè & infantẽ uocet. Ambitioßißimũ gloriandi genus est etiam deri dere. Ab alijs ergo laudemur. Nam ipsos, ut Demosthenes ait, erubescere etiã cum ab alijs laudamur,decet. Neq; hoc dico non aliquando de rebus à se gestis oratori esse dicẽdum, sicut eidem Demosthenis pro Ctesiphonte,quod tamen ita emendauit,ut ne= ceßitatem

ceßitatem id faciendi ostenderet, inuidiamq; omnem in eum re= gereret, qui hoc se coëgisset. Et M. Tullius sæpe dicit de op= pressa coniuratione Catilinæ,sed modò id uirtuti senatus,modò prouidentiæ deorum immortalium aßignat, plerunq; contra inimicos atque obtrectatores plus uendicat sibi. Erant enim tuenda cum objcerẽtur. In carminibus utinam peperciße,quæ non desierunt carpere maligni:

Cedant arma togæ,concedat laurea linguæ. &: Tullij car=
O fortunatam natam me Consule Romam. mina.

Et,Iouem illũ à quo in conciliũ deorũ aduocatur.& Mineruã, quæ omnes eũ artes edocuit:quæ sibi ille,secutus quædã Græco= rum exempla,permiserat. Verũ eloquẽtiæ ut indecora iactatio, sic nonnũquam concedenda fiducia est. Nam quis reprehendat hæc? Quid putem?contemptum ne me ? non uideo nec in uita, nec in gratia, nec in rebus gestis, nec in hac mea mediocritate ingenij,quid despicere poßit Antonius. Et paulopost apertius: An decertare mecum uoluit contentione dicendi? Hoc quidem beneficium est. Quid enim plenius? quid uberius,quàm mihi pro me & contra Antonium dicere? Arrogantes & illi, qui se iu= dicasse de causa,nec aliter affuturos fuisse proponunt. Nam & inuiti iudices audiunt præsumẽtem partes suas, nec hoc oratori contingere inter aduersarios, quod Pythagoræ inter discipulos contigit, potest : Ipse dixit. Sed istud magis minus ue uitiosum est pro personis dicentium. Defenditur enim aliquatenus,ætate, dignitate,autoritate:quæ tamen uix in ullo tanta fuerint, ut non hoc affirmationis genus temperandum sit aliqua moderatione, sicut omnia in quibus patronus argumentum ex seipso petet, quod fuisset tumidius,si criminis loco esse negasset Cicero, equi tis Romani esse filium se defendente. At ille fecit hoc etiam fa= uorabile,coniungendo cum iudicibus dignitatem suam. Equitis autem Romani esse filium, criminis loco poni ab accusatoribus, neque his iudicantibus oportuit, nec defendentibus nobis. Im=

pudens

pudens, tumultuosa, iracunda actio omnibus indecora, sed ut quisq; ætate, dignitate, usu præcedit, magis in ea reprehẽdendus. Videas autem rixatores quosdam, neq; iudicum reuerentia, neq; agendi more ac modo contineri. Ex quo ipso mentis habitu manifestum sit, tam in suscipiẽdis, quàm in agendis causis nihil pensi habere. Profert enim mores plerunq; oratio, & animi secreta detegit. Nec sine causa Græci prodiderunt, ut uiuat, quenq; etiã dicere. Humiliora illa uitia, summissa adulatio, affectata scurrilitas, in rebus ac uerbis parum modestis ac pudicis uilis pudor, in omni negotio neglecta autoritas, quæ ferè accidũt ijs, qui nimium aut blandi esse, aut ridiculi uolunt. Ipsum etiam eloquentiæ genus alios aliud decet. Nam neq; tam plenum, & erectum, & audax, & præcultum, senibus conuenerit, quàm preßum, & mite, & limatum, & quale intelligi uult Cicero cum dicit orationem suam cœpisse canescere: sicut uestibus quoque non purpura coccoq; fulgentibus illa ætas satis apta sit. In iuuenibus etiam uberiora paulò, & penè periclitantia feruntur. At in ijsdẽ siccum & solicitum, & contractum dicendi propositum, plerunq; affectatione ipsa seueritatis inuisum est, quando etiam morum senilis autoritas immatura in adolescentibus creditur. Simpliciora militares decent. Philosophiam ex professo, ut quidam faciunt, ostentantibus, parum decori sunt plerique orationis ornatus maximeq; ex affectibus, quos illi uitia dicunt. Verba quoq; exquisitiora, & compositio numerosa tali proposito diuersa. Non enim solum illa lætiora, qualia à Cicerone dicuntur: Saxa atque solitudines uoci respondent, sed etiam illa, quanquam plena sanguinis, Vos enim iam Albani tumuli, atq; luci, uos inquam imploro atque testor, uosq; Albanorum obrutæ aræ, sacrorum Populi Rom. sociæ & æquales, non conueniant barbæ illi atque tristitiæ. At uir ciuilis uereq; sapiens, qui se non otiosis disputationibus, sed administrationi Reipublicæ dedidit, à qua longißime isti qui philosophi uocantur, recesserunt, omnia

omnia quæ ad efficiendum oratione quod proposuerit ualent, libenter adhibebit, cum prius quod honestum sit, efficere in animo suo constituerit. Est quod principes deceat, alijs non concesseris. Imperatorum ac triumphantium separata est aliqua ex parte ratio eloquentiæ, sicut Pompeius abunde disertus rerum suarum narrator, & hic qui bello ciuili se interfecit Cato, eloquens senator fuit. Idem dictum sæpe in alio liberum, in alio furiosum, in alio superbum est. Verba aduersus Agamemnonem à Thersite habita ridentur: da illa Diomedi, alijue cui pari, magnum animum ferre præ se uidebuntur: Ego te, inquit, consulem putem L. Crassus Philippo, cum tu me non putes senatorẽ? Vox honestißimæ libertatis, non tamen ferres quencunque dicentem. Negat se magni facere aliquis Poëtarum, utrum Cæsar ater an albus homo sit, insania. Verte, ut idem Cæsar de illo dixerit, arrogãtia est. Maior in personis obseruatio est apud comicos tragicosq;. Multis enim utuntur, & uarijs. Eadẽ & eorum qui orationes alijs scribebant, fuit ratio, & declamantium est. Non enim semper ut aduocati, sed plerunq; ut litigatores dicimus. Verumetiam in ijs causis, quibus aduocamur, eadem differentia diligẽter est custodienda. Vtimur enim fictione personarum, & uelut ore alieno loquimur, dandiq; sunt ijs quibus uocem accommodamus, sui mores. Aliter enim P. Clodius, aliter Appius Cæcus, aliter Cæcilianus ille, aliter Terentianus pater fingitur. Quid asperius lictore Verris? Vt adeas, tantum dabis. Quid fortius illo? Cuius inter ipsa uerberum supplicia una uox audiebatur, Ciuis Romanus sum. Quàm dignæ Milonis in peroratione ipsa uoces eo uiro, qui pro Republica seditiosum ciuem toties cõpescuisset? quiq; insidias uirtute superasset? Denique non modò quot in causa, totidem in prosopopœia sunt uarietates: sed hoc etiam plures, quòd in his puerorum, fœminarum, pupillorum, mutarum etiam rerum assimulamus affectus, quibus omnibus debetur suus decor. Eadem in ijs pro quibus

bus agemus,obſeruanda ſunt. Aliter enim pro alio ſæpe dicendum eſt,ut quiſq; honeſtus,humilis, inuidioſus, fauorabilis erit, adiecta propoſitorum quoq;, & anteactæ uitæ differentia. Iucundiſsima uero in oratore humanitas, facilitas, moderatio,beneuolentia.Sed illa quoq; diuerſa bonum uirum decent, malos odiſſe, publica uice cõmoueri, ultum ire ſcelera & iniurias,& omnia,ut in initio dixi,honeſta. Nec tantum quis,& pro quo, ſed etiam apud quẽ dicas,intereſt.Facit enim & fortuna diſcrimen,& poteſtas:nec eadem apud principem,magiſtratum, ſenatorem,priuatum tamen liberum ratio eſt:nec eodem ſono publica iudicia, & arbitrorum diſceptationes aguntur. Nam ut orantẽ pro capite ſolicitudo deceat,& cura, & omnes ad amplificandam orationem quaſi machinæ,ita in paruis rebus iudicijsq; uana ſint eadem.Rideaturq; meritò qui apud diſceptatorem de re leuiſsima ſedens dicturus utatur illa Ciceronis confeſſione,nõ modò ſe animo cõmoueri,ſed etiam corpore ipſo perhorreſcere. Quis uero neſciat quin aliud dicendi genus poſcat grauitas ſenatoria, aliud aura popularis? cum etiã ſingulis iudicantibus,non idem apud graues uiros,quod leuiores: non idẽ apud eruditum,quod mulitarem ac ruſticum, deccat: ſitq; nonnunquam ſummittenda & contrahenda oratio, ne iudex eam uel intelligere, uel capere non poſsit. Tempus quoque ac locus egent obſeruatione propria. Nam & tempus tum lætum, tum triſte,tum liberum,tum anguſtũ eſt. Atqui ad hæc omnia componendus orator,& loco publico priuato´ne, celebri an ſecreto,aliena ciuitate an tua,in caſtris denique,an foro dicas,intereſt plurimum: ac ſuam quicque formam,& proprium modum eloquentiæ poſcit.Cum etiam in cæteris actibus uitæ non idem in foro, curia, campo, theatro,domi facere conueniat, & pleraque quæ natura non ſunt reprehendenda, atque ideo interim ſunt neceſſaria,alibi quàm mos permiſerit,turpia habeãtur. Illud iam diximus, quãto plus nitoris & cultus demonſtratiuæ materiæ

materiæ,ut ad delectationem audientiũ compoſitæ, quàm quæ ſunt in actu & contentione, ſuaſoriæ iudiciales q; permittant. Hoc adhuc adijciendum, aliquas etiam quæ ſunt egregiæ dicendi uirtutes, quo minus deceant, effici conditione cauſarum. An quiſquam tulerit reum in diſcrimine capitis, præcipue qui apud uictorem & principem pro ſe ipſe dicat,frequẽti translatione, fictis ac repetitis ex uetuſtate uerbis, cõpoſitione quæ ſit maxime à uulgari uſu remota,decurrentibus periodis,quam lætiſsimis iocis ſententijsq; dicẽtem? Non perdant hæc omnia neceſſarium periclitanti ſolicitudinis colorem, petendumq; etiam innocentibus miſericordiæ auxilium? Cõmoueatur´ne quiſquam eius fortuna,quẽ tumidum,ac ſui iactantem,& ambitioſum inſtitorem eloquẽtiæ in ancipiti ſorte uideat? non, imò oderit reũ uerba aucupantem, & anxium de fama ingenij, & cui eſſe diſerto uacet. Quod mire M. Cælius in defenſione cauſæ,qua reus de ui fuit, comprehendiſſe mihi uidetur: Ne cui ueſtrum,atque etiam omnium,qui ad rem agẽdam adſunt,mens,aut uultus molleſtior, aut uox immoderatior aliqua,aut deniq;, quod nimium eſt,iactantior geſtus fuiſſe uideatur. Atqui ſunt quædam actiones in ſatisfactione,deprecatione, confeſsione poſitæ. Sentẽtijs´ne flendum erit? epiphonemata, aut enthymemata exorabunt? non quicquid meris adijcietur affectibus omnes eorum diluet uires,& miſerationem ſecuritate laxabit? Age ſi de morte filij ſui,uel iniuria,quæ morte ſit grauior, dicendum patri fuerit,aut in narrando gratiã illam expoſitionis, quæ cõtinget ex ſermone puro atq; dilucido,quæret,breuiter ac ſignificanter ordinem rei protuliſſe contentus, aut argumenta diducet in digitos,& propoſitionum ac partitionum captabit lepõrem? & ut plerunq; in hoc genere moris eſt,intẽtione omni remiſſa loquatur? Quò fugerit interim dolor ille? ubi lachrymæ ſubſtiterint? unde ſe in mediũ tam ſecura obſeruatio artium miſerit? Non ab exordio uſq; ad ultimã uocẽ cõtinuus quidam gemitus,& idem

triſtitiæ uultus ſeruabitur? ſi quidem uolet dolorem ſuum etiam in audientes transfundere, quem ſi uſquam remiſerit, in animũ iudicantium non reducet. Quod præcipue declamantibus (neq; enim me pœnitet ad hoc quoq; opus meum, & curã ſuſceptorum ſemel adoleſcentium reſpicere) cuſtodiendum eſt, quo plures in ſchola fingũtur affectus, quos nõ ut aduocati, ſed ut paſſi ſubimus. Cum etiã hoc genus ſimulari litium ſoleat, cũ ius mortis à ſenatu quidam, uel ob aliquam magnam infelicitatem, uel etiam pœnitentiam petunt, in quibus non ſolum cantare, quod uitium peruaſit, aut laſciuire, ſed ne argumentari quidem niſi mixtis, & quidem ita, ut in ipſa probatione magis eminẽat, affectibus decet. Nam qui intermittere in agendo dolorem poteſt, uidetur poſſe etiam deponere. Neſcio tamen an huius, de quo loquimur, decoris cuſtodia maxime circa eos, contra quos dicimus, examinanda ſit. Nam ſine dubio in omnibus ſtatim accuſationibus hoc agendum eſt, ne ad eas libenter deſcendiſſe uideamur. Ideoq; mihi illud Caſſij Seueri non mediocriter diſplicet: Dij boni uiuo, & quo me uiuere iuuet, Aſpernatem reum uideo. Non enim iuſta ex cauſa uel neceſſaria uideri poteſt poſtulaſſe eum, ſed quadam accuſandi uoluptate. Præter hoc tamen, quod eſt commune, propriam moderationem quædam cauſæ deſiderant. Quapropter & qui curationem bonorum patris poſtulabit, doleat eius ualetudine, & quamlibet grauia filio pater obiecturus miſerrimam ſibi oſtendat eſſe hanc ipſam neceſſitatem, nec hoc paucis modò uerbis, ſed toto colore actionis, ut id eum non dicere modò, ſed etiam uere dicere appareat. Nec cauſanti pupillo ſic tutor iraſcatur unquam, ut non remaneant amoris ueſtigia, & ſacra quædam patris eius memoria. Iam quo modo contra abdicantem patrem, querentem uxorem, agi cauſam oporteret, in libro, ut arbitror, ſeptimo dixi. Quando etiam aduocati uoce uti deceret, quartus liber in quo proœmij præcepta ſunt, continet. Eſſe & in uerbis quod deceat, aut turpe ſit

pe ſit, nemini dubium eſt. Vnum iam igitur huic loco, quod eſt ſanè ſummæ difficultatis, adijciendum uidetur, quibus modis ea quæ ſunt natura parum ſpecioſa, quæq; nõ dicere, ſi utrumlibet eſſet liberum, maluiſſemus, non tamen ſint indecora dicentibus. Quid aſperiorem habere frontem poteſt? aut quid aures hominum magis reſpuunt, quàm cũ eſt filio filijs'ue aduocatis in matrem perorandum? Aliquando tamen neceſſe eſt, ut in cauſa Cluentij Habiti. Sed non ſemper illa uia qua contra Saſiam Cicero uſus eſt: non quia non ille optime, ſed quia plurimum refert, qua in re, & quomodo lædat. Itaq; illa cum filij caput palàm impugnaret, fortiter fuit repellenda. Duo tamen quæ ſola ſupererant, diuinè Cicero ſeruauit. Primum ne obliuiſceretur reuerentiæ, quæ parentibus debetur: deinde ut repetitis altius cauſis, diligentiſſime oſtenderet, quàm id quod erat in matrem dicturus, non oporteret modò fieri, ſed etiam neceſſe eſſet. Primáq; hæc expoſitio fuit, quanquam ad præſentem quæſtionem nihil ptinebat, adeò in cauſa difficili atq; perplexa, nihil prius intuendum credidit, quàm quid deceret. Fecit itaq; nomen parentis non filio inuidioſum, ſed ipſi in quam dicebatur. Poteſt tamen aliquando mater & in re leuiore, aut minus infeſta contra filium ſtare, tum lenior atq; ſummiſſior decebit oratio. Nam & ſatisfaciendo, aut noſtram minuemus inuidiam, aut etiam in diuerſum eam transferemus: & ſi grauiter dolere filiũ palàm fuerit, credetur abeſſe ab eo culpã, fietq; ultrò miſerabilis. Auertere quoq; in alios crimen decet, ut fraude aliquorum concita creda tur: & omnia nos paſſuros, nihil aſpere dicturos, teſtandum, ut etiam ſi non poſſimus nõ conuiciari, nolle uideamur. Etiam ſi quid obijciendum erit, officium eſt patroni, ut id filio inuito, ſed fide cogente facere credatur. Ita poterit uterq; laudari. Quod de matre dixi, de utroq; parente accipiendũ eſt. Nam inter patres etiam filioſq;, cum interueniſſet emancipatio, litigatũ ſcio. In alijs quoq; propinquitatibus cuſtodiendum eſt, ut inuiti, &

necessariã,& parce iudicemur dixisse,magis autẽ aut minus, ut cuiq; personæ debetur reuerẽtia. Eadẽ pro libertis aduersus patronos obseruantia,& ut semel plura complectar, nunquã decebit sic aduersus tales agere personas,quo modo cõtra nos agi ab hominibus cõditionis eiusdẽ iniquo animo tulissemus. Præstatur hoc aliquãdo etiã dignitatibus,ut libertatis nostræ ratio reddatur,ne quis nos aut petulantes in lædendis his,aut etiã ambitiosos putet. Itaq; Cicero quãquã erat in Cottam grauissime dicturus,neq; aliter agi P.Oppij causa poterat,longa tamẽ præfatione excusauit officij sui necessitatem. Aliquãdo etiam inferioribus,præcipueq; adolescentulis parcere aut mederi decet. Vtitur hac moderatione Cicero pro Cælio contra Atracinum, ut eum non inimicè corripere, sed penè patriè monere uideatur. Nam & iuuenis & nobilis, & non iniusto dolore uenerat ad accusandum.Sed in his quidem in quibus uel iudici, uel etiã assistentibus ratio nostræ moderationis probari debet, minor est labor:illic plus difficultatis, ubi ipsos contra quos dicimus, uereamur offendere. Duæ simul huiusmodi personæ Ciceroni pro Murena dicenti obstiterũt, M.Catonis Seruijq; Sulpitij: quàm decenter tamen Sulpitio cum omnes concessisset uirtutes,scientiam petendi consulatus ademit? Quid enim aliud esset quo se uictũ homo nobilis, & iuris antistes magis ferret? Vt uero rationẽ defensionis suæ reddidit, cum se studuisse petitioni Sulpitij contra honorem Murenæ, non idem debere accusationi contra caput,diceret? Quàm molli autem articulo tractauit Catonem? cuius naturam summè admiratus,nõ ipsius uitio,sed Stoicæ sectæ, quibusdam in rebus factam duriorem uideri uolebat, ut inter eos non forensem contentionem,sed studiosam disputationem crederes incidisse. Hæc est profectò ratio, & certissimũ præceptorũ genus,illius uiri obseruatio,ut cũ aliquid detrahere salua gratia uelis,concedas alia omnia, in hoc solo uel minus peritum,quàm in cæteris,adiecta, si poterit fieri,etiã causa cur ita

ita sit,uel paulò pertinaciorem,uel credulũ,uel iratum, uel impulsum ab alijs.Hoc illis cõmune remedium est,si in tota actione æqualiter appareat non honor modò,sed etiã charitas,præterea causa sit nobis iusta sic dicendi, neq; id moderatè tantum faciamus,sed etiam necessariò. Diuersum ab hoc, sed facilius,cũ hominum,aut alioqui turpium,aut nobis inuisorum,quædam facta laudanda sunt. Decet enim rem ipsam probare in qualicũq; persona.Dixit Cicero pro Gabinio,& P.Vatinio inimicissimis antea sibi hominibus,& in quos orationes etiã scripserat. Verum causa iusta fit fatendo, non se de ingenij fama, sed de fide esse solicitum. Difficilior ei ratio in iudicio Cluentiano fuit, cũ Scamandrum necesse haberet dicere nocẽtem,cuius egerat causam.Verum illud elegantissime,cum eorum à quibus ipse perductus esset,preces,tum etiam adolescentiam suam excusat,detracturus alioqui plus autoritatis,si in causa præsertim suspecta,se eum esse,qui temere nocentes reos susciperet, fateretur. Apud iudicem uero, quod aut propter alienum commodum in causa quam susceperimus, aut suum, ut persuadendi ardua ratio , ita dicendi expeditissima.Fiducia enim iustitiæ eius,non causæ,nihil nos timere simulabimus. Ipse erit gloria inflandus, ut tanto clarior futura sit fides , ac religio in pronunciando, quanto minus, uel offensæ, uel utilitati suæ indulserit. Hoc modo & apud eos à quibus appellatum erit (si fortè ad eosdem remittentur) adijcienda ratio, uel necessitatis alicuius, si id causæ cedit, uel erroris, uel suspicionis. Tutissimum ergo pœnitentiæ confessio,& satisfactio culpæ, perducendusq; omni modo iudex ad iræ pudorem. Accidit etiam nonnunquam,ut eandem causam, de qua pronunciauit,cognoscat iterum,tum illud quidem commune, apud alium nos iudicem disputaturos de illius sententia non fuisse.Neq; enim emendari ab alio quàm ipso fas esse. Cæterum ex causa ut quæq; permittet, aut ignorata quædam, aut defuisse testes,aut quod timidissime,& si nihil aliud planè fue-

rit, dicendum est, patronos non satisfeciſſe. Succurret etiam ſi apud alios iudices agetur, ut in ſecunda aſſertione, aut in Centumuiralibus iudicijs duplicibus parte uicta, decentius erit quoties contigerit ſeruare iudicum pudorem, de qua re latius in probationum loco dictum eſt. Poteſt euenire, ut in alijs reprehendenda ſint, quæ ipſi fecerimus, ut obijcit Tubero Q. Ligario, quòd in Africa fuerit, & ambitus quidam damnati recuperandæ dignitatis gratia, reos eiuſdem criminis detulerunt, ut in ſcholis luxuriantem patrem, luxurioſus ipſe iuuenis accuſat. Id quàm decenter fieri poſſit, equidem nõ inuenio, niſi aliquid reperiatur quod interſit, perſona, ætas, tempus, cauſa, locus, animus. Tubero iuuenem ſe patri hæſiſſe, illum à ſenatu miſſum nõ ad bellum, ſed ad frumentum coëmendum ait, ut primum licuerit à partibus receſsiſſe: Ligarium & perſeueraſſe, & non pro Cn. Pompeio, inter quem & Cæſarem dignitatis fuerit contentio, cum ſaluam uterq; Rempublicam uellet, ſed pro Iuba atque Afris inimiciſsimis populo Romano ſtetiſſe. Cæterum uel facilimum eſt ibi alienam culpam accuſare, ubi fateris tuam. Verum id iam iudicis eſt, non actoris. Quòd ſi nulla contingit excuſatio, ſola colorem habet pœnitentia. Poteſt enim uideri ſatis emẽdatus, qui in odium eorum, in quibus errauerat, ipſe conuerſus eſt. Sunt enim quidam, qui hoc natura ipſa rei non indecens faciunt, ut cum pater ex meretrice natum, quòd amet meretricem in matrimonium, abdicat. Scholaſtica materia, ſed non quæ non poſsit accidere. Hic igitur multa non deformiter dicet, uel quòd omnium ſit uotum parentum, ut honeſtiores quàm ſint ipſi, liberos habeant. Nam & filia nata, meretrix eam mater pudicam eſſe uoluiſſet. Vel quòd humilior ipſe fuerit (licet enim hoc dicere) uel quòd non habuerit patrẽ qui moneret: quin eò minus faciendum filio fuiſſe, ne renouaret domus pudorem, & exprobraret patri nuptias, matri prioris uitæ neceſsitatem, ne denique legem quandam ſuis quoq; ſubinde liberis daret: & credi

credibilis erit etiam propria quædam in illa meretrice turpitudo, quam nunc hic pater ferre non poſsit. Alia prætereo. Neque enim nunc declamamus, ſed oſtendimus nonnunquam poſſe ipſis incommodis dicentem bene uti. Illic maior æſtus, ubi quis pudenda quæritur, ut ſtuprũ præcipue in maribus, aut os profanatum, non dico ſi loquatur ipſe (nam quid aliud ei quàm gemitus ac fletus & execratio uitæ conueniat? ut iudex intelligat potius dolorem illum quàm audiat?) ſed patrono quoque per ſimiles affectus eundum erit, quia hoc iniuriæ genus uerecundius ineſt paſsis quàm auſis. Mollienda eſt in pleriſq; alio colore aſperitas orationis, ut Cicero de proſcriptorum liberis fecit: Quid enim crudelius quàm homines honeſtis parentibus ac maioribus natos à Republica ſubmoueri? Itaq; durum id eſſe ſummus ille tractandorum animorum artifex confitetur: ſed ita legibus Syllæ * cohærere ſtatum ciuitatis affirmat, ut his ſolutis ſtare ipſa non poſsit. Aſſecutus itaq; eſt, ut aliquid eorum quoque cauſa uideretur facere, contra quos diceret. Illud etiam in iocis monui, quàm turpis eſſet fortunæ inſectatio, & ne in totos ordines, aut gentes, aut populos petulantia incurreret. Sed interim fides patrocinij cogit quædam de uniuerſo genere aliquorum hominum dicere, uel libertinorum, uel militum, uel publicanorum, uel ſimiliter aliorum: in quibus omnibus commune remedium eſt, ut ea quæ lædunt, nõ libenter tractare uidearis: nec in omnia impetum facias, ſed in id quod expugnandum eſt: & reprehendens, alia laude compenſes. Si milites cupidos dicas eſſe, non mirum, quòd periculorum ac ſanguinis maiora ſibi deberi præmia putẽt: eoſdem petulantes, & hoc fieri, quòd bellis magis, quàm paci aſſueuerint. Libertinis detrahenda eſt autoritas, licet his teſtimonium reddere induſtriæ, per quam exierint de ſeruitute. Quod ad nationes exteras pertinet, Cicero uarie detracturus Græcis teſtibus fidem, doctrinam his concedit ac literas, ſeq; eius gentis amatorem eſſe profitetur.

* contineri

Sardos cõtemnit, Allobrogas ut hosteis insectatur: quorũ nihil tunc cum diceretur, parum aptum, aut remotum à cura decoris fuit. Verborum etiam moderatione detrahi solet, si qua est rei inuidia, si asperum dicas nimium seuerum, iniustum persuasione labi, pertinacem ultra modum tenacem esse propositi, plerunq; uelut ipsos coneris ratione uincere, quod est mollissimum. Indecorum est super hæc omne nimium, ideoq; etiã quod natura rei satis aptum est, nisi modo quoq; temperetur, gratiã perdit. Cuius rei obseruatio iudicio magis quodã sentiri, quàm præceptis tradi potest, quantum satis sit, & quantum recipiant aures. Nõ habet hæc res mensuram, & quasi pondus, quia ut in cibis, alia alijs magis complent. Adijciẽdum etiam breuiter uidetur, quòd ferè dicendi uirtutes diuersissimæ, non solum suos amatores habeant, sed ab eisdem sæpe laudentur. Nam Cicero quodam loco scribit id esse optimum, quod cum te facile credideris consequi imitatione, non possis. Alio uero, non se id egisse, ut ita diceret, quomodo se quilibet posse confideret, sed quomodo nemo. Quod potest pugnare inter se uideri. Verum utrunq; ac meritò laudatur. Causa enim modoq; distat, quia simplicitas illa, & uelut securitas inaffectatæ orationis, mire tenues causas decet. Maioribus illud admirabile dicendi genus magis conuenit. In utroq; eminet Cicero, ex quibus alterum imperiti se posse consequi credent, neutrum qui intelligunt.

De memoria. CAP. II.

MEmoriam quidam naturæ modò esse munus existimauerunt, estq; in ea non dubiè plurimum, sed ipsa excolendo, sicut alia omnia, augetur: & totus, de quo diximus, adhuc inanis est labor, nisi cæteræ partes hoc uelut spiritu cõtinẽtur. Nam & omnis disciplina memoria cõstat, frustraq; docemur, si quicquid audimus, præterfluat, & exemplorum, legum, responsorũ, dictorum, beneq; factorũ, quæ uelut quasdam copias, quibus abundare, quasq; in promptu semper habere debet orator, eadem

eadem illa uis repræsentat. Neq; immeritò thesaurus hic eloquẽtiæ dicitur. Sed non firmè tantum continere, uerumetiam citò percipere multa acturos oportet, nec quæ scripseris modò iterata lectione complecti, sed in cogitatis quoq; rerum ac uerborum contextum sequi, & quæ sint ab aduersa parte dicta meminisse, neq; utiq; eo quo dicta sunt ordine refutare, sed opportunis locis ponere. Quid extemporalis oratio? non alio mihi uidetur mentis uigore constare. Nam dum alia dicimus, quæ dicturi sumus intuenda sunt. Ita cum semper cogitatio ultra id quod est, longius quærit, quicquid interim reperit, quodammodo apud memoriam deponit, quod illa quasi media quædam manus acceptum ab inuentione tradit elocutioni. Non arbitror autem mihi in hoc immorandum, quid sit quod memoriã faciat, quanquam pleriq; imprimi quædã uestigia nostro animo, quæ uelut in gyris anulorũ signa seruentur, existimant. Neq; ero tam credulus, ut quasi habitu tardiorẽ firmioremq; memoriam fieri putem. Eius autem quod ad animum pertinet, magis admirer naturam, subitò res uetustas tanto ex interuallo repetitas reddere se & offerre, nec tantum requirentibus, sed etiã sponte interim, nec uigilantibus, sed etiã quiete cõpositis magis: eoq; illa quoq; animalia quæ carere intellectu uidemus, meminerunt & agnoscunt, & quamlibet longo itinere diducta ad assuetas sibi sedes reuertuntur. Quid, nõ hæc uarietas mira est? excidere proxima, uetera inhærere? hesternorum immemores, acta pueritiæ recordari? Quid? quòd quædam requisita se occultant, & eadem fortè succurrunt, nec manet semper memoria, sed aliquando etiam redit? Nesciretur tamen quanta uis esset eius, quanta diuinitas illa, nisi in hoc lumen orandi uim extulisset: non enim rerum modò, sed etiam uerborum ordinẽ præstat, nec ea pauca contexit, sed durat propè in infinitum, & in longissimis actionibus prius audiẽdi patiẽtia, quàm memoriæ fides deficit. Quod & ipsum argumentum est, subesse artem aliquam,

iuuariq;

iuuariq; ratione naturam, cum ijdem docti facere illud, indocti & inexercitati non possumus. Quanquàm inuenio apud Platonẽ obstare memoriæ usum literarũ, uidelicet quòd illa quæ scriptis reposuimus, uelut custodire desinimus, & ipsa securitate dimittimus. Nec dubium est quin plurimum in hac parte ualeat mentis intentio, & uelut acies luminum à prospectu rerũ quas intuetur, nõ auersa. Vnde accidit, ut quæ per plures dies scribimus ediscẽdi causa, cogitatione ipsa contineat. Artem autẽ memoriæ primus ostendisse dicitur Simonides, cuius uulgata fabula est, cum pugili coronato carmẽ, quale componi uictoribus solet, mercede pacta scripsisset, abnegata ei pecuniæ pars est, quòd more Poëtis frequẽtissimo digressus in laudes Castoris & Pollucis exierat: quapropter partem ab his petere, quorũ facta celebrasset, iubebatur: & persoluerunt, ut traditum est. Nam cum esset grande conuiuium in honorem eiusdem uictoriæ, atq; adhibitus ei cœnæ Simonides, nuncio est excitus, quòd eum duo iuuenes equis aduecti desiderare maiorem in modum dicebantur: & illos quidem non inuenit, fuisse tamen gratos erga se exitu comperit. Nam uix eo limen egresso, triclinium illud supra con
*confudit uiuas corruit, atq; ita *contudit, ut non ora modò oppressorum, sed membra etiam omnia requirentes ad sepulturam propinqui, nulla nota possent discernere. Tum Simonides dicitur, memor ordinis quo quisq; discubuerat, corpora suis reddidisse. Est autem magna inter autores dissensio, Glauco ne Carystio, an Leocrati, an Agatharcho, an Scopæ scriptum sit id carmen, & Pharsali fuerit hæc domus, ut ipse quodã loco significare Simonides uidetur, atq; Apollodorus, & Eratosthenes, & Euphorion, & Larissæus Eurypylus tradiderũt: an Granone, ut Apollas Callimachus, quem secutus Cicero hanc famam latius fudit. Scopam nobilem Thessalum perijsse in eo cõuiuio constat, adijcitur sororis filius, putant & ortos plerosq; ab illo Scopa, qui maior ætate fuerit. Quanquã mihi totum de Tyndaridis fabulosum

losum uidetur. Neque omnino huius rei meminit usquam Poëta ipse, profectò non taciturus de tanta sua gloria. Ex hoc Simonidis facto, notatum uidetur iuuari memoriam signatis animo sedibus, idq; credere suo quisq; experimento. Nam cũ in loca aliqua post tempus reuersi sumus, nõ ipsa agnoscimus tantum, sed etiam quæ in his fecerimus reminiscimur, personæq; subeunt, nonnunquam tacitæ quoq; cogitationes in mentem reuertũtur. Nata est igitur, ut in plerisq;, ars ab experimento. Loca discunt quammaxime spatiosa, multa uarietate signata, domũ fortè magnam, & in multos diductam recessus. In ea quicquid notabile est, animo diligẽter affigitur, ut sine cunctatione ac mora parteis eius omneis cogitatio possit percurrere. Et primus hic labor est, non hærere in occursu. Plus enim quàm firma debet esse memoria, quæ aliam memoriam adiuuet. Tum quæ scripserunt, uel cogitatione complectuntur, & alio signo quo moneantur notant: quod esse uel ex re tota potest, ut de nauigatione, militia: uel ex uerbo aliquo. Nam etiam excidentes unius admonitione uerbi in memoriam reponuntur. Sit autem signum nauigationis, ut ancora: militiæ, ut aliquid ex armis. Hæc itaq; digerunt, primum sensum uel locum uestibulo quasi assignant, secũdum atrio, tum impluuia circumeunt, nec cubiculis modò aut exedris, sed *stratis etiam similibusq; per ordinem committunt. *statuis
Hoc facto cum est repetenda memoria, incipiunt ab initio loca hæc recensere, & quod cuiq; crediderunt, reposcunt, & eorum imagine admonentur, ut quamlibet multa sint, quorum meminisse oporteat, fiant singula connexa quodam choro, ne errent coniungentes prioribus sequentia solo ediscendi labore. Quod de domo dixi & in operibus publicis, & in itinere longo, ut urbium ambitu, & picturis fieri potest. Etiam fingere sibi has imagines licet. Opus est ergo locis, quæ uel finguntur, uel sumuntur imaginibus, uel simulacris, quæ utique fingenda sunt. Imagines notæ sunt, quibus ea quæ ediscenda sunt, notamus, ut

mus,ut quo modo Cicero dicit,locis pro cera,ſimulacris pro literis utamur. Illud quoq; ad uerbum ponere optimũ fuerit. Locis eſt utendum multis, illuſtribus,explicatis, modicis interuallis: Imaginibus autem agentibus,acribus,inſignitis, quæ occurrere celeriterq; percurrere animum poßint. Quo magis miror quo modo Metrodorus in duodecim ſignis, per quæ ſol meat, trecenos & ſexagenos inuenerit locos : uanitas nimirum fuit atq; iactatio circa memoriam ſuã potius arte quàm natura gloriantis. Equidem hæc ad quædam prodeſſe nõ negauerim, ut ſi rerum nomina multa per ordinem audita reddenda ſint. Nanq; in ijs quæ didicerunt, locis reponunt res illas, menſam, ut hoc utar,in ueſtibulo, in atrio puluinum, & ſic cætera: deinde relegentes,inueniunt ubi poſuerint. Et forſitan in hoc ſunt adiuti, qui auctione dimiſſa,quid cuiq; uẽdidiſſent,teſtibus argentariorum tabulis reddiderunt. Quod præſtitiſſe Hortenſium dicunt. Minus idẽ proderit in ediſcendis,quæ orationis perpetuæ erũt. Nam & ſenſus non eandem imaginem quam res habent, cum alterum fingendũ ſit,& horum tamẽ utrunq; cõmonet. Sed cũ ſermonis alicuius habiti uerborum contextus eſt ediſcẽdus,eadẽ arte quo modo cõprehẽdetur? Mitto quòd quædam nullis ſimulacris ſignificari poſſunt,ut certæ cõiunctiones. Habeamus enim ſanè,ut qui notis ſcribunt, certas imagines omnium & loca ſcilicet infinita,per quæ uerba quæ ſunt in quinq; contra Verrem ſecundæ actionis libris explicentur, ut meminerimus etiam omnium quaſi depoſitorum, non ne impediri quidem eorum quæ dicit, decurſum neceſſe eſt duplici memoriæ cura? Nam quo modo poterunt copulata fluere,ſi propter ſingula uerba ad ſingulas formas reſpiciendum erit? Quare & Carneades, & Scepſius,de quo modo dixi , Metrodorus, quos Cicero dicit uſos hac exercitatione , ſibi habeant ſua: nos ſimpliciora tradamus. Si longior complectenda memoria fuerit oratio,proderit per partes ediſcere (laborat enim maxime onere) & hæ partes nõ ſint

ſint perexiguæ,alioqui nimis multæ erunt,& eam diſtinguent atq; concident. Nec utiq; certum imperauerim modum,ſed maxime ut quiſq; finietur locus: Ni fortè tam ſit numeroſus,ut ipſe quoq; diuidi debeat. Dandi ſunt certi quidam termini, ut contextum uerborum, qui eſt difficilimus, continuet crebra meditatio, partes deinceps ipſas repetitus ordo coniungat. Non eſt inutile, quò facilius hæreant, aliquas apponere notas, quarum recordatio cõmoneat & quaſi excitet memoriam. Nemo enim ferè tam infelix, ut quod cuiq; loco ſignũ deſtinauerit, neſciat: ut ſi erit tardus ad hoc, eo quoque adhuc remedio utatur, ut ipſæ excitent notæ. Hinc eſt ex illa arte non inutile attendere ſigna ad eos qui exciderunt ſenſus, ancoram (ut ſuprà poſui) ſi de naue dicendum eſſet : ſpiculum, ſi de prælio. Multum enim ſigna faciunt, & ex alia memoria uenit alia,ut cũ translatus anulus uel alligatus commoneat nos cur id fecerimus. Hæc magis adhuc aſtringũt,qui memoriam ab aliquo ſimili transferunt ad id quod cõtinendum eſt: ut in nominibus, ſi Fabius fortè ſit tenendus , referamus ad illum Cunctatorem, qui excidere non poteſt,aut ad aliquem amicum,qui idem uocetur . quod eſt facilius in apris, & in urſis & Naſone, aut Criſpo,ut id memoriæ affigatur,unde ſunt nomina. Origo quoq; aliquãdo declinatorum tenẽdi magis cauſa eſt,ut in Cicerone, Verrio, Aurelio, ſi debet inſeri. Illud neminem non iuuabit, ijſdem quibus ſcripſerit ceris ediſcere. Sequitur enim ueſtigijs quibuſdam memoriam,& uelut oculis intuetur non paginas modò, ſed uerſus propè ipſos,qui tum dicit ſimilis legẽti. Iam uero ſi litura, aut adiectio aliqua,aut mutatio interueniat,ſigna ſunt quædã quæ intuentes errare non poſſumus. Eſt ratio,ut illi de qua primum locutus ſum,arti non diſſimilis,ita,ſi quid me experimẽta docuerunt,& expeditior & potẽtior,ediſcere tacite. Nam id quoq; eſt quod tum erat optimũ,ſi non ſubirent uelut otioſum animũ plerunque aliæ cogitationes,propter quas excitandus eſt uoce,

ut duplici

ut duplici motu iuuetur memoria, dicendi & audiendi. Sed hæc uox sit modica, & magis murmur. Qui autẽ legẽte alio ediscit, in parte tardatur, quòd acrior est oculorũ quàm aurium sensus: in parte iuuari potest, quòd cũ semel aut bis audierit, continuò illi memoriam suam experiri licet, & cum legente contendere. Nam & alioqui id maxime faciẽdum est, ut nos subinde tentemus: quia continua lectio & quæ magis, & quæ minus hærent æqualiter transit. In experiendo teneas ne, & maior intentio est, & nihil superuacui temporis perit, quo etiam quæ tenemus repeti solẽt: ita sola quæ exciderũt retractantur, ut crebra reiteratione firmentur: quanquam solent hoc ipso maxime hærere, quòd exciderunt. Illud ediscẽdo scribendoq; cõmune est utriq;, plurimum conferre bonam ualetudinem, digestum cibum, animum cogitationibus alijs liberum. Verum etiam in ijs quæ scripsimus complectendis multum ualent, & in ijs quæ cogitamus continẽdis propè solæ, excepta quæ potissima est exercitatione, diuisio & compositio. Nam qui recte diuiserit, nunquam poterit in rerum ordine errare. Certa sunt enim non solum in digerendis quæstionibus, sed etiam in exequendis, si modò recte dicimus prima ac secunda, & deinceps: cohæretq; omnis rerum copulatio, ut ei nihil nec subtrahi sine manifesto intellectu, nec inseri possit. An uero Scæuola in lusu duodecim scruporum, cũ prior calculum promouisset, essetq; uictus, dum rus tendit, repetito totius certaminis ordine, quo dato errasset, recordatus redijt ad eum, quicum luserat, isq; ita factum esse confessus est: minus idem ordo ualebit in oratione, præsertim totus nostro arbitrio constitutus, cum tantum ille ualeat alternus? Etiam quæ bene composita erunt memoriam serie sua ducent. Nam sicut facilius uersus ediscimus quàm prosam orationem, ita prosam uinctam quàm dissolutam. Sic contingit, ut etiam quæ ex tempore uidebantur effusa, ad uerbum repetita reddantur, quod meæ quoq; mediocritatem memoriæ sequebatur, quando interuentus

interuentus aliquorum, qui hunc honorem mererentur, iterare declamationis partem coëgissẽt. Nec est mendacio locus, saluis qui interfuerunt. Si quis tamen unam maximamq; à me artem memoriæ quærat, exercitatio est & labor, multa ediscere, multa cogitare, & (si fieri potest) quotidie, potissimum est. Nihil æque uel augetur cura, uel negligẽtia intercidit. Quare & pueri statim ut præcepi, quamplurima ediscant, & quæcunq; ætas operam iuuandæ studio memoriæ dabit, deuoret initio tædiũ illud, & scripta & lecta sæpius reuoluendi, & quasi eundem cibum remandendi. Quod ipsum hoc fieri potest leuius, si pauca primum, & quæ *tædium non afferant, cœperimus ediscere: tum quotidie adijcere singulos uersus, quorum acceßio labori sensum incrementi nõ afferat, in summam ad infinitum usq; perueniat. Et Poëtica prius, tum oratorum, nouißime etiam solutiora numeris, & magis ab usu dicendi remota, qualia sunt iurisconsultorum. Difficiliora enim debent esse quæ exercent, quò sit leuius ipsum illud in quod exercent, ut athletæ ponderibus plumbeis assuefaciunt manus, quibus uacuis & nudis in certamine utendum est. Non omittam etiã quod quotidianis experimentis deprehenditur, minime fidelem esse paulò tardioribus ingenijs recentẽ memoriam. Mirum dictu est, nec in prõptu ratio, quantum nox interposita afferat firmitatis, siue requieſcit labor ille, cuius sibi ipsa fatigatio obstabat, siue maturatur ac coquitur, seu firmißima eius pars est recordatio, quæ statim referri nõ poterant, cõtexuntur postero die, confirmatq; memoriã idem illud tempus, quod esse in causa solet obliuionis. Etiam illa præuelox ferè citò effluit, & uelut præsenti officio functa, nihil in posterũ debeat, tanquam dimissa discedit. Nec est mirum magis hærere animo, quæ diutius affixa sint. Ex hac ingeniorum diuersitate nata dubitatio est, an ad uerbum sit ediscendum dicturis, an uim modò rerum atq; ordinem complecti satis sit, de quo sine dubio non potest in uniuersum pronunciari. Nam si memoria suffra-

*odium

gatur, tempus non defit, nulla me uellim syllaba effugiat: Alioqui etiam scribere sit superuacuum. Idq; præcipue à pueris obtinendum, atq; in hanc consuetudinem memoria exercitatione redigenda, ne nobis discamus ignoscere. Ideoq; admoneri, & ad libellum respicere uitiosum, quod libertatem negligentiæ facit, nec quisquam se parum tenere iudicat, quod ne sibi excidat non timet. Inde interruptus actionis impetus, & resistens ac salebrosa oratio, & qui dicit ediscenti similis, etiam omnem bene scriptorum gratiam perdit, uel hoc ipso quòd scripsisse se confitetur. Memoria autem facit & prompti ingenij famam, ut illa quæ dicimus non domo attulisse, sed ibi protinus * prompsisse uideamur: quod & oratori, & ipsi causæ plurimum confert. Nam & magis miratur, & minus timet iudex, quæ non putat aduersus se præparata. Ideoq; in actionibus inter præcipua seruandum est, ut quædam etiam quæ optime uinximus, uelut soluta enuntiemus, & cogitantibus nonnunquam, & dubitantibus similes quærere uideamur quæ attulimus. Ergo quid sit optimum, neminem fugit. Si uero aut memoria natura durior erit, aut non suffragabitur tempus, etiam inutile erit ad omnia se uerba alligare, cum obliuio unius eorum cuiuslibet, aut deformem hæsitationem, aut etiã silentium inducat. Tutiusq; multo, comprehensis animo rebus ipsis, libertatẽ sibi eloquendi relinquere. Nam & inuitus perdit quisq; id quod elegerat uerbum, nec facile reponit aliud, dum id quod scripserat, quærit. Sed ne hoc quidem infirmæ memoriæ remedium est, nisi in ijs qui sibi facultatem aliquam dicendi ex tempore parauerunt. Quòd si cui utrunq; defuerit, huic omittere omnino totum actionum laborem: ac si quid in literis ualet, ad scribendum potius suadebo conuertere. Sed hæc rara infelicitas erit. Cæterum quantum natura studioq; ualeat memoria, uel Themistocles testis, quẽ unum intra annum optime locutum esse Persice constat: uel Mithridates, cui II. & XX. linguas, quot nationibus imperabat, tradi-

*sumpsisse

tur notas fuisse: uel Crassus ille diues, qui cum Asiæ præesset, quinque Græci sermonis differentias sic tenuit, ut qua quisque apud eum lingua postulasset, eadem ius sibi redditum ferret: uel Cyrus quem omnium militũ tenuisse creditum est nomina. Quin semel auditos quãlibet multos uersus protinus dicitur reddidisse Theodectes. Dicebantur etiam esse nunc qui facerent, sed mihi nunquam ut ipse interessem contigit, habenda tamen fides est uel in hoc, ut qui crediderit, & speret.

De pronunciatione. CAP. III.

PRonunciatio à plerisq; actio dicitur, sed prius nomen à uoce, sequens à gestu uidetur accipere. Nanq; actionem Cicero aliàs quasi sermonem, aliàs eloquentiam quandam corporis dicit. Idem tamen duas eius partes facit, quæ sunt eædem pronunciationis, uocem atq; motũ. Quapropter utraq; appellatione indifferẽter uti licet. Habet autem res ipsa miram quandã in orationibus uim ac potestatem. Neq; enim tam refert qualia sint, quæ intra nosmetipsos composuimus, quàm quo modo efferantur. Nam ita quisq; ut audit, mouetur. Quare neq; probatio ulla quæ aliquo modò uenit ab oratore, tam firma est, ut non perdat uires suas, nisi adiuuetur asseueratione dicentis. Affectus omnes langueſcant necesse est, nisi uoce, uultu, totius propè habitu corporis inardeſcant. Nam cum hæc omnia fecerimus, felices: tamen si nostrum illum ignem iudex cõceperit, ne dum eum supini securiq; moueamus, & ipse nostra oscitatione soluatur. Documento sunt uel scenici actores, qui & optimis Poëtarum tantum adijciunt gratiæ, ut nos infinite magis eadem illa audita quàm lecta delectent: & uilißimis etiã quibusdã impetrent aures, ut quibus nullus est in bibliothecis locus, sit etiã frequens in theatris. Quòd si in rebus quas fictas esse scimus, & inanes, tantum pronũciatio potest, ut iram, lachrymas, solicitudinẽ afferat, quanto plus ualeat necesse est ubi & credimus? Equidẽ uel mediocrẽ orationẽ commendatã uiribus actionis affirmauerim plus

habituram esse momenti, quàm optimam eadem illa destitutam. Siquidem & Demosthenes quid esset in toto genere dicendi summum, interrogatus, pronunciationi palmam dedit, eidemq; secundum ac tertium locum, donec ab eo quæri desierit, ut eam uideri posit non præcipuam, sed solam iudicasse. Ideoq; ipse tam diligenter apud Andronicum Hypocritem studuit, ut admirantibus etiam eius orationem Rhodijs, non immerito Aeschines dixisse uideatur: Quid si ipsum audissetis? Et M. Cicero unam in dicendo actionẽ dominari putat. Hac Cn. Lentulum plus opinionis cõsecutum, quàm eloquentia tradit. Eadem C. Gracchum in deflenda fratris nece, totius populi Ro. lachrymas concitasse. Antonium & Crassum multũ ualuisse, plurimum uero Q. Hortensium: cuius rei fides est, quòd eius scripta tantum intra famam sunt, qui diu princeps oratorum, aliquando æmulus Ciceronis existimatus est, nouissime quoad uixit secũdus: ut appareat placuisse aliquid eo dicente, quod legentes non inuenimus. Et hercle cum ualeant multum uerba per se, & uox propriam uim adijciat rebus, et gestus motusq; significet aliquid, profectò perfectum quiddam fieri, cũ omnia coierint, necesse est. Sunt tamen qui rudem illam, & qualem impetus cuiusq; animi tulit, actionem iudicent fortiorem, & solam uiris dignam, sed non alij ferè, quàm qui etiam in dicendo curam & artem, & nitorem, & quicquid studio paratur, ut affectata, & parum naturalia solent improbare, uel qui uerborum atq; ipsius etiam soni rusticitate, ut L. Cottam dicit Cicero fecisse, imitationem antiquitatis affectant. Verum illi persuasione sua fruantur, qui hominibus ut sint oratores satis putant nasci, nostro labori dent ueniam, qui nihil credimus esse perfectum, nisi ubi natura cura iuuetur. In hoc igitur nõ contumaciter cõsentio, primas partes esse naturæ. Nam certe bene pronũciare non poterit, cui aut in scriptis memoria, aut in his quæ subitò dicenda erũt, facilitas prompta defuerit, nec si inemendabilia oris incõmoda obstabunt. Corporis etiam

etiam potest esse aliqua tanta deformitas, ut nulla arte uincatur. Sed ne uox quidem nisi liberalis actionem habere optimam potest. Bona enim firmaq;, ut uolumus, uti licet: mala uel imbecilla & inhibet multa, ut insurgere, exclamare: & aliqua cogit, ut summitterre, deflectere, & raucas fauces, ac latus fatigatum deformi cantico reficere. Sed nos de eo nunc loquamur, cui non frustra præcipitur. Cum sit autem omnis actio, ut dixi, in duas diuisa partes, uocem gestumq;: quorum alter oculos, alter aures mouet, per quos duos sensus omnis ad animũ penetrat affectus, prius est de uoce dicere, cui etiam * gestus accommodatur. In ea prima obseruatio est, qualem habeas: Secunda, quo modo utaris. *actus Natura uocis spectatur quantitate & qualitate. Quantitas est simplicior. In summa enim grandis aut exigua est. Sed inter has extremitates mediæ sunt species, & ab ima ad summã, ac retrò, multi sunt gradus. Qualitas magis uaria est. Nam est & candida, & fusca, & plena, & exilis, & lenis, & aspera, & cõtracta, & fusa, & dura, & flexibilis, & clara, & obtusa. Spiritus etiam longior breuiorq;. Nec causas cur quicq; eorum accidat, persequi proposito operi necessarium est: eorum´ne sit differentia in quibus aura illa concipitur, an eorũ per quæ uelut organa meat, an ipsi propria natura, an prout mouetur lateris pectoris´ue firmitas, an capitis etiam plus adiuuet. Nam opus est omnibus, sicut non oris modò suauitate, sed narium quoq;, per quas quod superest uocis egreditur. Dulcis tamen esse debet non exprobrans sonus. Vtendi uoce multiplex ratio. Nam præter illam differentiam, quæ est tripartita, acutæ, grauis, flexæ, tum intentis, tum remissis, tum elatis, tum inferioribus modis opus est, spatijs quoq; lentioribus aut citatioribus. Sed ijsipsis media interiacẽt multa: & ut facies, quanquàm ex paucissimis constat, infinitam habet differentiam, ita uox, & si paucas, quæ nominari possunt, continet species, propria cuiq; est, & non hæc minus auribus, quàm oculis illa dignoscitur. Augentur autem sicut

omnium,ita uocis quoq; bona,cura,& negligentia minuuntur. Sed cura non eadem oratoribus, quæ phonaſcis conuenit:tamen multa ſunt utriſq; cõmunia, firmitas corporis,ne ad ſpadonum, & mulierum,& ægrorũ exilitatem uox noſtra tenuetur, quod ambulatio,unctio,ueneris abſtinentia, facilis ciborum digeſtio, id eſt,frugalitas præſtat. Præterea ut ſint fauces integræ, id eſt, molles ac lenes, quarum uitio & frangitur, & obſcuratur, & exaſperatur,& ſcinditur uox. Nam ut tibiæ eodem ſpiritu acce pto alium clauſis,alium apertis foraminibus,alium nõ ſatis pur= gatæ,alium quaſſæ ſonum reddunt, ita fauces tumentes ſtrangu lant uocem,obtuſæ obſcurant,raſæ exaſperant,conuulſæ fractis ſunt organis ſimiles. Finditur etiam ſpiritus obiectu aliquo,ſicut lapillo tenues aquæ,quarum fluxus etiã ſi ultra paulum coit,ali quid tamẽ caui relinquit poſt id ipſum quod offenderat. Humor quoq; uocem ut nimius impedit, ita conſumptus deſtituit. Nam & fatigatio corpora, non ad præſens modò tempus, ſed etiam in futurũ afficit. Sed ut cõmuniter & phonaſcis,& oratoribus neceſſaria eſt exercitatio,qua omnia conualeſcunt, ita curæ non
*reſpirandũ idem genus. Nam neq; certa tẽpora ad *ſpatiandũ dari poſſunt tot ciuilibus officijs occupato,nec præparare ab imis ſonis uocẽ ad ſummos,nec ſemper à contentione cõcedere licet,cum pluri= bus iudicijs ſæpe dicendũ ſit. Ne ciborũ quidem eſt eadem obſer uatio. Non enim tam molli teneraq; uoce, quàm forti ac durabi li opus eſt. Cum omnes illi etiam altiſſimos ſonos leniant cantu oris,nobis pleraq; aſpere ſint concitateq; dicenda,& uigilandæ noctes, & fuligo lucubrationũ bibenda, & in ſudata ueſte du= randum. Quare uocem delitijs non molliamus, nec imbuamur ea conſuetudine,quæ duratura non ſit, ſed exercitatio eius talis ſit,qualis uſus:nec ſilentio ſubſidat, ſed firmetur conſuetudine, qua difficultas omnis leuatur. Ediſcere autẽ quo exercearis erit optimum(nam ex tempore dicenti auocatur cura uocis,ille qui ex rebus ipſis concipitur, affectus) & ediſcere quàm maxime uaria

uaria,quæ & clamorem, & diſputationẽ,& ſermonem,& fle= xus habeant, ut ſimul in omnia paremur. Hoc ſatis eſt, alioqui nitida illa,& curata uox inſolitum laborem recuſabit,ut aſſueta gymnaſijs & oleo corpora, quamlibet ſint in ſuis certaminibus ſpecioſa atq; robuſta, ſi militare iter,faſcesq;,& uigilias impe= res, deficiant, & quærant unctores ſuos, nudumq; ſudorem. Illa tamen in hoc opere præcipi quis ferat? uitandos ſoles atq; uentos & nubila etiam ac ſiccitates. Ita ſi dicendum in ſole,aut uentoſo,humido,calidoue die fuerit,reos deſeremus? Nam cru= dum quidem,aut ſaturum,aut ebrium, aut eiecto modo uomitu, quæ cauenda quidam monent, declamare neminẽ,qui ſit mentis compos,puto. Illud non ſine cauſa eſt ab omnibus præceptum, ut parcatur maxime uoci in illo à pueritia in adoleſcentiã tran ſitu,quia naturaliter impeditur,non,ut arbitror, propter calo= rem,quod quidam putauerunt (nam eſt maior in alijs)ſed pro= pter humorem potius. Nam hoc ætas illa turgeſcit. Itaque nares etiã,ac pectus,eo tempore tument,atq; omnia uelut germinant, eoq; tenera,& iniuriæ obnoxia. Sed ut ad propoſitum redeam, iam confirmatæ conſtitutæq; uocis genus exercitationis optimũ duco, quod eſt operi ſimilimum, dicere quotidie, ſicut agimus. Nam hoc modo non uox tantum cõfirmatur,& latus,ſed etiam corporis decens, & accõmodatus orationi motus componitur. Pronuncia= tio.

Non alia eſt autẽ ratio pronunciationis,quàm ipſius orationis. Nam ut illa emendata, dilucida, ornata,apta eſſe debet, ita hæc quoq; emẽdata erit,id eſt,uitio carebit,ſi fuerit os facile,expla= natum,iucundum,urbanum,id eſt, in quo nulla neq; ruſticitas, neq; peregrinitas reſonet. Nõ enim ſine cauſa dicitur Barbarũ Græcum ue. Nam ſonis homines, ut æra tinnitu dignoſcimus. Ita fiet illud quod Ennius probat, cum dicit ſuauiloquenti ore Cethegũ fuiſſe,nõ quod Cicero in ijs reprehẽdit,quos ait latra= re,non agere. Sunt enim multa uitia,de quibus dixi,cum in qua= dam primi libri parte puerorũ ora formarẽ, opportunius ratus

in ea ætate facere illorum mentionem, in qua emendari poßunt. Itaq; ſi ipſa uox primum fuerit (ut ſic dicam) ſana, id eſt, nullum eorum de quibus nunc dixi, patietur incommodum: deinde non ſubſurda, rudis, immanis, dura, rigida, uaria, præpinguis, aut tenuis, inanis, acerba, puſilla, mollis, effœminata: Spiritus, nec breuis, nec parum durabilis, nec in receptu difficilis. Dilucida uero erit pronunciatio primum, ſi uerba tota exegerit, quorum pars deuorari, pars deſtitui ſolet, pleriſq; extremas ſyllabas nō proferentibus, dum priorum ſono indulgēt. Vt autem eſt neceſſaria uerborum explanatio, ita omnes computare, & uelut annumerare literas moleſtum & odioſum. Nam & uocales frequentißime coëunt, & cōſonantium quædam inſequente uocali dißimulantur, utriuſq; exemplum poſuimus: Multum ille & terris— Vitatur etiam durior inter ſe congreßus, unde pellexit, & collegit, & quæ alio loco dicta ſunt. Ideoq; laudatur in Catullo ſuauis appellatio literarum. Secūdum eſt, ut ſit oratio diſtincta, id eſt, ut qui dicit, & incipiat ubi oportet, & deſinat. Obſeruandum etiam quo loco ſuſtinendus, & quaſi ſuſpendendus ſermo ſit, quod Græci ὑποδιαστολὴν, uel ὑποσυστολὴν, uel ὑποστιγμὴν, uocant, quo deponendus ſuſpenditur: Arma, uirumq; cano— quia illud uirum, ad ſequentia pertinet: ut ſit, uirum Troiæ, qui primus ab oris. Et hic iterum. Nam etiamſi aliud eſt unde uenit quàm quò uenit, non diſtinguendum tamen, quia utrunq; eodem uerbo cōtinetur, uenit. Tertio Italiam, quia interiectio eſt, Fato profugus, & continuū ſermonē, qui faciebat, Italiam, Lauinaq;, diuidit. Ob eandemq; cauſam quarto profugus, deinde Lauinaq; uenit Littora, ubi iam erit diſtinctio, quia inde alius incipit ſenſus. Sed in ipſis etiā diſtinctionibus tempus aliàs breuius, aliàs longius dabimus. Intereſt enim ſermonem finiat, an ſenſum. Itaq; illam diſtinctionē Littora, protinus altero ſpiritus initio inſequar, cum illuc uenero, —Atq; altæ mœnia Romæ, deponam, & morabor, & nouum rurſus exordium faciam.

Sunt

Sunt aliquando & ſine reſpiratione quædam moræ etiā in periodis: ut in illa, In cœtu uero Pop. Rom. negotium publicū gerens, magiſter equitum: & cætera, multa habent membra. Senſus enim ſunt alij atq; alij, & ſicut una circumductio eſt, ita paulum morandum in his interuallis, non interrumpendus eſt contextus, & è contrariò ſpiritum interim recipere ſine intellectu moræ neceſſe eſt, quo loco quaſi ſurripiendus eſt, alioqui ſi inſcite recipiatur, non minus afferat obſcuritatis, quàm uitioſa diſtinctio. Virtus autem diſtinguēdi fortaſſe ſit parua, ſine qua tamen eſſe nulla alia in agendo poteſt. Ornata eſt pronunciatio, cui ſuffragatur uox facilis, magna, beata, flexibilis, firma, dulcis, durabilis, clara, pura, ſecans aëra, auribus ſedēs. Eſt enim quædam ad auditum accommodata non magnitudine, ſed proprietate ad hoc uelut tractabilis, utiq; habens omnes in ſe qui deſiderantur ſonos, intentionesq;, & toto, ut aiunt, organo inſtructa, cui aderit lateris firmitas, ſpiritus cum ſpatio pertinax, tum labori non facile ceßurus. Neq; grauißimus autem in muſica ſonus, nec acutißimus orationibus conuenit. Nam & hic parum clarus, nimiumq; plenus, nullum afferre animis motū poteſt: & ille prætenuis & immodicæ claritatis, cum eſt ultra uerum, tum neq; pronunciatione flecti, nec diutius ferre intētionem poteſt. Nam uox ut nerui, quo remißior, hoc & grauior & plenior: quo tenſior, hoc tenuis & acuta magis eſt: Sic ima uim non habet, ſumma rumpi periclitatur. Medijs igitur utēdum ſonis, hiq; cum augenda intentio eſt, excitandi: cum ſummittenda, ſunt temperandi. Nam prima eſt obſeruatio recte pronunciandi æqualitas, ne ſermo ſubſultet imparibus ſpatijs ac ſonis, miſcens longa breuibus grauia acutis, elata ſummißis, & inæqualitate horū omnium, ſicut pedum, claudicet ſermo. Secunda uarietas eſt, quæ ſolum eſt pronunciatio. Ac ne quis pugnare inter ſe putet æqualitatem & uarietatem, cum illi uirtuti contrarium ſit uitium inæqualitas, huic qui dicitur μονοειδὴς, quaſi quidam unus

aſpectus. Ars porrò uariandi cum gratiã præbet ac renouat au
res, tum dicentem ipſa laboris mutatione reficit, ut ſtandi, am=
bulandi, ſedendi, iacendi uices ſunt, nihilq; horum pati unũ diu
poßumus. Illud uero maximum (ſed id paulò pòſt tractabimus)
quòd ſecũdum rationem rerum de quibus dicimus, animorumq;
habitus, conformanda uox eſt, ne ab oratione diſcordet. Vite=
mus igitur illam quæ Græce μονοτονία uocatur, una quædam ſpi
ritus ac ſoni intentio, non ſolũ ne dicamus omnia clamoſe, quod
inſanum eſt, aut intra loquendi modum, quod motu caret, aut
ſubmiſſo murmure, quo etiam debilitatur omnis intentio, ſed ut
in ijſdem partibus, ijſdemq; affectibus, ſint tamen quædam non
ita magnæ uocis declinationes, prout aut uerborum dignitas,
aut ſententiarum natura, aut depoſitio, aut inceptio, aut tranſi=
tus poſtulabit, ut qui ſingulis pinxerunt coloribus, alia tamen
eminentiora, alia reductiora fecerunt, ſine quo ne membris qui
dem ſuas lineas dediſſent. Proponamus enim nobis illud Cicero=
nis in oratione nobiliſſima pro Milone principium, non ne ad
ſingulas penè diſtinctiones, quamuis in eadem facie, tamẽ quaſi
uultus mutandus eſt? Etſi uereor iudices, ne turpe ſit pro fortiſſi
mo uiro dicere incipientem timere. Etiam ſi eſt toto propoſito
contractum, atq; ſubmißum, quia & exordium eſt, & ſoliciti
exordium, tamen fuerit neceſſe eſt aliquid plenius & erectius,
dum dicit, Pro fortiſſimo uiro dicere: quàm, Etſi uereor: &, Tur
pe ſit: & Timere. Iam ſecunda reſpiratio increſcat oportet, &
naturali quodam conatu, quo minus pauide dicimus quæ ſe=
quuntur, & quo magnitudo animi Milonis oſtenditur, Mini=
meq; deceat, cum T. Annius ipſe magis de Reipub. ſalute quàm
de ſua perturbetur. Deinde quaſi obiurgatio ſui eſt, Me ad eius
cauſam parem animi magnitudinem afferre nõ poſſe. Tum in=
uidioſiora: Tamen hæc noui iudicij noua forma terret oculos.
Illa uero iam penè apertis, ut aiunt, tibijs. Qui quocunq; inci=
derunt, ueterem conſuetudinem fori, & priſtinum morem iudi=
ciorum

ciorum requirunt. Nam ſequens latũ etiam atq; fuſum eſt, Non
enim corona conſeßus ueſter cinctus eſt, ut ſolebat. Quod nota=
ui, ut appareret non ſolum in membris cauſæ, ſed etiam in arti=
culis eſſe aliquam pronuntiandi uarietatem, ſine qua nihil nec
minus, nec maius eſt. Vox autem ultra uires urgenda non eſt.
Nam & ſuffocata ſæpe, & maiore niſu minus clara eſt, & inte
rim eliſa in illum ſonum erumpit, cui Græci κλωσμὸν nomen ab
immaturo gallorum cantu dederunt. Nec uolubilitate nimia cõ=
fundenda quæ dicimus, qua & diſtinctio perit & affectus, &
nonnunquàm etiam uerba aliqua ſui parte fraudantur. Cui con
trarium eſt uitium nimiæ tarditatis. Nam & difficultatem inue=
niendi fatetur, & ſegnitia ſoluit animos, & in quo eſt aliquid,
temporibus præfinitis aquam perdit. Promptum ſit os, non præ
ceps: moderatum, non lentum. Spiritus quoq; nec crebro rece=
ptus concidat ſententiam, nec couſq; trahatur, donec deficiat.
Nam & deformis eſt conſumpti illius ſonus, & reſpiratio ſub
aqua diu preßi ſimilis, & receptus longior, & nõ opportunus,
ut qui fiat non ubi uolumus, ſed ubi neceſſe eſt. Quare longio=
rem dicturis periodum colligendus eſt ſpiritus, ita tamen, ut id
neq; diu, neq; cum ſono faciamus, neq; omnino ut manifeſtũ ſit,
reliquis partibus optime inter iuncturas ſermonis reuocabitur.
Exercendus autem eſt, ut ſit quàm longißimus, quod Demoſthe
nes ut efficeret, ſcandens in aduerſum* cõtinuabat quàm poſſet *concinebat
plurimos uerſus. Idem quo facilius uerba ore libero exprime=
ret, calculos lingua uoluens dicere domi ſolebat. Eſt interim &
longus, & plenus, & clarus ſatis ſpiritus, non tamen firmæ intẽ
tionis, ideoq; tremulus, ut corpora quæ aſpectu integra neruis
parum ſuſtinentur, id Græci βράγχον uocant. Sunt qui ſpiritum
cum ſtridore per raritatem dentium nõ recipiunt, ſed reſorbẽt.
Sunt qui crebro anhelitu, & introrſum etiam clare ſonante, imi
tentur iumenta onere & iugo laborãtia. Quod affectant quoq;
tanquam inuentionis copia urgeantur, maiorq; uis eloquentiæ
ingruat

ingruat, quàm quæ emitti faucibus poſſit. Eſt & alijs concurſus oris, & cum uerbis ſuis colluctatio. Iam tuſſire & expuere crebro, & ab imò pulmone pituitam trochleis adducere, & oris humore proximos ſpargere, & maiorem partem ſpiritus in eloquendo per nares effundere, etiamſi non utiq; uocis ſunt uitia, quia tamen propter uocem accidunt, potiſſimũ huic loco ſubijciantur. Sed quodcunq; ex his uitium magis tulerim, quàm quo nunc maxime laboratur in cauſis omnibus ſcholiſq; cantandi, quod inutilius ſit an fœdius, neſcio. Quid enim minus oratori conuenit, quàm modulatio ſcenica, & nonnunquàm ebriorum, aut comeſſantium licentiæ ſimilis? Quid uero mouendis affectibus contrarium magis, quàm cum dolendum, iraſcendum, indignandum, commiſerandũ ſit, nõ ſolum ab ijs affectibus, in quos inducendus eſt iudex, recedere, ſed ipſam fori ſanctitatem ludorum talarium licentia ſoluere? Nam Cicero illos ex Lycia & Caria rhetores penè cantare in epilogis dixit. * Nos etiã cantandi ſeueriorem paulò modum exceſſimus: Quiſquam ne, nõ dico de homicidio, ſacrilegio, parricidio, ſed de calculis certe atq; rationibus, quiſquã deniq;, ut ſemel finiam, in lite cantat? Quod ſi omnino recipiendum eſt, nihil cauſæ eſt, cur non illã uocis modulationem fidibus ac tibijs, imò mehercules, quod eſt huic deſtor mitati propius, cymbalis adiuuemus. Facimus tamen hæc libenter. Nam nec cuiquam ſunt iniucũda quæ cantant ipſi, & laboris in hoc, quàm in agendo minus eſt. Et ſunt quidam qui ſecũdum alia uitæ uitia, etiam hac ubiq; audiendi, quod aures mulceat, uoluptate ducantur. Quid ergo? non & Cicero dicit eſſe aliquem in oratione cantum obſcuriorem? Et hoc quodam naturali uitio uenit. Oſtendam non multo pòſt, ubi & quatenus recipiendus ſit hic flexus, & cantus quidem, ſed (quod pleriq; intelligere nolunt) obſcurior. Iam enim tempus eſt dicendi quæ ſit apta pronunciatio, quæ certe ea eſt, quæ ijs de quibus dicimus, accommodatur, quod quidem maxima ex parte præſtant ipſi

*Non

ipſi motus animorum, ſonatq; uox ut feritur. Sed cum ſint alij ueri affectus, alij ficti & imitati, ueri naturaliter erũpunt, ut dolentium, iraſcentium, indignantium, ſed carent arte, ideoq; non ſunt diſciplinæ traditione formandi. Cõtrà qui effinguntur imitatione, artem habent, ſed hi carent natura, ideoq; in his primũ eſt bene affici, & concipere imagines rerum, & tanquam ueris moueri, ſic uelut media uox, quem habitum à nobis acceperit, hunc iudicum animis dabit. Eſt enim mentis index, & uelut exemplar, ac totidem quot illa mutationes habet. Itaq; lætis in rebus plena, ſimplex, & ipſa quodã modo hilaris fluit. At in certamine erecta totis uiribus, & uelut omnibus neruis intenditur. Atrox in ira, & aſpera ac denſa, & reſpiratione crebra. Neq; enim poteſt eſſe longus ſpiritus, cum immoderatæ effunditur. Paulum in inuidia facienda lentior, quia non ferè ad hanc niſi inferiores confugiunt. At in blandiendo, fatendo, ſatisfaciendo, rogando, lenis & ſubmiſſa. Suadentium, & monentium, & pollicentium, & conſolantium grauis: in metu & uerecundia contracta: adhortationibus fortis, diſputationibus teres, miſeratione flexa & flebilis, & conſulto quaſi obſcurior, at in egreſſionibus fuſa & ſecuræ claritatis, in expoſitione ac ſermonibus recta, & inter acutum ſonum & grauem media. Attollitur autẽ concitatis affectibus, compoſitis deſcendit, pro utriuſq; rei modo altius uel inferius. Quid autem quiſq; in dicẽdo poſtulet locus, paulum differam, ut de geſtu prius dicam, qui & ipſe uoci conſentit, & animo cum ea ſimul paret. Is quantum habeat in oratore momenti, ſatis uel ex eo patet: quòd pleraq; etiã citra uerba ſignificat. Quippe non manus ſolum, ſed nutus etiam declarant noſtram uoluntatem, & in mutis pro ſermone ſunt, & ſalutatio frequenter ſine uoce intelligitur, atq; afficit, & ex uultu ingreſſuq; perſpicitur habitus animorum, & animalium quoq; ſermone carentium ira, lætitia, adulatio, & oculis, & quibuſdã alijs corporis ſignis deprehenditur. Nec mirũ ſi iſta, quæ tamen

in ali

in aliquo posita sunt motu, tantum in animis ualent, cum pictura tacens opus, & habitus semper eiusdem, sic in intimos penetret affectus, ut ipsam uim dicendi nonnunquàm superare uideatur. Contrà si gestus ac uultus ab oratione dissentiant, tristia dicamus hilares, affirmemus aliqua renuentes, nō autoritas modò uerbis, sed etiam fides desit. Decor quoq; à gestu atque à motu uenit. Ideóq; Demosthenes grande quoddam speculum intuens componere actionem solebat. Adeò quanuis fulgor ille sinistras imagines reddat, suis demum oculis credidit, quod efficeret. Præcipuum uero in actione sicut in corpore ipso, caput est, cum ad ipsum de quo dixi decorem, tum etiam ad significationem decoris illa sunt, ut sit primo rectum & secŭdum naturam. Nam & deiecto humilitas, & supino arrogantia, & in latus inclinato languor, & præduro ac rigente barbaria quædam mentis ostĕditur. Tum accipiat aptos ex ipsa actione motus, ut cum gestu concordet, & manibus ac lateribus obsequatur. Aspectus enim semper eodem uertitur quò gestus, exceptis quæ aut damnare, aut non cōcedere, aut à nobis remouere oportebit, ut idem illud uultu uideamur auersari, manu repellere:

–Dij talem terris auertite pestem.

–Haud equidem tali me dignor honore.

Significat uero plurimis modis. Nam præter annuĕdi, renuendi, confirmandiq; motus: sunt & uerecundiæ, & dubitationis, & admirationis, & indignationis noti, & communes omnibus. Solo tamen eo facere gestum scenici quoq; doctores uitiosum putauerunt. Etiam frequens eius nutus non caret uitio, adeò iactare id, & comas excutientem rotare phanaticum est.

Vultus. Dominatur autem maxime uultus. Hoc supplices, hoc minaces, hoc blandi, hoc tristes, hoc hilares, hoc erecti, hoc submissi sumus, hoc pendent homines, hunc intuentur, hunc spectant etiam antè quàm dicamus, hoc quosdam amamus, hoc odimus, hoc plurima intelligimus. Hic est sæpe pro omnibus uerbis. Itaq; in ijs quæ ad scenam

nam componuntur fabulis, artifices pronuntiandi à personis quoq; affectus mutuātur, ut sit Niobe in tragœdia tristis, atrox Medea, attonitus Aiax, truculentus Hercules. In comœdijs uero præter aliam obseruationem, qua serui, lenones, parasiti, rustici, milites, uetulæ, metriculæ, ancillæ, senes austeri, ac mites, iuuenes seueri, ac luxuriosi, matronæ, puellæ, inter se discernuntur. Pater ille cuius præcipue partes sunt, quia interim concitatus, interim lenis est, altero erecto, altero composito est supercilio, atq; id ostendere maxime latinis actoribus moris est, quod cum ijs quas agunt partibus congruat. Sed in ipso uultu plurimum ualent oculi, per quos maxime animus emanat, ut citra motum Oculi. quoque, & hilaritate enitescant, & tristitia quoddam nubilum ducant. Quinetiam lachrymas his natura mentis indices dedit, quæ aut erumpunt dolore, aut lætitia manant. Motu uero intenti, remissi, superbi, torui, mites, asperi fiunt, quæ ut actus poposcerit fingentur. Rigidi uero & extenti, aut languidi & torpentes, aut stupentes, aut lasciui & mobiles, aut natantes, & quadam uoluptate suffusi, aut limi, & ,ut sic dicam, uenerei, aut poscentes aliquid, pollicentes´ue nonnunquàm esse debebunt. Nam opertos compressos´ue eos in dicendo, quis nisi planè rudis & stultus habeat? Et ad hæc omnia exprimenda in palpebris etiam & in genis est quoddam deseruiens his ministerium. Multum & supercilijs agitur. Nam & oculos formāt aliquate Supercilia. nus, & fronti imperant. His cōtrahitur, attollitur, demittitur, ut nulla res in ea plus ualeat. Sanguis ille, qui mentis habitu mouetur, & cum infirma uerecundia cutem accipit, effunditur in ruborem, cum metu refugit, abit omnis, & pallore frigescit, temperatus medium quoddam serenum efficit. Vitium in supercilijs, si aut immota sunt omnino, aut nimium mobilia, aut in æqualitate (ut modo de persona comica dixeram) dissident, aut contra id quod dicimus finguntur. Etenim contractis tristitia, diductis hilaritas, remissis pudor ostenditur. Annuendi quoq; renuendi´ue

ratio

Nares. ratione demittuntur aut alleuantur. Naribus labrisq; non ferè quicquam decenter ostendimus, tametsi derisus, contemptus, fastidium significari solet. Nam & corrugare nares (ut Horatius ait) & inflare, & mouere, & digito inquietare, & impulsu subito spiritum excutere, & diducere sæpius, & plana manu resupinare, indecorum est, cum emunctio etiam frequentior non

Labra. sine causa reprehendatur. Labra, & porriguntur male, & scinduntur, & astringuntur, & diducuntur, & dentes nudant, & in latus ac penè ad aurem trahuntur, & uelut quodam fastidio replicantur, & pendent, & uocem tantum altera parte dimittunt. Lambere quoq; ea & mordere deforme est, cum etiam in efferendis uerbis modicus esse eorũ debeat motus. Ore enim magis quàm labris loquendum est. Ceruicem erectam oportet esse,

Ceruix. Collum. non rigidam aut supinam. Collum diuersa quidem, sed pari deformitate & cõtrahitur & tenditur, sed tenso subest & labor,

Mentum. tenuaturq; uox ac fatigatur. Affixum pectori mentũ minus cla-

Humeri. ram, & quasi latiorem presso gutture facit. Humerorum raro decens alleuatio atq; contractio est. Breuiatur enim ceruix, & gestum quendam humilem atq; seruilem, & quasi fraudulentũ facit, cum se in habitum adulationis, admirationis, metus, fingũt.

Brachia. Brachij moderata proiectio remissis humeris atq; explicantibus se in proferenda manu digitis, continuos & decurrentes locos maxime decet. At cùm speciosius quid uberiusq; dicẽdum est, ut illud, Saxa atq; solitudines uoci respondent, expatiatur in latus,

Manus. & ipsa quodammodo se cum gestu fundit oratio. Manus uero, sine quibus trunca esset actio ac debilis, uix dici potest quot motus habeant, cum penè ipsam uerborum copiam persequantur. Nam cæteræ partes loquentem adiuuant, hæ (propè est ut dicam) ipsæ loquuntur. An non his poscimus? pollicemur? uocamus? dimittimus? minamur? supplicamus? abominamur? timemus? interrogamus? negamus? gaudium, tristitiam, dubitationẽ, confessionem, pœnitentiam, modum, copiam, numerum, tempus

ostendi

ostendimus? Non eædem concitant? inhibent? supplicant? probant? admirantur? uerecundantur? Non in demonstrandis locis atq; personis aduerbiorum, atq; pronominum obtinent uicem? ut in tanta per omnes gentes nationesq; linguæ diuersitate, hic mihi omnium hominum communis sermo uideatur? Et ij quidẽ de quibus sum locutus, cum ipsis uocibus naturaliter exeunt gestus, alij sunt qui res imitatione significant, ut si ægrum tentantis uenas medici similitudine, aut citharœdum formatis ad modum percutientis neruos manibus ostendas, quod genus quàm longissime in actione est fugiendum. Abesse enim plurimum à saltatore debet orator, ut sit gestus ad sensus magis quàm ad uerba accommodatus: quod etiam histrionibus paulo grauioribus facere moris fuit. Ergo ut ad se manum referre cũ de seipso loquatur, & in eum quem demonstret intendere, & aliqua his similia permiserim, ita non effingere status quosdã, & quicquid dicet, ostendere. Neq; id in manibus solum, sed in omni gestu ac uoce seruandum est. Non enim aut in illa periodo: Stetit soleatus Prætor Populi Rom. inclinatio incumbẽtis in mulierculam Verris effingẽda est: aut in illa, Cædebatur in medio foro Messanæ: motus laterum, qualis esse ad uerbera solet, torquendus, aut uox qualis dolore exprimitur, eruenda. Cum mihi comœdi quoq; pessime facere uideantur, qui etiam si iuuenem agant, cũ tamen in expositione, aut senis sermo, ut in Hydriæ prologo: aut mulieris, ut in Georgo, incidit, tremula uel effœminata uoce pronunciant. Adeò in illis quoq; est aliqua uitiosa imitatio, quorum ars omnis constat imitatione. Est autem gestus ille maxime communis, quo medius digitus in pollicem cõtrahitur, explicitis tribus, & principijs utilis, cum leni in utranq; partem motu modice prolatus, simul capite atq; humeris sensim ad id quò manus feratur obsecundantibus, & in narrando certus, sed tum paulo productior, & in * exprobrando, & in coarguendo * explorãdo acer atq; instans. Longius enim partibus his & liberius exeri-

tur. Vitioſe uero idem ſiniſtrum quaſi humerum petens in latus agi ſolet, quanquàm adhuc peius aliqui tranſuerſum brachium proferunt, & cubito pronuntiant. Duo quoq; medij ſub pollicem ueniunt, & eſt hic adhuc priore geſtus inſtantior, principio & narrationi non accommodatus. At cum tres contracti pollice premuntur, tum digitus ille, quo uſum optime Craſſum Cicero dicit, explicari ſolet. Is in exprobrando & indicando (unde ei nomen eſt) ualet: & alleuata ac ſpectante humerũ manu paulum inclinatus affirmat. Verſus in terram & quaſi pronus urget, aliquando pro * humero eſt. Idem ſummo articulo utrinq; leniter apprehenſo, duobus modice curuatis, minus tamen minimo aptus ad diſputandum eſt. Acrius tamen argumẽtari uidentur, qui medium articulum potius tenent, tanto contractioribus ultimis digitis, quanto priores deſcenderũt. Eſt & ille uerecũdæ actioni aptiſſimus, quo quatuor primis leuiter in ſummum coëuntibus digitis non procul ab ore, aut pectore fertur ad nos manus, & deinde prona ac paululum prolata laxatur. Hoc modo cœpiſſe Demoſthenem credo in illo pro Cteſiphonte timido ſummiſſoq; principio: ſic formatam Ciceronis manum, cum diceret, Si quid eſt in me ingenij iudices, quod ſentio quàm ſit exiguũ. Eadem aliquatenus liberius deorſum ſpectantibus digitis colligitur in os, & fuſius paulò in diuerſa reſolui-
tur, ut quodammodo ſermonem ipſum proferre uideatur. Binos interim digitos diſtinguimus, ſed non inſerto pollice, paulum tamen inferioribus intrà ſpectantibus, ſed ne illis quidẽ tenſis quiſuprà ſunt. Duo interim extremi palmam circa ima pollicis premunt, ipſe prioribus ad medios articulos iungitur, interim quartus oblique reponitur. interim quatuor remiſſis magis quàm tẽſis pollice intus inclinato, habilem in latus demonſtrando, aut diſtinguendo, quæ dicimus, manum facimus, cum ſupina in ſiniſtrum latus, prona in alterum fertur. Sunt & illi breues geſtus, cum manus leuiter pandata, qualis *uouentium eſt, paruis inter-

*numero

*fouentium

uallis

uallis, & ſubaſſentiẽtibus humeris mouetur, maxime apta parcè & quaſi timidè loquentibus. Eſt admirationi conueniens ille geſtus, quo manus modice ſupinata, ac per ſingulos à minimo collecta digito redeunte flexu ſimul explicatur atq; conuertitur. Nec uno modo interrogantes geſtum componimus, plerunq; tamen uertentes manum, utcunq; compoſita eſt, pollici proximus digitus, mediumq; contingens qua dexter eſt, unguem pollici ſummo ſuo iungens, remiſſis cæteris, eſt & approbantibus, & narrantibus, & diſtinguentibus decorus. Cui non diſſimilis, ſed compreſſis tribus digitis, quo nunc Græci plurimum utuntur, etiam utraq; manu, quoties enthymemata ſua geſtu uelut cornu tondunt cæſim. Manus lenior promittit & aſſentatur, citatior hortatur, interim laudat. Eſt & ille urgens orationem geſtus uulgaris magis quàm ex arte, qui cõtrahit alterno celeriq; motu, & explicat manum. Eſt & illa caua, & rara, & ſuprà humeri altitudinem elata, cũ quodam motu uelut hortatrix manus, à peregrinis ſcholis iam propè recepta. Tremula ſcenica eſt. Digitos cum ſummi coierunt, ad os referre, cur quibuſdã diſplicuerit, neſcio. Nam & id leuiter admirantes, & interim ſubita indignatione uelut paueſcentes & deprecantes, facimus. Quin compreſſam etiam manum in ſignum pœnitentiæ uel iræ, pectori admouemus, ubi uox uel inter dentes expreſſa non dedecet: Quid nunc agam? quid faciam? Auerſo pollice demonſtrare aliquid, receptum magis puto, quàm oratori decorum. Sed cum omnis motus ſex partes habeat, ſeptimusq; ſit ille qui in ſe redit orbis, uitioſa eſt una circunuerſio, reliqui ante nos & dextra læuaq;, & ſurſum, & deorſum aliquid oſtendunt. In poſteriora geſtus non dirigitur. Interim tamen uelut reijci ſolent. Optime autem manus à ſiniſtra parte incipit, in dextra deponitur, ſed ut deponere, non ut ferire uideatur, quanquàm & in fine interim cadit, ut citò tamen redeat, & nonnunquàm reſilit uel negantibus nobis, uel admirantibus. Hic ueteres

artifices illud recte adiecerunt, ut manus cum sensu & incipe-
ret, & deponeret. Alioqui enim aut ante uocem erit gestus, aut
post uocem, quod est utrunq; deforme. In illo lapsi nimia subti-
litate sunt, quòd interuallum motus tria uerba esse uoluerunt,
quod nec obseruatur, nec fieri potest, sed illi quasi mensuram
tarditatis celeritatisq; aliquam esse uoluerunt, nec immerito, ne
aut diu otiosa esset manus, aut (quod multi faciunt) actionem
continuo motu conciderent. Aliud est quod & fit frequentius,
& magis fallit. Sunt quædam latentis sermonis percussiones,
& quasi aliqui pedes, ad quos plurimorum gestus cadit, ut sit
unus motus, Nouum crimen: alter, C. Cæsar: tertius, Et ante hãc
diem: quartus, Inauditum: deinde, Propinquus meus: &, Ad te
Q. Tubero detulit. Vnde id quoq; fluit uitium, ut iuuenes cum
scribunt, gestu præmodulati cogitationem sic componant, quo-
modo casura manus sit. Inde & illud uitium, ut gestus qui in
fine dexter esse debet, in sinistram frequenter desinat. Melius
illud, cum sint in sermone omni breuia quædã membra, ad quæ
si necesse sit, recipere spiritum liceat, ad hæc gestum dispone-
re: utputa, Nouum crimen C. Cæsar, habet per se finem quen-
dam suum, quia sequitur coniunctio: Deinde, Et ante hanc dient
inauditum, satis circumscriptum est. Ad hæc commodanda ma-
nus est, idq; dum irruperit prima & composita actio. At ubi
iam calor eam concitauerit, etiam gestus cum ipsa orationis ce
leritate crebescet. Alijs locis citata, alijs pressa conueniet pro-
nunciatio. Illa transcurrimus, congerimus, festinamus: hac insta-
mus, inculcamus, infigimus. Plus autem affectus habẽt lentiora.
Ideoq; Roscius citatior, Aesopus grauior fuit: quòd ille comœ-
dias, hic tragœdias egit. Eadem motus quoque obseruatio est.
Itaq; in fabulis iuuenum, senum, militum, matronarum, grauior
ingressus est. Serui, ancillæ, parasiti, piscatores citatius mouẽtur.
Tolli autem manum artifices supra oculos, demitti infra pectus
uetant, adeò à capite eam petere, aut ad imum uentrem dedu-
cere

cere uitiosum habetur. At sinistram intra humerũ promouere,
ultrà non decet. Sed cum auersantes in læuam partẽ uelut pro-
pellemus manum, sinister humerus proferendus, ut cum capite
ad dextram ferente consentiat. Manus sinistra nũquam sola re
cte gestum facit, dextræ se frequenter accommodat, siue in digi-
tos argumenta digerimus, siue auersis in sinistrum palmis abo-
minamur, siue obijcimus aduersas, siue in latus utrunq; distendi
mus, siue satisfacientes aut supplicantes. Diuersi sunt autem hi
gestus, siue summittimus, siue adorantes at tollimus, siue aliqua
demonstrationi, aut inuocationi protendimus: Vos Albani tu-
muli atq; luci. Aut Gracchanum illud. Quò me miser conferam?
quò uertam? in Capitolium'ne? at fratris sanguine redundat. an
domum? matrem'ne ut miseram, lamentantemq; uideam, & abie
ctam? plus enim affectus in his iunctæ exhibent manus. In rebus
paruis, tristibus, mitibus, breues: magnis, lætis, atrocibus exten-
siores sunt. Vitia quoq; earum subijcienda sunt, quæ quidẽ ac-
cidere etiam exercitatis actoribus solent. Nam gestum poculum
poscentis, aut uerbera minantis, aut numerum quingentorũ pol
lice flexo efficientis, quæ sunt à quibusdam scriptoribus notata,
ne in rusticis quidem uidi. At ut brachio exerto introspiciatur
latus, ut manum alius ultra signum proferre non audeat, alius
inquantum patet longitudo protendat, aut ad tectũ erigat, aut
repetito ultra læuum humerum gestu ita in tergum flagellet, ut
consistere post eum parum tutum sit, aut sinistrum ducat or-
bem, aut temere sparsa manu in proximos offendat, aut cubitũ
utrunq; in diuersum latus uentilet, sæpe scio euenire. Solet esse
& pigra, & trepida, & secanti simulis, interim uncis etiam di-
gitis, aut à capite deijciatur, aut eadem manus supinata in supe
riora iactetur. Fit & ille habitus, qui esse in statuis pacificator
solet, qui inclinato in humerum dextrum capite, brachio ab au-
re prætenso, manum infesto pollice extendit: qui quidem maxi-
me placet ijs, qui se dicere sublata manu iactant. Adijcias licet

eos, qui sententias uibratis digitis iaculantur, aut manu sublata denunciant, aut (quod per se interim recipiendum est) quoties aliquid ipsis placuit, in ungues eriguntur. Sed uitiosum id faciunt, aut digito quanto plurimum possunt erecto, aut etiam duobus aut utraque manu ad modum aliquid portantium composita. His accedunt uitia non naturæ, sed trepidationis, cum ore concurrente rixari, si memoria fefellerit, aut cogitatio non suffragetur, quasi faucibus aliquid obstiterit insonare, in aduersum tergere nares, obambulare sermone imperfecto, resistere subitò, & laudem poscere silentio, quæ omnia persequi propè infinitum est. Sua enim cuique sunt uitia. Pectus ac uenter ne proijciantur obseruandũ. Pandãt enim posteriora, & est odiosa omnis supinitas. Latera cum gestu cõsentiant. Facit enim aliquid & totius corporis motus, adeò ut Cicero plus illo agi, quàm manibus ipsis putet. Ita enim dicit in oratore: Nullæ argutiæ digitorum, non ad numerum articulus cadens, trunco magis toto se ipse moderans, & uirili laterum flexione. Femur ferire, quod Athenis primus fecisse creditur Cleon, & usitatũ est, & indignantes decet, & excitat auditorem. Idq; in Callidio Cicero desiderat: Non frons, inquit, percussa, non femur, pedum (quod minimum est) nulla supplosio: quàquàm, si licet, de fronte dissentio. Nam etiam complodere manus scenicum est, & pectus cædere. Illud quoq; raro decebit, caua manu summis digitis pectus appetere, si quando nosmetipsos alloquimur, cohortantes, obiurgantes, miserantes: quod si quando fiet, togam quoq; inde remouere non decebit. In pedibus obseruantur status & incessus. Prolato dextero stare, & eandem manum ac pedem proferre, deforme est. In dextrum incumbere interim datur, sed æquo pectore, qui tamen comicus magis quàm oratorius gestus est. Male etiam in sinistrum pedem insistentium dexter aut attollitur, aut summis digitis suspenditur. Varicare suprà modum, & in stando deforme est, & accedẽte motu propè obscœnum

num. Procursio opportuna, breuis, moderata, rara, conuenit etiam & ambulatio quædam propter immodicas laudationum moras, quanquàm Cicero rarum incessum, neque ita longum probat. Discursare uero, & quod Domitius Afer de Sura Manilio dixit, satagere, ineptissimum. Vrbaneq; Flauius Virginius interrogauit de quodam suo Antisophiste, quot millia passuum declamasset. Præcipi & illud scio, ne ambulantes auertamur à iudicibus, sed sint obliqui pedes ad concilium nobis respicientibus. Id fieri iudicijs priuatis non potest. Verum & breuiora sint spatia, nec auersi diu simus. Interim tamen recedere sensim datur. Quidam & resiliunt, quod est planè ridiculum. Pedis supplosio ut loco est opportuna, ut ait Cicero, in contentionibus aut incipiendis, aut finiendis, ita crebra & inepti est hominis, & desinit iudicem in se conuertere. Est & illa indecora in dextrum ac læuum latus uacillatio alternis pedibus insistentium. Longissime fugienda mollis actio, qualem in Tityo Cicero dicit fuisse. Vnde & saltationis quoddam genus Tityus est appellatum. Reprehendenda & illa frequẽs & concitata in utranque partem nutatio, quam in Curione patre irrisit & * Iunius, quærens quis è lintre loqueretur: & C. Sicinius. Nam cum assidente collega, qui erat propter ualetudinem & deligatus, & pluribus medicamentis propter dolorem artuum delibutus, multum se Curio ex more iactasset: Nunquam inquit, Octaui, collegæ tuo gratiã referes, qui nisi fuisset isthic, hodie te muscæ comedissent. Iactantur & humeri, quod uitium Demosthenes ita dicitur emendasse, ut cum angusto quodam pulpito stans diceret, hasta humero dependens immineret, ut si calore dicendi uitare id excidisset, offensatione illa cõmoneretur. Ambulantem loqui ita demum oportet, si in causis publicis, in quibus sunt multi iudices, quod dicimus, quasi singulis inculcare peculiariter uelimus. Illud * uero refellendum, quòd quidam reiecta in humerum toga, cum dextra sinum

* C. Iulius

* non refe-

usq; ad lumbos reduxerunt, ut sinistra gestum facientes, spatientur & fabulẽtur, cum etiam læuam restringere prolata longius dextra sit odiosum. Vnde moneor ut ne id quidem transeã ineptißime fieri, cum inter moras laudationum, aut in aurem alicuius loquuntur, aut cum sodalibus iocantur, aut nonnunquã ad librarios suos ita respiciunt, ut sportulam dictare uideantur. Inclinari ad iudicem cum doceas, utique si id de quo loquaris sit obscurius, decet. Incumbere aduocato aduersis subsellijs sedenti contumeliosum est. Reclinari etiam ad suos, & manibus sustineri, nisi planè iusta fatigatio est, delicatum, sicut palàm moneri excidentis, aut legere. Nam in his omnibus & uis illa dicendi soluitur, & frigescit affectus, & iudex parum sibi præstari reuerentiæ credit. Transire in diuersa subsellia parum uerecundum est. Nam & Caßius Seuerus urbane aduersus hoc facientes lineam poposcit. Et si aliquando concitate itur, nunquã non frigide reditur. Multa ex his quæ præcepimus, mutari necesse est ab ijs qui dicunt apud tribunalia. Nam & uultus erectior ut eum apud quem dicitur spectet, & gestus, ut ad eundem tendens *elatior sit, necesse est, & alia quæ occurrere, etiã me tacente, omnibus poßunt. Itemq; ab ijs qui sedentes agent. Nam & ferè fit hoc in rebus minoribus, & ijdem impetus actionis esse non poßunt, & quædam uitia fiunt necessaria. Nam & dexter pes à læua iudicis sedentis proferendus est, & ex altera parte multi gestus necesse est in sinistrum eant, ut ad iudicem spectent. Equidem plerosque & ad singulas clausulas sententiarum uideo aßurgentes sibi, & nonnullos subinde aliquid etiam spatiantes, quod an deceat ipsi uiderint, cum id faciunt, non sedentes agunt. Bibere, aut etiam esse inter agendum, quod multis moris fuit, & est quibusdam, ab oratore meo procul absit. Nam si quis aliter dicendi onera perferre non poßit, non ita miserum est non agere, potiusq; multo quàm & operis & hominum contemptum fateri. Cultus non est pro

*clarior

est proprius oratoris aliquis, sed magis *in oratore conspicitur. Quare sit (ut in omnibus honestis debet esse) splendidus & uirilis. Nam & toga, & calceus, & capillus, tam nimia cura, quàm negligentia sunt reprehendenda. Est aliquid in amictu, quod ipsum aliquatenus temporum conditione mutatum est. Nam ueteribus nulli sinus, perquàm breues post illos fuerunt. Itaq; etiã gestu necesse est usos esse in principijs eos alio, quorum brachium sicut Græcorum ueste continebatur. Sed nos de præsentibus loquimur. Cui laticlaui ius non erit, ita cingatur, ut tunicæ prioribus oris infra genua paulum, posterioribus ad medios poplites usq; perueniant. Nam infra mulierũ est, supra centurionum. Vt purpuræ recte descendant, leuis cura est. Notatur interim negligentia. Latum habentium clauum modus est, ut sit paulum cinctus submißior. Ipsam togam rotundam esse, & apte cæsam uelim. Aliter enim multis modis fiet enormis. Pars eius prior medijs cruribus optime terminatur, posterior eadem portione altius quàm cinctura. Sinus decentißimus, si aliquanto supra imam togam fuerit, nunquam certe sit inferior. Ille qui sub humero dextro ad sinistrum oblique ducitur, uelut balteus, nec strangulet, nec fluat. Pars togæ quæ postea imponitur, sit inferior: nam ita & sedet melius, & continetur. Subducenda etiam pars aliqua tunicæ, ne ad lacertũ in actu redeat, tũ sinus inijciẽdus humero, cuius extremam oram reiecisse nõ dedecet. Operiri autem humerum cum toto iugulo non oportet. Alioqui amictu fiet angustus, & dignitatem, quæ est in latitudine pectoris, perdet. Sinistrum brachium eousq; alleuandum est, ut quasi normalem illum angulum faciat, super quod ora ex toga duplex æqualiter sedeat. Manus nõ impleatur anulis, præcipue medios articulos nõ transeuntibus: cuius erit habitus optimus, alleuato pollice, & digitis leuiter inflexis, nisi si libellum tenebit, quod non utiq; captandũ est. Videtur enim fateri memoriæ diffidẽtiam, & ad multos gestus est impedimento. Togam ueteres ad calceos Toga.

*in ore

usque demittebant, ut Græci pallium. Idq; ut fiat, qui de gestu scripserunt circa tempora illa, Plotius Nigidiusq; præcipiunt. Quo magis miror Plinij Secundi, docti hominis, & in hoc utiq; libro penè etiam nimium curiosi, persuasionem, qui solitum id facere Ciceronem uelandarum uaricum gratia tradit, cum hoc amictus genus in statuis eorum quoq;, qui post Ciceronem fuerunt, appareat. Palliolum sicut fascias quibus crura uestiuntur, & focalia, & aurium ligamenta, sola excusare potest ualetudo. Sed hæc amictus obseruatio, dum incipimus: procedēte uero actu iam penè ab initio narrationis sinus ab humero recte uelut sponte delabitur, & cum ad argumenta ac locos uentum est, reijcere à sinistro togam, deijcere etiam si hæreat, sinum conueniet. Lænā à faucibus ac summo pectore abducere licet. Ardent enim iam omnia, & ut uox uehementior ac magis uaria est, sic amictus quoq; habet actum quendam uelut præliantem. Itaque ut læuam inuoluere toga, & incingi, penè fœdissimum est, sinum uero in dextrum humerum ab imo reijcere, solutum ac delicatum est, fiuntq; adhuc peius aliqua: ita cur laxiorem sinum sinistro brachio non subijciamus? Habet enim acre quiddam atq; expeditum, & calori concitationiq; non inhabile. Cum uero magna pars est exhausta orationis, utiq; afflante fortuna penè omnia decent, sudor ipse & fatigatio, & negligentior amictus, & soluta ac uelut labens undiq; toga. Quo magis miror hanc quoq; succurrisse Plinio curam, ut ita sudario frontem siccari iuberet, ne comæ turbarentur, quas componi post paulum, sicut dignum erat, grauiter & seuere uetuit. Mihi uero illæ quoq; turbatæ præ se ferre aliquid affectus, & ipsa obliuione curæ huius commendari uidentur. At si incipiēt ibus, aut paulum progressis decidat toga, non reponere eam prorsus negligentis aut pigri, aut quo modo debeat amiciri nescientis est. Hæc sunt uel illustramenta pronunciationis, uel uitia, quibus propositis multa cogitare debet orator. Primum quid, apud quos, quibus præsentibus

tibus sit acturus. Nam ut dicere alia alijs, & apud alios magis conceßum est, sic etiam facere. Neq; eadem in uoce, gestu, incessu, apud principem, senatum, populum, magistratum, priuato, publico iudicio, postulatione, actione similiter decent. Quam differētiam subijcere sibi quisq;, qui animum intenderit, potest, tum qua de re dicat, & efficere quid uelit. Rei quadruplex obseruatio est. Vna in tota causa. Sunt enim tristes, hilares, solicitæ, securæ, grandes, pusillæ, ut uix unquam ita solicitari partibus earum debeamus, ut non summæ meminerimus. Altera quæ est in differentia partium, ut in proœmio, narratione, argumentatione, epilogo. Tertia in sententijs ipsis, in quibus secundum res & *actus uariantur omnia. Quarta in uerbis, quorum ut est uitiosa, si efficere omnia uelimus, imitatio: ita quibusdam nisi sua natura redditur, uis omnis aufertur. Igitur in laudationibus (nisi si funebres erunt) gratiarum actione, exhortatione, similibusq; læta & magnifica & sublimis est actio. Funebres cōciones, consolationes, plerunq; causæ reorum, tristes ac submissæ. In senatu conseruanda autoritas, apud populum dignitas, in priuatis modus. De partibus causæ, & sententijs, uerbisq;, quæ sunt multiplicia, pluribus dicendum. Tria autem præstare debet pronunciatio, conciliet, persuadeat, moueat, quibus natura cohæret, ut etiam delectet. Conciliatio ferè aut commendatione morum, qui nescio, quo modo ex uoce etiam atq; actione pellucent, aut orationis suauitate constat. Persuadendi uis asseueratione, quæ interim plus ipsis probationibus ualet: An ista (inquit Callidio Cicero) si uera essent, sic à te dicerentur? &, Tantum abest, ut inflammares nostros animos, somnum isto loco uix teneba-mus. Fidutia igitur appareat, & constantia, utiq; si autoritas subest. Mouendi autem ratio etiam aut in repræsentandis est aut imitandis affectibus. Ergo cum iudex in priuatis, aut præco in publicis dicere de causa iusserit, leuiter consurgendum, tum in componenda toga, uel si necesse erit, etiā ex integro inijcienda, duntaxat

*affectus

duntaxat in iudicijs (apud principem enim & magistratus ac tribunalia non licebit) paulum est commorandum, ut & amictus sit decentior, & protinus aliquid spatij ad cogitandum. Etiam cum ad iudicem nos conuerterimus, & consultus permiserit dicere, non protinus est erumpendum, sed danda breuis cogitationi mora. Mire enim auditurum, dicturi cura delectat, & iudex se ipse componit. Hoc præcipit Homerus Vlyssis exemplo, quem stetisse oculis in terram defixis, immotoq; sceptro, priusquam illam eloquentiæ procellam effunderet, dicit. In hac cunctatione sunt quædam non indecentes (ut appellant scenici) moræ: caput mulcere, manum intueri, infringere articulos, simulare conatum, suspiratione solicitudinẽ fateri, aut quod quenq; magis decet, eoq; diutius si iudex nondum intendit animum. Status sit rectus, æqui & diducti paulum pedes, uel procedens minimo sinister: genua recta, sic tamen ut non extendantur. Humeri remissi, uultus seuerus, non mœstus, nec stupens, nec languidus. Brachia à latere modice remota, manus sinistra, qualem suprà demonstraui: dextra cum iam incipiendum erit, paulum prolata ultra sinum, gestu quammodestissimo, uelut expectans quando incipiendum sit. Vitiosa enim sunt illa, intueri lacunaria, perfricare faciem, & quasi improbam facere, tendere confidentia uultum, aut quo sit magis toruus, supercilijs astringere, capillos à fronte contra naturam retrò agere, ut sit horror ille terribilis, tum id quod Græci frequentissime faciunt, crebro digitorum labiorumq; motu commẽtari, clare excreare, pedem alterum longe proferre, partẽ togæ sinistra tenere, stare diductum, uel rigidum, uel supinũ, uel incuruum, uel humeris, ut luctaturi solent, ad occipitium ductis. Proœmio frequentissime lenis conuenit pronunciatio. Nihil est enim ad conciliandũ gratius uerecundia, non tamen semper. Nec enim uno modo dicuntur exordia, ut docui. Plerunq; tamen & uox temperata, ac gestus modestus, & sedẽs humero toga, & laterum lenis in utranq; partem motus

motus, eodem spectantibus oculis, decebit. Narratio magis prolatam manum, amictum recidentem, gestum distinctum, uocem sermoni proximam, ac tantum apertiorem, sonum simplicem frequentissime postulabit, in his duntaxat, Q. igitur Ligarius, cum esset adhuc nulla belli suspicio. &, A. Cluentius Habitus pater huiusce. Aliud in eadem poscent affectus uel concitati, Nubit genero socrus. uel flebiles, Constituitur in foro Laodiceæ spectaculum acerbum & miserum toti Asiæ prouinciæ. Maxime uaria & multiplex actio est probationum. Nam proponere, partiri, interrogare, sermoni sunt proxima, & contradictionem sumere. Nam ea quoq; diuersa propositio est. Sed hæc tamen aliquando irridentes, aliquando imitantes pronunciamus. Argumentatio plerunq; agilior, & acrior, & instantior, consentientẽ orationi postulat etiam gestum, id est, fortem celeritatem. Instandum quibusdam in partibus, & densanda oratio. Egressiones ferè lenes, & dulces, & remissæ, ut raptus Proserpinæ, Siciliæ descriptio, Cn. Pompeij laus. Neq; enim mirum, minus habere contentionis ea quæ sunt extra quæstionem. Mollior nonnunquam cum reprehensione diuersæ partis imitatio: Videor uidere alios intrantes, alios autem exeuntes, quosdam ex uino uacillantes. Vbi non dissidens à uoce permittitur gestus. at quoq; in utranq; partem tenera quædam, sed intra manus tamen, & sine motu laterum translatio. Accendendi iudicis plures sunt gradus. Summus ille, & quo nullus est in oratore acutior: Suscepto bello Cæsar, gesto iam etiam ex parte magna. Prædixit enim, Quantum potero uoce contendam, ut populus hæc Romanus exaudiat. Paulum inferior, & habens aliquid etiã iucunditatis: Quid enim tuus ille Tubero in acie Pharsalica gladius agebat? Plenius adhuc & lentius, ideoq; dulcius: In cœtu uero Populi Rom. negotium publicum gerens. Producenda omnia trahendæq; tum uocales, aperiendæq; sunt fauces, pleniore tamen hæc canali fluũt: Vos Albani tumuli atq; luci. Nam cantici

quiddam

quiddam habent, sensimq; resupina sunt, Saxa atque solitudines uoci respondent. Tales sunt illæ inclinationes uocis, quas inuicem Demosthenes atque Aeschines exprobrant, non ideo improbandæ. Cum enim uterq; alteri obijciat, palàm est utrunq; fecisse. Nam neq; ille per Marathonis & Platearum, & Salaminis propugnatores recto sono iurauit, nec hic Thebas sermone defleuit. Est his diuersa uox, & penè extra organum, cui Græci nomen amaritudinis dederunt, supra modum ac penè naturam uocis humanæ acerba: Quin compescitis uocem istam indicem stultitiæ, testem prauitatis? Sed id quod excedere modum dixi, in illa parte prima est, Quin compescitis. Epilogus, si enumerationem rerum habet, desiderat quandam concisorum continuationem: si ad concitandos iudices est accommodatus, aliquid ex ijs que suprà dixi: si placandos, inclinatam quandam lenitatem: si misericordia commouendos, flexum uocis & flebilem suauitatem, qua præcipue franguntur animi, quæq; est maxime naturalis. Nam etiam orbos uiduasq; uideas in ipsis funeribus canoro quodam modo proclamantes. Hic etiam fusca illa uox qualem Cicero fuisse in Antonio dicit, mire facit. Habet enim in se quod imitemur. Duplex est tamen miseratio, altera cum inuidia, qualis modò dicta de damnatione Philodami: altera cum deprecatione demissior. Quare etiam si est in illis quoq; cantus obscurior, In cœtu uero populi Rom. Non enim hæc rixantis modo dixit. &, Vos Albani tumuli. Neque enim quasi inclamaret, aut detestaretur locutus est, tamen infinito magis illa flexa & circunducta sunt: Me miserum, me infelicem. Et, Quid respondebo liberis meis? &, Reuocare tu me in patriam potuisti Milo per hos, ego te in eadem patria per eosdem retinere nõ potero? Et cum bona C. Rabirij uno sestertio addicit, O meum miserum acerbumq; præconium. Illa quoq; mire facit in peroratione uelut deficientis dolore, & fatigatione confessio: ut pro eodem Milone, Sed finis sit: neq; enim præ lachry

lachrymis iam loqui possum. Quæ similem uerbis habere debent etiam pronunciationem. Possunt uideri alia quoq; huius partis atq; officij, reos excitare, pueros attollere, propinquos producere, uestes laniare, sed suo loco dicta sunt. Et quia in partibus causæ etiam alijs est uarietas, satis appareat accommodandam sententijs ipsis pronunciationem, sicut ostendimus. Sed uerbis quoq;, quod nouissime dixeram, non semper, sed aliquando. An non hæc, Misellus & pauperculus, submissa atq; contracta: Fortis, & uehemens, & latro, erecta & concitata uoce dicenda sunt? Accedit enim uis & proprietas rebus tali astipulatione: quæ nisi adsit, aliud uox, aliud animus ostendat. Quid? quòd eadem uerba mutata pronunciatione indicant, affirmant, exprobrant, negant, mirantur, indignantur, interrogant, irridٍent, eleuant? Aliter enim dicitur,

Tu mihi quodcunq; hoc regni. Et,
Cantando tu illum? Et,
Tu'ne ille Aeneas? Et,
—Meq; timoris Argue tu Drance.

Et ne morer, intra se quisque, uel hoc, uel aliud quod uolet, per omnes affectus uersetׅ, uerum esse quod dicimus sciet. Vnum iam his adijciendum est, cùm præcipue in actione spectetur decorum, sæpe aliud alios decere. Est enim latens quædam in hoc ratio, & inenarrabilis, & ut uere dictum est, caput esse artis decere quod facias: ita id nec sine arte esse, nec totum arte tradi potest. In quibusdam uirtutes non habent gratiam, in quibusdam uitia ipsa delectant. Maximos actores comœdiarum Demetrium & Stratoclem placere diuersis uirtutibus uidimus. Sed illud minus mirum, quòd alter deos, & iuuenes, & bonos patres, seruosq;, & matronas, & graues anus optime: alter acres senes, callidos seruos, parasitos, lenones, & omnia agitatoria melius. Fuit enim natura diuersa. Nam uox quoq; Demetrij iucundior, illius acrior erat. Annotandæ magis Decorum.

proprieta

proprietates, quæ transferri non poterant, manus iactare, & dulces exclamationes theatri causa producere, & in ingrediendo uentum concipere & nonnunquam dextro latere facere gestus, quod neminem alium præter Demetrium decuit. Nanq; in hæc omnia statura & mira specie adiuuabatur. Illum cursus & agilitas, & uel parum conueniens personæ risus, quem non ignarus rationis populo dabat, & contracta etiam ceruicula: quicquid horum alter fecisset, fœdissimum uideretur. Quare norit se quisq;, nec tantum ex communibus præceptis, sed etiam natura sua capiat consilium formandæ actionis. Neq; illud tamen est nefas, ut aliquem uel omnia uel plura deceant. Huius quoq; loci clausula sit eadem necesse est, quæ cæterorum est, Regnare maxime modum. Non enim comœdum esse, sed oratorem uolo. Quare nec in gestu persequemur omnes argutias, nec in loquendo distinctionibus, temporibus, effictionibus moleste utemur, ut si sit in scena dicendum,

Quid igitur faciam? non eam? ne nunc quidem,
Cum accersor ultrò? an potius ita me comparem,
Non perpeti meretricum contumelias?

Hic enim dubitationis moras, uocis flexus, uarias manus, diuersos nutus actor adhibebit. Aliud oratio sapit, nec uult nimium esse condita. Actione enim constat, non imitatione. Quare non immeritò reprehenditur pronunciatio uultuosa, & gesticulationibus molesta, & uocis mutationibus resultans. Nec inutiliter ex Græcis ueteres transtulerunt quod ab his sumptum Lenas Popilius posuit, esse hanc inotiosam actionem. Optime igitur idem, qui omnia, Cicero præceperat, quæ suprà ex oratore posui. Quibus similia in Bruto de M. Antonio dicit. Sed iam recepta est actio paulò agitatior etiam, & iam exigitur, & quibusdam partibus conuenit, ita tamen temperanda, ne dum actoris captamus elegantiam, perdamus uiri boni & grauis autoritatem.

M. FAB.

M. FAB. QVINTILIANI ORATORIARVM INstitutionum, Liber Duodecimus, cuius hoc proxime sequitur Proœmium.

VENTVM est ad partem operis destinati longe grauissimam. Cuius equidē onus, si tantum opinione prima cōcipere potuissem, quāto me premi frens sentio, maturius consuluissem uires meas. Sed initio pudor omittēdi quæ promiseram tenuit, mox quanquàm per singulas quoq; partes labor crescceret, ne perderem quæ iam effecta erant, per omnes difficultates animo me sustentaui. Quare nunc quoq;, licet maiori quàm unquam mole premar, tamen prospicienti finem mihi constitutum est uel deficere potius, quàm desperare. Fefellit autem, quòd initiū à paruis cœperamus, mox uelut aura solicitante prouecti longius, dum tantum nota illa, & pleriſq; artiū scriptoribus tractata præcipimus, nec adhuc à littore procul uidebamur, & multos circa uelut ijsdem se uentis credere ausos habebamus. Iam cum eloquendi rationē nouissime repertam, pauciſsimisq; tentatam ingressi sumus, rarus qui iam procul à portu recessisset, reperiebatur. Postquā uero nobis ille, quem instituebamus, orator, à dicendi magistris dimissus, aut suo iam impetu fertur, aut maiora sibi auxilia ex ipsis sapientiæ penetralibus petit, quàm in altū simus ablati, sentire cœpimus. Nunc cœlum undiq; & undiq; pontus. Vnum modo in illa immensa uastitate cernere uidemur M. Tullium, qui tamē ipse quamuis tanta atq; ita instructa naue hoc mare ingressus, contrahit uela, inhibetq; remos, & de ipso demum genere dicendi, quo sit usurus perfectus orator, satis habet dicere. At nostra temeritas etiam mores ei conabitur dare, & assignabit officia. Ita nec antecedentem

tem consequi possumus, & longius eundum est, ut res firet probabilis tamen cupiditas honestorum, & tutioris audaciæ est tentare, quibus paratior uenia est.

Non posse Oratorem esse nisi uirum bonum. CAP. I.

SIT ERGO nobis orator, quem instituimus, is qui à M. Catone finitur, uir bonus dicendi peritus. Verum id quod ille posuit prius, & ipsa natura potius ac maius est, utique Vir bonus. id non eo tantum, quòd si uis illa dicendi malitiam instruxerit, nihil sit publicis priuatisq; rebus perniciosius eloquentia: nosq; ipsi, qui pro uirili parte conferre aliquid ad facultatem dicendi conati sumus, pessime mereamur de rebus humanis, si latroni comparemus hæc arma, non militi. Quid de nobis loquor? Rerum ipsa natura in eo quod præcipue indulsisse homini uidetur, quoq; nos à cæteris animalibus separasse, non parens, sed nouerca fuerit, si facultatem dicendi, sociam scelerum, aduersam innocentiæ, hostem ueritatis inuenit. Mutos enim nasci, & egere omni ratione satius fuisset, quàm Prouidentiæ munera in mutuam perniciem conuertere. Longius tendit hoc iudicium meũ. Neque enim tantum id dico, eum qui sit orator, uirum bonum esse oportere, sed ne futurum quidem oratorem, nisi uirum bonum. Nam certe neque intelligentiam concesseris ijs, qui proposita honestorum ac turpium uia, peiorem sequi malint: neq; prudentiam, qui in grauissimas frequenter legum, semper uero malæ conscientiæ pœnas à semetipsis improuiso rerum exitu inuantur. Quòd si neminem malum esse, nisi stultum eundem, non modò à sapientibus dicitur, sed uulgò quoq; semper est creditum, certe non fiet unquã stultus orator. Adde quòd ne studio quidẽ operis pulcherrimi uacare mens, nisi omnibus uitijs libera potest. Primùm quòd in eodẽ pectore nullum est honestorum

nestorum turpiumq; consortium, & cogitare optima simul & deterrima, nõ magis est unius animi, quàm eiusdem hominis bonum esse ac malum. Tum illa quoq; ex causa, quòd mentem tantæ rei intentam uacare omnibus alijs, etiam culpa carentibus, curis oportet: ita demum enim libera, ac tota, nulla distringente atq; aliò ducente causa, spectabit id solum ad quod accingitur. Quòd si * corporum nimia cura, & solicitior rei familiaris diligentia, & uenandi uoluptas, & dati spectaculis dies, multum studijs auferunt (huic enim rei perit tempus quodcunq; alteri datur) quid putamus facturas cupiditatem, auaritiam, inuidiam? quarum impotentissimæ cogitationes somnos etiam ipsos, & illa per quietẽ uisa perturbant. Nihil est enim tam occupatum, tam multiforme, tot ac tam uarijs affectibus concisum atq; laceratum, quàm mala mens. Nam & cum insidiatur, spe, curis, labore distringitur, & iam cum sceleris compos fuerit, solicitudine, pœnitentia, pœnarũ omnium expectatione torquetur. Quis inter hæc literis, aut ulli bonæ arti locus? nõ hercle magis quàm frugibus in terra sentibus ac rubis occupata. Age, non ad perferendos studiorum labores necessaria frugalitas? Quid ergo ex libidine ac luxuria spei? Non præcipue acuit ad cupiditatem literarum amor laudis? Num igitur malis esse laudem curæ putamus? Iam hoc quis non uidet, maximam partẽ orationis in tractatu æqui boniq; consistere? Dicet ne de his secundum debitam rerum dignitatem malus atq; iniquus? Deniq; ut maximam partem quæstionis eximam, demus id quod nullo modo fieri potest, idem ingenij, studij, doctrinæ, pessimo atque optimo uiro, uter melior dicetur orator? Nimirum qui homo quoq; melior. Non igitur unquam malus idem homo, & perfectus orator. Non enim perfectum quicquã quo melius est aliud. Sed ne more Socraticorum nobismetipsis responsum finxisse uideamur, sit aliquis adeò contra ueritatẽ obstinatus, ut audeat dicere eodem ingenio, studio, doctrina præditum nihilo deteriorem futurum

* agrorum

oratorẽ malum uirum quàm bonum. Conuincamus huius quoq; amentiam. Nam hoc certe nemo dubitabit, omnem oratorem id agere, ut iudici quæ proposita fuerint, uera & honesta uideantur. Vtrum igitur hoc facilius bonus uir persuadebit, an malus? Bonus quidem & dicet sæpius uera atq; honesta. Sed etiam si quando aliquo ductus officio (quod accidere, ut mox docebimus, potest) falsò hæc affirmare conabitur, maiore cum fide necesse est audiatur. At malis hominibus ex * contemptu opinionis, & ignorantia recti nonnunquam excidit ipsa simulatio. Inde immodeste proponunt, sine pudore affirmant. Sequitur in ijs quæ certum est effici non posse, deformis pertinacia & irritus labor. Nam sicut in uita, ita in causis quoq; spes improbas habent. Frequenter autem accidit, ut his etiam uera dicentibus fides desit, uideaturq; talis aduocatus malæ causæ argumẽtum. Nunc de ijs dicendum est, quæ mihi quasi conspiratione quadam uulgi reclamari uidentur. Orator Demosthenes non fuit? Atqui malum uirum accepimus. Non Cicero? atqui huius quoque mores multi reprehenderunt. Quid agam? magna responsi inuidia subeunda, mitigandæ sunt prius aures. Mihi enim nec Demosthenes tam graui morum dignus uidetur inuidia, ut omnia quæ in eum ab inimicis congesta sunt credam, cum & pulcherrima eius in Republica consilia, & finẽ uitæ clarum legã. Nec M. Tullio defuisse uideo in ulla parte ciuis optimi uoluntatem. Testimonio est actus nobilissime consulatus, integerrime prouincia administrata, & repudiatus Vigintiuiratus, & ciuilibus bellis, quæ in ætate eius grauissima inciderunt, neque spe, neque metu declinatus animus, quo minus optimis se partibus, id est, Reipublicæ iungeret. Parum fortis uidetur quibusdam, quibus optime respondit ipse, Non se timidum in suscipiendis, sed in prouidendis periculis: quod probauit morte quoq; ipsa, quam præstantissimo suscepit animo. Quòd si defuit his uiris summa uirtus, sic quærẽtibus, an oratores fuerint, respondebo, quomodo

*conceptu

quomodo Stoici, si interrogentur, an sapiens Zeno, an Cleãtes, an Chrysippus, ipsi respõdeant, magnos quidem illos ac uenerabiles, non tamen id quod natura hominis summum habet, consecutos. Nam & Pythagoras non sapiẽtem se, ut qui ante eum fuerunt, sed studiosum sapiẽtiæ uocari uoluit. Ego tamen secundum cõmunem loquẽdi consuetudinem sæpe dixi, dicamq; perfectum oratorem esse Ciceronem, ut amicos & bonos uiros, & prudentissimos dicimus uulgò, quorũ nihil nisi perfecte sapienti datur. Sed cum propriè, & ad legem ipsam ueritatis loquendum erit, eum quæram oratorem, quẽ & ille quærebat. Quanquam enim stetisse eum in fastigio eloquentiæ fateor, ac uix quid adijci potuerit inuenio, fortasse inuenturus quid adhuc abscissurum putem fuisse, nam ferè sic docti iudicauerunt, plurimum in eo uirtutum, nonnihil fuisse uitiorum, & se ipse multa ex illa iuuenili abundantia coërcuisse testatur: tamen quando nec sapientis sibi nomen minime sui contemptor aßeruit, & melius dicere certe data longiore uita, ætate ad se componendum * seueriore potuisset, non malignè crediderim defuisse ei summam illam, ad quam nemo propius accesßit. Et licebat si aliter sentirem, fortius id liberiusq; defendere. An uero M. Antonius neminem à se uisum eloquentem, quod tanto minus erat, professus est, ipse etiam M. Tullius quærit adhuc eum, & tantum imaginatur ac fingit, ego nõ audeam dicere aliquid in hac quæ supereſt æternitate inueniri posse, eo quod fuerit perfectius? Transeo illos qui Ciceroni ac Demosthenis ne in eloquentia quidem satis tribuunt: quanquam neque ipsi Ciceroni Demosthenes satis uideatur esse perfectus, quem dormitare interim dicit: nec Cicero Bruto Caluoq;, qui certe compositionem illius etiam apud ipsum reprehendunt: nec Asinio utrique, qui uitia orationis eius etiam inimicè pluribus in locis insequuntur. Concedamus sanè (quod minime natura patitur) repertum esse aliquẽ malum uirum summe disertum, nihilo tamen minus ora-

*seueriore

torem cum negabo. Nam nec omnibus qui fuerint manu prom=
pti, uiri fortis nomen concesserim, quia sine uirtute intelligi nō
potest fortitudo. An ei qui ad defendendas causas aduocatur, nō
est opus fide, quā nec cupiditas corrumpat, nec gratia auertat,
nec metus frangat, sed proditorem, transfugam, prævaricato=
rem, donabimus oratoris illo sacro nomine? Quòd si mediocri=
bus etiam patronis conuenit hæc, quæ uulgò dicitur bonitas, cur
non orator ille qui nondum fuit, sed potest esse, tam sit moribus
quàm dicendi uirtute perfectus? Non enim forensem quandam
instituimus operam, nec mercenariam uocem, nec (ut aspe=
rioribus uerbis parcamus) inutilem sanè litium aduocatum,
quem deniq; causidicum uulgò uocant: sed uirum cum ingenij
natura præstantem, tum uero tot pulcherrimas artes penitus
mente complexum, datum tandem rebus humanis, qualem nul=
la antea uetustas cognouerit, singularem, perfectumq; undiq;,
optima sentientem, optimeq; dicentem. In hoc quota pars erit,
quòd aut innocentes tuebitur, aut improborum scelera compe=
scet, aut in pecuniarijs quæstionibus ueritati cōtra calumniam
aderit? Summus ille quidem in his quoq; operibus fuerit, sed in
maioribus clarius elucebit, cùm regenda senatus consilia, & po
pularis error ad meliora ducendus. An non talem quendam ui=
detur finxisse Verg. quem in seditione uulgi iam faces & saxa
iaculantis, moderatorem dedit animi?

Tum pietate grauem ac meritis si fortè uirum quem
Conspexere, silent, arrectisq; auribus adstant.

Habemus igitur ante omnia uirum bonum: post hæc adiecit,
dicendi peritum:

Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Quid non in bellis quoq; idem ille uir, quē instituimus, si sit ad
prælium miles cohortandus, ex mediis sapientiæ præceptis ora=
tionem trahet? Nam quo modo pugnam ineuntibus tot simul
metus, laboris, doloris, postremo mortis ipsius exciderint, nisi
in eorum

in eorum locum pietas, & fortitudo, & honesti præsens ima=
go successerit? Quæ certe melius persuadebit alijs, qui prius
persuaserit sibi. Prodit enim se, quamlibet custodiatur simu=
latio, nec unquam tanta fuerit eloquendi facultas, ut non titu=
bet ac hæreat, quoties ab animo uerba dissentiunt. Vir autem
malus, aliud dicat necesse est quàm sentiat. Bonos nunquam ho
nestus sermo deficiet, nunquam rerum optimarum (nam ijdem
etiam prudentes erunt) inuentio, quæ etiam si lenocinijs de=
stituta sit, satis tamen natura sua ornatur, nec quicquam non
diserte, quod honeste dicitur. Quare iuuentus, imò omnis ætas
(neque enim rectæ uoluntati serum est tempus ullum) totis men
tibus huc tendamus, in hoc elaboremus, forsan & consumma=
re contingat. Nam si natura non prohibet, & esse uirum bo=
num, & esse dicendi peritum, cur nō aliquis etiam unus utrun=
que consequi possit? cur autem non se quisque speret fore illum
aliquem? ad quod si uires ingenij non suffecerint, tamen ad quē
usque modum processerimus, meliores erimus ex utroque. Hoc
certe prorsus eximatur animo, rerum pulcherrimam eloquen=
tiam cum uitijs mentis posse misceri. Facultas dicendi, si in ma=
los incidit, & ipsa iudicanda est malum: peiores enim illos fa=
cit, quibus contingit. Videor mihi audire quosdam (nec enim
deerunt unquam, qui diserti esse, quàm boni malint) illa dicen=
tes: Quid ergo tantum artis est in eloquentia? cur tu de colori=
bus, & difficilium causarum defensione nonnihil etiam de con=
fesso loquutus es, nisi aliquando uis & facultas dicendi expu=
gnat ipsam ueritatem? Bonus enim uir non agit nisi bonas cau=
sas, eas porrò etiā sine doctrina satis per se tuetur ueritas ipsa.
Quibus ego cum de meo primum opere respondero, etiam pro
boni uiri officio, siquando eum ad defensionem nocentium ra=
tio duxerit, satisfaciam. Pertractare enim quomodo aut pro fal=
sis, aut etiam pro iniustis aliquando dicatur, non est inutile, uel
propter hoc solū, ut ea facilius & deprehēdamus & refellamus,

quemadmodum remedia melius adhibebit, cui nota, quæ nocent fuerint. Neque enim Academici, cum in utranq; disserunt partem, non secundum alteram uiuunt. Neq; Carneades ille, qui Romæ audiente Censorio Catone, non minoribus uiribus contra iustitiam dicitur disseruisse, quàm pridie pro iustitia dixerat, iniustus ipse uir fuit. Verum & uirtus quid sit, aduersa ei malitia detegit, & æquitas fit ex iniqui contemplatione manifestior, & plurima contrarijs probantur. Debent ergo oratori sic esse aduersariorum nota consilia, ut hostium imperatori. Verum & illud quod prima propositione durum uidetur, potest afferre ratio, ut uir bonus in defensione causæ uelit auferre aliquando iudici ueritatem. Quod si quis à me proponi mirabitur (quanquam non est hæc mea proprie sententia, sed eorum, quos grauissimos sapientiæ magistros ætas uetus credidit) sic iudicet, pleraq; esse, quæ nõ tam factis, quàm causis eorũ uel honesta fiant, uel turpia. Nam si hominem occidere sæpe uirtus, liberos necare nonnunquam pulcherrimum est, asperiora quædam adhuc dictu, si cõmunis utilitas exegerit, facere concediturne hoc quidem nudum est intuendum, qualem causam uir bonus, sed etiam quare, & qua mente defendat. Ac primũ concedant mihi omnes oportet, quod Stoicorum quoq; asperrimi confitentur, facturum aliquando bonum uirum, ut mendacium dicat, & quidem nonnunquam leuioribus causis, ut in pueris ægrotantibus utilitatis eorum gratia multa fingimus, multa non facturi promittimus, nedum si ab homine occidendo grassator auertendus sit, aut hostis pro salute patriæ fallendus, ut hoc quod aliâs in seruis quoque reprehẽdendum est, sit aliâs in ipso sapiente laudandum. Id si constiterit, multa iam uideo posse euenire, propter quæ orator bene suscipiat tale causæ genus, quale remota ratione honesta non suscepisset. Nec hoc dico, quia seueriores sequi placet leges pro patre, fratre, amico, periclitantibus, tametsi non mediocris hæsitatio est, hinc iustitiæ proposita

proposita imagine, inde pietatis, nihil dubij relinquamus. Sit aliquis insidiatus tyranno, atq; ob id reus, utrum'ne saluum eum nolet is qui à nobis finitur orator? an si tuendum susceperit, non tam falsis defendet, quàm qui apud iudices malam causam tuetur? Quid si quædam benefacta damnaturus est iudex, nisi ea non esse facta conuicerimus, non uel hoc modo seruabit orator non innocentem modò, sed etiam laudabilem ciuem? Quid, si quædam iusta natura, sed conditione temporum inutilia ciuitati sciemus? Non'ne utemur arte dicendi bona quidem, sed malis artibus simillima? Ad hoc nemo dubitabit, quin si nocentes mutari in bonam mentem aliquo modo possint, sicut posse interdum conceditur, saluos esse eos magis è Repub. sit quàm puniri. Si liqueat igitur oratori futurum bonum uirum, cui uera obijcientur, non id aget, ut saluus sit? Da nunc ut crimine manifesto prematur dux bonus, & sine quo uincere honeste ciuitas non possit, non'ne ei communis utilitas oratorem aduocabit? Certe Fabritius Cornelium Rufinum, alioqui & malum ciuem, & sibi inimicum: tamen quia utilem sciebat ducem, imminente bello, palàm consulem suffragio suo fecit: atq; id miranti bus quibusdam, respondit, à ciue se spoliari malle, quàm ab hoste uænire. Ita hic si fuisset orator, non defendisset eundem Rufinum, uel manifesti peculatus reum? Multa dici possent similia, sed uel unum ex his quodlibet sufficit. Non enim hoc agimus, ut istud illi, quem formamus, uiro sit sæpe faciendum, sed ut si talis coëgerit ratio, sit tamen uera finitio, oratorem esse uirum bonum dicendi peritum. Præcipere uero ac discere quo modo etiam probatione difficilia tractentur, necesse esse. Nam frequenter etiam optimæ causæ similes sunt malis, & innocens reus multis ueri similibus premitur. Quo fit, ut eadem actionis ratione defendendus sit, quasi nocens esset. Iam innumerabilia sunt bonis causis malisq; communia, testes, literæ, suspiciones, opiniones. Non aliter autem ueri similia, quàm uera & confir-

mantur & refelluntur. Quapropter ut res feret, flectetur oratio, manente honesta uoluntate.

Cognoscenda esse Oratori quibus mores formentur. CAP. II.

QVando igitur orator est uir bonus, is autem citra uirtutẽ intelligi nõ potest, uirtus etiamsi quosdam impetus à natura sumit, tamen perficiẽda doctrina est: mores ante omnia oratori studijs erunt excolendi, atq; omnis honesti iustiq; disciplina pertractanda, sine qua nemo nec uir bonus esse, nec dicendi peritus potest: nisi fortè accedamus ijs, qui natura constare mores, & nihil adiuuari disciplina putant: scilicet ut ea quidem, quæ manu fiunt, atq; eorum etiam contemptissima, cõfiteantur egere doctoribus: uirtutem uerò, qua nihil homini quo ad deos immortales propius accederet datũ est, obuiam & illaboratam tantum quia nati sumus habeamus. Abstinens erit, qui quid sit abstinẽtia ignorarit? Et fortis, qui metus, doloris, mortis, superstitionis, nulla ratione pugnauerit? Et iustus, qui æqui boniq; tractatũ, qui leges, quæ natura sunt omnibus datæ, quæq; proprie populis & gentibus constitutæ, non eruditiore aliquo sermone tractauerit? O quàm istud parũ putant, quibus tam facile uidetur. Sed hoc transeo, de quo neminem, qui literas uel primis, ut aiunt, labris degustarit, dubitaturũ puto: ad illud sequens reuertar, ne dicendi quidem satis peritum fore, qui non & naturæ uim omnem penitus perspexerit, & mores præceptis ac ratione formarit. Neque enim frustra in tertio de Oratore libro L. Crassus cuncta quæ de æquo, iusto, uero, bono, deq; ijs quæ sunt contrà posita, dicuntur, propria esse oratoris affirmat: ac philosophos cum ea dicendi uiribus tuentur, uti rhetorum armis, non suis. Idem tamen confitetur ea iam esse à philosophia petenda, uidelicet quia magis hæc illi uidetur in possessione earum rerum fuisse. Hinc etiam illud est, quod Cicero pluribus libris & epistolis testatur, dicendi facultatem ex intimis sapientiæ fon-

tiæ fontibus fluere, ideoq; aliquãdiu præceptores eosdem fuisse morum atq; dicendi. Quapropter hæc exhortatio mea non eò pertinet, ut esse oratorem philosophum uelim, quando non alia uitæ secta longius à ciuilibus officijs, atq; ab omni munere oratoris recessit. Nam quis philosophorum aut in iudicijs frequẽs, aut clarus in concionibus fuit? Quis deniq; in ipsa, quam maxime pleriq; eorum uitandam præcipiunt, Reip. administratione uersatus? Atqui ego illum quem instituo, Romanum quendã uelim esse sapientem, qui nõ secretis disputationibus, sed rerum experimentis atque operibus uere ciuilem uirum exhibeat. Sed quia deserta ab ijs qui se ad eloquentiam contulerunt, studia sapientiæ, non iam in actu suo, atque in hac fori luce uersantur, sed in porticus & gymnasia primum, mox in conuentus scholarum recesserunt, id quod est oratori necessarium, nec à dicendi præceptoribus traditur, ab ijs petere nimirũ necesse est, apud quos remansit. Euoluendi penitus autores, qui de uirtute præcipiunt, ut oratoris uita cum scientia diuinarum rerum sit humanarumq; coniuncta. Quæ ipsæ quanto maiores ac pulchriores uiderẽtur, si illas ij docerẽt, qui etiam eloqui præstantissime possent? Vtinamq; sit tempus unquam, quo perfectus aliquis, qualem optamus, orator, hanc partem superbo nomine, & uitijs quorundam bona eius corrumpentium inuisam uendicet sibi, ac uelut rebus repetitis in corpus eloquẽtiæ adducat. Quæ quidem cum sit in tres diuisa partes, naturalem, moralem, rationalem, quæ tandem non est cum oratoris opere coniuncta? Nam ut ordinem retrò agamus, de ultima illa, quæ tota uersatur in uerbis, nemo dubitauerit, si & proprietates uocis cuiusq; nosse, & ambigua aperire, & perplexa discernere, & de falsis iudicare, & colligere ac resoluere quæ uelis, oratoris est: quanquã ea non tam est minute atq; cõcise in actionibus utendum, quàm in disputationibus: quia non docere modò, sed mouere etiam, ac delectare audientes debet orator, ad quod impetu quoq;

quoq; & uiribus, ac decore est opus: ut uis amnium maior est altis ripis, multoq; gurgitis tractu fluentiũ, quàm tenuis aquæ, & obiectu lapillorum resultantis. Et ut Palæstrici doctores illos *numeros quos * neruos uocant, non idcirco discentibus tradunt, ut his omnibus ij qui didicerunt, in ipso luctandi certamine utantur, plus enim pondere, & firmitate, & spiritu agitur, sed ut subsit copia illa, ex qua unum aut alterum cuius se occasio dederit, efficiant. Ita hæc pars dialectica, siue illã dicere malimus disputatricem, ut est utilis sæpe, & finitionibus, & comprehensionibus, & separandis quæ sunt differentia, & resoluenda ambiguitate, & distinguendo, diuidendo, illiciendo, implicando, ita si totum sibi uendicauerit in foro certamẽ, obstabit melioribus, & sectas ad tenuitatem suam uires ipsa subtilitate consumet. Itaq; reperias quosdam in disputando mire callidos, cum ab illa uero cauillatione discesserint, non magis sufficere in aliquo grauiore actu, quàm parua quædam animalia, quæ in angustijs mobilia, campo deprehenduntur. Iam quidem pars illa moralis quæ dicitur Ethice, certe tota oratori est accommodata. Nam in tanta causarum (ut superioribus libris diximus) uarietate, cum alia coniectura quærantur, alia finitionibus concludantur, alia iure summoueantur, uel transferantur, alia colligantur, uel ipsa inter se cõcurrant, uel in diuersum ambiguitate ducantur, nulla ferè dici potest, cuius non parte in aliqua tractatus æqui & boni reperiantur. Pleraſque uero esse quis nescit, quæ totæ in sola qualitate cõsistant? In consilijs uero, quæ ratio suadendi est ab honesti quæstione seposita? Quinetiam illa pars tertia, quæ laudandi ac uituperandi officijs continetur, nempe in tractatu recti prauiq; uersatur. An de iustitia, fortitudine, abstinentia, temperantia, pietate non plurima dicet orator? Sed ille uir bonus, qui hæc non uocibus tantum sibi nota, atq; nominibus aurium tenus in usum linguæ perceperit, sed qui uirtutes ipsas mente complexus ita sentiet, nec in cogitando ita laborabit, sed quod sciet

sciet uere dicet. Cum autem sit omnis generalis quæstio speciali potẽtior, quia uniuerso partes continentur, non utiq; accedit parti quod uniuersum est, profecto nemo dubitabit generales quæstiones in illo maxime studiorũ more uersatas. Iam uero cum sint multa proprijs breuibusq; comprehensionibus finienda, unde etiam status causarum dicitur finitiuus, non´ne ad id quoque instrui ab ijs qui plus in hoc studij dederunt, oportet? Quid? non quæstio iuris omnis aut uerborum proprietate, aut æqui disputatione, aut uoluntatis coniectura continetur? quorũ pars ad rationalem, pars ad moralem tractatũ redundat. Ergo natura permixta est omnibus istis oratio, quæ quidem oratio est uere. Nam ignara quidẽ huiusce doctrinæ loquacitas erret necesse est, ut quæ uel nullos, uel falsos duces habeat. Pars uero naturalis cum est ad exercitationem dicendi tanto cæteris uberior, quanto maiore spiritu de diuinis rebus quàm humanis loquendum est, tum illam etiam moralem, sine qua nulla esse, ut docuimus, oratio potest, totam cõplectitur. Nam si regitur prouidentia mundus, administranda certe bonis uiris erit Respub. Si diuina nostris animis origo, tendendum ad uirtutem, nec uoluptatibus terreni corporis seruiendum. An hoc non frequenter tractabit orator? Iam de augurum responsis, religioneq; omni, de quibus maxima sæpe in senatu consilia uersata sunt, non erit ei disserendum? Siquidem, ut nobis placet, futurus est uir idem ciuilis. Quæ denique intelligi saltem potest eloquentia hominis optima nescientis? Hæc si ratione manifesta non essent, exemplis tamen crederemus: Siquidem & Periclem, cuius eloquentiæ etiamsi nulla ad nos monimenta uenerunt, uim tamen quandam incredibilem cum historici, tum etiam liberrimum genus hominum comici ueteres tradunt: Anaxagoræ physici cõstat auditorem fuisse, & Demosthenem principem omniũ Græciæ oratorum dedisse operam Platoni. Nam M. Tullius nõ tantum se debere scholis rhetorum, quantum Academiæ spatijs, frequenter

quenter ipse testatus est. Neque se tanta in eo unquam fudisset ubertas, si ingenium suum consepto fori, nõ ipsius rerũ naturæ finibus termunasset. Verum ex hoc alia mihi quæstio exoritur, quæ secta conferre plurimũ eloquentiæ posit, quanquam ea nõ inter multas potest esse contentio. Nam Epicurus in primis nos à se ipse dimittit, qui fugere omnem disciplinam nauigatione quàm uelocissima iubet. Neq; uero Aristippus summum in uoluptate corporis bonum ponens, ad hunc nos laborẽ adhortetur. *Pyrrho quidem quas habere in hoc opere partes potest, cui iudices esse apud quos uerba faciat, & reum pro quo loquatur, & senatum in quo sit dicenda sententia, non liquebit? Academiam quoq; quidã utilissimam credunt, quòd mos in utranq; partem disserendi ad exercitationẽ forensium causarũ proxime accedat. Adijciunt loco probationis, quòd ea præstantissimos in eloquentia uiros ediderit. Peripatetici studio quoq; se quodam oratorio iactant. Nã thesis dicere exercitationis gratia, ferè ab his est institutum. Stoici sicut copiam nitoremq; eloquẽtiæ ferè præceptoribus suis defuisse concedant necesse est, ita nullos aut probare acrius, aut *cõcludere subtilius cõtendunt. Sed hæc inter ipsos, qui uelut sacramẽto rogati, uel etiã superstitione cõstricti, nefas ducũt à suscepta semel persuasione discedere. Oratori uero nihil est necesse in cuiusquã iurare leges. Maius enim est opus atq; præstantius ad quod ipse tendit, & cuius est uelut candidatus, siquidem est futurus tum uitæ, tum etiã eloquentiæ laude perfectus. Quare in exemplũ bene dicendi facundissimum quenque proponet sibi ad imitandum, moribus uero formandis quàm honestissima præcepta, rectissimamq; ad uirtutem uiam deliget. Exercitatione quidem utetur omni, sed tamẽ erit plurimus in maximis quibusq; ac natura pulcherrimis. Nam quæ potest materia reperiri ad grauiter copioseq; dicendum magis abundans, quàm de uirtute, de Repub. de prouidentia, de origine animorũ, de amicitia? Hæc sunt quibus mens pariter atq; oratio

*patronus

*eludere

oratio insurgant, quæ uere bona, quid mitiget metus, coërceat cupiditates, eximat nos opinionibus uulgi, animumq; existimet cœlestem. Neq; ea solum quæ talibus disciplinis continentur, sed magis etiam quæ tradita antiquitus, dicta, ac facta præclare, & nosse, & animo semper agitare conueniet. Quæ profecto nusquam plura maioraq;, quàm in nostræ ciuitatis monimentis reperientur. An fortitudinem, fidem, iustitiã, continentiam, frugalitatem, contemptum doloris ac mortis, melius alij docebunt, quàm Fabritij, Curij, Reguli, Decij, Mutij, alijq; innumerabiles? Quantum enim Græci præceptis ualent, tantum Romani (quod est maius) exemplis. Tantumq; non cognatis id è rebus admoneri, qui non modò proximum tempus, lucemq; præsentem intueri satis credat, sed omnem posteritatis memoriam, spatium uitæ honestæ, & curriculum laudis existimet. Hinc mihi ille iustitiæ haustus bibat, hinc sumptam libertatem in causis atq; consilijs præstet. Neq; erit perfectus orator, nisi qui honeste dicere & sciet & audebit.

Necessariam iuris ciuilis oratori scientiam.

CAP. III.

IVris quoq; ciuilis necessaria huic uiro scientia est, & morum ac religionum eius Reipub. quam capesset. Nam qualis esse suasor in consilijs publicis priuatisue poterit, tot rerum, quibus præcipue ciuitas continetur, ignarus? Quo autem modo patronum se causarum non falsò dixerit, qui quod est in causis potentissimum, sit ab altero petiturus, penè nõ dissimilis ijs qui poëtarum scripta pronunciant? Nam quodammodo mandata perferet, & ea quæ sibi à iudice credi postulaturus est, aliena fide dicet, & ipse litigantium auxiliator egebit auxilio. Quod ut fieri nonnunquam minore incommodo possit, cum domi præcepta & composita, sicut & cætera quæ in causa sunt, in discendo cognita ad iudicem perferet, quid fiet in ijs quæstionibus, quæ subitò inter ipsas actiones nasci solent? non deformiter respectet,

& inter

& inter ſubſellia minores aduocatos interroget? Poteſt aut ſatis diligenter accipere, quæ tum audiet, cum ei dicēda ſunt? aut fortiter affirmare, aut ingenue pro ſuis dicere? Poſſit in actionibus: Quid fiet in altercatione, ubi occurrendum cōtinuò, nec libera ad diſcendum mora eſt? Quid ſi fortè peritus iuris ille nō aderit? Quid ſi quis nō ſatis in ea re doctus, falſum aliquid ſubiecerit? Hoc enim eſt maximum ignorantiæ malum, quòd credit eum ſcire qui moneat. Neq; ego ſum noſtri moris ignarus, oblitus'ue eorum, qui uelut ad arculas ſedent, & tela agētibus ſubminiſtrant: neq; idem Græcos quoq; neſcio factitaſſe, unde nomen his Pragmaticorum datum eſt. Sed loquor de oratore qui non clamorē modò ſuum cauſis, ſed omnia quæ profutura ſunt, debet. Itaq; cum nec inutilem ſi ad horam fortè conſtiterit, neq; in teſtationibus faciendis eſſe imperitum uelim. Quis enim potius præparabit ea, quæ cùm aget eſſe in cauſa uelit? Niſi fortè imperatorē quis idoneum credit in prælijs quidem ſtrenuū & fortem, & omniū quæ pugna poſcit artificē, ſed neq; delectus agere, nec copias contrahere atq; inſtruere, nec proſpicere cōmeatus, nec locum capere caſtris ſcientem: prius eſt enim certe parare bella, quàm gerere. Atqui ſimilimus huic ſit aduocatus, ſi plura quæ ad uincendū ualēt, alijs reliquerit. Cum præſertim hoc quod eſt maxime neceſſarium, non tam ſit arduum quàm procul intuentibus fortaſſe uideatur. Nanq; omne ius quod eſt certum, aut ſcripto, aut moribus conſtat. Dubium æquitatis regula examinandum eſt. Quæ ſcripta ſunt, aut poſita in more ciuitatis, nullam habent difficultatem: cognitionis ſunt enim, non inuentionis: at quæ conſultorum reſponſis explicantur, aut in uerborum interpretatione ſunt poſita, aut in recti prauiq; diſcrimine. Vim cuiuſq; uocis intelligere, aut commune prudentium eſt, aut proprium oratoris, æquitas optimo cuiq; notiſſima eſt. Nos porrò & bonum uirum, & prudentem in primis oratorem putamus, qui cùm ſe ad id quod eſt optimum natura direxerit,

Pragmatici.

rexerit, non magnopere commouebitur, ſi quis ab eo conſultus diſſentiat, cùm ipſis illis diuerſas inter ſe opiniones tueri conceſſum ſit. Sed etiam ſi noſſe quid quiſq; ſenſerit, uolet, lectione opus eſt, qua nihil eſt in ſtudijs minus laborioſum. Quòd ſi pleriq; deſperata facultate agendi ad diſcendum ius declinauerunt, quàm id ſcire facile eſt oratori, quod diſcunt qui ſua quoq; confeſſione oratores eſſe non poſſunt? Verum & M. Cato cum in dicendo præſtantiſſimus, tum iuris fuit idem peritiſſimus. Et Scæuolæ, Seruioq; Sulpitio conceſſa eſt etiam facundiæ uirtus. Et M. Tullius non modò inter agendum nunquam eſt deſtitutus ſcientia iuris, ſed etiam componere aliqua de eo cœperat, ut appareat poſſe oratorem non diſcendo tantum iuri uacare, ſed etiam docendo. Verum ea quæ de moribus excolendis ſtudioq; iuris præcipimus, ne quis eo credat reprehendenda, quòd multos cognouimus, qui tædio laboris, quem ferre tēdentibus ad eloquentiam neceſſe eſt, cōfugerint ad hæc diuerticula deſidiæ, quorum alij ſe ad albū ac rubricas tranſtulerunt, & formularij, uel, ut Cicero ait, legulei quidam eſſe maluerunt, tanquam utiliora eligentes ea, quorum ſolam facilitatem ſequebantur: alij pigritiæ arrogantioris, qui ſubitò fronte conficta immiſſaq; barba, uelut deſpexiſſent oratoria præcepta, paulum aliquid ſederunt in ſcholis philoſophorum, ut deinde in publico triſtes, domi diſſoluti, captarent autoritatem cōtemptu cæterorum. Philoſophia enim ſimulari poteſt, eloquentia non poteſt.

Neceſſariam oratori cognitionem hiſtoriarum.

CAP. IIII.

IN primis uero abundare debet orator exemplorum copia, cum ueterum, tum etiam nouorū: adeò ut non ea modò quæ conſcripta ſunt hiſtorijs, aut ſermonibus, uelut per manus tradita, quæq; quotidie aguntur debeat noſſe, uerum ne ea quidem quæ ſunt à clarioribus poëtis ficta, negligere. Nam illa quidem priora, aut teſtimoniorum, aut etiam iudicatorum obtinent lo-

cum. Sed hæc quoq; aut uetuſtatis fide tuta ſunt, aut ab homini-
bus magnis præceptorum loco ficta creduntur. Sciat ergo quàm
plurima, unde etiam ſenibus autoritas maior eſt, quòd plura
noſſe & uidiſſe creduntur, quod Homerus frequentiſſime te-
ſtatur. Sed non eſt expectanda ultima ætas, cum ſtudia præſtet,
ut quantum ad cognitionem pertinet rerum, etiam præteritis
ſeculis uixiſſe uideamur.

Quæ ſint oratoris inſtrumenta. CAP. V.

HAec ſunt quæ me redditurum promiſeram inſtrumẽta non
artis, ut quidam putauerũt, ſed ipſius oratoris. Hæc arma
habere ad manum, horum ſcientia debet eſſe ſuccinctus, acceden
te uerborum figurarumq; facili copia, & inuentionis ratione,
& diſponendi uſu, & memoriæ firmitate, & actionis gratia.
Sed plurimũ ex his ualet animi præſtantia, quã nec metus fran-
gat, nec acclamatio terreat, nec audientiũ autoritas ultra debitã
reuerentiam tardet. Nam ut abominanda ſunt cõtraria his uitia,
confidentiæ, temeritatis, improbitatis, arrogantiæ, ita citra con-
ſtantiam, fiduciam, fortitudinem, nihil ars, nihil ſtudiũ, nihil pro
fectus ipſe profuerit, ut ſi des arma timidis & imbellibus. Inui-
Verecundia. tus mehercle dico, quoniam & aliter accipi poteſt, ipſam uere-
cundiam, uitium quidem, ſed amabile, & quæ uirtutes facilime
generet, eſſe interim aduerſam, multisq; in cauſa fuiſſe, ut bona
ingenij ſtudijq; in lucem non prolata, ſitu quodam ſecreti con-
ſumerentur. Sciat autem, ſi quis hæc fortè minus adhuc peritus
diſtinguendi uim cuiuſq; uerbi, legat, non probitatem à me re-
prehendi, ſed uerecundiam, quæ eſt timor quidam reducens ani-
mum ab ijs, quæ facienda ſunt. Vnde confuſio, & cœpti pœni-
tentia, & ſubitum ſilentium. Quis porrò dubitet uitijs adſcri-
bere affectum, propter quem facere honeſte pudet? Neq; ego
rurſus nolo eum qui ſit dicturus, & ſolicitum ſurgere, & colo-
rem mutare, & periculũ intelligere: quæ ſi non accident, etiam
ſimulanda erunt: ſed intellectus hic ſit operis, nõ metus: mouea-
murq;

murq;, non concidamus. Optima eſt autem emendatio uere-
cundiæ fiducia, & quamlibet imbecilla frons magna conſciẽtia
ſuſtinetur. Sunt & naturalia, ut ſuprà dixi, quæ tamen & cura
iuuantur, inſtrumenta, uox, latus, decor: quæ quidem tantum ua-
lent, ut frequenter famã ingenij faciãt. Habuit oratores ætas no
ſtra copioſiores, ſed cũ diceret, eminere inter æquales Tracha-
lus uidebatur, ea corporis ſublimitas erat, is ardor oculorũ, fron-
tis autoritas, geſtus præſtantia, uox quidem non ut Cicero deſi-
derat, penè tragœdorum, ſed ſuper omnes, quos ego quidẽ au-
dierim tragœdos. Certe cum in baſilica Iulia diceret primo tri-
bunali, quatuor autem iudicia, ut moris eſt, cogerentur, atque
omnia clamoribus fremerent, & auditum eum, & intellectum,
& quod agentibus cæteris cõtumelioſum fuit, laudatum quoq;
ex quatuor tribunalibus memini. Sed hoc uotum eſt, & rara fe
licitas: quæ ſi non adſit, ſanè ſufficiat ab ijs quibus quis dicit, au
diri. Talis eſſe debet orator, & hæc ſcire.

Quod ſit incipiendi cauſas agere tempus. CAP. VI.

AGendi autem initium ſine dubio ſecundum uires cuiuſq; ſu
mendum eſt, neq; ego annos definiam, cum Demoſthenem
puerum admodum actiones * pupillares habuiſſe manifeſtũ ſit: *popnlares
Caluus, Cæſar, Pollio, multum ante quæſtoriam omnes ætatem
grauiſſima iudicia ſuſceperint: Prætextatos egiſſe quoſdam ſit
traditum: Cæſar Auguſtus duodecim natus annos auiam pro ro
ſtris laudauerit. Modus mihi uidetur quidam tenendus, ut neq;
præpropere diſtringatur immatura frons, & quicquid eſt illud
adhuc acerbum proferatur. Nam inde & contemptus operis
innaſcitur, & fundamenta iaciuntur impudentiæ, &, quod eſt
ubique pernicioſiſſimum, præuenit uires fiducia. Nec rurſus
differendum eſt tyrocinium in ſenectutem. Nam quotidie me- Martiall lib 9.
tus creſcit, maiusq; fit ſemper quod auſuri ſumus: & dum deli-
beramus quando incipiendũ ſit, incipere iam ſerum eſt. Quare

fructum ſtudiorum uiridem, & adhuc dulcem promi decet, dum & uenia, & ſpes eſt, & paratus fauor, & audere non dedecet, & ſi quid deſit operi, ſupplet ætas: & ſi qua dicta ſunt iuueniliter, pro indole accipiuntur, ut totus ille Ciceronis pro Sext. Roſcio locus: Quid enim tam commune quàm ſpiritus uiuis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus iectis? Quæ cum ſex & uiginti natus annos, ſummis audientium clamoribus dixerit, deferbuiſſe tempore, & annis liquata iam ſenior idem fatetur. Et hercle quantumlibet ſecreta ſtudia contulerint, eſt tamen proprius quidam fori profectus: alia lux, alia ueri diſcriminis facies: plusq; ſi ſepares, uſus ſine doctrina, quàm citra uſum doctrina ualeat. Ideoq; nonnulli ſenes in ſchola facti ſtupent nouitate cum in iudicia uenerunt, & omnia ſuis exercitationibus ſimulia deſiderant. At illic & iudex tacet, & aduerſarius obſtrepit, & nihil temere dictum perit, & ſi quid tibi ipſe ſumas, probandum eſt, & laboratam congeſtamq; dierum ac noctium ſtudio actionẽ aqua deficit, & omiſſo magna ſemper flandi tumore, in quibuſdam cauſis loquendum, quod illi diſerti minime ſciunt. Itaq; nonnullos reperias, qui ſibi eloquentiores uideantur, quàm ut cauſas agant. Cæterum illum quem iuuenem tenerisq; adhuc uiribus nitentem in forum deduximus, & incipere quammaxime facili ac fauorabili cauſa uelim, uti catuli ferarum molliore præda ſaginãtur: & non utiq; ab hoc initio continuare operam, & ingenio adhuc alendo callum inducere, ſed iam ſcientem quid ſit pugna, & in quam rem ſtudendum ſit, refici atq; reuocari. Sic & tyrocinij metum dum facilius eſt audere, tranſierit, nec audendi facilitatem uſque ad contemptum operis adduxerit. Vſus eſt & hac ratione M. Tullius, & cum iam clarum meruiſſet inter patronos, qui tum erant, nomen, in Aſiam nauigauit, ſeq; & alijs ſine dubio eloquentiæ ac ſapientiæ magiſtris, ſed præcipue tamen Apollonio Moloni, quem Romæ quoq; audierat, Rhodi rurſus formandum, ac uelut recoquendum dedit. Tum dignum operæpretium uenit, cum inter ſe congruunt præcepta & experimenta.

Quæ in ſuſcipiendis cauſis Oratori obſeruanda ſint. CAP. VII.

CVm ſatis in omne certamẽ uirium fecerit, prima ei cura in ſuſcipiendis cauſis erit. In quibus defendere quidem reos profecto quàm facere uir bonus mallet: non tamen ita nomen ipſum accuſatoris horrebit, ut nullo neq; publico, neq; priuato duci poſsit officio, ut aliquem ad reddendam rationem uitæ uocet. Nã & leges ipſæ nihil ualent, niſi * autoris idonea uoce munitæ: & ſi pœnas ſcelerũ expetere fas non eſt, propè eſt ut ſcelera ipſa permiſſa ſint, & licentiam malis dari certe contra bonos eſt. Quare neq; ſociorum querelas, nec amici uel propinqui necem, nec erupturas in rempublicã conſpirationes inultas patietur orator: non pœnæ nocentium cupidus, ſed emendandi uitia, corrigendiq; mores. Nam qui ratione traduci ad meliora non poſsunt, ſolo metu continentur. Itaq; ut accuſatoriam uitam uiuere, & ad defendendos reos præmio duci, proximum latrocinio eſt: ita peſtem inteſtinam propulſare, cum propugnatoribus patriæ comparandũ. Ideoq; principes in republica uiri non detrectauerunt hanc officij partem: creditiq; ſunt etiam clari iuuenes obſidem reipublicæ dare malorum ciuium accuſationem, quia nec odiſſe improbos, nec ſimultates prouocare, niſi ex fiducia bonæ mentis uidebantur. Idq; cum ab Hortenſio, Lucullis, Sulpitio, Cicerone, Cæſare, plurimis alijs, tum ab utroq; Catone factum eſt: quorum alter appellatus eſt ſapiẽs, alter niſi creditur fuiſſe, uix ſcio cui reliquerit huius nominis locum. Nanq; defendet omnis orator, idemq; portum illum eloquentiæ ſuæ ſalutarem, non etiam piratis patefaciet, ducturq; in aduocationem maxime cauſa. Quoniã tamen omnes qui nõ improbe litigabũt, quorum certe bona pars eſt, ſuſtinere non poteſt unus, aliquid etiam commendantium perſonis dabit, & ipſorum qui iudicio

*actoris

decernent, aut optimi cuiusq; uoluntate moueatur: nanque hos & amicissimos habebit uir bonus. Submouendū uero est utrunq; ambitus genus, uel potentibus contra humiles uenditandi operam suam, uel illud etiam iactantius, minores utique contra dignitatem attollendi. Non enim fortuna causas uel iustas uel improbas facit. Neque uero pudor obstet, quo minus susceptam, cum melior uideretur, litem, cognita inter disceptandū iniquitate dimittat, cùm prius litigatori dixerit uerum. Nam & in hoc maximum, si æqui iudices sumus, beneficium est, ut non fallamus uana spe litigantem. Neq; enim dignus opera patroni, qui non utitur consilio. Et certe non conuenit ei quem oratorem esse uolumus, iniusta tueri scientem. Nam si ex illis quas suprà diximus causis falsum tuebitur, erit tamen honestum quod ipse faciet. Gratis ne ei semper agendum sit, tractari potest. Quod ex prima statim fronte dijudicare imprudentium est. Nam quis ignorat, quin id longe sit honestissimum, ac liberalibus disciplinis, & illo quem exigimus animo dignissimum, non uendere operam, nec eleuare tanti beneficij autoritatem? Cum pleraq; hoc ipso possint uideri uilia, quòd pretium habent. Cæcis hoc, ut aiunt, satis clarum est, nec quisquam qui sufficientia sibi (modica autem hæc sunt) possidebit, hunc quæstum sine crimine sordium fecerit. At si res familiaris amplius aliquid ad usus necessarios exiget, secundum omnes sapientium leges patietur sibi gratiam referri: cùm & Socrati collatum sit ad uictum, & Zenoni, Cleantes, Chrysippus mercedes à discipulis acceptauerint. Neq; enim uideo quæ iustior acquirendi ratio, quàm ex honestissimo labore, & ab ijs de quibus optime meruerint, quiq; si nihil inuicem præstent, indigni fuerint defensione. Quod quidem non iustum modò, sed necessarium etiam est, cùm hæc ipsa opera, tempusue omne alienis negotijs datum, facultatem aliter acquirendi recidant. Sed tum quoq; tenendus est modus, ac plurimum refert, & à quo accipiat, & quantum, & quousq;. Paciscendi

Paciscendi quidem ille piraticus mos, & imponentium periculis pretia procul abominanda negotiatio, etiam à mediocriter improbis aberit: cum præsertim bonos homines bonasq; causas tuenti nō sit metuendus ingratus: qui si futurus, malo tamen ille peccet. Nihil ergo acquirere uolet orator ultrà quàm satis erit, ac ne pauper quidem tanquam mercedem accipiet, sed mutuæ beneuolentia utetur, cum sciet se tanto plus præstitisse, quia nec uenire hoc beneficium oportet, nec perire. Denique ut gratus sit, ad eum magis pertinet qui debet.

Quæ in discendis causis Oratori obseruanda sint.

CAP. VIII.

PRoxima discēdæ causæ ratio, quod est oratoris fundamentum. Neq; enim quisquā tam ingenio tenui reperitur, qui cum omnia quæ sunt in causa diligenter cognouerit, ad docendum certe iudicem nō sufficiat. Sed eius rei paucissimis cura est. Nam ut taceam de negligētibus, quorum nihil refert ubi litium cardo uertatur, dum sint quæ uel extra causam ex personis ac communi tractatu locorum occasionem clamandi largiantur, aliquos & ambitio peruertit, qui partim tanquā occupati, semperq; aliud habentes, quod antè agendum sit, pridie ad se uenire litigatorem, aut eodem matutino iubent, nonnunquam etiam inter ipsa subsellia didicisse se gloriantur: partim iactantia ingenij, ut res cito accepisse uideātur, tenere se & intelligere penè prius quàm audiāt mentiti, cum multa, & diserte summisq; clamoribus, quæ neq; ad iudicem, neq; ad litigatorem pertineant, decantauerunt, bene sudantes, beneq; comitati per fōrum reducuntur. Ne illas quidem tulerim delitias eorum, qui doceri amicos suos iubent, quanquam minus mali est, si illa saltem recte discant, rectēq; doceant. Sed quis discet tam bene quàm patronus? Quomodo autem sequester ille, & media litiū manus, & quidam interpres impēdet æquo animo laborē in alienas actiones, cū dicturus ipse non sit? Peßimæ uero consuetudinis, libellis esse

contentum, quos componit aut litigator, qui confugit ad patronum, quia liti ipse non sufficit, aut aliquis ex eo genere aduocatorum, qui se non posse agere confitentur, deinde faciunt id quod est in agendo difficilimum. Nam qui iudicare quid dicendum, quid dissimulandum, quid declinandum imutandúue, fingendum etiam sit, potest, cur non sit orator, quando quod difficilius est facit? Hi porrò non tantum nocerent, si omnia scriberent, uti gesta sunt. Nunc consilium & colores adijciunt, & aliqua peiora ueris, quæ pleriq; cum acceperunt, immutare nefas habent, & uelut themata in scholis posita custodiunt. Deinde deprehenduntur, & causam quam discere ex suis litigatoribus noluerunt, ab aduersarijs discunt. Liberum igitur demus ante omnia ijs, quorũ negotium erit, tempus ac locum, exhortemurq; ultrò, ut omnia quamlibet uerbose, & unde uolent repetita ex tempore exponant. Non enim tam obest audire superuacua, quàm ignorare necessaria. Frequenter autem & uulnus, & remedium in his orator inueniet, quæ litigatori in neutrã partem habere momentum uidebantur. Nec tanta sit acturo memoriæ fiducia, ut subscribere audita pigeat. Nec semel audisse sit satis, cogendus eadem iterum dicere, ac sæpius litigator, non solum quia effugere aliqua prima expositione potuerunt, præsertim hominem, quod sæpe euenit, imperitum, sed etiam ut sciamus an eadem dicat. Plurimi enim mentiuntur, & tanquam nõ doceant causam, sed agant, non ut cũ patrono, sed ut cum iudice loquuntur. Quapropter nunquam satis credendum est, sed agitandus omnibus modis, & turbandus, & euocandus. Nam ut medicis non apparentia modò uitia curanda sunt, sed etiam inuenienda quæ latent, sæpe ea ipsis qui sanandi sunt occulentibus, ita aduocatus plura quàm ostenduntur aspiciat. Nam cum satis in audiendo patientiæ impenderit, in aliam rursus ei personam transeundum est, agendusq; aduersarius, proponendũ quicquid omnino excogitari contrà potest, quicquid recipit in eiusmodi disceptatione natura. Interrogandus quàm infestissime, ac premendus. Nam dum omnia quærimus, aliquando ad uerum, ubi minime expectauimus, peruenimus. In summa, optimus est in discendo patronus incredulus. Promittit enim litigator omnia, testem, populum, paratissimas consignationes, ipsum deniq; aduersarium quædam non negaturũ. Ideoq; opus est intueri omne litis instrumentũ, quod uidere non est satis, perlegendũ erit. Nam frequentissime aut non sunt omnino quæ promittebantur, aut minus continent, aut cum alio aliquo nocituro permixta sunt, aut nimia sunt, & fidem hoc ipso detractura, quòd non habent modum. Deniq; linum ruptum, aut turbata cera, aut sine agnitione signa frequẽter inuenies: quæ nisi domi excusseris, in fõro inopinata decipient, plusq; nocebunt destituta, quàm non promissa nocuissent. Multa etiã quæ litigator nihil ad causam pertinere crediderit, patronus eruet, modò per omnes quos tradidimus argumentorũ locos eat: quos ut circũspectare in agẽdo, & attentare singulos minime conuenit, propter quas diximus causas, ita etiã in discẽdo rimari necessarium est, quæ personæ, quæ tempora, quæ loca, instituta, instrumẽta, cæteraq; ex quibus nõ tantũ illud quod est artificiale probationis genus colligi possit, sed qui metuendi testes, quo modo sint refellendi: Nam plurimũ refert inuidia reus, an odio, an contemptu laboret: quorum ferè pars prima superiores, proxima pares, tertia humiliores premit. Sic causam perscrutatus, propositis ante oculos omnibus quæ prosint noceant úue, tertiã deinde personã induat iudicis, fingatq; apud se agi causam, & quod ipsum mouisset de eadem re pronunciaturũ, id potentissimũ apud quemcũq; agetur, existimet: & sic eũ raro fallet euentus, aut culpa iudicis erit.

Quæ seruanda in agendis causis oratori sint. CAP. IX.

QVæ sint in agendo seruanda, toto ferè opere executi sumus, pauca tamen propria huius loci, quæ non tam dicẽdi

arte,quàm officijs agendi continentur,attingam. Ante omnia, ne (quod plerisq; accidit) ab utilitate eum causæ præsentis cupido laudis abducat. Nam ut gerentibus bella nõ semper exercitus per plana & amœna ducendus est, sed adeundi plerunque asperi colles,expugnandæ ciuitates, quamlibet præcisis positæ montibus,aut operum mole difficiles:ita oratio gaudebit quidẽ occasione latius decurrendi,& æquo congressa campo,totas uires populariter explicabit:at si iuris anfractus,aut eruendæ ueritatis latebras adire cogetur,non obequitabit,nec illis uibrantibus concitatisq; sententijs uelut missilibus utetur, sed operibus, & cuniculis, & insidijs, & occultis artibus rem geret. Quæ omnia non,dum fiunt,laudantur,sed cum facta sunt:unde etiam minus cupidis opinionis,plus fructus uenit. Nam cum illa dicendi uitiosa iactatio inter plausores suos detonuit, resurgit ueræ uirtutis fortior fama, nec iudices à quo sint moti dissimulant, & doctis creditur,nec est orationis uera laus, nisi cũ finita est. Veteribus quidem etiam dissimulare eloquentiam fuit moris, idq; M. Antonius præcipit,quo plus dicentibus fidei,minusq; suspectæ aduocatorum insidiæ forẽt. Sed illa dissimulari quæ tum erat potuit:nondum enim tantum dicendi lumen accesserat, ut etiam per obstantia erumperet. Quare artes quidem,& consilia lateant, & quicquid si deprehenditur perit, hactenus eloquentia secretum habet. Verborum quidẽ delectus,grauitas sententiarum,figurarum elegantia,aut non sunt,aut apparent:sed uel propter hoc ipsum ostentanda non sunt, quòd apparent: aut si unum è duobus eligendum, causa laudetur potius, quàm patronus. Finem tamen hunc præstabit orator, ut uideatur optima causam optime egisse. Illud certũ erit, neminẽ peius agere,quàm qui displicente causa placet:necesse est enim extra causam sit quod placet. Nec illo fastidio laborabit orator,nõ agendi causas minores,tanquam infrà eũ sint,aut detractura sit opinioni minus liberalis materia. Nam & suscipiendi ratio iustissima

est,officium, & optandum etiam ut amici quàmminimas lites habeãt,& abunde dixit bene,quisquis rei satisfecit. At quidam etiam si forte susceperint negotia paulum ad dicendum tenuiora,extrinsecus adductis ea rebus circumliniunt: ac si defecerint alia,conuitijs implent uacua causarum: si contingit, ueris: si minus,fictis, modo sit materia ingenij, mereaturq; clamorem dum dicitur. Quod ego adeò lõge puto ab oratore perfecto, ut eum ne uera quidem obiecturum,nisi id causa exigit,credã. Ea est enim prorsus canina,ut ait Appius,eloquentia,censurã maledicendi subire,quod facientibus etiam male audiendi præsumenda patientia est. Nam & in ipsos fit impetus frequẽter qui egerunt,& certe patroni petulantiã litigator luit. Sed hæc minora sunt ipso illo uitio animi,quo maledicus à malefico non distat,nisi occasione. Turpis uoluptas & inhumana,& nulli audientium bono grata,à litigatoribus quidem frequẽter exigitur, qui ultionem malunt,quàm defensionem. Sed neq; alia multa ad arbitrium eorum facienda sunt. Hoc quidem quis hominum liberi modò sanguinis sustineat, petulãs esse ad alterius arbitrium? Atqui etiam in aduocatos partis aduersæ libenter nõnulli inuehuntur:quod nisi forte meruerint,& inhumanum est, respectu cõmunium officiorũ,& cum ipsi qui dicit inutile(nam idem iuris responsuris datur) tum causæ contrariũ,quia planè aduersarij fiunt & inimici,& quantulumcũq; his uirium est,contumelia augetur. Super omnia perit illa quæ plurimũ oratori, & auctoritatis,& fidei affert,modestia, si à uiro bono in rabulã latratoremq; conuertitur,compositus non ad animum iudicis,sed ad stomachũ litigatoris. Frequenter etiã species libertatis deducere ad temeritatem solet,non causis modò, sed ipsis quoq; qui dixerũt periculosam. Nec immeritò Pericles solebat optare,ne quod sibi uerbum in mentem ueniret,quo populus offenderetur. Sed quod ille de populo, id ego de omnibus sentio, qui tantundem possunt nocere. Nam quæ fortia dum dicũtur uidebantur,stulta cum

eum læserunt uocantur. Nunc quia uariũ ferè propositum agẽtium fuit, & quorundam cura tarditatis, quorundam facilitas temeritatis crimine laborauit, quem credam fore in hoc oratoris modum, tradere non alienum uidetur. Afferet ad dicẽdum curæ semper quantum plurimum poterit: neq; enim solum negligentis, sed & mali, & in suscepta causa perfidi ac proditoris est peius agere quàm posit. Ideoq; ne suscipiendæ quidem sunt causæ plures, quàm quibus sufficturum se sciat. Dicet scripta quàm res patietur plurima, & ut Demosthenes ait, si continget & sculpta. Sed hoc aut primæ actiones, aut quæ in publicis iudicijs post interiectos dies dantur permiserint. At cùm protinus respõdendum est, omnia parari non possunt, adeò ut paulo minus promptis etiam noceat scripsisse, si alia ex diuerso quàm opinati fuerunt, occurrerint. Inuiti enim recedunt à præparatis, & tota actione respiciunt, requiruntq; num aliquid ex illis interuallis, atq; ex tempore dicendis inseri possit: quod si fiat, non cohæret, nec commißuris modò, ut in opere male iuncto hiãtibus, sed ipsa coloris inæqualitate detegitur. Ita nec liber est impetus, nec cura contexta, & utrunq; alteri obstat. Illa enim quæ scripta sunt, retinent animum, non sequuntur. Itaq; in his actionibus, omni, ut agricolæ dicunt, pede standum est. Nam cum in propositione ac refutatione causa consistat, quæ nostræ partis sunt, scripta esse possunt, quæ etiam responsurum aduersarium certum est (est enim aliquando certum) pari cura refelluntur. Ad alia unum paratum afferre possumus, ut causam bene nouerimus, alterum ibi sumere, ut dicentem aduersarium diligenter audiamus. Licet tamen præcogitare plura, & animũ ad omnes
casus causas cõponere, idq; est tutius stylo, quo facilius & omittitur cogitatio, & transfertur. Sed siue in respondendo fuerit subitò dicendum, siue quæ alia ita exegerit ratio, nunquam oppressum se, ac deprehensum credet orator, cui disciplina & studium & exercitatio dederit uires etiam facilitatis, quemq; armatum semper

per, ac uelut in procinctu stantem, non magis unquam in causis oratio, quàm in rebus quotidianis ac domesticis sermo deficiet, nec se unquam propter hoc oneri subtrahet, modò sit causæ discendæ tempus, nam cætera semper sciet.

De genere dicendi. CAP. X.

SVperest ut dicam de genere orationis. Hic erat propositus à nobis in diuisione prima locus tertius: nã ita promiseram me de arte, de artifice, de opere dicturum. Cùm sit autem rhetorices atq; oratoris opus oratio, pluresq; eius formæ, sicut ostendam, in omnibus his & ars est, & artifex, plurimum tamen inuicem differunt, nec solum specie, ut signum signo, & tabula tabula, & actione actio, sed genere ipso, ut à Græcis Tuscanicæ statuæ, & Asianus eloquens Attico. Suos autem hæc operũ genera quæ dico, ut autores, sic etiam amatores habent, atque ideo nondum est perfectus orator, ac nescio an ars ulla, non solũ quia aliud in alio magis eminet, sed quòd non una omnibus forma placuit, partim conditione uel temporum uel locorũ, partim iudicio cuiusq; atq; proposito. Primi, quorum quidem opera non uetustatis modò gratia uisenda sunt, clari pictores fuisse dicuntur Polygnotus atq; Aglaophon, quorum simplex color tam sui studiosos adhuc habet, ut illa propè rudia, ac uelut futuræ mox artis primordia, maximis, qui post eos extiterũt, autoribus præferantur proprio quodam intelligendi, ut mea opinio fert, ambitu. Post Zeusis atq; Parrhasius, nõ multum ætate distantes (circa Peloponnesia ambo tempora: nam cum Parrhasio sermo Socratis apud Xenophontem inuenitur) plurimũ arti addiderũt. Quorum prior luminum umbrarumq; inuenisse rationem, secũdus examinasse subtilius lineas traditur. Nam Zeusis plus membris corporũ dedit, id amplius atq; augustius ratus, atq;, ut existimant, Homerum secutus, cui ualidissima quæq; forma etiã in fœminis placet. Ille uero ita circũscripsit omnia, ut eum legũlatorem uocent, quia deorum atq; heroum effigies, quales ab eo Clari pictores.

sunt

sunt traditæ, cæteri tanquã ita necesse sit sequuntur. Floruit autem circa Philippum, & usq; ad successores Alexandri, pictura præcipue, sed ex diuersis uirtutibus: nam cura Protogenes, ratione Pamphilus ac Melanthius, facilitate Antiphilus, cõcipiendis uisionibus, quas φαντασίας uocant, Theo Samius, ingenio, & gratia, quam ipse in se maxime iactat, Apelles est præstantißimus. Euphranorem admirandum facit, quòd cæteris optimis studijs inter præcipuos, & pingendi fingendiq; idem murus artifex fuit. Simulis in statuis differentia: nam & duriora, & Tuscanicis proxima Calon atque Egesias, iam munus rigida Calamis, molliora adhuc supradictis Myron fecit. Diligentia ac decor in Polycleto supra cæteros, cui quanquàm à pleriſq; tribuitur palma, tamen ne nihil detrahatur, deesse pondus putant. Nam ut humanæ formæ decorem addiderit suprà uerum, ita nõ expleuisse deorum autoritatem uidetur, quin ætatem quoq; graiorem dicitur refugisse, nihil ausus ultra leues genas. At quæ Polycleto defuerunt, Phidiæ atq; Alcameni dantur. Phidias tam dijs quàm hominibus efficiendis melior artifex traditur, in ebore uero longe citra æmulum, uel si nihil nisi Mineruam Athenis, aut Olympium in Elide Iouem fecisset, cuius pulchritudo adiecisse aliquid etiam receptæ religioni uidetur, adeò maiestas operis deum æquauit. Ad ueritatem Lysippum & Praxitelem accessisse optime affirmant. Nam Demetrius tanquam nimius in ea reprehẽditur, & fuit similitudinis, quàm pulchritudinis amãtior. In oratione uero si species intueri uelis, totidem penè reperies ingeniorum, quot corporum formas, sed fuerunt quædã genera dicendi conditione temporum horridiora, alioqui magnã iam uim ingenij præ se ferentia. Hinc sunt Lælij, Africani, Catones, Gracchiq;, quos tu licet Polygnotos uel Calonas appelles. Mediam illam formam teneant L. Crassus, Q. Hortensius. Tum deinde efflorescat non multum inter se distantium tẽpore oratorum ingens prouentus, hinc uim Cæsaris, indolem Cælij, subti-

subtilitatem Callidij, grauitatem Bruti, acumen Sulpitij, acerbitatem Cassij, diligentiam Pollionis, dignitatem Messalæ, sanctitatẽ Calui reperimus. In his etiam quos ipsi uidimus, copiam Senecæ, uires Africani, maturitatem Afri, iucũditatem Crispi, sonum Trachali, elegantiam Secundi. At M. Tullium non illum habemus Euphranorem circa plurium artium species præstantẽ, sed in omnibus quæ in quoque laudantur, eminentißimum. Quem tamen & suorum hominum temporum incessere audebant, ut tumidiorem, & Asianum, & redundantem, & in repetitionibus nimium, & in salibus aliquando frigidum, & in compositione fractum, exultantem, ac penè (quod procul absit) uiro molliorem. Postea uero quàm triumuirali proscriptione consumptus est, paßim qui oderant, qui inuidebant, qui æmulabantur, adulatores etiam præsentis potentiæ, non responsurum inuaserũt. Ille tamen qui iciunus à quibusdã atq; aridus habebatur, nõ aliter ab ipsis inimicis male audire, quàm nimijs floribus & ingenij affluentia potuit: falsum utrunq;, sed tamen illa mentiendi propior occasio. Præcipue uero presserunt eum qui uideri Atticorum imitatores cõcupiebant. Hæc manus quasi quibusdam sacris initiata ut alienigenã, & uirũ superstitiosum, deinctumq; illis legibus insequebantur. Vnde nũc quoq; aridi, & exucci, & exangues. Hi sunt enim qui suæ imbecillitati sanitatis appellationem, quæ est maxime contraria, obtendant: qui quia clariorem uim eloquentiæ uelut solem ferre non poßunt, umbra magni nominis delitescunt, quibus quia multa, & pluribus locis Cicero ipse respondit, tutior mihi de hoc differendi breuitas erit. Et antiqua quidem illa diuisio inter Asianos & Atticos fuit, cum hi preßi & integri, contrà inflati illi & inanes haberentur: in his nihil superflueret, illis iudicium maxime ac modus deesset. Quod quidam, quorũ & Santra est, hoc putant accidisse, quòd paulatim sermone Græco in proximas Asiæ ciuitates influente, nondum satis periti loquẽdi, facũdiam cõcupierint, ideoq; ea quæ

ea quæ proprie signari poterant, circuitu cœperint enuntiare, ac deinde in eo persequerauerint. Mihi autem orationis differentiam feciſſe, & dicentium, & audientium naturæ uidetur, quod Attici limati quidem & emuncti, nihil inane aut redundans ferebãt. Aſiana gens tumidior alioqui & iactantior, uaniore etiã dicendi gloria inflata eſt. Tertium mox qui hæc diuidebãt, adiecerunt genus Rhodium, quod uelut medium eſſe, atq; ex utroq; mixtum uolunt. Neq; enim Atticè preſsi, neq; Aſianè ſunt abundantes, ut aliquid habere uideantur gentis, aliquid autoris. Aeſchines enim qui hunc exilio delegerat locum, intulit eò ſtudia Athenarum, quæ uelut ſata quædam cœlo terraq; degenerãt, ſaporem illum Atticum peregrino miſcuerunt. Lenti ergo quidẽ ac remiſſi, non ſine pondere tamen, neq; fontibus puris, neq; torrentibus turbidis, ſed lenibus ſtagnis ſimiles habẽtur. Nemo igitur dubitauerit longe eſſe optimum genus Atticorum, in quo ut eſt aliquid inter ipſos commune, id eſt iudicium acre terſumq;, ita ingeniorum plurimæ formæ. Quapropter mihi falli multum uidentur, qui ſolos eſſe Atticos credunt tenues, & lucidos, & ſignificantes, ſed quadam eloquentiæ frugalitate cõtentos, ac ſemper manum intra pallium continentes. Nam quis erit hic Atticus? ſit Lyſias, hunc enim amplectuntur amatores iſtius nominis modum. Non igitur iam uſq; ad Coccum, & Antocidem remittemur? Interrogare tamen uelim an Iſocrates Attice dixerit, nihil enim tam eſt Lyſiæ diuerſum. Negabunt? At eius ſchola principes oratorum dedit. Quæratur ſimilius aliquid. Hyperides Atticus? certe. At plus indulſit uoluptati. Tranſeo plurimos, Lycurgum, Ariſtogitona, & his priores Iſæum, Antiphontem, quos ut homines inter ſe genere ſimiles, differentes dixeris ſpecie. Quid ille cuius modò fecimus mẽtionem Aeſchines? non ne his latior, & audentior, & excelſior? Quid deniq; Demoſthenes? Non ne cunctos illos tenues & circumſpectos ſublimitate, ui, impetu, cultu, compoſitione ſuperauit? nõ inſurgit locis? non figuris

figuris gaudet? non translationibus nitet? nõ oratione ficta dat tacentibus uocem? nõ illud iuſiurandum per cæſos in Marathone ac Salamine propugnatores Reipublicæ ſatis manifeſto docet præceptorem eius Platonem fuiſſe? Quem ipſum, num Aſianum appellabimus, plerũq; inſtinctis diuino ſpiritu uatibus cõparandũ? Quid Periclea? ſimilem ne credimus Lyſiacæ gracilitati, quem fulminibus, & cœleſti fragori comparãt comici, dum illi conuiciantur? Quid eſt igitur, quod in ijs demum qui tenui uenula per calculos fluunt, Atticum ſaporem putent? ibi demũ thymum redolere dicant? Quos ego exiſtimo, ſi quod in his finibus uberius inuenerint ſolum, fertiliorem ue ſegetem, negaturos Atticã eſſe, quòd plus quàm acceperit ſeminis reddat. Quia hanc eius terræ fidẽ Menander eludit. Itaq; nunc ſi quis ad eas Demoſthenis uirtutes, quas ille ſummus orator habuit, tamen quæ defuiſſe ei, ſiue ipſius natura, ſiue lege ciuitatis uidẽtur, adiecerit, ut affectus concitatius moueat, audiam dicentẽ, non fecit hoc Demoſthenes? & ſi quid exierit numeris aptius, fortaſſe nõ poſsit, ſed tamen ſi quid exierit, nõ erit Atticum? Melius de hoc nomine ſentiant, credantq; Attice dicere, eſſe optime dicere. Atque in hac tamen opinione perſeuerantes Græcos magis tulerim: Latina mihi facundia, ut inuentione, diſpoſitione, conſilio, cæterisq; huius generis artibus ſimilis Græcæ, ac prorſus diſcipula eius uidetur, ita circa rationem eloquendi uix habere imitationis locum. Nanq; ipſis eſt ſtatim ſonus *dulcior, quando & iucundiſsimas ex Græcis literas υ, & ζ, non habemus uocalẽ alteram, alteram conſonantem, quibus nullæ apud eos dulcius ſpirant, quas mutuari ſolemus, quoties illorum nominibus utimur. Quod cum contingit, neſcio quo modo hilarior protinus renidet oratio, ut in Zephyris, Zopyriſq;: quæ ſi noſtris literis ſcribantur, ſurdum quiddam, & barbarum efficient ſonũ, & uelut in locum earũ ſuccedent triſtes, & horridæ, quibus Græcia careret. Nam illa quæ ſexta eſt noſtrarum penè non humana uoce, *durior

uel omnino non uoce potius inter discrimina dentium efflanda est, quæ etiam cum uocalem proximam accipit quassa quodam modo, utique quoties aliquam consonantem frangit, multo fit horridior. Aeolicæ quoq; literæ qua seruum ceruumq; dicimus, etiam si forma à nobis repudiata est, uis tamẽ nos ipsa persequitur. Duras & illa syllabas facit, quæ ad coniungendas demum subiectas sibi uocales est utilis, aliàs superuacua, ut equos ac equum scribimus, cum ipsæ etiã uocales duæ efficiant sonum, qualis apud Græcos nullus est, ideoq; scribi illorum literis non potest. Quid? quòd pleraq; nos illa quasi mugiente litera cludimus m, qua nullum Græce uerbum cadit? At illi ꝙ iucundam, & in fine præcipue quasi tinnientem illius loco ponunt, quæ est apud nos rarissima in clausulis. Quid? quòd syllabæ nostræ in b literam, & d innituntur? adeò aspere, ut pleriq; nõ antiquissimorum quidem, sed tamen ueterum mollire tentauerint, non solum asuersa pro aduersis dicendo, sed & in propositione b literæ absonam & ipsam s subijciendo. Sed accentus quoq; cum rigore quodam, tum similitudine ipsa minus suaues habemus, quia ultima syllaba nec acuta unquàm excitatur, nec flexa circunducitur, sed in grauem, uel duas graues cadit semper. Itaq; tanto est sermo Græcus Latino iucundior, ut nostri Poëtæ quoties dulce carmen esse uoluerunt, illorum id nominibus exornent. His illa potentiora, quòd res plurimæ carent appellationibus, ut eas necesse sit transferre aut circumire, etiam in ijs quæ denominata sunt, summa paupertas in eadem nos frequentissime reuoluit: at illis non uerborum modò, sed linguarum etiam inter se differentium copia est. Quare qui à Latinis exigit illam gratiã sermonis Attici, det mihi in loquendo eandem iucunditatem & parem copiam: Quod si negatum est, sententias aptabimus ijs uocibus quas habemus, nec rerum nimiam tenuitatem, ut non dicam pinguioribus, fortioribus certe uerbis miscebimus, ne uirtus utraq; pereat ipsa confusione. Nam quo minus adiuuat sermo, rerum inuen-

inuentione pugnandum est. Sensus sublimes uariisq; eruantur. Permouendi omnes affectus erunt. Oratio translationum nitore illuminanda est. Non possumus esse tam graciles? simus fortiores. Subtilitate uincimur? ualeamus pondere. Proprietatis penes illos est certior copia? uincamus ingenio. Græcorum etiam minora suos portus habent, nos plerunq; maioribus uelis moueamur, ualidior spiritus sinus nostros tendat, non tamen alto semper feremur: nam & littora interim sequenda sunt. Illis facilis per quælibet uada accessus, ego aliquid non multo tamen altius in quo mea cymba non considat inueniam. Neq; enim si tenuiora hæc ac pressiora Græci melius, in eoq; uincimur solo, & ideo in comœdijs non contendimus, prorsus tamen nõ omittenda pars hæc orationis, sed exigẽda, ut optime possumus, possumus autem rerum & modo & iudicio esse similes, uerborum gratia quam in ipsis non habemus, extrinsecus cõdenda est. An non in priuatis, & acutus, & non asper, & nõ indistinctus, & non supra modum elatus M. Tullius? non in M. Callidio insignis hæc uirtus? non Scipio, Lælius, Cato in eloquendo uelut Attici Romanorum fuerunt? Cui porrò non satis est quo esse melius nihil potest? Adhuc quidam nullam esse naturalem putant eloquentiam, nisi quæ sit quotidiano sermoni simillima, quo cum anucis, coniugibus, liberis, seruis loquimur, contenti promere animi uoluntatem, nihilq; accersiti & elaborati requirentes: quicquid huc sit adiectum, id esse affectationis, & ambitiosæ in loquendo iactantiæ, remotum à ueritate, fictumq; ipsorum gratia uerborum, quibus solum à natura sit officium attributum, seruire sensibus, sicut athletarum corpora etiamsi ualidiora fiant exercitatione, & lege quadã ciborum, nõ tamen esse naturalia, atq; ab illa specie quæ sit concessa hominibus, abhorrere. Quid enim inquiũt, attinet circuitu res ostẽdere, & translationibus, id est aut pluribus, aut alienis uerbis, cũ sua cuiq; sint assignata nomina? Deniq; antiquissimũ quenq; maxime secundũ naturam

turam dixisse contendunt, mox Poëtis similiores extitisse, etiam si parcius, simili tamen ratione falsa & impropria uirtutes ducentes. Qua in disputatione nonnihil ueri est, ideoq; non tam procul, quàm fit à quibusdam, recedendum à proprijs atq; communibus. Si quis tamen (ut in illo loco dixi compositionis) ad necessaria, quibus nihil minus est, aliquid melius adiecerit, non erit hac calumnia reprehendendus. Nam mihi aliam quandam uidetur habere naturam sermo uulgaris, aliam uiri eloquentis oratio: cui si res indicare modò satis esset, nihil ultra uerborum proprietatem elaboraret: sed cum debeat delectare, mouere, in plurimas animum audientis species impellere, utetur ijs quoq; adiutorijs, quæ ab eadem sunt nobis concessa natura. Nam & lacertos exercitatione constringere, & augere uires, & colorem trahere, naturale est. Ideoq; in omnibus gentibus alius alio facundior habetur, & eloquendo dulcis magis. Quod si nõ eueniret, omnes pares essent, & idem omnes deceret. At loquũtur, & seruant personarum discrimen, ita quo quisq; plus efficit dicendo, hoc magis secundum naturæ eloquentiam dicit. Quapropter ne illis quidem nimium repugno, qui dandum putant nonnihil esse temporibus atq; auribus, nitidius aliquid atq; affectatius postulantibus. Itaq; non solum ad priores Catonem Gracchosq;, sed ne ad hos quidem oratorem alligandum puto. Atq; id feciss̃e M. Tullium uideo, ut cum omnia utilitati, tum partem quandam delectationi daret, cum & ipsam se rem agere diceret (agebat autẽ maxime) litigatoris. Nam hoc ipso proderat, quòd placebat. Ad cuius uoluptates nihil equidem quod addi possit inuenio, ne si sensus nos quidem dicamus plures. Neque enim fieri potest salua tractatione causæ, & dicendi autoritate, si crebra hæc lumina & continua fuerint, ut non inuicẽ offecerint. Sed ne hactenus cedentem nemo insequatur ultrà, do tempori, ne crassa toga sit, non serica, ne intonsum caput, nõ in gradus atq; anulos totum comptum, cum in eo qui se non ad luxuriam

riam, ac libidinem referat, eadem speciosiora quoq; sint, quæ honestiora. Cæterum hoc quod uulgò sententias uocamus (ueteribus, præcipueq; Græcis, in usu non fuit: apud Ciceronem inuenio) dum rem contineãt, & copia non redundent, & ad uictoriam spectent, quis utile neget? Feriunt animum, & uno ictu frequenter impellunt, & ipsa breuitate magis hærẽt, & dictione persuadent. Ac sunt qui hæc excitatiora lumina etiam si dicere permittant, à componendis tamen orationibus excludenda arbitrentur. Quocirca mihi ne hic quidem locus intactus est omittendus, quòd plures eruditorum aliam esse dicendi rationem, aliam scribendi putauerunt: ideoq; in agendo clarissimos quosdam nihil posteritati mansurisq; mox literis reliquisse, ut Periclem & Demadem. Rursus alios ad componendum optimos, actionibus idoneos non fuisse, ut Isocratem. Præterea in agendo plus impetus posse plerunq;, & petitas uel paulò licentius uoluptates. Commouendos enim esse, docẽdosq; animos imperitorum. At quod libris dedicatur, & in exemplũ editur, tersum ac limatum, & ad legem ac regulam compositũ esse oportere, quia ueniat in manus doctorum, & iudices artis habeat artifices. Quin illi subtiles, ut similes, ac multi persuaserunt magistri παράδειγμα dicendo, ἐνθύμημα scribendo esse altius tradiderunt. Mihi unum atq; idem uidetur bene dicere, ac bene scribere, neq; aliud esse oratio scripta, quàm monimentum actionis habitæ. Itaq; nullas non (ut opinor) debet habere uirtutes, non dico nulla uitia: nam imperitis placere aliquando quæ uitiosa sunt scio. Quo differrent igitur? quòd si mihi des concilium iudicum sapientum, perquam multa recidam ex orationibus, nõ Ciceronis modò, sed etiam eius qui est strictior multò, Demosthenis. Neq; enim affectus omnino mouendi erunt, nec aures delectatione mulcendæ, cum etiam proœmia superuacua esse apud tales Aristoteles existimet. Non enim trahentur his illis sapientes: proprie & significanter rem indicare, probatione colli-

gere ſatis eſt. Cum uero iudex detur aut populus, aut ex populo, laturiq; ſententiam indocti ſæpius, atq; interim ruſtici, omnia quæ ad obtinendum quod intendimus, prodeſſe credemus, adhibenda ſunt, eaq; etiam cum dicimus promenda, & cum ſcribimus, ut doceamus quomodo dici oporteat. An Demoſthenem male ſic egiſſe, ut ſcripſit, aut Ciceronem, aut eos præſtantiſſimos oratores alia quàm ſcriptis cognoſcimus? Melius egerunt igitur an peius? Nam ſi peius, ſic potius oportuit dici ut ſcripſerunt: ſi melius, ſic oportuit ſcribi ut dixerunt. Quid ergo? ſemper ſic aget orator ut ſcribit? ſi licebit, ſemper: quòd ſi impediant breuitate tempora à iudice data, multum ex eo quod potuit dici recidetur, editio habebit omnia. Quæ autem ſecundum naturam iudicantium dicta ſunt, non ita poſteris tradentur, ne uideantur propoſiti fuiſſe non temporis: nam id quoque plurimum refert, quo modo iudex audire uelit, atque ei uultus ſæpe ipſe rectus eſt dicentis, ut Cicero præcepit. Ideoq; inſtandum iis quæ placere intellexeris, reſiliendum ab iis quæ non recipientur. Sermo ipſe qui facile iudicem doceat, optandus. Nec id mirum ſit, cum etiam teſtium perſonis aliqua mutentur. Prudenter enim, qui cum interrogaſſet ruſticum teſtem, an Amphionа noſſet: negante eo, detraxit aſpirationem, breuiauitq; ſecundã eius nominis ſyllabam, & ille eum ſic optime norat. Huiuſmodi caſus efficiunt, ut aliquando dicatur aliter quàm ſcribitur, cum dicere quomodo ſcribendum eſt, non licet. Altera eſt diuiſio, quæ in tres partes & ipſa deſcendit, qua diſcerni poſſe etiam recte dicendi genera inter ſe uidentur. Nanque unum ſubtile, quod ἰσχνὸν uocant: alterum grande atq; robuſtum, quod conſtituunt ἀδρὸν, tertium alij medium ex duobus, alij floridum, nanque id ἀνθηρὸν appellant, addiderunt, quorum tamen ea fe-
*admonendi rè ratio eſt, ut primum docendi, ſecundum * mouendi, tertium illud utrocunq; nomine delectandi, ſiue aliud interconciliandi præſtare uidetur officium. In docendo autẽ acumen, n intercõciliando

ciliando lenitas, in mouendo grauitas uideatur. Itaq; illo ſubtili præcipue ratio narrandi probandiq; conſiſtet, ſed quod etiam detractis cæteris uirtutibus ſuo genere plenum. Medius hic modus, & translationibus crebrior, & figuris erit iucundior, egreſſionibus amœnus, compoſitione aptus, ſententijs dulcis, lenior tamen, ut amnis lucidus quidam, & uirentibus utrinq; ſyluis inumbratus. At ille qui ſaxa deuoluat, & pontem indignetur, & ripas ſibi faciat, multus & torrens iudicem uel nitentem contrà feret, cogetq; ire quà rapit. Hic orator & defunctos excitabit, ut Appium Cæcum, apud hunc & patria ipſa exclamabit, aliquandoq; Ciceronem in oratione cõtra Catilinam in ſenatu alloquetur. Hic & amplificationibus extollet orationem, & ui ſuperlationum quoque eriget. Quæ charybdis tam uorax? & oceanus mediusfidius ipſe. Nota ſunt enim iam ſtudioſis hæc lumina. Hic deos ipſos in congreſſum propè ſuum ſermonemq; deducet: Vos enim Albani tumuli atque luci: Vos, inquam, Albanorum obrutæ aræ, ſacrorum Populi Romani ſociæ & æquales. Hic iram, hic miſericordiam inſpirabit. Hic dicet, Te uidit, & fleuit, & appellauit, & per omnes affectus tractatur. Hic itaque illuc ſequetur, nec doceri deſiderabit. Quare ſi ex tribus his generibus neceſſariò ſit eligendum unum, quis dubitet hoc præferre omnibus, & ualidiſſimum alioqui, & maximis quibuſque cauſis accommodatiſſimum? Nam & Homerus breuem quidem cum animi iucunditate, & propriam (id enim eſt non errare uerbis) & carentem ſuperuacuis eloquentiam Menelao dedit, quæ ſunt uirtutes generis illius primi. Et ex ore Neſtoris dixit dulciorem melle profluere ſermonem, qua certe delectatione nihil fingi maius poteſt. Sed ſummam aggreſſus, ut in Vlyſſe, facundiam, magnitudinem illi iunxit, cui orationem niuibus hybernis, & copia uerborum, atque impetu parem tribuit. Cum hoc igitur nemo mortalium contendet, hunc ut deum homines intuebuntur.

Hanc uim & celeritatem in Pericle miratur Eupolis, hanc fulminibus Aristophanes comparat, hæc est uera dicendi facultas. Sed neque his tribus quasi formis inclusa eloquentia est. Nam ut inter gracile, ualidumq;, tertium aliquid constitutum est, ita horum interualla sunt. Atque inter hæc ipsa mixtum quiddam ex duobus medium est eorum. Nam & subtili plenius aliquid atque subtilius, & uehementi remissius, atque uehementius inuenitur, ut illud lene aut ascendit ad fortiora, aut ad tenuiora summittitur, ac sic propè innumerabiles species reperiuntur, quæ utique aliquo momento inter se differant, sicut quatuor generaliter uentos à totidem mundi cardinibus accepimus flare, cum interim plurimi medij eorum, uarietate regionum ac fluminum proprie deprehendantur. Eademq; musicis ratio est, qui cum in cithara quinq; constituerunt sonos, plurima deinde uarietate complent spatia illa neruorum, atq; ijs quos interposuerunt, inserunt alios, ut pauci illi transitus multos gradus habeant. Plures igitur etiam eloquentiæ facies, sed stultissimum quærere ad quam recturus se sit orator: cùm omnis species, quæ modò recta est, habeat usum, atque id ipsum omne sit oratoris, quod uulgò genus dicendi uocant. Vtetur enim ut res exiget omnibus, nec pro causa modò, sed & pro partibus causæ. Nam ut non eodem modo pro reo capitis, & in certamine hæreditatis, & de interdictis ac sponsionibus, & de certa re credita dicet, sententiarum in senatu & concionum, & priuatorum consiliorum seruabit discrimina, uitam ex differentia personarum, locorum, temporumq; mutabit: ita in eadem oratione aliter conciliabit, non ex ijsdem partibus iram & misericordiam petet, alias ad docendum, alias ad mouendum adhibebit artes. Non unus color proœmij, narrationis, argumentorum, egressionis, perorationis seruabitur. Dicet idem grauiter, seuere, acriter, uehementer, concitate, copiosè, amare, comiter, remissè, subtiliter, blande, leniter, dulciter, breuiter, urbane: non

non ubiq; simul, sed ubicunq; par sibi fiet, tum id propter quod maxime repertus est usus orationis, ut dicat & utiliter, & ad efficiendum quod intendit, potenter: tum laudem quoq; nec doctorum modò, sed etiam uulgi consequetur. Falluntur enim plurimum, qui uitiosum & corruptum dicẽdi genus, quod aut uerborum licentia resultat, aut puerilibus sententiolis lasciuit, aut immodico tumore turgescit, aut inanibus locis bacchatur, aut casuris, si leuiter excutiantur, flosculis nitet, aut præcipitia pro sublimibus habet, aut specie libertatis insanit, magis existimant populare atq; plausibile. Quod quidem placere multis nec inficior, nec miror. Est enim iucundioris ac fauorabilis qualiscunq; eloquentiæ, & ducit animos naturali uoluptate uox omnis, neq; aliunde illi per fora atq; aggerem circuli, quod minus mirum est, quòd nulli non agentium parata uulgi corona est. Vbi uero quid exquisitius dictũ accidit auribus imperitorum, qualecunq; id, quod modo se ipsi posse desperent, habet admirationẽ: neq; immeritò, nam ne illud quidem facile est. Sed euanescunt hæc, atq; moriuntur comparatione meliorũ, ut lana tincta * fuco citra purpuram placet: at si conferas etiam lacernæ, conspectu melioris obruatur, ut Ouidius ait. Si uero iudicium his corruptis acrius adhibeas, ut buccinis purpuram, iam illud quod fefellerat, exuat mentitum colorem, & quadam uix enarrabili fœditate pallescat. Luceat igitur hæc citra solem, & ut quædam exigua animalia igniculi uidentur in tenebris. Denique mala multi probant, nemo improbat bona. Neque uero omnia ista de quibus locuti sumus, orator optime tantum, sed etiam facillime faciet. Neq; enim uis summa dicendi esset admiratione digna, si infelix usq; ad ultimum solicitudo persequitur, ac oratorem macerat & coquit, ægre uerba uertentem, & perpendẽdis coagmentandisq; eis intabescentem. Nitidus ille & sublimis & locuples, circumfluentibus undiq; eloquentiæ copijs imperat. Desinit enim in aduersa niti, qui peruenit in summũ. Scandenti

* buccino

circa ima labor est, cæterum quantum processeris mollietur dies & lætius solum. Et si hæc quoq; iam læuius suprema perseuerantibus studijs euaserit, inde fructus illaborati offerunt sese, & omnia sponte proueniunt, quæ tamen quotidie nisi decerpantur, arescunt. Sed & copia habet modum, sine quo nihil nec laudabile, nec salutare est, & nitor ille cultum uirilem, & inuentio iudicium. Sic erunt magna non nimia, sublimia nõ abrupta, fortia non temeraria, seuera non tristia, grauia non tarda, læta non luxuriosa, iucunda non dissoluta, plena non tumida. Similis in cæteris ratio est. Tutissima ferè per medium uia, quia utriusq; ultimum uitium est.

Quæ post finem studia. CAP. XI.

His dicendi uirtutibus usus orator in iudicijs, cõsilijs, concionibus, senatu, in omni deniq; officio boni ciuis, finem quoq; dignũ & optimo uiro, & opere sanctissimo faciet: non quia prodesse unquam satis sit, & illa mente atq; illa facultate prædito non conueniat operis pulcherrimi quamlongissimum tempus, sed quia decet hoc quoque prospicere, ne quid peius quàm fecerit, faciat. Neq; enim scientia modò constat orator, quæ augetur annis, sed uoce, latere, firmitate: quibus fractis, aut imminutis ætate seu ualetudine, cauendum est, ne quid in oratore summo desideretur, ne interfistat fatigatus, ne quæ dicet parum audiri sentiat, ne se * quærat priorem. Vidi ego longè omnium, quos mihi cognoscere contigit, summum oratorem, Domitium Afrum, ualde senem, quotidie aliquid ex ea, quam meruerat, autoritate perdentem, cum agente illo, quem principem fuisse quondam fori non erat dubium, alij (quod indignum uidebatur) riderent, alij erubescerent: quæ occasio illis fuit dicendi, malle eum deficere quàm desinere. Neque erant illa qualiacũq; mala, sed minora. Quare antequam in has ætatis ueniat insidias, receptui canet, & in portum integra naue perueniet: neq; enim minores eum cum id fecerit, studiorum fructus prosequentur.

*queratur

quentur. Aut ille monimenta rerum posteris, aut ut L. Crassus in libris Ciceronis destinabat, quærentibus tradet, aut eloquentiæ componet artem, aut pulcherrimis uitæ præceptis dignum os dabit. Frequentabunt uero eius domum optimi iuuenes more ueterum, & ueram dicendi uiam uelut ex oraculo petent. Hos ille formabit quasi eloquentiæ parens, & ut uetus gubernator, littora & portus, & quæ tempestatum signa, quid secundis flatibus, quid aduersis ratis poscat, docebit: non humanitatis solum communi ductus officio, sed amore quodam operis. Nemo enim minui uelit id, in quo maximus fuit. Quid porrò est honestius, quàm docere quod optime scias? Sic ad se Cælium deductum à patre Cicero profitetur, sic Pansam, Hircium, Dolabellam in morem præceptoris exercuit, quotidie dicens audiensq;. Ac nescio an eum tunc beatissimum credi oporteat fore, cum iam secretus & consecratus, liber inuidia, procul à contentionibus, famã in tuto collocarit, & sentiat uiuus eã, quæ post fata præstari magis solet, uenerationem, & quid apud posteros futurus sit uidebit. Cõscius sum mihi, quãtum mediocritate ualui, quæq; antea scierim, quæq; operis huiusce gratia potuerim inquirere, candide me atq; simpliciter in notitiam eorũ, si qui forte cognoscere uoluissent, protulisse, atq; id uiro bono satis est docuisse, quod scierit. Vereor tamẽ ne aut magna nimium uidear exigere, qui eundem uirum bonũ esse, & dicendi peritum uelim: aut multa, qui tot artibus in pueritia discendis morũ quoq; præcepta, & scientiam iuris ciuilis, præter ea quæ de eloquentia tradebantur, adiecerim: quæq; operi nostro necessaria esse crediderim, uelut pondus rei perhorrescant, ac desperent ante experimentum. Sed hi primum renuncient sibi, quanta sit *humani generis uis, quàm potens efficiendi quæ uelit, cũ maria transire, syderũ cursus numerosq; cognoscere, mundum ipsum penè dimetiri, minores sed difficiliores artes potuerint. Tum cogitẽt quantam rem petant, quamq; nullus sit hoc proposito præmio labor

*humani ingenij

labor recuſandus. Quod ſi mente conceperint, huic quoq; parti facilius accedent, ut ipſum iter, neq; imperuium, neq; ſaltem durum putent. Nam id quod prius, quodq; maius eſt, ut boni uiri ſimus, uoluntate maxime conſtat: quam qui uera fide induerit, facile eaſdem quæ uirtutem docent, artes accipiet. Neq; enim aut tam perplexa, aut tam numeroſa ſunt, quæ premunt, ut non paucorum admodum annorum intentione diſcantur: longam enim facit operam quòd repugnamus. Breuis eſt inſtitutio uitæ honeſtæ beatæq;, ſi credas. Natura enim nos ad mentẽ optimam genuit, adeoq; diſcere meliora uolentibus promptum eſt, ut uere intuenti mirum ſit illud magis, malos eſſe tam multos. Nam ut aqua piſcibus, ut ſicca terrenis, circumfuſus nobis ſpiritus uolucribus conuenit, ita certe facilius eſſe oportebat ſecundum naturam, quàm contra eam uiuere. Cætera uero etiam ſi ætatem noſtram non ſpatio ſenectutis, ſed tẽpore adoleſcentiæ metiamur, abũde multos ad diſcendũ annos habent. Omnia enim breuiora reddet ordo, & ratio, & modus. Sed culpa eſt in præceptoribus prima, libenter detinentibus puerum, partim cupiditate diutius exigendi mercedulas, partim ambitione, quo difficilius ſit quod pollicentur, partim etiã inſcitia tradendi uel negligẽtia. Proxima in nobis, qui morari in eo quod nouimus, quàm diſcere quæ nondum ſcimus, melius putamus. Nam ut de noſtris potiſſimum ſtudijs dicam, quid attinet tam multis annis, quàm in more eſt plurimorum (ut de his à quibus magna in hoc pars ætatis abſumitur, taceam) declamitare in ſchola, & tantũ laboris in rebus falſis conſumere, cũ ſatis ſit modico tempore imaginem ueri diſcriminis, & dicendi leges comperiſſe? Quod non dico, quia ſit unquam omittenda dicendi exercitatio, ſed quia nõ ſit una eius ſpecie conſeneſcendum. Cognoſcere enim & præcepta uiuendi perdiſcere, & in foro nos experiri potuimus, dum ſcholaſtici ſumus. Dicendi ratio talis, ut nõ multos annos poſcat: quælibet enim ex ijs artibus, quarum prius habui mentionem, in paucos libros

libros contrahi ſolet, adeò infinito ſpatio ac traditione opus non eſt. Reliqua eſt quæ uires citò facit conſuetudo, rerum cognitio quotidie creſcit, & tamen multorum ad eas librorum neceſſaria lectio eſt, quibus aut rerum exempla ab hiſtoricis, aut dicendi ab oratoribus petuntur. Philoſophorum quoque conſultorumq; opiniones, ſicuti alia, uelimus legere neceſſarium eſt. Quæ quidem poßumus omnia, ſed breue nobis tempus nos fecimus. Quantulum enim ſtudijs impertimur? Alias horas uanus ſalutandi labor, alias datum fabulis otium, alias ſpectacula, alias conuiuia trahunt. Adijce tot genera ludendi, & inſanam corporis curam. Trahat inde peregrinatio, rura, calculorũ anxiæ ſolicitudines, multæ cauſæ libidinum, & uinum, & flagitioſus omni genere uoluptatum animus, ne ea quidem tempora idonea, quæ ſuperſunt. Quæ ſi omnia ſtudijs impenderentur, iam nobis longa ætas, & abunde ſatis ad diſcendum ſpatia uiderentur, & diurna tantum computantibus tempora, & noctes, quarum bona pars omni ſomno longior eſt, adiuuarent. Nunc computamus annos, non quibus ſtuduimus, ſed quibus uiximus. Nec uero ſi geometræ & grammatici, cæterarumq; artium profeſſores omnem ſuam uitam, quamlibet longa fuerit, in ſingulis artibus conſumpſerunt, ſequitur ut plures quaſdam uitas, ad plura diſcenda deſideremus. Neque illi didicerunt hæc uſque in ſenectutem, ſed ea ſola didiciſſe contenti fuerunt, ac tot annos in utendo, non in percipiendo exhauſerunt. Cæterum ut de Homero taceam, in quo nullius non artis, aut perfecta, aut certe non dubia ueſtigia reperiuntur, ut Eleum Hippiam tranſeam, qui non liberalium modò diſciplinarum præſcientiam tulit, ſed ueſtem, & anulum, crepidaſq; quæ omnia manu ſua fecerat, in uſu habuit, atque ita ſe præparauit, ne cuius alterius ope egeret, neue ullius rei. Gorgias quoq; ſummæ ſenectutis id quærere audituros, de quo quiſque uellet, iubebat. Quæ tandem ars digna literis Platoni defuit? Quot ſeculis Ariſtoteles

Aristoteles didicit, ut non solum quæ ad philosophos atque oratores pertinent scientia complecteretur, sed animalium satorumq; naturas omnes perquireret? Illis enim hæc inuenienda fuerunt, nobis cognoscenda sunt. Tot nos præceptoribus, tot exemplis instruxit antiquitas, ut possit uideri nulla sorte nascendi ætas felicior quam nostra, cui docendæ priores elaborauerunt M. Censorius Cato idem orator, idem historiæ conditor, idem iuris, idem rerum rusticarum peritissimus fuit, inter tot operas militiæ, tantas domi contentiones, rudi seculo, literas Græcas ætate iam declinata didicit, ut esset hominibus documento, ea quoq; percipi posse quæ senes concupissent. Quàm multa, imò pene omnia tradidit Varro? Quod instrumentum dicendi M. Tullio defuit? Quid plura? cum etiam Cor. Celsus mediocri uir ingenio, non solum de his omnibus conscripserit artibus, sed amplius rei militaris, & rusticæ etiam, & medicinæ præcepta reliquerit? dignus uel ipso proposito, ut eum scisse omnia illa credamus. At perficere tantum opus arduum est, & nemo perfecit. Ante omnia sufficit ad exhortationem studiorum, non cadere in rerum naturam, ut quicquid non est factum, ne fieri quidem possit, cum omnia quæ magna sunt atq; admirabilia, tempus aliquod, quo primum efficerentur, habuerint. Quantum enim poesis ab Homero & Vergilio, tantum fastigium accepit eloquentia à Demosthene atque Cicerone. Denique quicquid est optimum, antè non fuerat. Verumetiam si quis summa desperet (quod cur faciat, cui ingenium, ualetudo, facultas, præceptor non deerunt?) tamen est, ut Cicero ait, pulchrum in secundis tertijsq; consistere. Neq; enim si quis Achillis gloriam in bellicis consequi non potest, Aiacis aut Diomedis laudem aspernabitur: neq; qui Homeri, non Tyrtei. Quinimo si hanc cogitationem homines habuissent, ut nemo se meliorẽ fore eo qui optimus fuisset, arbitraretur, hi ipsi qui sunt optimi, non fuissent. Neq; post Lucretium, ac Macrum Vergilius, neq;

neque post Craßum & Hortensium Cicero, sed nec alij postea uicerint. Verum ut transeundi spes non sit magna, tamen est dignitas subsequendi. An Pollio & Messala, qui iam Cicerone arcem tenente eloquentiæ agere cœperunt, parum in uita dignitatis habuerunt, parum ad posteros gloriæ tradiderunt? Alioqui peßime de rebus humanis perductæ in summum artes mererentur, si quod optimum fuisset, defuisset. Adde quòd magnos modica quoque eloquentia parit fructus: ac si quis hæc studia utilitate sola metiatur, penè illi perfectæ par est. Neq; erat difficile, uel ueteribus, uel nouis exemplis palàm facere, non aliunde maiores honores, opes, amicitias, laudem præsentem, futuram hominibus contigisse, si tamen dignum literis esset, ab opere pulcherrimo, cuius tractatus atque ipsa possessio plenissimam studijs gratiam refert, hanc minorem exigere mercedem, more eorum, qui à se non uirtutes, sed uoluptatem, quæ fit ex uirtutibus, peti dicunt. Ipsam igitur orandi maiestatem qua nihil dij immortales melius homini dederunt, & qua remota muta sunt omnia, & luce præsenti, & memoria posteritatis carent, toto animo petamus, nitamurq; semper ad optima, quod facientes aut euademus in summum, aut certe multos infra nos uidebimus.

Habes Marcelle Victori, quibus præcepta dicendi pro uirili parte adiuuari posse per nos uidebantur, quorum cognitio studiosis iuuenibus si nõ magnam utilitatem afferet, at certe, quod magis petimus, bonam uoluntatem.

M. FAB. QVINTILIANI ORATORIARVM INSTITVTIONVM FINIS.

E. Schumacher

INDEX EORVM

QVAE PRAECIPVA HABENTUR IN LIBRIS INSTITUTIONUM QUINTILIANI.

Abdicationũ duæ sunt formæ 338
Abstemius unde dicatur 44
Academici in utranq; partem disputant 568
Accentuum in Latinis nominibus ratio 29
Accij poëtæ laus 579
Accusatoris officium 323
Achillis clypeus qua pictura insignitus fuerit 102
Actionis quæstio 341
Acumen præcipue ualet in altercatione 303
Addicti qui dicantur 332
Adolescẽtibus aliquando parcendum 518
Aduocatus nõnunquam malæ causæ argumentum est 564
Aemulatio profectum alit. 17
Aenigmata 394
Aeolicæ rationi sermo noster est simillimus 40
Aeschinis laus 476
Aeschilus primus tragœdiam protulit 474
Aesopi fabulæ 30
Aetas nostra satis longa quibuslibet studijs 603
Aetas quæ studijs maxime acc̃omodata 9
Aetiologia 439
Affectuum diuisio, & quomodo sint mouendi 278
Affectuum mouendorum ratio 274
Afranij laus 480
Africani Iulij uires in dicendo 590
Ager ab agendo dictus à quibusdam 41
Aglaophon clarus pictor 589
Agrippa unde dictus 25
Albutij laus 98
Alcæi laus 474
Alcamenes statuarius 589
Allegoria omnibus seruit 392
Altercationis præcepta 301
Ambiguitas uitanda 358
Ambitio uirtutũ plerunq; causa est 17
Amicitiæ firmißimæ ineuntur in scholis 16

Amictus qualis fuerit ueteribus 553
Amphibologia, & eius ſpecies 346
Amplificationis ſpecies 375
Analogia 36
Analogia quæ ſit 244
Anaſtrophe 32. & 396
Andronicus Hypocrita præceptor pronunciationis Demoſthenis 532
Animus humanus ueluti ſitum ducit ex umbratili uita 16
Animorum origo cœleſtis creditur 7
An quid ſignificet 33
Antapodoſis 373
Anticategoria 321
Antimetabole 278
Antigoni imago ab Apelle picta 91
Antimachi genus dicendi & laus 474
Antipatris in carmine facilitas 504
Antiphilus clarus pictor 589
Antipophora 438
Antonius pronunciando multum potuit 532
Antonij perſona apud Ciceronem qualis 102
Apelles pictor præſtantiſſimus 589
Apodixis 220
Apollonius Molon præceptor Ciceronis 579
Apollonij laus 472
Apologi ab Aeſopo nomen habent 242
Apophaſis 413
Apoſtrophe 412
Apte quomodo dicamus 507
Arati poëtæ laus 473
Archiæ ĩ carmine facilitas 504
Archilochi laus 473
Argumentũ qd ſignificet 221
Argumẽtorum tractatus 220 & 245
Ariditas maxime uitanda in præceptore 70
Ariſtoteles præceptor Alexandri Magni petitus à Philippo 11
Ariſtotelis libri ad Theodectẽ quales 94
Ariſtotelis laus 477
Ariſtophanes comicus 474
Arrogantia magnos profectus perdidit 72
Ars an natura plus eloquẽtiæ conferat 108
Artis neceſſariam eſſe cognitionem 87
Artis modus quis ſit 90

Artem decor comitetur 442
Artium generalis diuiſio 107
Artorius Proculus 398
Aruſpex unde dicatur 44
Aſinij Pollionis laus 482
Aſiaticum genus dicendi 590
Aſinius Pollio & Ciceronem & Demoſthenem in aliquibus damnat 565
Aſpectus quis eſſe debeat dicentium 542
Aſſẽtio Siſẽna primus dixit 28
Aſſumptiua cauſa 335
Atticiſmus quis uerus ſit 591
Athenis actores mouere affectus uetabantur 99
Athenæus rhetoricen, artẽ fallendi dixit 96
Attacini Varronis laus 478
Atticus Græce ſcripſit de rhetorica 116
Attici nõ fuerunt admodũ ſtudioſi compoſitionis 464
Auguſtus Cæſar natus annos duodecim, auiam pro roſtris laudauit 578
Aut, quid ſignificet 33

B

Barbariſmi uitiũ quale 27
Baſſi Aufidij laus 481
Beneuolẽtiæ captandæ rõ 165
Bibaculi laus 479
Bipennis à pinna dicitur 23
Brachia orantium qualia 544
Breuitas quibus conſtet 156
Breuitas quæ laudetur 183
Bruti in dicendo grauitas 590
Bruti oratio pro Milone 140
Buſyridis laus 102

C

Cacoſyntheton 370
Cacozelon Ibidem
Cædendi mos in ſcholis impro batur 20
Cælius reus de ui 515
Cælij ingenium 482
Cælij indoles in dicendo 589
Cælij aſperitas 489
Cæſar ante quæſtoriã ætatem grauiſſimas cauſas egit 578
Cæſaris Iulij dictio 482
Cæſaris uis 489
Cæſaris de Analogia libri 47
Cæſij Baſſi laus 479
Caiæ in nuptialibus ſacris uocitatæ 46
Canopitarum exercitus apud Ciceronem 28
Caldum Auguſtus quàm calidum maluit 39
Calliditatis ſuſpicio fugien. 196
Callidij ſubtilitas 589
Callimachus prĩceps Ele. 473
Calon ſtatuarius 589

Caluus quædam damnauit in Cicerone 565
Caluus ante quæſtoriã grauiſſima iudicia ſuſcepit 578
Calui in dicẽdo ſanctitas 590
Calui iudicium 489
Canthus ferrum quo rotæ uinciuntur 27
Caput præcipuũ eſt in actione 542
Capſis unde componatur 35
C. Carbo etiam in tabernaculo ſolebat uti exercitatione dicendi 505
Carij Oratores 540
Carneades iniuſtitiã laudauit Romæ audiente Cẽſorio Catone 568
Caßij Seueri laus 482
Caßij acerbitas in dicẽdo 590
Caßij Seueri ioci aſperi 288
Catachreſis 391
Catius Epicureus 484
Cato cũ iuris tum dicendi peritißimus fuit 605
Catulus Ciceronis liber 136
Catulli laus 479
Cauſas agẽdi quod tempus ſit idoneum 578
Cauſarum genera quinq; 170
Cauſarũ tria ſunt genera 120
Chariſij orationes 475
Chriarum genera 50
Ceratinæ 52
Cethegus Suadæ medulla dictus eſt ab Ennio 94
Ceruix dicẽtiũ qualis ſit 544
Cicero carpitur 451
Cicero quando agere inceperit cauſas 579
Cicero in Aſia Apolloniũ Molonem audiuit 579
Cicero Bruto nõ uiſus eſt perfectus 565
Cicero quare tam longa toga ſit uſus 554
Cicero Xenophontis libros tranſtulit 496
Cicero in rhetoricis ſecutus eſt Hermagoram 161
Cicero aliquot editos libros ſuos ipſe damnauit 136
Cic. arrogãtia laborauit 510
Cicero quæſtionibus infinitis ſe exercebat etiã tũ cũ princeps in Republica eſſet 498
Cicero quando legendus 79
Cicero Platonis libros aliquot tranſtulit 496
Ciceronis oratio cœpit canescere 512
Ciceronis oratio pro Milone nobiliſſima omnium 538
Ciceronis carmina 511

Cicer

Ciceronis laus 441
Ciceronis inſolentes quædam uoces 511
Ciceroni modus defuit captandi riſus 284
Cinna Smyrnam nouem annis ſcripſit 496
Ciuilis ſcientia quæ 98
Claſſes inſtitutæ in ſcholis 17
Clauſula quæ ſit 382
Clitarchi hiſtorici laus 476
Cluentij cauſa quomodo tractata à Cicerone 104
Cœlibes quaſi cœlites dicti ſunt 41
Cœniſmus 371
Cogitationis fructus 500
Collum orantis 544
Comœdiæ antiquæ laus 474
Comœdiæ maxime eloquẽtiæ cõferunt, earumq; laudes 48
Cõmunicatio q̃ dicatur 409
Cõpoſitio in oratione eſt qd' in poëmate uerſificatio 459
Compoſitionis ratio 441
Compoſitiones nominum 34
Cõcluſionis ſiue perorationis uirtutes 269
Cõiecturam à cõiectu dici 133
Coniectura de quibus rebus ſit 318
Conſilium quid ſit 305
Conſiſtere in ſecũdis tertijs q̃q; nonnunquam ſatis eſt 605
Cõſtitutio quibus reb. fiat 335
Conſulere quid olim ſignificauerit 41
Conſuetudo quid poßit in ratione loquendi 36. & 42
Copia uerborũ quomodo paranda 464
Corax antiquißimus rhetoricæ artis ſcriptor 115
Cornelius Rufinus factus conſul à Fabricio 568
Cornelij Seueri laus 478
Cornelij Celſi cõſilium in ſcribendo 483
Cornelij cauſa à Cicerone perorata 362
Cornelia mater Gracchorum eloquentiam contulit filijs 8
Cornua in Rom. exercitu quid agant 54
Craſſus diues quinque Græci ſermonis differentias optime tenuit 530
Craßi pronunciatio 532
Craßi uox erga Philippũ 513
Crates pædagogum percußit, cum indoctum puerum uideret 51
Cratinus comicus 474
Credibilium genera tria 222

Crispi iucunditas 590
Criticorum officium 21
Crocodilinæ 52
Cum, uarie apud ueteres scriptum 43
Cupidinis arma 74
Cyrus omnium militum tenuit nomina 531

D

Decebit aliud alios 513
Declamandi ratio & utilitas 85
Declamatoribus quid sit obseruandum 154. & seq.
Declamationum utilitas 498
Declamationũ ratio præ omnibus cõstare debet puero 24
Decori obseruatio 508
Deliberatiuum genus remotũ sit ab omni affectatione 155
Deliberatiui siue suasorij generis ratio 146
Deliberatiua causa concionalis dicitur 120
Demetrius Phalereus uersicolori ueste usus 470
Demetrij Phalerei laus 476
Demõstratiuum genus quale, & quibus constet 142
Demonstratiuum genus 122
Demonstratiui generis numeri 461
Demosthenes admodũ puer pupillares actiões habuit 578
Demosthenes lex orãdi 476
Demosthenes ꝙ litera laborauit 58
Demosthenes spondeis plurimum est usus 456
Demosthenes nõ uidetur satis perfectus ipsi Ciceroni 565
Demosthenes in littore meditans consuescebat ferre concionum fluctus 495
Demosthenes nõnunquã uidetur Ciceroni dormitare 468
Demosthenis de pronũtiatione iudicium 532
Demosthenis uis 481
Demosthenes actionẽ cõponebat ad grande speculũ 542
Deprecatio ubi locum habeat 251
Deprecationem quidã negant uspiã in iudiciũ uenire 336
Deteriora ptinacius hærent 8
Dialogi 411
Dialectica disputatrix 571
Dialectica cõpressæ manui similis est 110
Diallage 423. & 432
Dicere caput est artis 552
Dicere & facere sciat præceptor 70

Dicacitas scurrilis absit à iocis 288
Dicendi multa genera 471. & 589
Dicendi maximũ uitium à uulgari ratione discedere 355
Dicendi ratio quibus cõtineatur 123
Didymus plurima scripsit 49
Diæresis 28
Dinosis 375
Dis unde dicatur 41
Disci possunt multa eodẽ tempore 61
Discipuli contulerunt seuerissimis quibusq; præceptoribus aliquid ad uictum 584
Discipulorum officium 84
Discobolus Myronis 91
Dispositionis uirtus 308
Dissimile qbus modis fiat 239
Distinguendæ orationis uirtus 542
Diuinatio in iudicijs quæ dicatur 158
Diuisio 80
Diuitiæ morum experimenta exhibent 144
Docilitas quomodo concilietur 169
Domitij Afri ingenium 483
Domitij Afri ioci lenes 288
Domitij Afri libri de testibus 211
Domitij Afri in dicendo maturitas 590
Dualis numerus apud Latinos 32
Duapõdo cuiusmodi uerbũ 27

E

Literæ sonus 446
Edisc̃edũ quatenus sit 80
Egesias clarus statuarius 589
Egressionis rõ, & modus 197
Elemẽta decẽ Aristotelis 129
Elementa prima quemadmodũ docenda sint 8
Eliminat uerbum 365
Ellipsis 32
Elocutionis, siue phrasis ratio 356
Eloquentia cupit esse speciosa & locuples 264
Eloquentiæ genus aliud alios decet 511
Eloquentiæ maxima pars animo constat 18
Emendationis modus 495
Emendationis seueritas atterit ingenia puerilia 69
Empedocles carmine philosophiam est complexus 21
Emphasis ĩter figuras est 417
Emphasis in uulgaribus uer-

bis 333
Energia 370
Ennius suauiloquẽti ore dicit Cethegum fuisse 535
Ennij laus 478
Enthymema rhetoricus est syllogismus 57
Epanalepsis 369
Ephori historici laus 476
Epichirema quid sit 220
Epichirema quibus cõstet, & quomodo refellatur 220
Epicurus disciplinas omnes fugit 103
Epitheton figura potius est q̃ tropus 398
Epitheta 392
Epiphonema qd̃ dicatur 382
Eriphylus Rhodius ad uerbũ retulit in agendo quæ cogitauerat 501
Essentia Flauij 92
Ethica tota est oratoris 569
Ethopœia 416
Ethos 280
Etymologia 40
Euidentiam quidam narrationi subijciunt 186
Euphoniæ quãta cura esse debeat 26
Euphorionis laus 473
Euphranor pictor clarus 589
Eupolis comicus 474
Euripidis laus 474
Eurhythmia necessaria oratori 55
Ex præpositio quã in compositione uim habeat 43
Exclamatio 410
Exempla quid poßint in oratione, & quomodo tractentur ab oratore 239
Exercitationes quales fuerint ueteribus studiosis eloquentiæ 65
Exercitatiões primæ apud rhetorem quales sint 70
Exordij rhetorici ratio & usus 165
Exordiorum uitia 175
Expectorat uerbũ uetus 366
Extemporalis facundia quomodo paretur 501

F

FAcetũ quid dicatur 286
Fama quomodo tractetur ab oratore 208
Fauces quales esse debeãt oratori 533
Fiduciam præ se ferat orator 238
Figuræ uerborum 424
Figuræ à tropis qd differ. 398
Figuratæ cõtrouersiæ quæ dicantur 400
Finitio quando locum habeat, & quomodo tractetur, quibusq; constet 328
Finitiõi q̃ sint necessaria 228
Finitæ causæ 123
Firmamentũ causæ qd̃ sit 160
Frugi unde quis dicatur 40
Funebres conciones quales sint 556

G

GAlbæ ioci lasciui 288
Galli laus 479
Geminatio uerborũ quam uim habeat 403
Geometria oratori necessaria 56
Germanici Cæsaris laus 478
Gestus institutio & ratio cuiusmodi 59
Gladiatorũ secũdæ manus 299
Glossemata quid significãt 49
Gorgiæ Leontini longißima ætas 115
Gracchus in deflẽda matre cõcitauit totius populi Rom. lachrymas 532
Gracchi fistula præcentrix 55
Graculi unde dicti sint 42
Gradatio 433
Græca eloquentia quibus rebus sit dulcior 592
Græca præcedere debent Latina 9
Grammatica Musicæ subiecta est 53
Grammaticæ officium, & diuisio 28
Grammatici officium 50
Grammatico opus est plurium artium cognitio 51
Gurdus Hispanicum nomen est 34

H

HLitera cuiusmodi sit 29
Hebetiores perinde sunt ut monstrosi 7
Here dictum, pro heri, ætate Quintiliani 45
Herodotus cuiusmodi autor, & qualis eius cõpositio 443
Herodoti laus 476
Hesiodus primus autor apologorum 242
Hesiodi laus 472
Hexametri finis male claudit orationem 449
Historia alit orationẽ tanquã succo, & eius usus 469
Historiæ multi præclari scriptores 475
Historiæ Græcæ fabulis sunt similes 73
Historiarũ enarratio quomodo

do utilis sit pueris 49
Historiarum cognitio necessaria est oratori 576
Historici quomodo legẽdi 77
Hippocrates quosdam errores suos ipse prodidit 135
Homerus uidetur nõnunquam dormitare Horatio 468
Homerus auspicium faciat pueris in scholis 47
Homerus primus legatur 471
Homeri principia 170
Homœologia 369
Homœoptoton 437
Hominis laus cuiusmodi 143
Hominum officium quod sit 8
Horatius in quibusdam nõ est interpretandus 48
Horatij laus 479
Hortensius in agendo ad uerbum retulit quod cogitauerat 500
Hortensij pronuntiatio 532
Hortensij filiæ oratio apud Cẽtumuiros habita 8
Humeri quales sint dicentium 544
Hyperbole 396
Hyperbaton figura est potius quàm tropus 32.& 399
Hyperidis laus 476
Hypotheses 127
Hypotyposis 412

I

ILiteræ sonus 446
Iambicum carmen à Romanis non admodum celebratum fuit 479
Imitatio arti subiecta est 123
Imitatio transit in mores 60
Imitatio 485
Infantia quædam est etiam studijs 10
Infinitæ causæ quæ 123
Ingenia puerorum quomodo cognoscantur 18
Ingeniosiores quare ineruditi habeantur 88
Insinuatione quando utendum 171
Iocus quid sit 287
Iocus inhumanus est aduersus miseros 289
Ironia 413
Isocratis iucunditas 481
Isocratis Panegyricus decem annis elaboratus 496
Isocratis laus 476
Isocratis schola principes eloquentiæ dedit 591
Isocolon 437
Iudicium consuetudini necessarium est 42
Iudicium inuentioni subijcitur 118
Iudicium quid sit 305
Iudicialium controuersiarum genera 158
Iudicatio quæ dicatur 159
Iugeri mensura 58
Iulius Florus in Gallijs eloquẽtiam docuit 491
Iulij Africani laus 483
Iulij Secundi laus ibidem
Iunctura quibus constet 445
Iunij Baßi ioci contumeliosi 288
Ius triplex est 75
Iuris ciuilis scientia necessaria oratori 571
Iusiurandum 209
Iustum duabus rebus absoluitur 334

L

LAbia dicentium quid agant 544
Lacedæmonij saltationẽ quãdã tanquã ad bella utilem habuerunt inter exercitationes 61
Lacedæmonij eloquentiam urbe expulerunt 100
Lacedæmoniorũ exercitus inflammatur musicis modis ad prælium 53
Lachrymæ citißime inarescũt 273
Lælius filiam suam eloquentia imbuit 8
Latera cum gestu consentiant 550
Laus discendi studium excitat 503
Laudãdæ rei cuiusq; ratio 143
Lectio pueri qualis sit 47
Legendi qui primi sint 79
Legum natura 341
Legum contrariarum tractatio 343
Legum laus magnas eloquentiæ uires desiderat 75
Legum ferẽdarum institutum apud Græcos & Latinos 75
Lentulus opinionem eloquentiæ consecutus est pronunciatione sola 532
Leonides Alexandrũ quibusdam uitijs imbuit 9
Libertini ex seruis fiunt 228
Licinij ĩ carmine facilitas 502
Linus musicus & eius laus 52
Literarum potestas 22
Literarum usum Plato obstare memoriæ dixit 524
Liuij iudicium de his qui legẽdi sunt 470
Liuius pueris magis prodest, quàm Sallustius 79
Liuius hexametri exordio orsus

ſus eſt librum ſuum 452
Liuij Patauini laus 480
Liuij lactea ubertas 469
Loci argumentorum 222
Loci artificioſæ memoriæ quales ſint 526
Lodex maſculino genere uſurpata à Pollione 42
Logodædali 115
Lucani laus 478
Lucilius reprehenditur 37
Lucilij laus 479
Lucretij poëtæ laus 478
Lucullus Ciceronis liber 136
Ludus unde dicatur 41
Lupercalia unde dicta ſint 35
Luſus in pueris alacritatis ſignum eſt 19
Lycij oratores 540
Lycurgus muſicam probauit legibus 53
Lyra circũlata in cœnis 54
Lyſiæ laus 476
Lyſiæ oratio oblata Socr. 97
Lyſippus clarus ſtatuarius 588

M

MAcrologia 369
Malorũ accuſationes interſunt Reipub. 583
Manus dicentium quid agant 544
Manus cum ſenſu incipiũt & deſinunt 547
Mappa punicũ nomen eſt 33
Marcipores unde dicti ſint 25
Maſtruga Sardum nomen 27
Mater quando contra filium ſtare poſſit 526
Mehe pro me uteres dixerũt 29
Melanthius clarus pictor 589
Melos quid ſit 54
Memoria, & quibus rebus paretur 522
Memoria præcipuum ſignum eſt ingenij 18
Menander poſterorũ iudicia æquiora eſt adſecutus quàm uiuentium 144
Menandri laus 475
Mendax memor ſit 191
Mendaciũ dicit aliquando bonus uir 568
Mentis humanæ natura & conditio 509
Mentum orantis 544
Meſſalæ ingenium 482
Meſſalæ ĩ dicẽdo dignitas 590
Meſſalæ liber de literis 45. & 47
Metabole 430
Metalepſis 391
Metaphora 388
Metaſtaſis 412

Meto

Metonymia 431
Metrodorus in agendo ad uerbum retulit quæ cogitauerat 500
Metrum quid ſit 54
Metus nonnunquã adhibẽdus & amouendus pro cauſæ ratione 281
Metus in peroratione habet plus q̃ in proœmio loci 271
Milonis conſilium in uitulo ferendo 51
Mimeſis 415
Minerua Athenis à Phidia fabrefacta 589
Mioſis uitanda 368
Mithridates XXII linguas calluit 530
Modeſtia plurimũ autoritatis & fidei patrono cõciliat 586
Molli articulo tractare 518
Monoſyllaba plura male cõtinuantur 447
Morũ curã oportere eſſe oratoribus præcipuam 569
Mundum Pythagoras compoſitum eſſe dixit harmonica ratione 53
Muſica, & eius laudes 52
Myron ſtatuarius 589

N

NAres quales dicentium ſint 544
Narratio quid ſit 181
Narrationis rõ & modus 176
Narrationum tres ſunt ſpecies 70
Negãdi duplex forma eſt 251
Ne, quid ſignificet 33
Neſcire aliqua inter uirtutes eſt grammatici 50
Nicoſtratus luctando, pugnando q̃; uictor 84
Noëma 381
Nomina propria in o 34
Non à ne aliud ſignificat 33
Nothus qui dicatur 140
Numero quædam ualent 251
Nutrices Chryſippus optimas iubet eligi 8
Nutricum cantilenæ 56

O

OBſcœnitas oĩs fug. 288
Obſcuritas quibus rebus fiat 358
Oculorũ geſtus in actiõe 543
Olympius Iupiter factus à Phidia 589
Onomatopœia 36. & 390
Opiter unde dicatur 25
Oratio mores profert 512
Oratio quibus conſtet 352
Oratio regina rerum dicitur à Sophocle 64

Orationis

Orationis uirtutes & uitia quæ 26
Orationis partes 24
Orator quid obseruet in suscipiendis causis 580
Orator non est nisi uir bonus 562
Orator uerus cuiusmodi esse debeat 6
Oratoris officium 352
Oratoris instrumenta quæ sint 577
Oratores quomõ legendi 77
Oratorũ ueterũ præcipui 476
Ordo tribus momentis constat 229
Ornatus 360
Orpheus saxa lyra duxit 52
Orthoëpia 30
Orthographia 43
Os oratoris quale sit 540
Ouidij laus 478
Ouidij Metamorphosis qualis sit 176

P

PAcuuij laus 479
Pædagogi quales esse debeant 8
Pamphilus pictor 589
Palæmon ætate Quintiliani fuit 24
Panegyrici plus cultus admittunt 86
Panyasis laus 472
Parabola 241
Paroemia 394
Paradiastole 434
Paradiegises 424
Paradoxum 409
Parẽtes quales esse oporteat 8
Parenthesis 428
Parricidas quos uocemus 390
Paranomasia 434
Parrhasius clarus pictor lineas subtilißime examinauit 588
Partes orationis quot sint numeratæ 24
Partitio quæ sit apud rhetores 201
Patauinitatem Pollio reprehendit in Liuio 34.& 356
Pathos 280
Patroni & accusatoris distantia 250
Pauli L. oratio de lunæ defectione 59
Pectus disertos facit 503
Pedum supplosio frequens inepta est 551
Pedonis laus 478
Pepigi uerbũ defenditur à Fabio 37
Peregrini murum ascendentes mulctantur morte 200

Pericles obscuratione solis territos Athenienses liberauit metu 59
Pericles optabat ne sibi ullum uerbũ in os ueniret quo populus offenderetur 586
Periergia 369
Periodi nomina multa 460
Periphrasis figura 394.398
Periphrasis figura est potius quàm tropus 499
Perissologia 395
Persij laus 479
Personis quæ accidant 222
Perspicuitas summa orationis uirtus est 70.& 356
Petoritum Gallicum est nomen 34
Phantasiæ tractatio 283
Phidias statuarius, & eius opera 589
Phidias Iouem expoliuit 69
Philætas elegiographus 473
Philemon comicus 475
Philisti historici laus ibidem
Philosophiæ cognitio necessaria oratori est 572
Phrygio excitamur 57
Pictores clari 588
Pilarij in scenis 503
Pindarus Lyricorũ princeps 473
Pituita quia petat uitam 41
Plancus Stoicus 484
Plato Pythagoreos & Aegyptiorum sacerdotes discendi gratia adijt 63
Platonis copia 481
Platonis laus 477
Platonis dialogi 205
Plautus & eius laus 480
Pleonasmus 369.& 431
Plinij secundi error de toga Ciceronis 554
Poëtæ non per omnia sunt oratori sequendi 469
Poëtarum lectio quid conferat 468
Pollio ieiunus fuit 487
Pollio ante quæstoriam ætatẽ grauißimas causas egit 578
Pollionis diligentia 590
Polycletus statuarius 589
Polygnotus clarus pictor 588
Pomponij Secundi laus 480
Portius Latro primus clari nominis professor fuit 499
Præceptor quidã in Liuio docebat obscurare discipulos quæ dicerent 359
Præceptoris uirtus maxima est, ut discrimina ingeniorũ notet 82
Præceptoris uultus contuendus

dus à discentibus 68
Præceptore an protinus optimo intendum sit ibidem
Præceptores temperare uires suas ad intellectum discentiũ debent 17
Præceptores Latini cœperunt temporibus L. Crassi 76
Præceptorum officium & mores 72
Præcocia ingenia cuiusmodi 19
Præiudicia quomodo tractentur 207
Præmiorum tractatio 355
Pragmatici apd' oratores 575
Praxiteles clarus statuarius 389
Probationes artificiales 215
Probatiões inartificiales apud rhetores quæ dicantur 205
Probationes patheticæ 246
Probationum quadruplex ratio 216
Profectus diligentia cõstat 81
Pronũciatio prĩa qualis sit 59
Pronunciatio ornata quæ 537
Pronũciatio tria præstare debet 555
Pronunciationis quantum sit momentum 531
Proœmium unde dicatur, & eius usus 165
Propertij laus 479
Propositionis usus in oratione 199
Propositione aliquãdo aduersarij utendum 310
Proprium quid dicatur 228
Propria uerba quæ dicãtur 36
Prosopopœiæ 159. & 410
Protogenes pictor quibus rebus excelluerit ĩ pictura 589
Prouerbia uim nonnunquam habent iocorum 299
Pudor ad dicendum stimulos addit 504
Pueri instituendi secundum naturam 82
Puerorum natura laboris est patientior 61
Pueris eloquẽtiæ studiosis quæ sint maxime uitia uitãda 79
Pueris non est acerbe instandum 10
Pyrrhichius pes cuiusmodi 463
Pythagoras primus philosophum se dixit 565
Pythagoræ delatum: Ipse dixit 511
Pyxides quas appellemus 391

Q

QVæstio quid sit 159
Quæstio omnis aut in re aut persona est 216
Quæstionum species 353
Quæstus nulla iustior ratio q̃ ex officio præceptoris 384
Qualitas 333
Quantitas 340
Quase dixit Liuius non quasi 45
Quintilianus præceptor nepotum Domitiani fuit 75
Quintiliani consilium in toto libro 7
Quintiliani liber de causis corruptæ eloquentiæ 266
Quintiliani liberi mortui superstite patre 267

R

RAbirij laus 478
Ratio quæ sit 159
Rebus accidẽtia quæ sint 224
Refutatio quæ sit, & ubi locũ habeat 250
Rerumpublicarum tres sunt formæ 229
Rheda Gallicũ est nomen 34
Rhetoricæ initium 117
Rhetorica an sit uirtus 109
Rhetorica ad q̃d sit utilis 99
Rhetorica explicitæ manui est similis ex sẽtẽtia Zenonis 110
Rhetorice an sit ars 101
Rhetorice quid sit, & eius finis 93
Rhetorices materia q̃ sit 110
Rhetorice quemadmodum uerti latine non possit 92
Rhetoricæ artis scriptores qui fuerint 114
Rhetoricæ quinq; partes sunt 118
Rhetoricam quidam naturalem crediderunt. 101
Rhetoris instrumenta 113
Rhetori quando tradendus sit puer 64
Rhodium dicendi genus 591
Rhythmus quid sit 54
Risus captatio quãdo fieri debeat 284
Romanis summum crimen luxuria fuit 145
Rumor quomodo tractandus sit à Rhetore 208
Rutilij P. exiliũ sub Sylla 509

S

SAlcij Bassi laus 478
Saliorum saltatio quare instituta 61
Sallustius Thucydidi conferendus 480
Sallustij proœmia 148
Sallustiana breuitas pueris nõ conuenit 469
Salsum quid dicatur 286
Sarcasmus 394

Scabellū à scamno ducitur 23
Scæuolæ eloquentia 376
Schemata 33
Scipio primus ex uortice fecit uerticem 46
Scribendum quidq; ut sonuerit 46
Scribendi quis sit modus 489
Scribendi bene studium nō est contemnendum 12
Scripti & uolūtatis status 249
Secundi elegantia 390
Senecæ genus dicēdi, & Quintiliani de eo iudicium 484
Senecæ copia in dicendo 390
Sententiarum genera 380
Sententiarum ornamēta 404
Sententiarum quæ sint figuræ 406
Septimij libri obseruationum 167
Seriorum tria genera 301
Sermo quibus constet 36
Seruij Sulpitij laus 482
Seruilij Nouiani laus 480
Sidonij ī carmine felicitas 504
Signa quomodo tractentur in probatione artificiali 217
Similitudines quomodo eludantur 253
Similitudines repertæ ad inserendam rebus lucem 372
Simonides inuentor memoratiuæ artis 524
Simonidis laus 474
Simulatio prodit se aliqñ 367
Socrates noluit uti oratione Lysiæ 508
Socrates senex lyræ studuit 53
Socratis persona in Platone cuiusmodi 97
Socrati contulerunt discipuli ad uictum 384
Socraticorum mos 363
Solœcismus 31
Solitaurilia unde sint dicta 35
Sophoclis laus 474
Sophrō Mimorū scriptor quā ti à Platone sit habitus 54
Sotadei amouendi sunt 48
Spiritus orātis qualis sit 535
Status qui, & quot sint 134
Status quot, & unde ducatur 131
Status eius qui dicturus est 542.543. & seq.
Statuum inter se cognatio & diuersitas 348
Statuarij clari 388. & seq.
Stellam à stilla quidam deducunt 41
Stesichori laus 474
Studia quæ post finē tractanda 394

Stylus dicēdi magister est 489
Stylus qualis esse debeat 490
Suadenti seu dißuadenti quæ sint spectanda 148
Suadendi partes quæ sint 148
Sulpitius transtulit carmina in prosam, & hoc unum genus exercitationis habuit 497
Sulpitius Longus fœdiß. 289
Sulpitij acumen in dicēdo 590
Sybaritæ frugalitatem oderunt 145
Syllogismorum ratio 345
Sylua quæ uocetur scriptorum 492
Synalœphe quæ dicatur 28 & 445
Synathrœsmus 380
Synæresis 28

T

TAbularum ratio quō tractanda ab oratore 209
Tapinosis 368
Terentij laus 480
Terentij Varronis laus ibidē
Testes quomodo refellendi sint 210
Themistocles intra annum unum optime Persice locutus est 530
Themistocles abiecta lyra est habitus indoctior 54
Theocriti laus 473
Theodectes quamlibet multos uersus continuo reddere memoria fretus potuit 531
Theophrastus notatur ab anicula 356
Theophrasti laus 477
Theo Samius clarus pictor 589
Theopompi laus 476
Theopompi Lacedæmonij factum 104
Theses 123
Thucydides bellicum canere uidetur Ciceroni 469
Thucydidis laus 475
Tibiæ orantis quales sint 534
Tibulli laus 479
Timagenes musicam antiquissimam dixit 53
Timagenis historici laus 476
Timantis tabula quia Iphigeniam depinxit 91
Timotheus musicus duplicem mercedem exigebat ab his quos alius instituisset 69
Tincæ Placētini barbarismi 27
Tiro libertus Cicer. tres libros de Iocis scriptos reliqt 285
Toga ad calceos dimissa est antiquitus 553
Toga qualis sit dicentiū 554

Tonorum uel accentuum obseruatio 19
Topica à Cicerone quo consilio scripta 161
Topographia 412
Tormenta quomodo tractentur à rhetoribus 245
Trachalus eminentißimus sui temporis orator 578
Trachali sonus in dicēdo 590
Trachali laus 483
Translationis usus 357
Translationi quæ sint necessaria 393
Translatione quando utamur 251
Translata quæ dicantur uerba 36
Tricola 436
Tropus quid sit 386. 408
Tropus cōtinuus in allegoriā & ænigma exit 388
Tropi à figuris quid differant 398
Tubæ in Romanorum exercitu quid agant 53
Tumultus quid sit 331
Tyrteum Horatius Homero subiungit 473

V

VAlerij Flacci laus 478
Valesij & Fusij, qui nūc Valerij & Furij 23
Varenī laus 478
Varij poëtæ laus ibidem
Ventilatores in scenis 503
Venus armata apud Lacedæmonios 76
Venustum quid dicatur 286
Verbis quædam sunt eleuanda 188
Verbis cuiusmodi utendū 42
Verbalia quæ 25
Vergilius primo legendus à pueris 42
Vergilius pauciſsimos uersus die composuit 491
Vergilij principia 170
Vergilij laus 477
Vertere Græca conducit plurimum ad comparandā eloquentiam 496
Vibius Crispus 258
Vibij Crispi dictio et laus 483
Virginius ætate Fabij 117
Visellius scriptor 423
Vitæ anteactæ crimina quomodo tractanda sint 307
Vitia quæ circa gestum accidunt 550
Vitia quædam puerorum ferenda sunt 71
Vlyßis orantis status apud Homerum 556
Vopiscus unde dicatur 25
Vox præceptoris ut sol est 16
Vox qualis sit oratori 533
Vocis diuisio 55
Vox uiua plenius alit 67
Vocalium concursus hiantem facit orationem 446
Vrbanus quis dicendus sit 301
Vrbanitas quid significat 286
Vultus orantiū qualis sit 542

X

XEnophontis ore Musæ locutæ sunt 588
Xenophontis laus 477

Z

Zeusis pictor clarus. 588

FINIS.

alij subcœnant, inquit. Tertium illud Ciceronis aduersus Curium: Fieri enim certe non poterat, ut declamaret, & natus nõ esset. Est & illa ex ironia fictio, qua usus est C. Cæsar. Nam cũ testis diceret à reo femina sua ferro petita, & esset facilis reprehensio, cur illam potissimum partem corporis uulnerare uoluisset: Quid enim faceret, inquit, cum tu galeam & loricam haberes? Vel optima est simulatio contra simulantem, qualis illa Domicij Afri fuit: Vetus habebat testamentum, & unus ex amicis recentioribus sperans aliquid ex mutatione tabularum, falsam tabulam intulerat, consulens eum, an primipilaris ei testamento suaderet ordinare suprema iudicia, Noli, inquit, facere, offendis illum. Iucundissima sunt autẽ ex his omnibus lenia, & (ut sic dixerim) boni stomachi, ut Afer ingrato litigatori conspectum eius uitanti in foro, per nomenclatorem missum ad eũ: Amas me, inquit, quòd te non uidi. Et dispensatori, qui cùm ad reliqua non responderet, dicebat subinde, Non comedi panem, & aquam bibo: Pasce, & redde quod debes. quæ ὑπαγωγὰς uocant. Est gratus iocus, qui minus exprobat quàm potest, ut idem dicenti candidato, semper domum tuam colui, cùm posset palàm negare, Credo, inquit, & uerum est. Interim de se dicere ridiculum est, & quod in alium, si absentẽ diceret, urbanũ non erat, quoniam ipsi palàm exprobratur, mouet risum: quale Augusti est, cum ab eo miles nescio quid improbe peteret, ueniret cõtrà Martianus, quẽ suspicabatur & ipsum aliquid iniuste rogaturum. Non magis, inquit, faciam cõmilito quæ petis, quàm quod Martianus à me petiturus est. Adiuuant urbanitatem, & uersus cõmode positi, seu toti ut sunt, quod adeò facile est, ut Ouidius ex tetrasticho Macri carmine librum in malos Poëtas cõposuerit. Quod fit gratius, si qua etiã ambiguitate cõditur, ut Cicero in Accium hominem callidum & uersutum, cùm is in quadam causa suspectus esset: Nisi qua Vlysses rate euasit Laërtius. Seu uerbis ex parte mutatis, ut in eum, qui cum antea stultissimus esset

esset habitus, post acceptam hæreditatem primus sententiam rogabatur: Cuius hæreditas est, quam uocant sapientiam, pro illo facultas est. Seu fictis nouis uersibus. Simile est quod παροιμία dicitur, & prouerbia opportune aptata, ut de homine in aquã lapso, & ut alleuaretur roganti: Tollat te qui non nouit. Ex historia etiam ducere urbanitatem eruditum, ut Cicero fecit, cum ei testem in iudicio Verris roganti dixisset Hortensius, non intelligo hæc ænigmata: Atqui debes, inquit, cum Sphingem domi habeas. Acceperat autẽ ille à Verre Sphingem æneam, magnæ pecuniæ. Subabsurda illa constant stultis simili imitatione: & quæ nisi fingantur, stulta sunt, ut qui mirantibus quòd humile candelabrum emisset, pransoriũ erit inquit. Sed illa similia absurdis sunt acria, quæ tanquam sine ratione dicta ferũtur, ut seruus Dolabellæ, cum interrogaretur, an dominus eius actionem proposuisset, Domum, inquit, uendidit. Deprehensi interim pudorem suũ ridiculo aliquo explicant: ut qui testem dicentem se à reo uulneratũ interrogauerat, an cicatrices haberet: cùm ille ingentẽ in femore ostendisset, latus inquit *oportuit. Contumelijs quoq; uti belle datur, ut Hispo obijcienti bis acerba crimina accusatori, Mẽtiris inquit. Et Fuluius propinquus legato interroganti, an in tabulis, quas proferebat, chirographus esset, Et uerus, inquit, domine. Has aut accepi species, aut inueni frequẽtissimas, ex quibus ridicula ducerentur. Sed repetam necesse est, infinitas esse tam falsè dicendi, quàm scuerè, quas præstat persona, locus, tempus, casus deniq;, qui est maxime uarius. Itaq; hæc ne omisisse uiderer attigi: illa autẽ quæ de usu ipso, & modo iocãdi cõplexus sum, adeò infirma, sed planè necessaria. His adijcit Domitius Marsus, qui de urbanitate diligentissime scripsit, quædam non ridicula, sed cuilibet seuerissimæ orationi cõuenientia, eleganter dicta, & proprio quodam lepore iucunda: quæ sunt quidem urbana, sed risum tamen non habent. Neque enim ei de risu, sed de urbanitate est opus institutũ, quam propriã esse nostræ

*oportunius

MAR. FABII QVINTILIANI ORATORIS ELOquentissimi Declamationum liber.



LVGDVNI APVD SEB. GRYPHIVM, ANNO 1538.

MAR. FABII QVINTILIANI, ORATORIS ELOQVENTISSIMI DECLAMATIONVM LIBER.

PARIES PALMATVS. ARGVM.

Quidam cui erat filius cæcus, quem hæredem instituerat, induxit illi nouercã, iuuenemq; in secreta domus parte seposuit. Is noctu, dum in cubiculo cum uxore iaceret, occisus est, inuentusq; postero die habẽs gladium filij defixum in uulnere, pariete ab ipsius ad filij cubiculũ uestigijs palmæ cruentato. Accusant se inuicem cæcus & nouerca.

Pro cæco contra nouercam. 1

IIVVENIS innocentißimus, Iudices, uti uellet ambitu triſtißimæ calamitatis, poterat allegare uobis amiſſam cũ oculis cogitationum omnium temeritatem: ſed cum oſtendere innocentiam ſuam moribus malit, quàm aduerſis, neque pietatis, neq; conſcientiæ ſuæ grauem ferre contumeliam poteſt, ut parricidium non feciſſe uideatur beneficio cæcitatis. Quare non petit ut miſerum putetis, niſi & innocens fuerit: non petit ut afflictum alleuetis, niſi & probauerit ſeſe infeliciorem quòd patrem amiſit, quàm quòd oculos. Aeſtimate iuuenem ijs moribus, quibus uidentem æſtimaretis, uita, pudore, pietate. Quæ ſi omnia ſibi, ut erunt promiſſa conſtiterint, nullo terrebitur crimine. Nec quòd ſceleratißima fœminarum calamitatem noſtram cruentato pariete imitata eſt, expaueſcimus. Quæ diligẽtia, quo ſolicitior fuit, ne deprehenderetur, hoc magis indicauit ſibi oculos non defuiſſe. Gratias agimus, quòd nimium

auidæ ſuſpitionis argumenta in noſtram tranſtulit partem: non eſſe cæci ſcelus difficilius probaretur, niſi omnia ſic acta eſſent, ut feciſſe cæcus uideretur. Quare Iudices nõ improbe ſperauerim futurum, ut ſuſpecta ſint uobis, quæ tam inconſiderate ficta ſunt cõtra miſeram cæcitatẽ. Primum quòd ſpatiũ illud ingẽs domus, quod in medio fuit, ita dijecto cruore ſatiatũ eſt uſq; ad cubiculum miſerrimi iuuenis, tãquam plane timuerit parricida, ne nõ deprehenderetur. Deinde ſceleri nox potißimum electa, quo tempore inueniri maritus ſine uxore nõ poſſet. Tum in cæde, in qua nemo utitur ferro, niſi alieno, gladius adoleſcentis, ne argumentũ deeſſet nouercæ, relictus eſt. Poſtremo peractum uulnere uno ſcelus, quod obijceretur manibus errãtis. Et tamẽ contra tã multa incredibilia ſolum aduocat, nouerca teſtamentum, ultq; illud eſſe preciũ parricidij, ut rerum intellectu in diuerſum coacto, occiſum eò probet patrẽ, quòd nõ meruerit occidi. Nos uero iſtud (ſi crimẽ putatis) agnoſcimus. Iuuenis hic patris ſui hæres ſolus eſt. Hoc teſtamẽtum, ſi uiuẽte adhuc miſerrimo ſene notum eſſe in domo potuit, ſcitis quis illi debuerit iraſci. Nã quòd inuiſum fuiſſe filiũ patri iactat, crimẽ nouercæ erat, ſi confiteremur. Idq; probari ex hoc putat, quòd ſecretum non filius accipit à patre, ſed cæcitas. Quo loco diſſimulare ſatis callide conatur inuidiam ſuam. Pater qui filium cæcum in ſemota penatium parte ſepoſuit, eripuit nouercæ oculis uoluptatem. Nanque iſta cum inuaſiſſe uacuos penates uideretur, cum patri filiũ cæcum hoc eſſe crederet, quod orbitatem, excogitauit indulgentißimus ſenex quemadmodum hic miſer patri ſuo in eadem domo eſſet, nouercæ in alia, accepit ſecretũ quod erat petiturus. Quod quo ſit animo ſenis factũ, poteſtis interrogare teſtamentũ. Neq; ego grauiſſimum patrem ſuprema ſua iuueni iactaſſe crediderim, ut hæredem filium ſcriberet, nõ eſt res quæ imputetur, iſtam magis oportet uel aliquo iudicio, uel ſuſpitione muliebri arcana mariti deprehendiſſe, & ſtatim omnibus nuptiarum renunciaſſe

pignoribus. Nam cum propter pecuniã ames, idem amoris & ſpei finis eſt. Habuerat adoleſcens gladium in cubiculo ſuo ſemper, ſiue antequam in hanc fortunam incideret paratũ, ſiue quia cæcitatis miſeræ ſolatium eſt habere rem uidentium. Certe nunquam illum pater timuerat, nũquam nouerca obiecerat. Palàm poſitum eſt ſub oculis omnium tota domo notiſſimum ferrum. Scitis quanto negligentius cuſtodiat ferrum bona conſcientia, quàm etiam extra ſuſpicionem ſit res ſine uſu. Innocentia facit ut ferrum ſubtrahi poſſit, & uidentibus. Siue igitur aliquis ex ſeruulis corruptus eſt, præſertim in tam facili occaſione, ſiue ipſi nouercæ non defuit audacia ad ferendum, quod facere poterat, & præſente priuigno, utiq; (quod dubitari non poteſt) quod facit certum ſceleris autorem, mauult in cæde alieno uti quàm ſuo gladio quiſquis illum relicturus eſt. Reliqua Iudices ſi fieri poſſunt, facta exiſtimate. Dicitur cæcus ſine rectore, ſine duce, ex illa penatium parte ſecreta, & pene ex alia domo, per inane longum, per tot offenſa limina, per excubantes ſeruulos erraſſe cum ferro, cubiculum deinde patris ingreßus in neutram deflexiſſe partem, ſed recto gradu ſicut ducere oculi ſolent, ad lectulum acceſsiſſe leuiter, non in torum incidiſſe, non antè perueniſſe quàm crederet. Vos Iudices criminum tumultum ex rerum fide ducite. Dormiens ſenex, quem cæcus percuſſor quæreret, excitatus antè eſſet quàm inueniretur. Iungũt his multo incredibiliora, ut occiderit patrem, pepercerit nouercæ, parricidium autem uno ictu explicuerit: quod fere uix etiam ijs contingere ſolet, qui oculos manu ſequũtur. Nulla ergo luminum uirtus, ſed homo ferrum miſſurus in caſum, ſatis felix ſi percuſſiſſet quancunq; corporis partem, in ipſam protinus animam incidit, & an morti ſatisfeciſſet intellexit. Officium Iudices oculorum eſt renunciare manibus quid actum ſit, cæci percuſſoris una ſecuritas fuerat ſæpius ferire. Negat præterea quicquam ſe ex his nouerca ſenſiſſe, cũ iuxtà iaceret, nec explicat unde illud acciderit,

acciderit, maximæ ſignum trepidationis. Si & pater uno ictu perierat, neq; iſta uigilabat, nunquam gladium reliquit percuſſor ſecurus. Reliqua Iudices nimium ſuſpecta, improbe aßimulata. Spatioſiſſimus paries, & longiſſimum domus latus habuit notas ſanguinis, quas reliquiſſe uideretur manus reuertentis. O quàm bene quicquid uolũt imitantur oculi. Stupet (ſi qua eſt fides) omnia priuignum illa nocte feciſſe. Dicitur ad uotũ nouercæ gladium in uulnere reliquiſſe, quem ſuum negare nõ poſſet. Deinde per totum parietẽ quid aliud inſcripſiſſe, quàm ſe parricidam ſanguine patris uſq; ad cubiculum ſuum perduxiſſe, & uiam ſequẽtibus reliquiſſe? Hæc fecit aliquis negaturus? Gratulor tibi adoleſcens, ſi non potuiſti parricidium illud admittere, niſi ut relinqueres argumẽtum cæcitatis, habuiſti innocẽtiæ neceßitatem. Cauſam igitur miſerrimi adoleſcẽtis ſic apud uos agere propoſui, ut primum ipſum defendã quaſi reus tamen ſit: deinde cum eſſe ſecurus de huius innocentia cœpero, tunc ingrediar nouercæ accuſationem. Spectabitis utrunque ſuis moribus, ſuis cauſis: eritq; facilior uia ueſtræ religionis. Quãquam duos iudicia complexa ſunt, uos tamen tanquam de ſingulis cognoueritis. Et primum ſic agam, tanquam iuuenis habeat oculos, tanquam impetus eius nulla corporis debilitate frangantur. Interrogabo quid antè perdite, quid flagitioſe, quid impie fecerit, per quæ ſe parricidam ſcelera promiſerit. Innocentia per gradus certos ab homine diſcedit, & ne in maximis trepidet audacia, diu uires in minoribus colligit. Nemo inde cœpit, quò increbile eſt peruenisſe. Dicas neceſſe eſt quæ huic cum patre odia fuerint, quàm uiolenta diſſenſio inter ſacrorum infinita nominũ pignora. Crede mulier etiã tua cauſa. Nam ſi facile eſt filio occidere patrem, facilius eſt uxori maritum. Loquar nunc de infirmitate miſeræ cæcitatis. Temeritas oĩs animorũ calamitate corporum frangitur, & frigeſcunt impetus mentiũ, quos non explicant miniſteria membrorum, ad ſolum ſe alligat deſtituta mœ-

rorem. Vultus ille perpetua nocte coopertus ac timi-
dus non concipit nefas, ad quod ducibus oculis peruenitur.
Cogitat semper errare, & offendere, cogitat eundi redeundiq;
difficultatem. Magna innocentiæ necessitas est, neminẽ facilius
posse deprehẽdi. Semper se custodiũt miseri, ne esse miserabiles
desinant, & quisquis amisit oculos, laborat ne merito perdide-
rit. Quid aliud cæcitas discit quàm rogare, blandiri? Odium o-
mne adiuuant oculi, & hunc in pectoribus humanis furorẽ lu-
mina accendunt, nec leuis animis accedit insania, quoties quem
execreris aspicias. Cæcus miserior est quàm ut inuisus sit, timi-
dior est quam ut oderit. Præterea nocentibus liberis frequentissi
mas ad parricidium causas suggessit illud quod uidebant. Vitijs
enim nostris in animum per oculum uia est. Alijs tradidit in pa
rentum sanguinem luxuria ferrum, luxuria uidentium crimen:
Alijs meretriculæ immodica poscentis amor, cui renunciant
oculi. Cæcus infelix patrem occidit: deinde cui manum porriget
securior? cuius humeris leuior incumbet? Quis contumelias ser-
uorum castigabit seuerius? quis calamitatem tam obnoxiam ma
iore reuerentia proteget? Inter felices alius est ordo uotorum:
cæcus filius optat superstitem parentem. Volo nunc scire quem-
admodũ dicat explicitum tam difficile facinus. Cæcus parricidiũ
cogitauit. cum quo? cuius se commisit oculis, iturus per totã do-
mum? quem ducẽ elegit ille qui erat in cubiculo suo solus? Se-
cum (opinor) secum deliberat. Sufficit sibi, cũ homine expeditis
simo loquitur. Cur enim socium conscientiæ quærat? omnia po-
test scire. Primum uel nox quãta sit. Deinde prospicere solicite,
an omnis familia dormiat. Gradu suspenso ponere certa uestigia,
& in omnẽ timoris sui partem solicitũ circumagere ultũ.
O quàm parum est in metu ipsos etiam oculos habere. Ita non
iste sibi dixit? Occidere quidem patrem uolo, sed quem sequen-
tur hæ manus? Nocte solus egrediar, sed quando perueniam?
Putas nos iunctis habitare limĩnibus? domus inter patrẽ filiumq;
media.

media. Quantum erroris, quantum moræ, spatium ingens, &
uix metiendum. Cæcitas inconsulta quid agis? nox antè deficiet.
Quid si deinde uterq; uigilauerit? quid si nouerca? Age limen
inueniam, cardinem sine strepitu mouebo, dormiẽtis cubiculum
intrabo, quiescẽtem feriam patrem, semel satis erit, nec nouerca
uigilabit. Securus egrediar, sciẽte nullo reuertar. Vota sunt ista,
sed oculorum. Cæcus desperaret etiam si tam multa nox polli-
ceretur. Hoc loco quæram necesse est, quæ ratio fuerit, ut iuue-
nis ad parricidium suo potissimum gladio uteretur. Nimirũ il-
lud in mentẽ uenit, quia erat relicturus. Nam si alienũ, & igno
tum in uulnere patris gladiũ reliquisset, potuerat de percussore
dubitari. Hic attulit suũ, ut etiam si euasisset, tamẽ ferro suo tene
retur. Cur ergo, inquis, gladiũ in cubiculo tuo habebas? quia ha
buerã semper, quia usurus illo non erã. Ferrum ergo parricidio
meo tot ante annos præparaui, & secũdum illum quem mina
bar patri, tãdiu innocens fui? Ego eram ferro ac mente paratus,
& tot abiere nocles? Antè gladiũ illum familiarem oculis tuis fẽ
ci, antè omnibus seruulis notum. Pependit in cubiculo tanquam
testis cõscientiæ meæ palàm in medio negligẽter, sic ut subtrahi
posset. Non illum cõscentia trepida uelauit: tam notus in cubicu
lo fuit, quàm cæcitas domini. Quisquis ferrũ præparat sceleri,
sic illud habet, ut possit suum negare. Ponite nunc ante oculos
actum parricidij, deprehẽdetis difficultatẽ. Dono illud, dũ à suo
limine egreditur, dum illos quos accepit à patre seruulos fallit,
ecce cubiculũ senis inuenit aliquãdo, ecce paries ille deficit, &
percussoris manus subitò destituit, cessere fores sine strepitu.
Quid postea agit? Vtrum ipsum cubiculi parietẽ circuit, an se
committit in mediũ? & per spatia tenebrarũ armatam manum
iactat? Ecce patris lectulũ tenet, etiã dormientiũ anhelitus immi
nens audit, unde sciet quò dirigat ferrum, quem potius feriat ex
duobus? Tẽtauit ergo uultus, & pectus obiectũ, breuissimã peri
turæ animæ uiã quærit, & quãtus erit sopor qui istã nõ sentiat?

Dices, neq; ego sensi. Ideo intelligis quàm malã causam habeas, cuius & una, & incredibilis defensio est. Ita feritur in sinu tuo maritus, & tu nihil sentis? Ad latus tuum fata hominis peragun tur, tu taces tanquam te priuignus occiderit priorem? Ita nõ ille percussus est homo, quẽ cæcus occidit? Te uero (si nihil aliud) calens ille cruor deniq; suscitasset. Sed quàm manifesta est con scientia, quæ te compellit ad hanc necessitatem, ut cum occisum à priuigno tuo patrẽ uideri uelis, cogaris dicere nihil sensisse? Sufficit, uicimus, innocentes sumus. Cum in eodem lectulo fue ris, cum amplexa sis forsitan illum qui occisus est, tam incredibi lem profiteris soporem? Cur ergo tu incolumis es? quæ tam ira tis manibus sanguinem tuũ fortuna subtraxit? Certe dormiebas, certe nihil senseras. Ita priuignus te reliquit, qui deprehendi ti mebat? Occidit ergo aliquis patrem, & nouercæ pepercit? Ma ximum omnium nefas, fortiter fecit, minori sceleri statim par nõ fuit? Omnia humana sacra confudit, uiolare nõ est ausus pectus odiorum? Incredibile est, sine fide est, non occidere nouercam, cui imputes quòd patrem occidat. Quid ais adolescens? tu ne circa illum sanguinem defecisti? illa te blandius rogauit anima? perdidisti ergo illud quod nihil senserat, quod nox, quod silen tium, quod tempus supererat sceleris alterius? Tu si facere par ricidiũ posses ideo patrem tantum occidisses, ut tibi & nouer cam liceret occidere. Non uideo cur nisi uideri uelit relictã mu lierem, ideo tantum ut uideretur illud nefas illa fecisse, callide sa tis. Sed hoc alio protinus argumẽto subuerteretur. Non est eius dem consilij nouercæ parcere ut substituat ream, & gladium relinquerè quo ipse deprehendatur. Sæpius uti necesse habeo ar gumento cæcitatis, & hoc etiam loco quo de illo uulnere dispu tandum est. Mehercule si percussor intrasset, qui uideret, qui la men præ se tulisset: non tamen tam feliciter librasset ictum. quem etiam si nullæ fallerent tenebræ, metus & conscientia incertum magni sceleris tristẽ morte fecissent. Raro contingit semel ferire carnifici,

carnifici, quamuis componat ipse ceruicem, & exercitata manus homicidium nouissime uelut quoddam genus artis exerceat. Sic ergo librauit manum cæcus, ut ipsam protinus feriret animam? Ego mehercule etiam illud admiror, quòd cum patrem uellet, non nouercam percussit. Præter animũ nihil uirium habet par ricida: primus ictus: ille trepidat, ille cogit, ille erubescit, ille est ab innocentia proximus, ille præstat hoc solum, ut sequens for tius feriat. Interrogare nunc uolo quæ iuueni causa fuerit, ut re liquerit gladium. Scilicet noluit nouercam suam infamari. Ab stulit sibi omnem defensionem, & se parricidam confessus est, ferrum in uulnere reliquit. Si nondum occisum putabat, iterum feriret. Si iam perfectum nefas intelligebat, auferret indicium. Sed quid ego rem manifestissimã colligo? Si uultis Iudices scire à quo sit gladius relictus, cogitate cui expedierit ut inueniretur. Sed paries usq; ad cubiculum priuigni uestigio manus cruenta tus est. Cogitate Iudices ante omnia, non esse incallidum homi nem, neq; consilij iacentis, qui cæcus explicare conetur facinus, etiam oculis difficile. Ille ergo nõ existimat cum manum cruen tam parieti applicat, uestigium à se parricidij sui relinqui: cum dexteram, qua duce utebatur, ueste tergere atq; ita abire sine ue stigio posset, totum parietem cruẽtabat, & ubi aliquid de patre misero relinquebat, quid futurum esset postero die, quantã ex pectaret inuidiam ad lucem non cogitabat. Sed disponebat iudi cium certum, indubitatum, sine errore, quod nouerca sequere tur usq; ad cubiculum suum, usq; ad limen ipsum. O admirabilẽ casum, nec cruor antè defecit. Vtar hoc loco natura ipsius rei, Palmatus sanguine paries inuentus sic est, totam manum expli cuit, omnes digitos diligenter expressit. Totum ergo sanguinẽ cõsumeret intra prima uestigia. Pone enim manũ cruentatã, atq; adeo (ut istis etiã blandiar) madentẽ: pone mensurã itineris, spa tium parietis, diu enim in secretã domus partẽ reuertendũ est: de bet proxima pars à cubiculo patris habere plurimũ sanguinis,

sequens minus, tertia minimũ, ultima nihil. Nam cruor quoties admotus est, trãsit, aut in manu tarde reptãtis arescit. Hoc quid esse dicamus, quòd circa cubiculũ utrũq; sanguinis istius uestigiũ quasi incipit? hinc est paries palmatus, et illinc? Quomodo pertulit manus quod relinquebat? nouerca istud, nouerca securis cõposuit oculis: illa miserũ dextera sanguinẽ tulit, & manũ subinde renouauit. Palmatus paries, habet distantiã, uacat aliquid loci, integrum ubiq; uestigium est, cæcus manus traxisset. Quæro nunc, unde tantũ sanguinis in manu? Tũc enim ex omni uulnere cruor profluit & effunditur, cũ ferri recentẽ uiam sequitur. At quoties eodẽ quo factum est cluditur telo, latet tota mortis inuidia. Præterea cũ manus ex parte qua palmare uestigiũ potest, plicetur in capulo, & se dum telũ occupat claudat, necesse est exteriore ut parte respersa sit. Tuus autẽ qui palmatus est paries, uestigiũ eius partis ostendit, ad quã cruor peruenire nõ potuit. Vestrũ est nunc cõparare omnia ista, perpendere. Cur prudentior sit iudex in deprehendendo scelere, quàm reus in admittendo, hoc esse in causa puto, quòd alter tantũ pro se cogitat, alter pro parte utraq;. Tuitus sum adolescentis nuserrimi causam, nunc inspicere uolo quãto certioribus argumentis nouerca teneatur. Transeo illũ uulgarem & omnibus notum de cõparatione personarũ locum. Alius diceret maritũ & uxorem nisi liberis initiarentur, nõ fortißimis corporũ uinculis inhærere. Ego illud potius dicam, decepta est mulier expectatio tua. Veneras quasi in uacuam domũ, & sine hærede. Expectaueras ut infelix iste iuuenis ab ipsis protinus nuptiarũ tuarum expelleretur auspicijs, extorrem & inopẽ summoueret pater blãdo corruptus amplexu, & omnino summã calamitatẽ corporis occurrere delicatis uxoris oculis uetaret. Inueniſti pium & deuotũ unico senem, & de omnibus coniugis tui desperasti ob id affectibus. Miserrimus est maritus quisquis inducit filio nouercã, quòd uxori non uidetur utrunq; posse amare. Quæro igitur ante omnia ubi occisus

occisus est maritus? In cubiculo suo, hoc paulò antè priuigno defendendum nõ fuit. Occisus est in cubiculo senex. Ita ille percussor non timuit uxorẽ? Audio secretum nuptiarum, & matrimonialis lectuli solitudinẽ occisurũ intrare. Quem quæram? ubi relinquitur maritus ab uxore innocens? Noctẽ autẽ ad scelus quis elegit? Nox tuũ tempus est, quid si accedit huic etiã sceleris occasio? Non uenire debes ad secretã domus partẽ, nocturna tibi penatium sacra peragenda sunt? Tu non cogitas quemadmodũ suspensa manu sonantẽ blande cardinem flectas? Iaces secundũ occasionem, & expeditũ tibi in proximo facinus est. Nõ times ne quis deprehẽdat. Ipsi quoq; seruuli longius quiescũt, & præstatur grande secretũ genio loci. Tibi quoq; ferire cũ uelis, scire an dormiat licet. Nox, et ferrũ, & securus maritus, quidnã isto declaratius scelere? Occisum esse miserũ senem cum tu uolueris scimus. Quomodo tamen, inquit, gladius peruenit in meã potestatem, qui priuigni fuit? Hæremus, hic difficilis expugnãdus est locus. Quis credet mihi, si dixero? gladiũ cæcus ille perdidit, perpetua nocte clausæ genæ nõ custodierũt. Fingere nimirũ ad tempus uidebor, & rem nimiũ manifestam impudenter cõplorare. Scilicet semper isti appositæ capulo manus, & diebus ac noctibus curæ. Nolo tanquàm callido glorieris ingenio, nõ accepisti trucẽ horridumq; latronem, nostri tibi occasionẽ præbuere mores. Nã quòd uno ictu occisus est senex, ad te suspitio magis respicit. Tu præparare corpus illud ad ictus potes, dũ uideris amplecti. Tu blãda manu prætẽtare pectus, ubi assiduo uiscris pulsu nõ quiescat anima, ubi statim mors sit, ubi de spiritu sanguinis ictũ explorare antè & cognoscere licet, potest & uno ictu mulier occidere. Venio nũc ad uestigia parietis cruentati, quibus te satis abũdeq; presimus dũ adolescentẽ defendimus. Hæc sunt tamẽ quæ cõtra te reseruata sunt. Cũ maritus tuus in cubiculo occideretur, sciebas nullũ tibi relictũ patrociniũ, nisi aliquid cæcitate simule feciſſes. Ideoq; sanguinẽ in illam partẽ induxisti, in quam

quæri

quæri uolebas,ut postero die omnis inuidia sanguinis notas & uestigia præparata sequeretur. Infamas cæcũ,consiliũ ex calamitate sumpsisti. Sciebas illum non aliter si dux defecisset ingredi posse,quàm si uestigia parietis perpetuitate dirigeret.Simulasti itaq; cæcitatẽ,& ne quid sceleri impio deesset,mariti tui cruore liuisti.Omnia tibi composita atq; simulata sunt per ociũ & securitatem,tanquàm scelus transferatur ingenio. Nunc enim tu innocens,quia priuigni gladius in uulnere,quia paries cruciatus: hoc sufficere utrunq; iudicio putabas? quàm facili momẽto causæ fata uertuntur,quòd feciſſe etiã is scelus frequenter inuentus est, qui obijciebat.Sed causas inquit, parricidij iste habuit, quẽ iratus pater in secretã domus partẽ relegauerat. Mulier illa fortitan ignominia felicioris uideretur esse priuigni.Cæcitatis beneficium est,cũ illi secretũ datur. O` præclaram senis optimi singularemq; pietatẽ,quàm blande ille sepositit miserũ suum,quàm diligenter uxoris gaudẽtis excluſit oculos? quàm multo cæcũ pudore donauit? Si felicior,inquit,essem,pater,ego tibi potius cederem domo tota. Nunc miser illam occupa partẽ, in qua nemo te uideat,in quã solus ego ueniam : sint circa te seruuli fideles, non gemitus tuos audiat quisquàm,nõ flebili mœrore pascatur. Nihil est quod te solicitet cõuersatione nostri secretũ, quod cæcitati ideo præstatur,ut minus oculi desiderentur. Aliquis odit filium cæcum, & hac tantũ ultione contentus est, ut illi assignet quietam,& sepositã,& meliorem domus partẽ? Ita ais, ego sic intelligebam,quasi abdicaret,quasi expelleret.Iratus igitur senex tenet iuuenem suum uelut interiore complexu, & à limine obstat? Rogo quòd duos separat media domo,te integram, sanam & illum infelicem cæcum, contumeliæ opportunum, iniuriæ facilem, utrũ filio irascatur,an uxori? Nolo,inquit, iuuenis utaris amœna domus parte,ne hæc quæ nitidioribus tectis elaborata sunt,pertineãt ad oculos tuos. Quis tam stulte irascitur cæco,ut putet illius interesse ubi habitare iubeatur? Te potius ille

summouet

summouet,tuis imuidiã facit oculis.tibi dicit, Sufficiat, Satis est, habes maiorem domus partem,absentem puta,misero in paternis ædibus aliquem angulum relinque.Pater,qui filio sub nouerca aßignat secretã domus partem, confitetur uxori se abdicare non posse.Transit ad aliud genus defensionis.Sibi causam cædis non fuisse, cum hic hæres inuentus sit omnium bonorum. Quis enim alius esse debeat,ut huic properandum fuerit ad hæreditatem? Filius scriptus nõ timet pœnitentiam testamenti.Omnium bonorum hæres relictus est. Non ergo irascebatur pater cũ daret secretam domus partem. Non poßunt tibi diuersa prodesse, eadem obijceres reo si exhæredatus esset. Elige utrum uoles. Si sciuit se esse hæredem,amare magis patrem debuit:si ignorauit, non habuit quod sperare ex morte patris. Reliquum est ut intueamur, ille qui perijt ab utro magis uestrum desideretur. Te opinor hic grauius afficit dolor,impatientius hic luctus examinat,tuq; obsoletam protinus nubem, & tempori accommodata lugubria flammeo reuertente mutabis. Hinc uero iuuenis,qui si fortunæ suæ mala cum præteritis comparet, cæcus cœperit esse nunc primum. Nam quid non miser in hoc sene perdidit? uiuebat illi magna pietas, aderant quocunq; iusserat de facie patris oculi,non illudere infelicibus tenebris contumaces seruuli poterant,nec (quod extremũ contumeliarum genus est) ut dominũ ageret rogabant. Nunc quanta dij boni ludibria sunt ineunda? Iunxere se pariter cæcitas & solitudo. Quid tibi nũc miserrime adolescens hæreditas prodest,quam tantũ audis? quid enim circa te pecunia potest? quæ fruendi uoluptates? quid aliud quàm spoliorum facilis occasio? Quàm bene ista omnia paterni oculi custodiebant:quàm facile decipi, quàm facile denudari,quàm cito sine labore falli potes,quàm cito inops fieri? Morte patris exhæredatus es. Quid nunc tibi nisi perpetuus imminet mœror, & execratio uitæ? Miser post omnia et lachrymas perdidit,nec dolentẽ adiuuant oculi.Incipit apud te gladius habere quid agat.

Quærit

Quærit ecce quærit miſer ferrũ. Nunc, inquit, huc reddite illud, innocẽs donec habuit meas manus tantũ. Si mori neceſſe eſt, illi potiſſimũ incumbam. Hoc illa iam olim grauis & infelix anima querebatur. Vbi nunc meæ uires? ubi impetus? ubi dextra tam fortis? uno ictu puto ne me quidẽ ipſum mihi cõtinget occidere.

CAECVS IN LIMINE. ARG.

Ex incendio domus adoleſcẽs patrem extulit. Dum matrem repetit, & ipſam & oculos amiſit. Induxit illi pater nouercam. Quæ acceſsit quodam tempore ad maritũ, dixitq; parari illi uenenum, quod iuuenis in ſinu haberet, & ſibi promiſſam dimidiam partem bonorũ ſi illud marito porrexiſſet. Intrauit ad cæcũ pater, interrogauitq;, an hæc uera eſſent: ille negauit: exquiſiuit, & inuenit in ſinu uenenum. Interrogauit cui paraſſet, ille tacuit. Receſsit pater, & mutato teſtamẽto, nouercam fecit hæredem. Eadem nocte ſtrepitus in domo fuit. Intrauit familia in cubiculũ domini, inuenitq; ipſum occiſum, & nouercã iuxta cadauer dormienti ſimilem, cæcum in limine cubiculi ſui ſtantem, gladium eius ſub puluino cruentatum. Accuſant ſe inuicẽ cæcus & nouerca.

Pro cæco contra nouercam. 2

*cui pro minimo

SENTIO Iudices pudori iuuenis, *pro quo minimum eſt quòd parricida non eſt: grauiſſimũ uideri quòd abſoluendus eſt contra nouercam: & plurimum cæco de reuerentia deperire uirtutum, cum in patrocinio ſummæ pietatis aufertur quicquid alium defenderet innocentem. Hoc primum itaq; publicis allegamus affectibus, quòd pro ſe reus indignatur uti corporis probatione. Solus omnium non remittit ſibi, ut incredibilior ſit in parricidio cæcus, quàm fuit cum uideret. Homo omnium quos unquàm miſeros fecere uirtutes, innocẽtiſſimus parricidium negauit antequàm pater occideretur, & ne quid hodiernæ ſolicitudini præſtari putetis, fecit, quod eſt ſummum in rebus humanis nefas, ne uel in alio crederetur. Ignoſcite per fidem, quòd indignatur ſe iuuenis*

iuuenis in honorem tantum calamitatis abſolui. Filium qui patrẽ ex incẽdio ſua cæcitate ſeruauit, facinus eſt hoc tantum innocentem uideri, quòd illum non potuerit occidere. Nam quod ad mulierem Iudices pertinet, quæ defendi non poteſt, niſi patrem cæcus occidit, tam impudentem delationis neceſsitatem malo, quàm ſi tantum negaret. Viderit qui fiduciã ueritatis putat, quòd cæco facinus obiectum eſt. Deprehenſa mulieris audacia eſt, quæ non poteſt niſi incredibilium comparatione defendi, & quiſquis cæcum inuicem accuſat, ſolus eſt reus. Aliæ Iudices eſſe debuerunt aduerſus hanc debilitatem probationes. Cæcus in parricidio nõ debet ſuſpectus fieri, ſed deprehẽdi. Quæſo itaq; Iudices ut hæc prima propter cauſam iuuenis putetis, quæ contra illum nimia ſunt. Nihil magis debet eſſe pro cæco, quàm quòd aduerſus illũ fuerunt multa fingenda. Et conſtat de pietate, de innocentia hominis, qui expugnandus fuit parricidij ſimilitudine. Congeſta ſunt aduerſum miſeram debilitatem ferrum, cruor, uenenum, & quicquid non poteſt eſſe negligentiæ, niſi neſcientis. Nemo Iudices, nemo diligentior debet eſſe ad facinus, quàm qui parricidium potuit facere cæcus. Iuuenis iſte de quo ſumma in rebus humanis mõſtra finguntur, eius fuit erga parẽtes ſemper affectus, quẽ nefas eſt optare de liberis. Cum domus igniũ ſepta uiolentia rapuiſſet miſeris ſenibus omne præſidiũ, illa feſtinatione qua fugimus, erũpimus, in mediũ cucurrit incendiũ. In quanto tunc periculo fuit rerũ naturæ pietas? Dũ diu multũq; attonitus hæret, dũ ad utrũq; reſpicit, ad utrũq; diſcurrit, penè infeliciſſimos parẽtes perdidit pietatis æqualitas. Vt demũ miſerrimos ſenes cluſerat iam propior ignis (audiat licet inuita pietas) patrẽ iuuenis elegit, et de pariter ardẽtibus uices diſpoſuit affectus. Vixdũ poſito ſene, cũ illũ quoq; miraremur explicitũ, iterũ flammas aperuit, et undiq; coẽuntis incendij redditus globis arſerat iuuenis, ſi tardius perdidiſſet oculos. Facinus eſt exiſtimare Iudices, non hoc quoq; maximis cõtigiſſe conatibus, ut ſeruaretur & mater.

Munus

* Minus *Munus tamen in utroq; fecerat, nisi perdidisset oculos. Viderint qui filiũ in eo magis parente mirantur, in cuius salutem faciem uultusq; consumpsit. Patri præstitit cæcitatem, qui amisit oculos, dum repetit quam reliquerat matrem. Non expectatis, certum habeo Iudices, ut excusem quòd pater induxit cæco nouercam. Factum est eo tempore, quo constabat patrem filio senem soluendo non esse. Contenderim quinimo iuuenis fuisse consilium, ut pater cui matrimonium filiumq; abstulerat incendiũ, residua senectutis alia solaretur uxore: & ut domus quæ cæcum tantum habebat & senem, acciperet ex coniugio ministeria custodita. Facinus est Iudices, quòd bonos priuignos nouercæ facilius decipiunt, nec leuius oderunt. Quàm multis insidijs, quàm multis artibus patet cæcitas innocentis? Mulier cui spem inuadendæ hæreditatis præstabat debilitas priuigni, senectus mariti, intellexit hoc solum deesse sceleris occasioni, ut prius infamaretur parricidij cæcus. Viso igitur hoc, quòd sibi iuuenis non uidebatur esse priuignus, uenenum quod in miseri sinu abdiderat deprehensura, nunciauit patri, tanquàm parricidium pararetur. Et quia mendacium poterat facilè nudari, si quem conscium nominasset, totam delationem sic ordinauit, ut sibi crederetur promissam dimidiam partem bonorum, si uenenum seni uoluisset ipsa porrigere. Videtis Iudices, qua præparatione nouerca ad testamentum patris accesserit. Mulierem quam credit maritus noluisse partem bonorum accipere pro scelere, necesse est sic remuneret, ut faciat hæredem. O quanto aliter probaretur parricidium, quod iam potest deprehendi. Mulier quæ se dicebat in conscientiã sceleris admissam, non hoc primum exegit à patre, ut quæreret quis parasset cæco uenenum, quis dedisset, unde maximum sciebat posse fieri quæstionis errorem, instituit ut innocentissimus iuuenis interrogaretur repẽte, subito infamatura uelut deprehensi trepidationẽ, seu tacuisset cæcus, seu negasset. Adductus ad filiũ senex dixit iuueni quicquid audierat. Nunquàm

Iudices

Iudices, tam simplicis innocentiæ fuit facinus actũ negare. Non esset ausus iuuenis corã ea muliere mẽtiri, quæ prodidit, & scijt ubi esset uenenum. Vt uero sensit infelix instantem nouercã, postulatemq; ut sinus iuuenis exquireretur, tũc uero attonitus & hærens, & tota malorũ suorum cogitatione confusus, intellexit hoc argumentũ eius esse quæ parasset, ut posset deprehendi. Igitur propere, festinanter omnia membra pertractans, & mersis in sinum manibus, cum cuncta suspectionibus, dum tactu iuuenis explorat, uenenum primus inuenit. Laudo Iudices innocẽtiam silentij, laudo fiduciam, quòd interrogatus cui parasset, non putauit sibi defendendum uenenum. Rem quinimo fecit eius qui sciret patrẽ non crediturũ, & (quæ maxima est innocẽtiæ cõtumacia) persuasionẽ senis nulla uoluit excusatione corrũpere. Non fuit illud trepidatio, nõ tacita cõfessio. Quisquis habet uenenũ, habet & quod respondeat deprehẽsus. Fecit post hæc senex rem hominis quẽ non mouisset quicquid inuenerat. Non torsit ministeria cæci, & de scelere in quo solus nocens esse parricida non poterat, nõ explicuit ordinẽ quæstionis, sed quod plus est quàm absoluere, remisit iuueni defensionẽ. Vtrũ deinde intellectis deterrimæ mulieris insidijs filiũ paulisper uoluerit exhæredatione protegere, & diligentius de patrimonio suo deliberaturus interim captauerit ut uideretur mulieris cupiditati iã nõ obstare priuignus: an facilimum fuerit ut exhæredationẽ quoq; impetraret nouerca cæci ab homine cui tam multa persuaserat, cogitationibus uestris relinquo. Hoc tantũ dixisse contentus sum, Testamentum cõtinuo mutauit. Et ne quis miraretur hanc festinationem, statim subsequutũ est ut periret. An interfuerit Iudices iuuenis huius ut uiueret pater, qui iam alio moriebatur hærede, uos existimabitis. Certe non interfuit ut occideretur. Facinus Iudices quod illa nocte in cubiculo nouercæ, quod in lectulo factũ est, domus tota persensit, nemo nõ sibi uisus est iuxtà fuisse. Excitari sola nouerca nõ potuit illo in loco unde uenerat fragor. Cõcurrit

familia quò solicitos atq; trepidantes ducebat strepitus quem se quebantur. Inuenerunt senem occisum, nouercam iuxta cadauer sic iacentem, ut statim possent interrogare quis occidisset. Nunciatum est deinde facinus & cæco. Inuentus est (quod innocentiæ sufficit) non à scelere rediens, stans in limine cubiculi sui animo quo discurrebant uidentes. Vt deinde ferrum iuuenis inquireretur, exegit eadem utiq; quæ postulauerat de ueneno. Quòd in lectulo gladius cruentatus inuentus est, non deprecor Iudices, quin contra cæcitatem non minus argumentum putetis, quàm quòd inueniri potuit uenenum in parricidij suspicione. Gladius cruentatus nouissima probatio debet esse, non sola. Ignoscite malorum periculorum metus, ignoscite humana diserimina. Defensionem iuuenis primum lachrymis gemituq; prosequimur. Perdidit infelix iuuenis patrem, perdidit & cæcitas illum senem, cuius oscula, cuius amplexum imponebat uulneribus oculorum, cui præstabat cæcus ut uiueret. Misera ignorantia, misera debilitas, quòd tē nouerca non sic potius decipere maluit ut biberes uenenum. Facinus est Iudices comparationem fieri, ut incredibile sit parricidium. Idem uos putatis efficere noctium merita, & affectus oculis blanditijsq; quæsitos, quod natalium pignorumq; reuerentias? Nullas ego facilius perire credierim, quàm corporum charitates. Et licet matrimonijs paulatim reuerentia grauitatis accedat, possunt tamen distrahi facilitate qua coëunt. Vxor est quam iunxit, quam diduxit utilitas: cuius hæc sola reuerentia est, quòd uidetur inuenta causa liberorum. Aspicimus matrimoniorum singula momenta rixantia, mutant quotidie domos, & per amplexus lectulosq; discurrunt, Placet etiam post liberos alius maritus, & unde deprehendas omnium scelerum facilitatem, possunt non amare uiuentes. Quid si huic uxoriæ utilitati nouercale nomen adiungas? Mulieri quæ post liberos inducitur, matrimonij non contingit tota reuerentia. Quanto alios præstat affectus diligere uitæ lucis autorem? Liberi

Liberi ac parentis non alius mihi uidetur affectus, quàm quo rerum natura, quo mundus ipse cōstrictus est. Quisquam ne mortalium confodiet illud sacrū uenerandumq; corpus, quod potest ex ignibus rapi, pro quo bene cōsumuntur oculi? nō inuenio Iudices quemadmodū possit esse cōtra liberos salua reuerētia. Nō est difficile ut maritū uxor occidat, si non est difficilius ut filius patrem. Non est Iudices, quòd putetis inter mulierem & uirum de scelere quæri: neq; est quòd se nouerca sexus occasione tueatur. Maior est cæcitatis infirmitas. Sunt & fœminis ad scelera uires, cum habent causas, uirorum. Quinimo si interroges, facilius hæc pectora metus, odium, ira corrumpunt, & quoniam nō habent roboris tantum, unde uitia mentium uincant, plerunque facinus infirmitate fecerunt. Sanè tamen illis sceleribus sufficere non possint, quæ discursum, quæ exigunt laborem. Quod uero tam muliebre possis inuenire facinus, quàm occidere hominem iuxta te iacentem? aggredi senem qui se tuis crediderit amplexibus? cuius somnos ipsa disponas? ipsa custodias? Omnis alius percussor deprehendi potest antequam feriat, uxor nō sentitur, nisi dum occidit. Nō est Iudices incredibile ut occiderit mulier hominem, quem dicitur potuisse cæcus occidere. Facinus est Iudices, si cæcos habere non credimus nisi necessitatis innocentiā. Prima est infirmitas cæcitatis, ut nolit. Fallitur quisquis hanc calamitatem non animorum putat esse, sed corporum. Totius hominis debilitas est oculos perdidisse. Et si diligenter actus intuearis humanos, ministeria luminum sumus. Cæcus non irascitur, non odit, non concupiscit. Et cum corpora nostra uigorem de luminibus accipiant, pereunt cum suis uitia causis. En ad quod erumpant manus, quàm proxima quæq; tandiu quærunt, manus quæ sua quoque ministeria non explicant? Audebit quicquàm corpus illud quod ad singulos sibi uidetur decidere motus? cui quicquid ante se est, donec exploretur abruptum est? Facinus admittet in quo nihil ipse facturus est? Facinus, quod totum

credat alij? Quid si cæcitas sit quã fecerint ignes? Nemo in incendio solos ex homine perdit oculos. Tunc facies sentit incendium, cũ ambusti defecerunt greßus, cũ opponi non poßunt pro oculis manus, & ad lumina nostra flãmas omniũ membrorũ uulneribus admittimus. Cæcum uel hoc faciet innocentẽ, quòd licet uiribus, licet sufficiat audacia, nõ habet persuasionem hominis, qui poßit imponere. Nefas est iudices hunc iuuenẽ reliquarum debilitatũ ratione defendi. Quàm incredibile est ut occiderit patrẽ, qui pati nõ potuit ut perderet eũ? Rogo quid opus gladio, quid ueneno parricidæ? quantulũ fuit potius seruare matrẽ? Ratiatur ex parentibus illa infirmior, illa peritura: parricidiũ sic facere potuisti, ut optimus filius uidereris. Quantũ deinde putatis impatientißimis affectibus acceßisse post cæcitatẽ? charior est pater cũ in locum succeßit oculorũ, & tunc est infinita pietas, cũ in illa debeas amare quod feceris. Quid dicitis Iudices? trãsferet in facinus, hunc cæcitatis suæ iuuenis fauorẽ, ad quem quotides laudatura ciuitas coit, cui aßident omnes liberi, omnes parentes? faciet se pietatis pariter & sceleris exemplũ? Facilius est ut occidas patrem à quo sis ipse seruatus. Nullius unquàm Iudices parricidij magis debuistis excutere causas. Cupiditas, inquit, iuuenem egit in facinus. Hoc si credibile, si uerũ est, debet uideri, mulier hæres maritũ, an patrem cæcus exhæredatus occiderit. Habeãt sanè Iudices hanc nefariæ cupiditatis festinationẽ quos uitiorum ardor, quos quotidie luxuria præcipitat. Quò cæco hæreditatem uel innocentem? oculi sunt, oculi per quos paupertatẽ ferre non poßumus, oculi tota nostra luxuria. Hi nos in omnia quotidie uitia præcipitant, mirantur, adamant, concupiscunt. Facilius impleas animi satietatem. Quò per fidem diuitias iuuenis, apud quem omnium rerum diuersitas perit? Circundes licet hãc debilitatẽ fulgore, diuitijs, cæco tamen tunc magis cũcta desunt, cum contigerũt: nec inuenias debilitatem cui magis cũ paupertate conueniat. Homo in honore parentum excæcatus, patrimonio

nio sub patre melius utetur. Et quod per fidem parricidij genus iuuenis elegit? Venenum, inquit, parauit. Cur per fidem, si sufficit ferro, facinus aggreditur, cui adhibere conscium, cui præstare debeat ministrum, cum maius habere poßit in gladio parricida secretum? An postea iuueni succurrit quid possent facere manus, & se circa uenenum deprehensa debilitas collegit in uires? Nemo Iudices, nemo nescit quemadmodum poßit occidere. Intellexit Iudices nouerca quàm incredibile esset ut uideretur cæcus parasse uenenum. Igitur adiecit tentatam se ut illud ipsa porrigeret. Date per fidem Iudices operam, inueniet uerba, secreto priuignus & nouerca de parricidio loquuntur. Ita se non putat uterq; tentari? Quid cogitatis, quid dicitis Iudices? Nullũne in tota domo quod corrumperet aliud parricida pectus inuenit? Difficilius hoc credas nouercæ, si te à nullo alio putes impetraturum. Non ergo iuuenis credit hoc omnes loqui cum patre? omnium blanditiarum primum esse sermonem? Nouercam timeas * negantem. Non habet fidem ei credere parricidium, quem scias proditurum nisi impetraueris. Per fidem Iudices diligenter attendite criminis diuersitatem. Tentatam se in parricidij conscietia mulier affirmat. Quis uero dubitet, nunquàm hoc priuignum fuisse facturum, si habere conscium potuisset alium? Atqui uenenum iam parauit, emit. Et cum hoc ipse facere non potuerit cæcus, quis est iste cui parricidij tantum instrumenta creduntur? cur non idem porrigit seni? uel si non potest decipi maritus nisi manibus uxoris, cur antè parricidiũ struitur quàm sciat an nouerca promittat? Nam quod uult uideri, promissam sibi partem bonorum, non est argumentum, nisi & ipsum probetur. Mulier quæ solicitatur ad facinus, quemadmodum sibi cõsulit ne illam parricida decipiat? Et probationes prospicere debuit seu factura quod rogabatur, seu proditura. Adde quòd neq; odit nouercam cæcus, cui parricidium credit: neq; hæreditate corrumpitur, cuius contentus est parte dimidia. Nemo Iudices par-

*uel non

ricidium faciet quo alius utatur. Exigo igitur ut istud parricidium cæci tu socia, tu conscia manifestius probes. Quid opus est ut iam uenenum iuuenis habeat? potius sermonibus uestris interpone testes, fac coram seruis loquatur, fac intersint amici, fac audiat pater. Facilimum est cæci decipere secretũ. Vtere mulier homine qui se commisit oculis tuis. Vtere uerbis quæ regis, manibus quæ moues. Volo uenenum ipse proferat, ipse porrigat, uolo te rursus in facinus hortetur, uolo plura promittat. Parricidium cæci deprehendi potest, dum tibi fatetur. Sed, inquit, inuentus est tenens uenenum. Exiguum argumentum nouerca de magna facilitate fecisti. Non accusas cæcum, sed ostendis. Homo expositus ad omnem occasionem, ad omne ludibrium, quem tactus, quem proxima quæq; decipiunt, quid refert, quid in sinu habeat ille, quem deprehendere possis, qualem relinquas? A quo modo nouerca digressa est, cuius ordinauit uestes, tetigit sinus, membra composuit, uenenum potest habere sic ut nesciat: potest sic, ut aliud putet. Si mehercule uolueris, tenebit palàm: si iusseris, accipiet coram seruulis, coram amicis: & si uenenum non dices, hauriet, bibet. Nullo magis Iudices argumento potest innocentia cæcitatis intelligi, quàm quòd uidetur iuuenis deprehensus. Si parricida est, & exquiritur, hanc saltem sibi præstabit dissimulationem ne teneat uenenum. Neminem iudices credo mirari, quòd iuuenis interrogatus cui parasset, uerba non habuit. Non fuit illud patris indignatio, non fuit dolor, uenenum iuuenis expauit. Auferunt nobis uocem quæ fieri posse non credimus, & silentium est admiratio subita miserorum. Nescit tacere deprehensorum scelerum trepidatio, & statim respondet illa cum suo sibi scelere parata defensio. Tacere facilius est deceptis, quàm deprehensis. Quid per fidem facere uultis iuuenem, quem de parricidio consulit pater ille seruatus? miror hercule non dixisse, Volui, sum ueneficus, sum parricida, & inuidiã putarem si confessus esset. Bene quidẽ quòd nescit iuuenis, quẽ-

admodum

admodum parricidiũ neget, neq; habet illa deprehensorum multa uerba. Venenum quod tenet cæcus, ipsius est, si illud excusset. Sed, inquit, exhæredatus est à patre. Poteram Iudices secretum hoc senis profundumq; uocare consilium, contra iuuenem tamen esse non debet, etiam ut de parricidio crediderit nouercæ. Notum hoc iudices ac uulgare facinus est, quòd plerunque contra liberos amantur uxores, & sequentium matrimoniorum non aliunde, quàm de damno pietatis affectus est. Genus infirmißimæ seruitutis est senex maritus, & uxoriæ charitatis ardorem flagrantius frigidis concipimus affectibus. Quid, quòd necesse est impatientius amet maritus uxorem, qui sibi uidetur filium iam perdidisse? Facilimum est de cæco parricidium credere, cum hucusq; erraueris, ut inquireres. Volo scire Iudices, quid fecerit homo senex, qui parricidam filium sciat. Non culeum parat, non illud porrigit uenenum, nõ saltem abdicatione dimittit, testamentum tantummodo mutat, & parricida sola paupertate punitur. Rogo quis præcipitat? urget? adeo´ne non potest fieri idem postero die? grauius hoc faciet pater, si non præstiterit uxori? Quid, quòd hoc ipsum tam placide, tam quiete facit, quasi captet imponere? Quid dicitis miserorum parentum affectus? Exhæredaturus filium pater, nõ aduocat propinquos, non contrahit amicos, nullis lachrymis tabulæ, nulla uociferatione complentur. Nescis senex, quanta tibi opus sit ratione tabularum, exhæredas miserabilem parricidam. Non est Iudices quod putetis, ideo nullum adiectum ad exhæredationem iuuenis elogiũ, quia de scelere constaret. Nemo unquàm ideo nõ obiecit filio parricidiũ, quia crederetur. Per fidem Iudices duorũ, inter quos de scelere quæritur, æstimemus mutato testamento proximam noctem. Iuuenis seu innocens, seu parricida est, adhuc in suo silentio stupet, nec facile dixerim, unde maior trepidatio, si alienum tenuit, an suum uenenũ. Nouerca rem inter manus habet anxia, trepida. Nihil est difficilius quàm differre gaudia,

quòd scias te non mereri: & filio se esse prælatam, nõ est longa persuasio. Expectat nunc ut iuuenis agat causam postero die, ut credulum senem propinqui, ut ciuitas uniuersa castiget, & se nouerca sensit unius tantum noctis hæredem, non creditur testa mento homunis, qui eadem nocte qua filium exhæredauit, occidi tur. Tractemus nunc Iudices ipsius sceleris comparationẽ. Cæ cus ignorat ubi iaceat senex, an iam quiescat. Et quàm difficile est ut credat illũ, qui modo de parricidio suspicatus est, dormire patrem? Tu sentis quando senem uicerit lassitudo curarum. Cæ co quis renunciat quod diei noctis'ue secretum? Scis pariter an una quiescentium fores uallauerit cura seruorum. Tu facere po tes occasionem uxor & domina. Cæco fortassis ad aliud limen errandũ est. Tibi hoc solũ restat, ut ferias. Cæcus necesse est quie tem patris ipsa corporum electione cõfundat. Tu iugulũ, tu po tes pertractare pectus, dum amplecteris. Nobis iterum casus re dit, rursus incerta tentanda sunt. Tibi restat ut statim membra cõ ponas, ut quiescas. Non sufficiunt facinus facturo solæ cogita tiones, & uix tam multa pariter sciretis oculi. Per fidem Iudices ab utro credibilius est occisum senem? à nouerca, quæ prospexit ut alius posit esse suspectus, an à iuuene, cuius inuidia perittu rus erat, etiam ut illum alius occidat? Intuemini per fidem iudi ces præcedentem parricidam. Quos non ista uestigia frangant rumpantq; somnos? Vestigia plura semper errantium, quæ non ualent suspensis prætentatisq; gressibus librare corpus, & quia diu sunt incerta, nutantia, necesse est grauius premant so lum cui crediderint. Quanto ex hoc turbæ plus accipiat necesse est illa nocturni silentij quies, quòd ambulantis cæci nec manus cessant, præmittuntur, explorant, & adesse se nunciant? Illa per quæ complexus ueniunt, non sunt in potestate cæci, quibus toto se fateatur strepitu. Quicquid occurrit nequaquàm potest euitare cæcitas nisi offensa. Vt ambulare, ut ingredi nocte pos simus, dies facit. Quàm multa deinde supersunt postquam ad pa

ad patrem peruentum est? Exploretur necesse est pariter iacen tium prima diuersitas, uultus, ora tractentur, detrahantur uela menta corporibus, quæratur uulneri locus. Ita ex duobus neu trum excitat? Grauior semper dexteræ tractatus errantis. Pau latim deinde admouendus est pectori mucro, & ne qua confun datur ignorãtia, nimium liber ictus, præcedat oportet gladium manus. Vnde tantum uirium cæco, ut in uno statim ictu mors to ta peragatur? Incertum uulnus sit necesse est, cuius impetũ non regitis oculi, nec possis custodire destinatum ferro locum, dum ad colligendum uulneris pondus, dextera redire permittitur. Vtrum deinde iuuenis post uulnus unum continuo fugit? Et quemadmodum scit, an facinus expleuerit? an potius expectat, ut de parricidio cadaueri credatur? Ecce iterum per eadem in certa redeundum est, omnia rursus periculose uenienti tentan da. Fidem uestram iudices, ut nobis prosit argumentum crimi nis nostri, cæcus si nec uenire, nec reuerti sine strepitu potest: neq; sic occidere potuit, ut deciperet nouercam. Te te hoc loco mulier interrogo, quæ tam grauis quies, ut te mors tam uicina non excitet? Paruulis noctium turbamur offensis. Excitant nos exigui plerũq; motus, uox incerta, lõginqua, & aliquãdo ipsum silentium. Illorum sanè iuxta te suprema nõ sentias, quos sene ctus languoresq; dissoluunt: hominis qui ferro occiditur, tumul tuatur exitus, & simulis est repugnanti. Quid quòd necesse est nulla mors inquietior sit, quàm quæ statim tota est? Nam quòd dormiens occisus est, nõ est quòd sic æstimetis, tanquam per illã quietem transierit in mortem, sit aliquid necesse est inter sopo rem mortemq; mediũ, nec potest iũgi tanta diuersitas, cũ sit som nus ipse pars uitæ. Non multum interest quietẽ nostrã ratio ui tæ rumpat an mortis. Hominẽ qui dormiẽs occiditur, ipsa mors excitat. Sanè non habuerit supremam uocem, habet utiq; palpi tationes, habet motus, & quicquid totus lectulus sciat. Et quan do mulier seni tuo blandius implicita iacuisti? Siccine dormis,

quæ modo turbasti totam domum, cuius priuignus parricida, miser est maritus? Ecce uitalibus ruptis in amplexus tuos effunditur cruor, & fugiens per uulnus anima agitante se anhelitu, agit crebra suspiria. En iterum largus ille sanguis circa tuos duratur artus, stringeris deficientium rigore membrorum: nō moueris, non expauescis, sed dormis per tot diuersitates? Non relinquitur quid aliud simulare possit mulier, cui necesse est iuxta eum inueniri quem occidit. Non est Iudices quòd incredibile putetis, ut quis perferat dormientis simulationem, nihil est quod facilius humana calliditas possit imitari. Sic quidam cadauerum expressere pallorem, & contra uerbera, & experimenta telorum, mortium pertulere patientiam. Quanto facilius est simulare rem, cuius imitationi sufficit clusisse lumina, laxasse membra, dedisse suspirijs modum, & anhelitus negligenter egisse? Inter dormientē simulantemq; non est nisi cōscientia. Nā quòd ad tot uestigia, tot manus, tot proclamatiōes in eodē tenore durauit, nolite mirari, facilius excites dormientē. Et hæc est omniū natura rerum, ne quid diutius perferas, quàm quod imitaris. Simulare somnum habet & hanc facilitatem, quòd uidetur similis excitato, qui deprehensus est. Quid hoc esse uis mulier, quòd te non excitet res, qua domus tota turbatur? Illam seruilis negligentiæ quietem, illos sine curis sine affectibus somnos, illos qui non statim primo timore prosiliunt, fragor noctis agitauit. Quantus deinde fremitus discurrentium tota domo? Prima sunt euigilantium præsidia clamores, nec potest quieta res esse noctis auxilium. Minore strepitu commota es cum excitareris. Ecce cubiculi uestri fores tripidæ festinationis effringuntur impulsu: en lumen super lectulum ingerunt multæ manus, & ad prostratorum corporum similitudinem cubiculum gemitu, uociferatione completur. Tu iaces, & in cadaueris similitudinem usque resoluta es. Hoc tu quietem putas esse? Patientia est. Vestræ Iudices existimandum relinquo prudentiæ, strepitum quem

quem in cubiculo senis fuisse confessi sunt, qui illò potissimū concurrerunt, utrū putetis factum colluctatione moriētis, an à pera cta cæde referentis gladium mulieris fuisse discursum? An hoc quoq; inter artes nouercæ, ut omnibus sceleris sui partibus sensim quieteq; dispositis, ipsa ad excitandam familiam fecerit strepitum, cui hoc solum supererat, ut sic inueniretur? Fragor quo familia excitata est, si redeuntis cæci fuit, deprehensus iuuenis esset antequam gladium referret. Vt sciatis iudices neminem fuisse in domo quem non fragor ille confuderit, Cæcus quoq; inuētus in limine est, sicut solet ultrò citroq; commeare. Iuuenis si inter suum patrisq; cubiculum facile discurrit, quid adhuc in limine facit? Euasit, effugit, gladium iam reposuit. Et quāto facilius est cæco simulare somnos, uultū quietis imitari? Quod per fidem maius subitæ confusionis argumentū est, quàm quod cæcus exiliuit, & stetit. Grauius necesse est expauescant, quibus desolitudine sua non renunciant oculi: & quorum concussus animus non exit in uisus, non habet unde timori suo par sit. Deprehensus est iuuenis ubi illum destituerat impetus timoris. Potest negligere cæcitas in cubiculo suo ducem, in quo dies omnes cunctasq; noctes agit iter, quod iam multis offensis, multis edidicit erroribus. Extra limē cæcitas est, inde error, inde tenebræ. Nihil est innocentius cæco, qui nec in scelere deprehēsus est, nec in dissimulatione. Proclamat hoc loco iuuenis: Vt primum, inquit, mi pater fragor domus, & uelut tui confudere gemitus, iterum tanquam te rapturus exiliui. Tunc primum miser sensi facinus cæcitatis, steti donec mihi nunciareris occisus, & in illa discurrentium trepidatione tenui miser ocium timoris. O si numē aliquod paulisper accommodasset oculos, primus in cubiculum intrasse patris, inuenissem fortasis adhuc aliqua uerba morientis, loqui & interrogare potuissem. Tarda & trepida sunt officia seruorum. Ego te deprehendissem nouerca uigilantem. Sed, inquit, gladius cæci cruentatus inuentus est.

Non

Non est Iudices cæcitatis audaciæ, de parricidio referre gladiũ, & homo cuius pauloante exquisiti sunt sinus, non referret in cubiculum suum ferrũ, quod non tegere posset, non abscondere, & tamen cruentatum sciat. Quis hanc Iudices impudentiam ferat? Negat cæco subripi potuisse gladium mulier, quæ se quiete defendit. Et quanto facilius est somnos decipere miserorũ? Grauior est quies, quibus ex lassitudine calamitatum uenit. Cæco uero facile est etiam uigilanti subripere gladium. Quemadmodum autem paratur argumentum? quædam facere non potest negligentia, & facilius est ut cæcitatem oculi imitẽtur gladium cruentatum reponentes. Has tantũ causas habet qui occidit alieno. Sentio iamdudum indignari miserrimum iuuenem, quòd argumentis, quòd probatione defenditur, reddenda sunt maxima uiro patrocinia tam piæ cæcitatis, & agenda reliqua pars causæ admiratione. Intueri mihi Iudices uideor expeditionis illius incredibilem nouamq; faciem. Vadit rapto patre iuuenis per ardentes crescentesq; flammas. Dicturum me putatis, ut euadat, ut fugiat? Properat miser, ut reuertatur. En mẽbra cõtactu stringũtur ignium. Pater tamen toto cooperitur amplexu, & ardentibus tunc quoque penè luminibus, texerũt manus alterius oculos. Hoc me nunc putatis stupere, mirari, quod huic iuuenis oneri per medios ignium globos, & ruentia tecta suffecit? Illud est cui uix habere posit mortalitas fidem. Visus est sibi feciſſe rem facilem. Quanta dij deæq; pietatis audacia est, ire rursus in flammas, illò ubi patrem penè perdideris. Iam non erat illud penetrale, iam non erat domus, ubique tamen iuueni uidebatur ardere mater. Iam miser undique flagrantibus membris cum discurrentem clausisset ignis (quod solum supererat uirium genus) matrem quærebat oculis. Non fuit illud primum ignium perire lumina candentia, non protexerunt flagrantem sua membra faciem, oculi quærentibus matrem manibus arserunt. Rursus infelix totum tactu perlustrat incendiũ, & unde maximus est collabentibus

labentibus culminum fragor, illò debilitas tanquã inuentura reuocatur. Solus omnium seruatus est beneficio cæcitatis. Protrahatur Iudices, si uidetur in medium reus, plurimum probationibus adijcere debent truces uultus, terribilis minaxq; facies. Hic est Iudices qui dicitur tota nocte discurrisse. Hic ille circumspectus, hic ille felix parricida. Recesserunt cuncta debilitatis officia, & hominis qui circum genua uestra ducendus est, non est qui dirigat gressus, non seruuli supersunt, non penates. Respondete per fidem, respondete mortales, utrum hic patrem occidit, an perdidit? Quid agis infelicissime iuuenis? rogandum est, neq; habes totas preces, perit ille uester ambitus, uestra miseratio: sed nefas est, ut reatus iste sentiat debilitatis aduersa. Nos agedũ iuuenis duc, imò nostris humeris, nostris manibus innitere, nos tibi preces, nos accommodamus oculos. Quid aduersaris infelix? Quid repugnas? Scimus te non rogare pro uita, sed dura miser, dura saltem, uiue dum uincas, decet te hic quoq; uirtutum tuarum cumulus, decet ut digneris moriturus absolui.

MILES MARIANVS. ARGVM.

Bello Cimbrico miles Marianus Tribunum stuprum sibi infere conantem propinquum Marij occidit, reus est cædis apud Imperatorem.

Pro milite contra Tribunum. 3

SATIS dedecoris, atq; flagitij castra ceperunt, cum hæc furenti Tribuno mens subiecta est, ut in medio belli Cimbrici strepitu ante signa (tuis honos sit habitus sanctissimis auribus) iuberet prosterre gladio cinctum, & uim turpissimam ac nefariam tẽtaret inferre (ne quid aliud dicam) fortiori. Habet æternam labes illa memoriam, & in exemplum, in quod facilime uitia proficiũt, nouæ culpæ pernotuit. Et licet impunita sit reo uirtus sua, tamẽ in hoc ruẽtis in deteriora seculi cursu affirmo, plures erunt qui Trib. imitẽtur, quàm qui militẽ. Etsi nihil minus cõuenire uidetur par

tibus

tibus aduocati ſumme Imperator, quàm reo capite periclitanti ſubſidium miſerationis auferre, memor tamen pro quo, & apud quem loquar, audacter atq; ut ſpero, tutò profiteor militem tuũ quicquid afferat caſus hodie, ſub ipſo fortunæ minantis ictu ſtare ſecurum. Aut enim abſolues tanquam innocẽtem, aut punies tanquam uirum. Fas eſt uita periclitari, qui natum ſe meminit lege pereundi. Neq; in militiam grauiſſimo aſperrimoq; bello ita uenit, ut neſciret ſibi mortem in procinctu habendam: neq; eſt tam imbellis, ut non forti pectore aduerſa, dum nõ inhoneſta, toleret. Affirmo tibi C. Mari, non ſic nuper repugnaſſet, ſi illum Tribunus uoluiſſet occidere. Neq; ignorauit quæ manerẽt eum pericula, cum obſcœnos furioſi corruptoris amplexus gladio diuelleret. Nec habeo ſanè quid in milite præſertim tuo laudem, ſi pudicus eſt tantum quia expedit: nec ſi ſit uitæ cupidiſſimus, pœnitere cum facti ſui poteſt. De interfectore corruptoris fortaſſe dubites: illud utiq; ſcio, de impudico milite nõ deliberaſſes. Hũc uero C. Mari (defendatur enim tam fortiter miles tuus, quàm uindicatus eſt) nec ſi damnaueris pœnitebit. Si fors ita tulerit, ibit ad pœnam pleno gradu, tam paratus mori pro pudicitia, quàm occidere: laudemq; perpetuam fortiſſimi pudoris ſecum feret. Omnis licet delatorum uis ingruat, nunquam tamen effici poterit, ut miles tuus magis doleat, quòd accuſatus, quàm quòd appellatus eſt. Sed neq; hoc Roma parens, nec ſigna militaria aquilæq; uictrices, nec tua ſumme Imperator diuina uirtus ſinat, ut tua quoq; ſententia quiſquam uir & Romanus & miles nimium pudicus ſit, apud quem ante principia agendum eſt. Ecce cum maxime hoc agitur, ut inter Romanorum legionum manipulos ſcorta deligere, & ad ſtuprum trahere ſacramento rogatos poſthac liceat ex decreto tuo: nec pudet accuſatorem apud C. Marium (quod exemplum diuinitus nobis datum uidetur, quid in homine uirtus poſſit) aſſidentibus Legatis Præfectiſq;, & iſtis illi prodigio diſſimilimis Tribunis, totum armatorum

torum iudicio, obijcere militi quòd uir ſit, tantumq; non durum ea ruſticum, ſed parum meretricijs artibus queritur educatum. At ego ſi qua eſt fides, pudicitiam in milite etiam laudare erubeſco. Fœminarum eſt iſta uirtus. Aliter laudandus eſt uir fortis, idoneus bello, promptus ad pericula, præſtantis animi: libere dicam, dignior qui Tribunus eſſet. Hoc enim propinquo Mari non erubeſceres. Pater huic emeritis bello ſtipendijs tum, cum tota ſubnixum Numidia fregimus Iugurtham, exautoratas armis manus agreſti labore ſubegit. Prædura priſcis moribus mater, frigoribus ac ſolibus peruſta, & in pleriſque ruris operibus marito particeps. affirmo quam nemo appellaſſet impune. His ortus ipſe procul ab omni contactu receſſerat: pueriles quoq; annos aliquo ſemper opere durando, ſequi pecora primo, arcere gregibus feras, aliquid ſemper audere maius annis. Ludus fuit rotare ſaxa, uibrare iactu ſudes, ſaltus agitare uenatu, mox uigẽtibus lacertis humũ ſcindere, ſegnẽ futuris noualibus eruere ſyluam. Sic effectum eſt, ut (quemadmodum aliqui putant) poſſet citò militare. Interim ex ultimo littore oceani, & dirempta frigoribus plaga, gens à rerum natura bene relegata, ſtolida uiribus, indomita feritate, inſolens ſucceſſu, nec minus animorum immanitate, quàm corporum beluis ſuis proxima, Italiam inundauit. Nec tamen tantum ui ſua, quãtum luxuria ſocordiaq; noſtrorum ducum elata, dum nos in bello quoque uitia pacis ſequuntur, & delicati ſumus etiam miſeri, uaſtitatem agris, ſolitudinem iuuentuti periculum imperio, ac propè exitiũ attulit: apparuitq; nunquam Po. Rom. ad propulſandam pernicie magis uiris opus fuiſſe. Itaque cum appareret ſoluta militiæ diſciplina, & non minor nobis pugna cum moribus eſſet, quàm cum hoſtibus, ad unicum C. Mari cũ uirtutis tuæ, tum ſanctitatis ſeueritatisq; præſidium confugimus. Et mehercule feſtinarunt parentes ad nomen liberos mittere, quamuis aſperrimo bello, uelut occaſionem complexi, ut ſub te ponere rudimenta militiæ

litiæ contingeret,cernere quotidie diuinæ uirtutis exẽplum, te hortatorem operum habere,te testem. Et cum hæc cõmunis totius esset felicitas,dux Marius,tamen (ò facinus indignum) plus reliquis consecuti uidebantur,quibus Trib. contigerat propinquus tuus. Quanta cura robora militum legeris Imperator, ut hostibus propè humanas uires excedentibus opponeres parem delectum,uel ex eo manifestum est,quòd cum scires non ex sensu esse uirtutem,præterita facultatum contemplatione, uires tantum animosq; spectasti. Quid prodest? en quãta delectui tuo fit inuidia? diceris aduersus Cimbros puerum probasse. Sed neq; te militaris ætas fefellit: cuius certissima mẽsura est,posse fortiter facere. Neq; illa libido fuit saltem uitijs usitata,quæ ad obscœnos Veneris impetus formæ cupidine incenditur,sed quidam perditus contumeliæ amor ac summa flagitiorum uoluptas inquinare honesta: hoc ipsum quòd primus ante signa procurrit, quòd ueteranos tyro præcedit,quòd redit puluere, & cruore concretus,istud istud quod tam uir est. Vulgaria sunt irritamẽta cupiditatis,forma,ætas: singularis res est fortis concubinus. Illas cicatrices,illa uulnera,illa tot eximiæ decora militiæ,quid exequar ultra? Imperator pudet me quod intelligis. Transeo oblatam nolenti munerum uacationem, & blandius quàm militiæ disciplina postulat adulatum militi Tribunum, imperatas asperrimas expeditiones,ut remitterentur,sæpe ordinis, sæpe affinitatis tuæ iactatam gratiam. Confitemur C. Mari, diutius uixit obscœnus corruptor,dum ista miles non intelligit. Non audeo dicere Imperator concipe animo temporis illum habitum,reforma cogitationes tuas,in alijs forsitan causis permittatur indignitatem rei oratione exaggerare,de iniuria nostra latine queri non possumus. parcendum uerbis est,inhibenda magna ex parte ueritas, præuaricandum mihi est si pudorem habeo. Collatis cum hoste grauissimo comminus castris, cum totum bellum quodam genere ad pedem uenisset, & omnium mentes imminentis pugnæ co

gnæ cogitatio implesset,circunfremente undique barbaro ululatu, Romano militi pro uallo excubanti meretriciam obscœnæ libidinis patientiam aliquid imperat? Suum quisque habeat fortasse iudicium: mea sententia non satis pudicus est miles,qui armatus tantum negat. Hoc expositionis loco Imperator malo accusatoribus credas. Illi narrarũt rem uiro & Romano & milite tuo dignam,tantumq; non ardorem luminum,horrorem capillorum,fremitum indignationis ante oculos dicendo posuerunt. Ad primum statim obscœnæ libidinis sermonem, non aliter quàm si in hostem classicum cecinisset, gladium illum quem à te pro pudicitia nostrarum coniugum acceperat, per pectus infandi corruptoris exegit,& in latus ultra pedẽ. Si omnes milites tales habemus, Mari uicimus. Verebar equidẽ ne fugandi corruptoris causa ferrum strinxisset,& (quod accidere interim solet) dum alter recessurum putat, alter percussurum non putat,tam honestum opus casus fecisset. Neque enim (ut opinor) hoc quoque exigendum fuit,ut cum cæcus amentia corruptor per uulnera ipsa rueret ad prendendos amplexus,miles etiã gladium reduceret. Ego uero parum uiriliter istum indignatum puto,si in tanto dolore Tribunum potuit agnoscere. Ipse nihil excusat. Percussi,inquit, Gratiam Marti signisq;: occidi, hausi noxiũ ultrice dextera sanguinẽ,siue licuit, siue nõ licuit. Atq; utinã plures mortes cepisset, ut impurum spiritum renascẽs pœna torqueret. Parũ seuere militarẽ redeuntibus supplicijs disciplinã continemus,si Tribuno post hoc factum bene cesserit quòd occisus est. Reum ergo cædis nõ inficiatione defendam,uiro forti, præsertim & innocenti nihil facere conuenit quod negãdum sit. Non abnuo crimen,imò si accusatores tacerent,ipse narrasem. Obijcite igitur,sed ut delatores decet,totũ. Verecundissimum enim militem apud sanctissimas Imperatoris aures minus pudet confiteri quàm quæri. Parum'ne dedecoris subimus,quòd non de honoribus fortissimi uiri quæritur? & ut lõgissime uota

procedant, rem honestißimam militi feciſſe impune erit. Damne
tur etiam, & pudicitiam ſupplicio pendat. Conuenite legiones,
intẽdite animo ſancto tracta undiq; auxilia. Lex dicitur caſtris,
nec pauci ſunt qui hoc nolint licere, illud uelint. Nõ me hercule
poſſum tenere, quo minus in accuſatorem dolor meus erumpat.
Quid dicis? Tu ſi tribunus eſſes, hoc feciſſes? Si miles eſſes, hoc
tuliſſes? Date præcepta, componite diſciplinam. Miles hac con=
tumelia percuſſus eſt, indignis uocibus contaminatus nihil am=
plius aget quàm renuet? Et quis non illum inter proſtitutos ha=
beat, ſi commiſerit, ut poßit iterum appellari? Neget tamen, &
ultionem iniuriæ ſuæ differat. Ita puto, cum illuſerit Trib. quæ=
retur. Inijcitur manus, & ab aßignata ſtatione miles abducitur,
ut ſtuprum patiatur. Vos interrogo accuſatores, quid faciet? fe
ret libidinoſas manus uulnera ſua tractantes? deponet arma, an
reponet? Vir eſt enim, autorem habet, hoc primi ordines iubẽt:
Aequum eſt Trib. militem parêre, in diem ſperare etiam proceſ
ſus poteſt. Pro hoc merito accipiet fortaſſe uicem, ordines du=
cet, & ſub illo alij militabunt. Si hæc conditio cauſæ eſt, ſi defen
ſio ſui non permittitur, indicate, prædicite: ſi corruptorem non
licet feriri, feret, non enim poteſt nuda manu repelli. memẽtote,
corruptor armatus eſt. Implicitus tamen infando nexu, cogitate
quid ſibi feciſſet, utrum id ſi plura diſpiciat, imò ſi uidetur, quo
iuſtius queri poßit, patiatur. Iſtud uero flagitium in conatu pe=
reat. Nam ſi libido ad uotum obſcœni corruptoris proceſſerit,
duo occidendi erunt. Libere itaq; dixerim C. Mari, quam de for
tißimo milite ſententiam feras, magis tua intereſt, huius quidem
gloriæ nihil plus adijci poteſt, quàm ſi pro re tam honeſta mo=
ritur: hunc mirabitur ſola uirtutum incorrupta teſtis uetuſtas,
hoc factum patres liberis uel poſt pœnam præcipient. Tu cogi
ta quid te ſenſiſſe homines ſciant. Hoc exẽplum in neutram par
tem poteſt taceri. Cogitare certum eſt id quenque cum iudicat,
probare quid in re ſimili ipſe feciſſet. Omnibus enim ad uirile
robur

robur per pueritiam iter eſt, & contra libidinem maturuiſſe
non prodeſt. Recognoſce incrementa tua, & honeſtam tantæ
magnitudini memoriam priſtinæ tenuitatis. Sine dubio te ad tot
Conſulatus, & actos aut deſtinatos triũphos diuina uirtus tua
ſuſtulit. Memẽto tamen & tu ſub Tribuno militaſti, nec ad hoc
faſtigium dignitatis tam breui tibi uenire contigiſſet, ſi ſero cœ=
piſſes. Dicam nunc ego præcipuam ſemper curam Romanis mo
ribus pudicitiæ fuiſſe. Referam Lucretiam, quæ condito in uiſce
ra ſua ferro pœnam à ſe neceßitatis exegit, & ut quàm primum
pudicus animus à polluto corpore ſepararetur, ſe ipſa percuſ=
ſit, quia corruptorem non potuit occidere. Si nunc placet tibi
miles, quid ego Virginium narrem, qui filiæ uirginitatem, quæ
ſola poterat, morte defendit, raptumq; de proximo ferrum non
recuſanti puellæ immerſit? Diuiſit illi ſolum Appium, quem ta=
men Populus Romanus ſeceßione à Patribus & propè ciuili
bello perſecutus in uincula duci coẽgit: neq; ulla res tum magis
indignationem plebis commouit, quàm quòd pudicitiam auſer=
re tentauerat filiæ militis. Hæc ſunt honeſta, hæc narranda fœ=
minarum exempla. Nam uirorum quæ pudicitia eſt, niſi nõ cor
rumpere? Non ſit mihi forſitan querendum auerſis auribus,
ſeculi in tantum uitia regnare, ut obſcœnis cupiditatibus natura
ceſſerit, ut pollutis in fœmineam uſq; patientiam maribus, incur
rat iam libido in ſexum ſuum. Finem tamen aliquem ſibi uitia
ipſa exceperunt, ultimumq; ad hoc huius flagitij crimẽ fuit, cor
rupiſſe futurum uirum. Hoc uero cuius dementiæ eſt, in concu=
binatum iuniores leguntur, & in muliebrem patientiã uocatur
fortaſſe iam maritus. Ego uero gratulor militari diſciplinæ, gra=
tulor opinioni caſtrorum, ſi huius mentis Trib. in hunc primum
incidit. Ita ne tandem (iuuat enim uelut præſentis inſequi furo=
rẽ) ſcorta tua ſtipendiũ merẽtur, & ſub ſignis exoletos trahis?
Ideo meretrices ab exercitu ſubmouentur, intrare caſtra fœmi=
nis nõ licet? Ita puto, nõ opus eſt. Militẽ, hoc eſt, pluſquàm uirũ,

iamiamq; in acie staturum, cui pro uirili portione salutem suam patria commisit, appellas. Fortasse classico sonante, ideo stationes circuis, ideo uigilias ambis. En quem Trib. faceres, cum praetextati militabant? Non is profusus est furor? non manifesta dementia est? Vides munitum gladio latus, loricam ferro asperam, clausam galea faciem, & ad terrorem belli cristas minantes, inscriptum in scuto C. Marij nomen, totum denique uirum Martio habitu horrentem. Hic tibi cultus prostituti uidetur? Appellabis de stupro? uim afferes? Quid deinde expectas, ut ille te Tribunũ putet, cum tu illum non putes militem? Vacat enim uitijs nostris, & ad omne uotum fluente fortuna lasciuit ocium, aut in eo saltem statu resp. est, ut ad restituendam eam satis sit milites impudicos non esse. Non de prolatando tibi imperio res est, nec transmarinas (ut nuper) prouincias petimus: de Italiæ possessione certatur, pro aris focisq; cõstitimus, an hæc omnia igni ferroq; uastentur, an nobis caput barbarus hostis excidat, an Cimbrice loquendum sit. Vita omnium nostrum, & salus (patinanq; aliud, ne sub hoste quidem uiri timemus) in ultimum discrimẽ adducitur. Influxit Italiæ inaudita multitudo, quam nec ea quidem potuit sustinere terra, quæ genuit: inusitata corporum magnitudo, mores etiam Germanis feri. Strage nostrorum campi latent: iam fugatorum Carbonis atque Syllani sub comparatione felix militia est. Iacet post amissum Scaurus exercitũ. Seruij Manlijq; bina cũ tot legionibus castra perdidimus. Gens maiorem terrarum partem uictorijs peruagata, tantum in Mario stetit. Libenter te Imperator interrogo, in hoc rerum statu tales milites habere malis, an tales Trib. In tanto belli discursu, ne cõcessæ quidem Veneri dares ueniam. Nam quo ad altiorem quisq; honorum gradum extenditur, magis in exemplum spectantibus patet. Cum alij excubent armati, alij claustra portarum tueantur, alij uallũ fossasq; scutis innixi cingãt, cibũ ipsum stantes capiãt, Trib. inter scorta uoluptabitur? & has solas uigilias aget? ac ne ideo quidem breuem saltem frugalitatis perferet simulationem, ne hæc illum facere milites sciãt? Age porrò si ueniret Trib. & hoc ad te factum Imperator deferremus, circũsta ret uniuersus exercitus, nec hãc militis contumeliam, sed militiæ putaret, quid ageres? quid constitueres? Beneficiũ accepisti Mari, beneficiũ non habes necesse propinquũ tuum occidere. Nam si uere æstimemus, imperium populi Ro. ad hanc diem militari disciplina stetit. Non enim nobis aut multitudo maior est quàm cæteris gentibus, aut uehementiora corpora, quàm uel his ecce Cimbris, aut maiores opes quàm locupletissimus regnis, aut mortis contemptus facilior quàm plerisq; barbaris causam uitæ nõ habẽtibus. Principes nos facit seueritas institutorũ, ordo militiæ, amor quidam laboris, & quotidiana exercitatione assidua belli meditatio. Itaq; plura penè moribus quàm uiribus uicimus, cum captiuæ quoq; sanctæ habebantur, & contumelia etiã hosti abe rat. Quæ omnia longa superbæ nobilitatis intermissa luxuria tui nobis mores retulerũt. Dij profecto magnitudinem tuã curãt Imperator ac dirigunt, qui tibi super cæteras laudes obtulerũt tam honeste sententiæ occasionẽ, quòd miles fortiter fecit si absoluis, tuũ exemplum est. Nisi forte hoc me perturbari putatis, quòd Tribunus fuit. Ideo hercule turpior, ideo morte omni dignior. Hæc enim conditio superiorum est, ut quicquid faciunt præcipere uideantur, & pernicioſissimus est malæ rei maximus quisq; autor. Quis continebit militiam? Quis castrensis disciplinæ præcipiet seueritatem? Quis te Imperator maioribus curis districto, delicta militum coêrcebit? Tribuni corpus & peccatum corriget. Ad quem confugiam? cui querar? Sic est ut necesse habeamus ipsi nos uindicare. Tribunus fuit, & hic miles fuit. Tribunus. Hoc dicis, cui parere caligatum lex iubet, qui nõ solum militibus, sed cẽturionibus præpositus partẽ quandã imperatoriæ potestatis obtinet. Ita opinor cõtra iura castrorum fecerat miles, etiãsi tantum negasset. Nescit quòd istius honoris fasti

gium,quæ poteſtas ordinis tiro eſt. Age ſi ad te C. Mari ali-quis impudicum militem detuliſſet,ferres dicentem, tribunus me iußit? Quòd ſi par in utraq; parte delictũ eſt,hoc tamen crimen militem ſaltem decet. Tribunus fuit. Videor mehercule Imperator oblitus mediocritatis meæ,cũ uix unius defenſioni ſufficiam, quædam pro uniuerſo dicturus exercitu. Omnes has quæ circũſtetere legiones,florem Italiæ, ciuium ſociorumq; robora una uoce proclamare apud tribunal exiſtima. Non ignominiæ Tribuni parêre poſſumus,nemo noſtrum recuſat itinerum laborẽ, nec inuiſum ſuper arma faſcem,non æſtiui ſolis ardorẽ, nec ſub pellibus actam hyemem,feriẽda ſit fatigato foſſa,pro uallo portiſq; uigilandũ,fortiter ancipites inibimus pugnas,uulnera laude penſabimus,mors erit ignominia potior. Quicquid in pugna patimur uirorum eſt. Imperet aſperas Trib. expeditiones, ſi quo uertice montis hoſtis pellendus eſt,ſi inter infeſtos armatis ſaltus ſpeculandum, ſæuiat deniq; in terga uerberibus, exigat ſeruilem plagarum patientiam,leno etiam ſeruis excipitur, fortaſſe hac lege captiuos uẽdes. Si meretricia imperatur neceſsitas, ſi aduerſus obſcœnam uim corruptoris arma tantum cõtumeliæ cauſa habemus,potius caſtra capiãtur,& uim Tribuni interpellet Cimber. Nihil tale nouere Germani, & ſanctius uiuitur ad oceanũ. Quid futurũ eſt Imperator,ſi ad pudicitiam militũ pertinet uinci? An ignoramus Imperator quãta quondam Pop. Ro. exarſerit ſeditio,cum ex domo fœneratoris,addictus lacero uerberibus tergo prorupiſſet in publicũ,& illas ſuppliciorũ notas tuliſſe ſe quereretur, quòd uim corruptoris pati noluiſſet? Et ille tamen quãquàm hoc flagitiũ conatus in addicto ac penè ſeruo,& uix libero,uidebatur aliquatenus memor fuiſſe Romanæ ſanctitatis,qui uim obſcœniſsimã non tẽtauerat,niſi aduerſus alligatas manus. Eo tamẽ uſq; Pop. Rom. uindicta proceſsit, ut ardentibus bello finibus ad delectum nemo reſponderet,niſi & pœna corruptoris,& abrogatione legis ſatisfactum eſſet. Nolebant

bant militare,quamuis hanc iniuriam nõ miles acceperat. Quid de Fabio Eburno loquar, qui filium impudicum cognita domi cauſa necauit? Iam iam commulito quicunq; caſus manet,etiã ſi te Imperator damnaturus eſt,habes ſolatium,ſatius eſt quàm à patre occidi. At propinquus C. Marij fuit. Corrumpitis iudicem,et animo alioqui leui gratiæ põdus imponitis. Propinquus tuus fuit. O rem omnibus narrandam,cum abſolueris. Nam ſi quid tibi iudicãdi fides tua cauſa facere permittit,cogites profecto quantum tibi hoc ipſum apud æmulos, quos uirtutibus offendis,allaturum ſit inuidiæ,cum uideberis aut corruptorem militis iudicare innocẽtem, aut propinquum tuũ etiam uindicare nocentem. Olim iam Imperator inter fulgentes uirtutes tuas liuor locum quærit. & natura quidem omnibus nouitatis incrementis aduerſa nobilitas, tuis tamen laudibus preſſa, & obruta, rimatur occaſionem criminum. Quòd ſi bene inuidiã noui, hoc quoq; tibi obijcietur, quòd ſaltem propinquus tuus peccauit. Quare abdicandus & eiurandus eſt,non tuus ſanguis. Certe nihil minus committendum, quàm ut ulciſcaris flagitium in eo præſertim,qui apud malignos poterit uideri te permittente feciſſe. An ille ſi unquam cogitaſſet ſe eſſe propinquum tuum, nõ has uirtutes tuas,inter quas fortuna tua minima eſt, cum ei uelut propius contemplari licuiſſet, toto pectore haurire debuerat? Non huic affinitatis ſuæ felicitati referre gratiam? Miles te melius imitatur. Quòd ſi poſt hanc mentem uiueret Tribunus, neceſſarium forſitan erat hac quoque cum premi inuidia, quòd iſta feciſſet Marij propinquus,quòd ex ipſa ſtirpe uirtutum ſuſtuliſſet ſe flagitij ſoboles. Nam cum bene ſit liberata probro familia,quid attinet illud ſubinde Mario obijcere? Optimum fuerat non habuiſſe talem proximum,aut libenter perdidiſſe. Peroratã Imperator,ut mediocritas ingenij mei tulit,cauſſa,ſcio cõmẽdationis partes eſſe reliquas: ſed has ſuperuacuas facit ſanctitas tua. Quid enim uereär ne noceat reo humilitas apud te, cui

uel gratior poteſt eſſe nuda uirtus, apud quem maximum eſt ex ſe cœpiſſe. Commendem tibi ordinem caligati militis, quem uelut incrementorum tuorum natalem libenter ab alto reſpicis? Adhuc fortaſſe patricium ualuerit genus, ſed ductum eius longa ſerie dignitatis ordinem ipſa uirtutum conditione meliorem feci ſti. Nondum potuit altius procedere uir adhuc huius ætatis. Ta men cũ uirum ſortem, cum dignũ tuis caſtris, tuis auſpicijs pro barim, commendo tibi quicquid melius miles fieri poteſt. Hoc quidem profecto non expectas, ut in extrema actione miſerabili fletu, & humili obteſtatione uitam genu nixus petat: nec tu ro gari ab innocente exigis, nec uiro ſorti opus eſt precaria abſo lutione. Vnum rogat, ut ſi quid de cauſſa illius dubitas, des dila tionem uſq; ad proximum prælium, pone in prima acie: pone ante ſigna (fortiter dixerim) non inter tirones, ubi plus pericu li, quo maximus hoſtium globus ingruet, ſpecta pugnantẽ. Affir mo tunc minus ignoſces Tribuno. Liceat ire in aciem, congredi cum hoſtibus. Si perire debet, rogat te Imperator miles tuus, opera mortis ſuæ utaris feliciter.

MATHEMATICVS. ARGVM.

Vir fortis optet præmium quod uolet. Qui cauſſas uo luntariæ mortis in Senatu non reddiderit, inſepultus abij ciatur. Quidam de partu uxoris Mathematicum cõſuluit. Is reſpondit uirum fortem futurum, qui naſceretur, deinde parricidam. Cum adoleuiſſet qui erat natus, bello patriæ fortiter fecit, reddit cauſſas uoluntariæ mortis. Pater con tradicit.

Pro filio contra patrem. 4

DOSITVS P.C. in ea conditione triſtiſſimæ ſortis, ut nec morte dignus ſim, niſi me parricidam putetis: nec præmio, niſi me innocentẽ, adeoq; ludi brijs miſeræ ſim diuerſitatis uel neceſſitatis implici tus, ut impetrãdũ à uobis habeã odij mei fauorẽ. Quæſo præter omnia,

omnia, quæ ante hoc tempus circa nos ordo prædictæ ueritatis explicuit, attuliſſe me credatis urgentium malorum probatio nem. De parricidio uenit, quòd occidere me poſſũ: de fato, quòd mihi non licet mori. Non ſolum mathematicus ſeculo tempori busq; prædixit has manus, ſed & ego me parricidium credo fa cturum: plus quàm reſponſum, quàm ſacræ artis præſagium tri ſte eſt, quod mihi ſic minatur animus meus. Non habeo infelix in cogitationibus meis, unde nõ timeã: & facinus, quod ſibi pro me pietas patris, quod ſingulorum innocentia rogat, ſentio, pa tior, agnoſco. Ne quis me tamen laborare putet miſeræ perſua ſionis errore, accipite cur non poſſim dubitare de fato. Parrici dium credit, qui facturus eſt: non timet, qui periturus eſt. Ante omnia igitur à grauitate publica peto, ne pro tota innocen tia mea cõtenti ſitis hoc, quòd uolo mori. Nec quia uideor con tendere cum mathematico, uincere neceſſitates, expugnare fa tum, ideo mihi bene credi putetis & uitam. Aliud eſt facinus nõ eſſe facturũ, aliud mori uelle ne facias. Quinimò (ſiqua eſt fides) hoc quod uos conſtantiam putatis, infirmitas eſt: quòd ad ſupre ma confugio, animũ meum noui. Nouiſſima uictæ mentis inte gritas eſt in mea poteſtate, breui non habebo, nec mortẽ. Fidem ueſtrã P.C. ne quid amplius de miſera pietate ſperetis. Qui mo ri uolo, ne parricidiũ admittam, non inuenio quemadmodũ illud poſſim nõ facere uicturus. Nam quod ad patrẽ pertinet, qui me retinet uiuere nolentem, non miror, quòd adhuc recenti gloriæ noſtræ gaudio ſtupet, & in opera mea totus oculis animoq; cõ uerſus, parricidã non uidet per uirũ ſortem. Hic eſt animus, quo me quamuis denunciatũ prædictumq; ſeruauit, & cum incertis adhuc dubijsq; uirtutibus præſtiterit ut uiuerẽ, præſtat meritis actisq; ne moriar. Nunc ille, quòd pietate, quòd uideor ipſius pe rire reuerentia, uocat parricidium ſuum, & in orbitate, quam fa cere ſibi uidetur, non remediũ meum, ſed ſuum ſpectat affectum. Filius qui uult mori, ne parricida ſit, aliter ſibi uidetur remune

rari non posse, quàm ut ipse moriatur. Meritò prorsus, meritò miserum senem tristes solicitudines & præscij metus ad mathematicum & responsa miserunt. Debuit uir fortis nunciari, parricida prædici. Siue enim miseræ coniugis prodigiosa fœcunditas tumultuosis pulsibus maritales inquietauit amplexus, seu per anxias noctes dirosq; somnos feralibus senex imaginibus agitatus dicitur ad notißimũ sacræ artis antistitẽ, non spes, nõ auida uota, sed suspiria, metus et præsagiũ magni nescio cuius incerti detulisse pallorem. Quid aliud hoc esse uultis P. C. quàm primã fatalis instinctus necessitatẽ? De partu uxoris nõ potuit nõ interrogare, deinde non credidit. Referã nunc P. C. cuius artis, cuius fuisse dicatur autoritatis, quẽ putauit adeundũ, qui sic timebat. Hoc quidem certũ habeo, plurimis meruerat experimentis, ut ad illũ uelut ad oracula deorũ, plenumq; sacro spiritu pectus, hominum solicitudines metusq; confugerẽt, dicitur inspecta totius ratione cœli, digestis syderibus in numeros, ad publici priuatiq; fati stu puisse conspectum: & tanta prosperorũ tristiumq; congerie magis ipso consultore perterritus, diu non commusisse uerbis, quod uidebat. Sed ò uirum grauitatis antiquæ, dignumq; cui se fatorum arcana nudarent. Cum partus de quo quærebatur, multa præstaret propiora prospera, lætos incipientes annos, non fuit contentus meliora edicere, sed (quæ certißima est uera proferentium fides) quicquid deprehenderat, protulit in medium, & proclamauit futurum uirum fortem, deinde parricidam. Quis unquàm P. C. fiducia maiore respondit? Cum summum facinus denunciaret, antè se dixit probaturum. Fecerat profecto P. C. interrogando mathematicum pater rem non educaturi, si quid tristius comperisset, nisi hoc primum de fato fuisset ut uiuerem. Sed nec mathematici fides circa momentum aliquem'ue cessauit ordinem: non numerus fefellit, non sexus in partu, non iuuenta, non robur. Illa quoq; quæ uelut extrinsecus consentiebant, affuere responso, bellum, hostis, acies, ad illam ipsam quæ fortiter

fortiter facere poteramus, ætatem. Pater uero periculi sui denunciatione nõ territus, arma mihi pater, prò tristis necessitas, arma ipse circundedit, & suis ad pugnam manibus aptauit, tanquam mathematico id iam credidisset. Quis miretur quòd responsum non contempserit, dum sperabat ut fortiter facerem? Mori me non uult, & iam non supereſt nisi parricidium. O mors laudanda fortibus, expetenda miseris, non recusanda felicibus, quantum te quæsiuimus in bello? Tuli enim (deos testor) in aciem, tuli nõ uirium iactationem, non gloriæ cupiditatem, sed ut patriæ præstaret aliquid utilitas mei, ut hunc mihi deploratum spiritũ, hoc destinatum damnatumq; corpus, publicarum utilitatum usus absumeret. Ibi miser primum didici, quàm multa nescientes, quàm multa faceremus inuiti. In medios hostium globos perditus pugnator exilij, cessit acies. Densißima quæq; certamina solus inuasi, resistere nemo sustinuit. Obuijs ictibus membra nudaui, & ad incurrens ubiq; ferrum uitalia parata circuntuli, uacua circa me tela ceciderunt. Miserũ me deceptæ cogitationis euentu, fortiter feci, dum mereor occidi. Recedite gratulationes, abite laudantes: non circumeo templa, non reddo uota numinibus, ad parricidium ueni. Quẽ ego paulò antè paßus sum miseræ conscientiæ pudorem? Ad patrem arma nõ retuli. Timui quinimò ne mihi dum reuertor, occurreret, ne in oscula mea plenasq; adhuc uictricibus telis manus incauto rueret amplexu. Quam tũc inter cæteras exclamationes deducentis exercitus uocem, quod circunstantis populi murmur excepi? Magnum felicemq; me iuuenem si subito morerer. Adiuuate dij pariter atq; homines, dũ perire concupisco, dum uolo, miseremini, ne hunc ardorem fugientis animæ dilatione laxetis. Proclamo, testor, in nouißimo fati stamus abrupto, propè est ut occidat patrem parricida prædictus, cum est mori paratus. Quid me pater adhuc detines? Quid moraris abeuntem? Melius quidem fuerat hunc spiritum aut in ipsa maternorum uiscerum sede comprimere, aut ut primum

contactu

contactu suo cœlum terrasq; polluerat, festinata morte dimittere. Sanè tamen charitas patriæ priuatos uicerit metus, & in honorem uirtutũ scelera nutrita sint, quicquid est propter quod educari me tanti fuit, explicitũ peractumq; est. Restat una pars fati, ultimum solumq; facinus. Frustra me cõsolaris æquanimitate patientiaq; tua. Non idem utriusq; nostrum discrimen agitur. Tu mori periclitaris, ego patrem inuitus occidere. Hoc primũ itaq; excuso uobis P. C. quòd præmiũ peto, satis sit hactenus uiri fortis nomen agnoscere, hucusq; autoritatẽ sacræ legis attingere, ut illam in aduocationẽ sacræ mortis adducã. Relaturũ me putatis illa optionum uerba solennia, non capere magnorum preciã meritorum solas æquitates, tanta remunerandũ benignitate quòd fortiter fecit aliquis, quanta solicitaretis ut faceret? Nemini unquam minus soluendo ciuitas fuit, præstiti post quod mori continuo deberem. Sed securi estote de auiditate summæ potestatis: illud infinitum, illud immodicum, quod nobis uoluerunt licere leges, intra se consumit ille qui meruit. Titulos, imagines, honores, seruate uicturis: mihi præstate salutem patris, innocentiam meam, temporum pudorem. Quæso ne mihi ideo præmium negetis, quia fortassis & hoc debeatis odisse quòd fortiter feci. Extra inuidiam est optio, cum id exigam quod impetrare potuissem etiam antequàm fortiter facerem. Nam quòd obiter optionis reddo rationem, quæso nequis ideo me parum aut præmio fidere credat, aut causis, quia utriusq; iuris miscui preces. Ignoscite ardori perire cupientis quòd pariter imploro, quæ singula sufficere potuissent. Fidem quinimò uestram, siqua adhuc lex est, quæ adiuuare possit mori uolentem, commodate, conferte, est utriusq; iuris & autoritas, quod in mea morte tribuatis. Præstate causis ut moriar, præmio ut sepeliar. Sentio P. C. hoc primum ab affectibus publicis petendum, ne quis mori me uelle non credat, quia potius ad causas ac uerba confugi, quia à uobis malui petere, quicquid ab his potui manibus accipere. Me-

rui

rui fateor malignas interpretationes, uir fortis ut morerer à bello reuersus arma posui, populi fauorem, gaudia ciuitatis intraui. Sed siue hoc est, sepulturæ suæ magna reuerentia pessimæq; additæ pectoribus humanis infirmitates, ut esset quod timeret, qui non timet mortem. sine decuit innocentiæ amore pereuntẽ tranquillitas magna pereundi, ignoscite quæso cunctationi, patientiæ, moræ. Si me continuò occidissem, tanquàm parricida moriebar. Neq; est P. C. quòd excludi præmium putetis contradictione patris. Eximus per magnorum operum reuerentiã de necessitate parendi, & aut interim nobis magna uenit contra nomunis huius potentiam de uirtutum fauore libertas, aut obsequia peracta demum optione repetemus. Non est quòd uos resistentis moueat autoritas, neminem inuenias mori uolentem, qui non habeat aliquem uetantem. Ille cui præsto non sunt pignora charitatis, lachrymis tamen audientiũ, & consolationibus, & promptissima semper exhortatione retinetur. Parentibus uero circa liberos unus affectus est, fauere uitæ, timere mortem. Non habent patientiam nec iustæ orbitatis, & inter supplicia licet pœnasq; omnes tamen illis innocentes, omnes miseri sumus. Ego P. C. cõmunem hanc impatientiam senis accendo pietate, reuerentia. Fieri non potest ut se mori debere persuadeat patri filius, propter quem se uidetur occidere. Hactenus leges, hactenus merita uirtutum, ueniamus ad necessitates. Mori uolo, mori uolo ita ut reddidi causas. Ita non ex hac destinatione sentitis quicquid dici potest, quicquid dici non potest. Videritis, quid nos hucusq; protulerit, hinc incipit ratio. Quod uolo, fingite unum ex populo turbaq; petere ius præmiorum. Nõ debet hoc uetari, quoties habet causas, non potest, quoties non habet. Scilicet enim uerendum est, ne ad hoc inconsulte, ne temere leuitas humana prosiliat: & credibile est, ut quicquid apud hominem pro uita dici potest, ipsa sibi uita non dixerit. Abite gratulationes, silete blanditiæ, quoties iam putatis noluisse me mori? Primum hoc maximũ

quòd

quòd pro incolumitate hominis natura commenta est, ut perire mus inuiti, & cõtra tot aduersos casus, patiẽtiæ nobis æquanimitate succurreret. Inde est quòd inter luctus & desperationes fœda uiuacitate duramus. An uos me moueri non creditis quòd iuuenis sum? quòd modo uitæ uoluptates, modo gaudia lucis ingressus sum? Quantopere mihi blanditur, quòd publicis ex acie reportatus humeris lætitiam ciuitatis impleui? Quoties mehercule, hæc uulnera & rorantia hostili cruore arma cõplexus, animũ supra necessitates erigo, supra fatum pono. Sed omnia mihi iam discussa, consumpta sunt, & honesta pereundi ratione uicta cesserunt. Quid mihi amplius cum corpore, quod oderunt oculi sui, cum quo quotidie properans anima rixatur? Non sunt mea membra, quæ possim (uelut hostis alicuius) lacerare, confodere. Homini qui semel renunciauit rebus humanis, non redditur uita, sed tempus: & ipsa cupiditas ratioq; pereundi hoc ipso quo uetamur, accrescit. Felicior mehercule qui moritur antequam debeat, antequam uelit. Penè sero renunciat uitæ, quisquis sic ad exitum peruenit, ut hoc illum facere nemo miretur. Ei tantum debet mors negari, de quo non sufficit hoc pœnæ genus, ut ipse se potius occidat. Nam quòd lex iussit, ut moriturus redderet causas, quòd insepultum uoluit abijci, si sic properasset erumpere, ut non nunciaret hoc prius, non fateretur, fallitur quisquis ideo factum putet, ut teneremur inuiti. Illa uero non timet pereundi temeritatem, nec secretum doloris alieni libenter inquirit. Sciebat illos non aliter ausuros proferre causas, quos sceleris conscientia, quos maioris cruciatus metus in suprema compelleret. Igitur ne supplicia properato lucrarentur obitu, rursus in pœnam nocentis insepulti corporis reuocauit iniuria. Lex placida, mitis, causas mortis reddi uoluit, non æstimari. Posum igitur P. C. publica quadam uoce generis humani respõdere quærentibus causas mortis interrogatus, at ego difficilius redderem uitæ. Quid iuuat ò misera mortalitas animã per tot annos (etiam si natura

si natura patiatur) per infinita temporũ spatia tristissimo corporis retinere complexu? Si cũcta gaudia nostra, si uoluptates, & quæcunq; ex hac uniuersitate mundi uel solicitant aspectu, uel blandiuntur usu, diligenter excutias, tota uita hominis unus est dies. Humiles prorsus abiectæq; mentes, quas non implent hæc cadẽ, semperq; redeuntia. Vt qui honestis operatus artibus sciat quis finis bonorum, quæ uera felicitas, nunquam sibi uidebitur præmatura morte periturus, & lucis causas ad animũ mentẽq; referentium neminem quotidie uita non satiat. Relaturum nunc me putatis, quanto plura sint in hac æui breuitate fugienda, comparaturum gaudijs proprijs metus, calamitates? Illa illa æstimemus, propter quæ fatigamus uotis deos, propter quæ breuẽ querimur ætatem. Nempe sunt uanitas, cupido, luxuria, libido. Non pudet propter hæc ferre debilitates, luctus, spatia morborũ, & cum liceat cuadere, malle pati? Finge tibi uelut ipsam proclamare naturam, Receptus es in hoc pulcherrimũ mundi rerumq; cõsortium, & per succedentiũ uices in ordinem mortalitatis natus, bona nostra uidisti, admitte posteros, cede ueniẽtibus, Nescis te quanto diutius uixeris, tanto magis impatientiã parere? Quãtumlibet prorogentur tempora, iungantur ætates, quandoq; tamen non potest non exitu perire miseri, qui moritur inuitus. Miraris quòd suprema mea ipse præcipitem? Nunquid enim non hoc agunt singuli dies? Omnis nos hora per tacitos fallentesq; cursus applicat fato, & in hac turpissima perpetuitatis cogitatione districti, per exigua festinantis æui momenta præmorimur. Faciamus potius de fine remedium, de necessitate solatiũ: exeamus sponte, consilio, pleni securitatis, gratias agẽtes. Solus uixit quoad uoluit, qui mori mauult. Indulgete quæso sæuæ tristesq; causæ, indulgete uirtutes, ut mori tanquàm magno animo uelim. Ita non sufficit ad maturandos exitus quod fortiter feci? Infirmæ prorsus terrenæq; mentis est ut numeretis annos: ego (quæ felicissima uel lassitudo uel satietas est) uirtute consenui.

Quid

Quid adhuc inter accidentia fragilesq; casus ago? homo receptus in publicas gratulationes præsentiæ humilitate decresco. Minores fiant necesse est diuturnitate, quorũ initia confirmauere successus, cũ iã nec operibus, nec felicitati posit accedere. Cũ fortuna ruere dementia est, & ætatem trahere pereuntem. Nullos ego senes degere turpius puto, quàm qui fortissimi fuerunt. Vultis expectem ut putres artus fœdet pudenda canities, ut sanguine mẽbra uacuata uix nitantur ad gressus, ut hæ laudatæ manus nec ad quotidianæ uitæ ministeria sufficiant. Quàm miserũ, quàm deforme est meminisse quod fueris, referre cicatricum tuarum redundationes, & frigidam præteritorum memoriam, cum iam fidem membra non habeant, supra sua facta rideri? Festinatò exire de seculo debeo, dum alacre corpus, dum spiritus uiget, dum teneor, dum desideror: & hoc uolo deberi manibus meis, animo meo. Fauete dij pariter atq; homines, mortem uir fortis inueni. Est hæc communis mihi cum multis fortasse causa, sed ueniamus ad meam. Si mihi mathematicus denunciasset damna mẽbrorum, grauem corporis perpetuumq; languorem, ignoscerestanta mala uel incerta fugienti. Plus est quod expauesco, quod timeo. Minatus est mihi manus meas, meos animos: nullumq; uoluit esse momentum, quo securus intrepidusq; requiescerem. Iussus sum uitam per anhelitus metusq; consumere. Quis inter hæc spei, quis consolationis est locus? Mori debeo tanquàm nocens, si mathematicus uerũ dixit: tanquàm miser, si mẽtitus est. Quid, quòd me futurum dixit parricidam? Ecquem mittamus in experimentum, cui credamus? Placet post futurorum incertam tractatione rationem. quid ad diuersas suasiones, & ad loquacissima humanorum pectorum ingenia uariaris? Parricidium dictus sum facturus. si possum posthac uiuere, non sum innocens, etiã si non fecero. Interrogare mehercule hic libet uos omnes liberi, omnes parentes, quem mihi post hanc denunciationem assignetis animum. Homo sum cuius corpus iratum fortasse seculo numen, uelut

uelut aptissimam facinori uideturelegisse materiam, cui in primis continuo natalibus assignata est uirtus pariter & facinus, omnium incredibiliũ diuersorumq; pariter capax, omnibus difficultatibus nouitatibusq; sufficiẽs, sceleribus miser, & sine morte sua nocens, in quo debeatis ipsas quoq; odisse uirtutes. Nescio quæ me prodigiosa feritas in patrem uelut telum aliquod casurumq; pondus librat, impingit. Facinus me manet, quod contra fidem est, quod profuturũ mihi negatur: & nolim, cuius nõ tempus, non locus, non causa prædicitur. An mori debeam uos æstimabitis, non debui nasci. Sentit pater quanta sit prædicti sceleris immanitas: & ideo tentat efficere, ut mathematicam artem non putetis: ac modo contendit non esse fatum, & cuncta casu fortuitoq; decurrere, modo etiam ut prouidentia regantur, non posse tamen humana scientia deprehendi. Dũ utrunq; colligo, interim apud grauitatem uestram depono sensisse aliquid patrem etiam cum metuit. Ego mathematicum probaui dixisse, uerum ille credidit esse quod dixit uenturũ. Casú ne tibi pater hæc diuersitas uidetur in corpus unum dissentientibus solidata primordijs, ut summo uertice locatus igneus uigor cuncta leuia calidi spiritus ardore suspenderet, profundus humor ad ima demersus, unde quotidie superpositi caloris alimenta traherentur, terrenũ pondus in medio quãto superne spiritu, tanta penitus inanitate subnixum librata mole consideret, ut seculorum infinita series, per assiduas temporum uices sua lege festinet? Quid hæc fulgentiũ syderum uenerãda facies? quòd quædam uelut infixa ac cohærentia perpetua semelq; capta sede collucent, alia toto sparsa cœlo uagos cursus certis emetiuntur erroribus? Ista credis passim fortuitoq; disposita? Rogo quid melius ratio fecisset. Deus hæc deus fabricator operis uniuersi ex illa rudi primaq; caligine protractum posuit in uultum, digessit in partes. Postquàm dederat uniuersitati parem dignamq; faciem, spiritum desuper quo pariter animarentur, immisit. Inde est quòd quicquid nascitur cõsociata

numini proprietate signatur, & in totam æui sui breuitatem cõpositum firmatumq; sic accipit futura, quasi uitam. Hæc credo pater terrori primis fuisse mortalibus, mox admirationem consumpta nouitate meruisse. Paulatim deinde quod stupemus, animus ausus diligenter attendere, in arcana naturæ sacrum misit ingenium, & assiduis obseruationibus notisq; redeuntibus latentium ratione collecta, peruenit ad causas. Miraris fatũ hominis posse prædici? Defectiones syderum laboresq; narrantur, nunciatur origo tempestatum, lassitudo uentorũ, quod sidus immodicos solis ardores, quod seueras minetur hyemes, quid significent sparsi longius crines, quid ardentius solito iubar, quid excussa flamma syderibus. Non inuenio quid possit esse certius uerę artis ingenio, quàm dicere quid futurũ sit fieri, patet deinde quid dixerit. Quam si esse artem mathematicam probant natura, ratio, experimenta pater, quoq;, qui crediderit consulendum, superest ut ostendamus uerum dixisse de futuris, quem de præteritis non possumus probare mentitum. Accipite primam certissimæ scientiæ probationem. Homo qui de partu consulebatur, non confudit turbauitq; responsum, nec per uarias ambages indeprehensibilem sparsit errorem: nihil ita locutus est, ut illud audientium interpretatio traheret dirigeretq; quò mallet. Atqui in eo tota ratio fallendi est, non dare consulentibus quod deposcãt, sed caligine magnaq; promissorum uarietate suspensos sic dimittere, ut quicquid casus attulerit, putent esse prædictum. An scilicet hæc fuerit ratio fingendi, quòd dicebat usitata, communia, quæ futura pater facilè crederet, libenter audiret? Fortiter, inquit, faciet filius tuus. Rogo ubi magis definit, qui mẽtitur? Sed quibus ille, dij deæq; signis, quibus impletus est notis, qui de parricida dissimulare non potuit, cum quæreret pater? Artem tantum mirari me pater putas? Ego miror animum, stupeo constantiam. Erit, inquit, uir fortis & parricida. Rogo quæ ratio fallendi est ea dicere propter quæ nec prioribus debeat credi? In parricidio

ricidio, quod prospiciebat mathematicus, hæc sola ratio fuit mẽdacij, ne prædiceretur. Fero tamen, ut quis in alijs consultationibus decipi possit aut errare, de futuro parricida non magis mathematicus potest, quàm pater interrogare. Omnes, sicuti apud sacræ artis antistites satis cõstat, animæ proprietates, & futuras mentium corporumq; formas ex illorum syderum qualitate, quibus in ortu suo cuncta gignuntur, accipiunt. Aliquis uagi numinis errore perstrictus est, uitã transiget ille discursibus. Placida conceptum stella signauit, erit modesta lenitate conspicuus. Ardens nascentis horã sidus accẽdit, uiribus pariter moribusq; flagrabit. Languido iam uergentis in procliue mundi, hebescentibus tardior membris, similis senectæ iuuenta pigrescit. Iam si cui principalium deorum fulgor illuxerit, in populi cõsurget imperium. Credo mehercule in illum natalem mõstri nondum diem, iratorum numinum conspirasse uiolentiam, sedemq; prodigiosi spiritus collato pariter igne presisse. Si uerum est post uetusta secula, & innumerabiles annos reddi rursus alijs corporibus animas, fortasis in me renatus sit aliquis ex illis, quorum scelere uiolatus dies mundũ subito mutauit, quos per maria terrasq; fugientes, furiales faces, & ultricũ dearũ terror agitauit. Necesse est ut maiores notas uentura promittant, quæ nõ temere nascuntur. Sic futuras tempestates, pelagi fragor, & conscĩũ nemorum murmur enunciat, sic periturorum fata populorum ardentes cæli faces, & crinita syderũ flamma præcurrit. Prædicebar bello, monstrabar armis, agebat ante se uentura feritas publicas calamitates, & omnium malorũ cõsummatione parricida ponebat. At nunc ista putet aliquis fortuito, nõ arte sentiri, possit fortasse casu euenire quòd futurum sit, nõ potest casu fieri quod prædictum est. Ecquando unquam pater explicuit manifestius ullius facti necessitatẽ totus ordo respõsi? Vir, inquit, nascetur, euenit. Educabitur, quamuis parricidiũ prædictũ sit, accidit. Perueniet ad iuuentæ robur, adoleui. Viribus erit conspicuus, & nimis.

Aderunt bella,uenerunt. Ibit in aciem te uolente,mißusq; fortiter faciet,feci. Erit parricida si uixero. Si pater tam secretæ profundæq; artis ratio reddenda est,non ne habere tibi grande cõsortium prædicti uidetur ipsa diuersitas? Virum fortem dixit & parricidam. Vicina sunt hæc etiam ut dißimilia, paria uiribus, etiam ut mente dissentiant. Quid enim me aliud notabilem fecit in bello,quàm quòd non parco cædibus,cruore non satior,exultans super stratorum corporum strages, palpitantibus adhuc cadueribus alacer insisto? Virtutis sunt ista cum hostis contigit. Pax est quæ nos deprehendit,& cũ iusta grassandi materia consumpta est, in facinus necesse est ociosus ardor erumpat. Ecce iã Reip. præbita est quies, mihi tamẽ plurimum est cũ gladio meo, totis diebus tracto ferrum,ad arma respicio,tela mea laudo,admiror,alloquor. Crede pater,& parricidiũ tam facile est,quàm fortiter facere,cum utrunq; de fato est. Sed quousq; ratione colligam, quod exitu iam probatum est? quod nullis mathematicus dixit ambagibus,nullis dißimulari artibus potest? Partem respõsi futuram in alio opere iam uidisti, & quod præcipue torquet animũ,fides sceleris uirtus fuit. Explicata est autoritas responsi, cum de duobus prædictis unum factũ est. Nec poßis de ueritate dubitare,quoties cũ incertis experimenta consentiunt. In responso cui cuncta cesserũt,fieri nõ potest ut hoc solũ falsum sit,quod nouißimum est. Non potest,inquit,fieri parricidium. Vis mirer pater,si non creditur futurũ,quod etiam cum factũ est,uix creditur? Falleris si aduersus prædictas necessitates sufficere credis quòd ego bonus filius sum,quòd tu optimus pater. Tu nõ mereris scire,credo ego utiq; nolle me scire. Quid est ergo fatũ, nisi quod fit,& non habet causas? Quemadmodũ ergo,inquit,istud uitari potest,si fieri necesse est? Scilicet hac sola ratione, ut mors inter facinus hominemq; ponatur. Vincitur pater fatum si resistas: uincit,si contẽpseris. Ago quinimò gratias hoc solo nomine crudelißimis fatis,quòd maximum facinus non in prima æui mei parte

parte posuerunt,quòd præmissæ sunt antè uirtutes,magnorũq; operũ prior ordo defluxit. Potest puto caueri parricidiũ,quod & prædicitur & nouissimum est. Fingamus pater mathematicum de hac sola uitæ meæ parte mentitum,quid tanti est,ut credam ista & uiuam? Occidi pater non potest. Sed quid refert,si difficultas ista non est salua animo meo? Excedit omnem calamitatem,innocentiæ suæ non credere,diebus ac noctibus timere,su spectum habere animum suũ, calumniari manus, incusare uisus, & parricidalem agere cogitationem. Maior mihi ratio moriendi est, si parricidiũ fieri non potest, & ego me credo facturum. Quem tu mihi pater imperas laborem,quam asperam exigis patientiam? Horreo oscula tua,ne seniles artus nimium grauis amplexus elidat. Non sustineo eosdem expetere cõuictus, ne quos porrexerim cibos,uenena fiant. Timeo eiusdem peregrinationis adire comitatum,omne fugio secretum,ne quid fortuna,ne quid afferat casus. Quousq; timebitur animus? Mors mihi præstare potest,ne parricidium faciã, mors ut uidear nec fuisse facturus. Sed me infelicem,quàm multa sunt quæ timere debeam,etiã contra animum meum? Vnde scio,an expulsum me repẽte sensibus meis aliqua magni discriminis imago raptura sit? Prosilibo fortasse tanquàm sequar classici uocantis instinctum, tanquàm me ruentis patriæ fragor & uociferatio captæ ciuitatis exciuerint. Me sanè interdiu custodire poßum, sed unde scio quid afferat nox,casus,error? Mathematicus hoc nõ futurũ dixit, ut uellem, sed ut occiderem. Tu quoq; pater quanto grauiores paßurus es ex ipsa dißimulatione cruciatus? Felicius prorsus est,palàm occidisse quẽ timeas. Cum bene in oculis meis amplexibusq; requiescas,subeat necesse est tacitas cogitationes prædicti periculi metus,& licet componatur ad fortem superbamq; constantiam,naturalis tamen hominis infirmitas potest tam percussorem timere, quàm mortẽ. Explica nos pater tam misero trisliq; complexu, & longißimas solicitudines breui recide patientia. Minus indi-

gnum est ut moriar si innocens futurus sum, quàm ut uiuam si parricida. Denuncio tibi pater, & de suprema necessitate confiteor. Iam non sunt meæ potestatis hæ manus, non regere dexterā, non retinere sufficio. Venit ille nescio quis ardor, nō sentio, non intuentur oculi. Tunc omnia incipio scire, cum gesta sunt. Quid, tu me lacertorum uiriumq; beneficio strauisse nuper hostes putas? Quantum dicuntur narrasse captiui, nescio quem in me monstrosi uultus horruere conspectum, non tela iaciebā, non iaculabar ictus, furialibus miser facibus ardebam, & pectus istud non lorica, non ferrum, sed diri serpentium clauserant nexus. Non fuit illud pugna, non acies, in bello parricida uincebā, excesserunt opera mea humanarū uirium mediocritatem, quicquid factum est, rabies fuit, insania fuit. Prædico, protestor, non ego parricidium faciam, non ego fortiter feci. Quòd si ulla ratione casu ue effici potest, ut prædicta non fiant, fidem uestram P.C. ut mihi potius innocentia, quàm fato debeatur, ego dicar expugnasse constitutionem, fregisse uincula necessitatis, mea pietas, mea laudetur integritas. Dij nō sinant, ut inter me responsumq; discernat exitus. Mathematicum uincere malo, quàm reprehendere. Quid nunc agam P. C. quemadmodū me uir fortis ad preces, quemadmodū parricida componā? Dicam misereminī? dicā succurrite? Sic rogari contra mortē solet. Nouo mihi inauditoq; opus est ambitu malorū. Nisi morior, periclitor. Ideo uideor causas reddidisse, ut contradiceret pater, & si bene noui malignas interpretationes, non exitum captasse dicar, sed excusationem. Explicate per fidem miseri pudoris æstum, nunquam uidebitur mori uoluisse parricida, si uixerit. Ad tua nunc genua porrigo optime pater has ad scelus tantū fortes manus. per ego, si fas est, quicquid feci, per hanc ipsam mei charitatem, qua me nondum timere cœpisti, miserere, filium pietate pereuntem ne uelis exitum facere parricidæ. Præsta mihi patientiā qua me modo bello credidisti. Finge nos in ipso prosperi Martis cecidisse complexu: confe

confectumq; magnis uulneribus cadauer efferri. Relinquo tibi pro me omnes parentes, hunc quo nos retinere uoluisses, in suprema mea transfer affectum, tuis manibus cōpone corpus, extrue rogos, funeri iusta persolue. Deinde cū iam nouissimis oscu lis, supremoq; discedens satiatus fueris amplexu, tunc te fas est sublatis ad cœlum manibus proclamare, Mathematice mentitus es. Reddidimus causas, peregimus preces, reliqua uos manus, uos adiuuate ciues, non ut liceat mihi mori, licet istud etiam ut negetis. Vir fortis commēdo uobis exitum meum, si non cōtinuò letale uulnus impressero, si non cū sanguine totam animā properans ictus egesserit, adiuuate dexteram, deprimite telum, & ante omnia detinete patrem. Nescio quàm longe manum sparsurus sit fugientis animæ dolor, quò cadat extractus mucro uisceribus, in quem se collabentis corporis ruina præcipitet. Vultis scire quantum debeam timere uicturus? Metuo ne patrem, dum morior, occidam.

AEGER REDEMPTVS. ARG.

Liberi parentes in egestate aut alant aut uinciātur. Quidā duos filios habebat, frugi, & luxuriosum. Peregre profecti sunt, capti à piratis, luxuriosus lāguere cœpit. Ambo de redemptione scripserunt. Pater uniuersis bonis in unū redactis profectus est. Dixerunt illi prædones, nō attulisse illum nisi unius precium, & eligeret utrum uellet, ægrum redemit. Qui dum reuerteretur, mortuus est. Alter ruptis uinculis fugit. Alimenta poscit pater, contradicit filius.

Pro patre contra filium. 5

QVAMVIS Iudices in tanta malorū continuatione iam potuerim nihil ex accidentiū meorū nouitate mirari, nullūq; mihi reliquerint impatientiæ genus aduersa, quæ de solatijs remedijsq; creuerunt: confiteor tamen hoc solū me prospicere, nullo metu, nulla tristium recordatione potuisse, ut post piratas, orbitatem, famē, hinc quoq; calamitatibus nostris pōdus accederet, quòd reuersus est filius meus. Viuebam miser, ut hunc uiderē, solaq; superstitis

expectatione ſuſpenſus, auidiſſimam moriendi cupiditatem con
tentioſa mendicitate fallebam. Pudet perſuaſionis, rediſſe ſe iu-
uenis affirmat, ut uindicaretur morte fratris, ut patris orbitate
gauderet: nec intelligit maiorem ſe factis meis autoritatem hac
indignatione conferre. Nunc magis ſentio, quantum facinus fue
rit ægrum non redimere. queritur ſe relictum, qui potuit eua-
dere. Vtcunq; igitur Iudices poterā redemptionis illius reddere
de præſenti iuuenis impietate rationem, & mihi crudelitas iſta
præſtabat, ut filium uiderer elegiſſe meliorem. Non uitor tamen
occaſionis huius inuidia, nec quicquid miſeræ pietatis impatien
tia feci, querela malo defendere. Ego uero tunc non mores libe
rorum, mentesq; tractaui, nec mihi in illa triſtiſſima conditione
ſuccurrit de comparatione conſilium. Sola quid facerem neceſſi
tas, ſola iuuenū meorū aduerſa ſuaſerunt. Ex duobus liberis neu
trum magis amat, qui redimit ægrum. Illud planè Iudices ultra
omnem malorū meorum fateor eſſe triſtitiā, quòd hac aſperitate
iuuenis, hoc inopiæ ſqualoriſq; deſpectu famam optimi fratris
inceſſit. Hominem qui piraticum carcerē, qui prædonū uincula
diſcuſſerat, decuerat ne uoluiſſet aliter reuerti, ex quo ſe nobis
tanto uiriū labore reſtituit: poterat eius quoq; admirationē me-
reri, qui precio paulò antè ceſſiſſet. Dij immortales, quam laudē,
quem gloriæ fauorē impleuerat, ſi paſceret patrē, redemerat fra
trem. Relaturus uobis Iudices ordine malorū meorum euentū,
quem nemo tam crudelis, nemo tam ſæuus audiet, ut me non pa-
ſcat, hūc ante omnia qui ſe queritur in fratris cōparatione dāna
tum, ſecreti doloris indignatione cōuenio. Quid agis impotens
ſuperbe? Tu neſcis utrū fuerim redempturus ex duobus ſanis, ex
duobus ægris? Habui enim Iudices, filios diuerſiſſima mentium
corporumq; qualitate compoſitos: & ſicut mox probauit ſæua
captiuitas, in totam diſſimilitudinē uitæ quoq; genere diductos.
Hic nanq; robuſtus ac patiens, non molliri proſperis facilè, non
accidentibus frangi, & quem de uoluptatum gaudiorumq;

contem

contemptu ſcires parem quandoq; fortunis, traxerat ex firmi-
tate mentis magnam protinus in membra conſtantiam. Ille uero
pariter in lætitiam metusq; reſolutus, alienus à curis, ſolicitudi
nibus impar, delicatus, impatiens, & iam ſimilis ægro. Sed apud
patris affectus, hæc ipſa liberos diſſimilitudo iungebat, & erat
quædam in inæqualitate charitatis æqualitas, quòd hūc ſerio lau
datumq; ſemper, illum tam quadam miſeratione diligerē. Quid
profuit indiuidua pietas? Erat etiam me nolente manifeſtum
utrius magis colloquijs, magis lætarer aſpectu. Velit nolit Iudi-
ces ipſa quoq; querela iuuenis, quid de patris fateatur animo,
probat. Iraſci quòd non ſit fratri prælatus ægro, impatiētia eſt
hominis, quo magis ametur. Accipite Iudices maiorem pietatis
æque probationem, filiū nec peregre dimiſſurus elegi, iunxi fra
trem, aptaui comitem, & utroq; patris latere nudato uiſus ſum
mihi magis habiturus utrūq; mecum, ſi pariter eſſent. Hāc apud
me iuuenum æqualitatem, etiam in calamitatibus fortuna ſerua-
uit. Vterq; captus eſt, ambo de redemptione ſcripſerunt, diſſimu
les licet. Iterum tamen & inter aduerſa perſuaſionem charita-
tis inuenio. In captiuitate communi puto minus ſperauit ille de
patre, qui languere cœpit. Tu mihi nunc impotentiſſime iuue-
nis, tu quæſo reſpōde. Quid aliud facere debuerit pater duos re
dempturus? Cunctas facultates in precia collegi, rus, ſeruulos, pe
nates, & omnia utiliora properanti feſtinatione parentis addi-
xi, & ultra quàm non poteſt excogitare ſummus affectus, nihil
ſenectuti meæ, nihil dubijs caſibus (prò inconſulta pietas) nihil
neq; illi reſeruaui, quem redemiſſem. Quantum Iudices ad pira
tas tulerim, ſcire poteſtis ex hac fame. Fuerit precium licet exi-
guum paruumq;, dum totum: fingite quamlibet diuitem, quamli
bet pauperē patrē, nemo unquam plus pro liberis dedit, quàm
qui ſibi nihil reliquit. Vtrum ne igitur Iudices nemo mortalium
habet precium plurium liberorū? An piraticæ feritatis ingeniū
eſt, in captiuorum taxatione ſolos æſtimare redimentes? Dij im-

mortales quàm arrogans me pirata, quàm superbus exceperit. Parum, inquit, attulisti senex, languet alter. Quid ergo à dijs hominibusq; merui, quòd mihi nõ redditurus utrunq;, nõ ipse potius elegit? Sæuus & humani doloris artifex, negauit à me duos posse redimi. Deinde ut hoc tristius, ut difficilius esset, redditurum se dixit utrum maluissem. Vides iuuenis quantum pietati meæ testimonium reddiderit ipsa crudelitas. Conditio non ponitur nisi duos redempturo. Expectatis, certum habeo Iudices, ut in tristissimæ necessitatis positus abrupto, ad ægrum continuò properauerim. Quis non putet audita conditione uincula me statim detraxisse languenti? Oderitis licet confessionem meam, deliberaui. Tenuit inter illos inexplicabiles doloris æstus, perquam longum pietas misera consilium, & quod nunquam satis manibus filij, nunquam satis excusabo conscientiæ meæ, non statim mihi ille deficiens unicus fuit. Dissimules licet orbitas, ego mihi plurimum morbis, plurimum uideor adiecisse languori cunctationis mora, & sensit infelix quid in electionis huius necessitate fuerim neutro languente facturus. Tandem quod solum habebat ambitus genus, desperatione præualuit. Accepi fateor illum qui solutus quoque non sequebatur, quem non gaudium redemptionis, non lætitia prælati, non hortantis erexit patris amplexus. Si esset in rebus humanis ulla clementia, meruera etiam de piratis, ut mihi duo redderentur. Vtinam Iudices iuuenis illius uita præstaret, ut uideretur non periculi miseratione, sed charitate prælatus. Me infelicem, quòd bonam habeo causam. Explicuit iustitiam comparationis, qui decessit etiam redemptus, & in peritu ro filio nihil aliud electum est. In quo fui miser famæ periculo? Filius meus lãguore defunctus est. Tamen pater occiderat ægrũ si reliquisset. Videram cõtinuò iudices in carcere illo quantum promitteret constantia hominis, quem nõ captiuitas, non expectatio patris, non fratris fregisset infirmitas. Nec immeritò de fortissimo iuuene cuncta speraui, si fuisset ad omnes conatus explicato

plicato languẽte liberior. Tandem miseros fortuna respexit, & puto contra prædonum commenta feritatem, ipsa consensit, ut nobis quem negauerant non abstulissent. Non quidem mihi iudices arrogo tẽporis illius prouidentiam, nihil me fateor fecisse consilio: potest tamen utriusq; iuuenis exitus necessitatibus meis assignare rationem. Perijt quem redemi, reuersus est quem reliqui. Inuenisse te putas iuuenis patrẽ cibos, & alimẽta poscentẽ? Quærebam precium tuũ, testor clementiam mitissimæ ciuitatis, hæ preces, hic rogãtis ambitus fuit, Miseremini, date stipes, indulgete, conferte, repetendus est ille, qui redimi maluit fratrem. Sed & hac te decebat reuersum proclamare uoce, Erige uultus pater, attole tristissimã faciẽ, uindicati de sæuissimis prædonibus sumus, duos redemisti. Alimẽta posco. Poterã nõ adijcere filiũ pater, sed mẽdicus hominẽ, sed iuuenẽ senex. Quis enim magis ex ipsis rerum naturæ sacris uenerandisq; primordijs descendit affectus? Quid etiam inter liberos ac parentes tam commune, tam publicũ, quàm ut alicuius famem proximus quisq; depellat? Voluit nos ille mortalitatis artifex deus in commune succurrere, & per mutuas auxiliorũ uices in altero quẽcũq; quod pro se timeret asserere. Nondum hæc charitas est, nec personis impẽsa reuerentia: sed simulium accidentiũ prouidi metus, & communiũ fortuitorum religiosus horror. In aliena fame sui quisq; miseretur. Sic cibos obsidio partitur, sic inopiam pariter nauigantium frequenter unius alimenta pauerunt. Hinc & ille uenit affectus, quòd ignotis cadaueribus humũ cõgerimus, & insepultũ quodlibet corpus nulla festinatio tam rapida trãscurrit, ut nõ quãtulocunq; ueneretur aggestu. Parentibus uero liberi non præstatis alimenta, sed redditis. Quanto, dij deæq;, breuiora, quanto minora pro tot infantiæ, tot pueritiæ sumptibus, tam uarijs uel abstinentissimæ iuuentutis impendijs. Si mehercule hoc quoque officij genus natura permitteret, bene pro deficientibus aliquid & uita uestra deperderet, iterumq; ex illa quã traxistis anima,

portio

portio breuis in ſuum rediret autorem. Vultis ſcire quantus no mini noſtro debeatur affectus? quanta ueneratio? Non eſt bene ficium quòd paſcitis, ſed eſt facinus quòd negatis. Liberi paren tes alant. Pudet ſacrorum nomunum, pudet religionis humanæ. Hæc ergo lex erit? qd imprecer homuni, qui primus fecit ut pie tate iuuaremur? Liberi parẽtes alant. O' crudele factum. O' nũ quam triſtior fames, ita paſcit ille qui cogitur? Nõ meruiſti, in quit, accipere. Diſcede pietas, quieſce pauliſper, infirmitas remu neranda ſit. Primũ lex ſeueriſſima eſt, ut fortius alimẽta poſcan tur. Perdiderunt pulchritudinẽ ſanctitatemq; naturæ, qui putãt illis parentibus iura ſuccurrere, quibus apud liberos ſalua eſt de mutua charitate reuerentia, colliſis proſpexere pignoribus, & inter tam uenerabiles affectus hoc quoq; dignũ prouidẽtia fuit, ut aliquid & odia præſtarent. Quereris, iraſceris, & ideo iube ris. Expectandum eſt uidelicet ut liberorum parentumq; cõcor diam præferant totius merita uitæ, & ut pietas, natura, ſanguis accipiant quotidie tanquam amicitiæ nexum: & ubi nos prome ruimus obſequijs, adulatione, patientia, natales ortus, & pigno ra prima perierunt? Si uultis Iudices, ut huic nomini ſalua ſit in omni perſonarum diuerſitate ueneratio, bonum patrem filius alat, lex malum. Non faciam hanc contumeliam rerum naturæ, non faciam legi, ut excuſem uel peßimum patrem, ut ſacro nomi ni tentem gratiam petere de uenia. Simlicet crudelis ac ſæuus, filium tamen diutius amaui. Clauſerim paternos penates, de te ſtamento, de ſpe ſucceßionis expulerim, onerauerim uinculis ma nus, fœdauerim membra uerberibus, perſolui gratia non poteſt nec malo patri. Arrogans, impotens ſum, nolo quotidie mereri quicquid mihi deberi cœpit primo die. Facilis, mitis, indulgens, uocabula ſunt iſta minoris affectus, propter hæc aleretur ami cus, paſceretur extraneus. Veſtrum quinimò crimen eſt, quòd interdũ aliud ſumus, & unum manifeſtum eſt, diuerſitatẽ noſtrã uenire de moribus liberorum. Non inuenias aſperum patrẽ, niſi iam

iam peccantis ætatis. Quid ais? rigidus, immitis ſum, ideo paſce, tantum paſce, non ultra malo pro reuerentia nominis noſtri. Quicquid præſtatis, inuiti. & cum alitur pater, quem quereris indignum, accipere mihi uidentur omnes parentes. Si uis, affe ctum debes, ſin minus, neceßitate ſeruitutem, patientiam. Non tanquàm pater alitur qui tanquam bonus amatur. Sepone iuue nis, differ querelas, tunc iraſcêris, tunc obijcies mihi, cum proſpe ritatum, cum ſecundorum officia depoſcam. Non talis ad tua ge nua prouoluor, ut extimendus ſim. Nulli malus eſt pater, cũ eſſe cœpit infelix. Aſpicis collapſum, & ex omni calamitatum gene re miſerum, & ultra, quàm accidentium menſura nõ exit, in or bitate mendicum. Riget ſqualidi capitis concreta canities, uigor priſtini uultus uacuis luminibus intabuit, & per obſtantium cri nium illuuiem tenuis arentium iactus oculorum. Hæret aſtricta nudatis oßibus cutis, & in fame ſua homine cõſumpto iam mem bra ſine corpore. Iterum bonus ſum, in priſtinam religionem de calamitatum horrore reſtituor. Adeo'ne nõ habent hæc ipſa ſup plicia pœnas, quòd poſco, quòd rogo, quòd mendicus ſum filij mei? Et quàmmulta dij deæq; non poſſunt pro nobis impetrare leges? Quanto plura ſunt quæ negantur cum præſtant inuiti? Non exigo ut tuis manibus porrigas cibos, ut conſoleris, ut fo ueas, proijce quod rapiam, abijce quod colligam. Genus ultionis eſt paſcere, neq; miſereri. Si tamen iudices fas eſt impietatis hu ius ullas accipere cauſas, & filium qui non alit, putatis reddere poſſe rationem, æſtimate per fidem, quod ſit facinus illud, cuius ultionem debeat exigere aliquis de fame patris. Captum me, in quit, non redemiſti. Quis non putet queri de filio patrẽ? Quen quam'ne dicentem feras, nihil tibi debeo quia mihi uitæ luciſq; beneficium ſemel præſtitiſti, quia hunc ſpiritum, hoc corpus nõ ex indulgentia tua rurſus accepi? Iniquiſſima magnorum con ditio meritorũ eſt, ſi quicquid non fuerit adiectum, de prioribus perit, & peßimo exemplo gratiam præteritis auferunt reliqua ceſſantia.

ceſſantia. Non redemi, non tamen ideo minus eſt, quòd in hũc te diuinorum humanorumq; conſpectum de noſtra protulimus ani ma. Maria terrasq; & infatigabiles ſiderum curſus, & cuncta ſacro fulgore lucẽtia nos ut fruereris oſtẽdimus. Has quas ſub trahis manus, hæc uerba quæ negant, de meo ſpiritu, de meis ui ſceribus hauſiſti. Gaude potius, exulta quòd tibi patris aſperitas præſtat boni filij iactationem. Solus habet quod imputet patri qui queritur, et paſcit. Quàm multa Iudices huic querelæ reſpõ dere poteram, propter quæ filium ſalua pietate nõ redemiſſem? Quis non acciperet excuſationem, ſi dicerem? Impedijt quam uis properantem ſenectus, inopia, languor, precium non tam feſtinanter inueni. Explicare non potui nauigationem, iuuenibus quoq; fortibusq; difficilem. Solus ac ſenex non illa qua ſperaue ram proſperitate direxi? Per quos metus per quæ peregrinatio nis incerta properaui? Remoue iuuenis indignationẽ, nihil plus pro filio factum eſt quem recepi. Non fortunam tibi debeo, ſed affectum: non exitum, ſed uoluntatem. Pro duobus precia cõtra xi, pro duobus maria conſcendi, pro duobus genua tenui. Rogo uter magis amaretur, ſi mihi piratæ duos reddidiſſent? Age tu nunc iuuenis ad faciendam inopiæ patris inuidiam (ſi uidetur) exclama. Famẽ obtendis, ad quam luxuria, prodigarumq; uolu ptatum continuatione ueniſti, exhauſiſti ſenex cenſus in precia meretricum, quanquam & huic iubetur neceſſitati pietas ueſtra ſuccurrere, & lex quæ inopem, quæ patrem nominare contẽta eſt, filium non remiſit ad cauſas. Quid uero ſi in educationẽ, in diſcurſus, in precia uacuatus ſum? Excedit omnem ſcelerum cõ parationem patrem mendicum facere, nec paſcere. Tentat Iudi ces hoc, quòd non eſt redemptus, ampliare alia iuuenis inuidia. Fratrem, inquit, mihi prætuliſti. Fateamur pauliſper hoc crimẽ, agnoſcamus hoc nefas. Imprudentiſſime generis humani, tu nõ feres, ut frater tuus uel magis ametur? Vides enim, prælatus eſt tibi neſcio quis affectus, poſſident charitatis tuæ locum pignora de mi

de minoribus ſumpta nominibus. Ipſum nempe cuius æque ſpiri tus de uiſceribus his trahebat ortum, qui patrem uel ſolus imple ret. Peſſimus eſt mortalium qui amari fratrem ſuum ſine ſui cha ritate putat. Tu cuſtodies, utrum frequentius oſculer, utrum ſtringam magis arctiore complexu? Non eſt hoc impatientiã, nec circa patris affectus ſacra de pietatis contentione rixa. Eum tantum fratrem putas amari magis, quem non ames? Falleris iu uenis, longeq; te ab intellectu rerũ naturæ ſepoſuit praua per ſuaſio, qui putas ex paternis affectibus filio perire, quicquid in altero de neceſſitate præponderat. Par eſt in omnes liberos, ea demq; pietas, ſed habet in aliquo plerunq; proprias indulgẽtiæ cauſas, & ſalua charitatis æqualitate, eſt quiddam per quod ta cito mentis inſtinctu ſingulos rurſus tanquam unicos amemus. Hunc primus naſcẽdi locus, illum gratior præfecit infantia, aliũ lætior uultus, & blandior oſculis amplexibusq; facies, quoſdam magis ſeueritas probitasq; commendat, in quibuſdam diligũtur impatientius calamitates. Et damna corporum debilitatesq; mẽ brorum notabilius miſeratione complectimur. Salua eſt tamen uniuerſitas, cum quicquid in alio ceſſare creditur, in altero reſti tuit alter affectus. Securus ſis, non intercidunt iſta, non pereũt, ſed inuicem uincũt, prævalent, cedunt. Filio non poteſt præferri niſi filius. Blandiar Iudices pauliſper calamitatibus meis, & ſic agam tanquam apud piratas inuenerim utrunq; ſanum. Attuli ſine dubio precium duorum, ſed utrunq; prædo non reddit. Of fert electionem, ſuadere quid faciam. Quid dicitis? Iſta pietas eſt abire, diſcedere, iraſci ſcilicet, queri, & inuidiam facere piratis. Vos interrogo liberi, uos parentes, Non ergo facinus eſt, ideo neutrum redimere, quia utrunque non poſſis? Egregia pietas æquare liberos iuſtitia deſperationis, & ex hoc quòd ſuccurre re non contingit duobus, orbitatem facere totam. Tu uero fene ctus accipe quicquid datur, accipe quicqd offertur, dũ hoc ſaltẽ feritati libet, antequã in patiẽtiã tam ſæua decreſcat immanitas.

Interim

Interim multa possunt afferre casus, sperare licet, repete spera-
re pater, fortasis euadat. Quæcunque explicari coaceruatione
non possunt, per partes uicesq; seruantur, & facilius est diuisa
subtrahere, quorum magnitudo laborat in solido. Quantũ in-
telligo Iudices, filius cui profuturum non erat ut eligerem, hoc
solum ferre non potest, quòd redemptus est frater. Quis hanc
Iudices impudentiam ferat? Obijcit mihi quòd ullum de liberis
meis potuerim facere discrimen. Deinde queritur non se potius
electum, & cum fratri præter eiusdem nominis par, simile con-
sortium reuerentia quoq; languoris accesserit, indignatur apud
affectus patris non eam præualuisse partem, in qua tãtum filius
erat. Non inuenio Iudices quemadmodum effugere potuerim
criminis huius inuidiam, si hunc potius recepissem. Patri, cui
utrunque pirata reddere nolebat, redimendus fuit aut æger, aut
neuter. Quid quòd, inquit, etiam luxuriosum prætulisti? Parce
iuuenis maledictis, parce conuicijs. Reliquistis hæc nomina, do-
mi erunt ista uitia, domi erunt istæ uirtutes, sed cũ fueritis reuer
si. Interim nihil aliud estis quàm fratres, quàm liberi mei, duo
captiui, ambo miseri, & diuersitas uestra de calamitatum societa
te consumpta est. Vides quàm nefas sit alterũ ex uobis mihi esse
uiliorem: Piratarum non interest uter eligatur. Dignum hunc
dereliquisti, luxuriosum redemisti. Comparatione uestri iuuenis
circa patrimonium, honores ue contenderes, & ego proclama-
bo, uicisses. Sed uentũ est illuc, ubi non probitas, non mores æsti
mantur, & de corporibus sola taxatio est. Vnde tristes tolera-
ret casus, ferret sordes uinculorum, piraticam famẽ iuuenis, quẽ
torquere solebat nostra frugalitas? Vnde ut in illa solitudine
carceris duret animus cõuictibus semper comitatibusq; lætatus?
Expecta tu quem decet honesta patientia, laudabilis labor, qui
tibi difficultatum reddis ipse rationem. Tu differris, luxuriosus
redimitur. Quid uis? Prætuli illum de quo soli tibi querebar,
quem cum uellem castigare, reprehendere, te solebam laudare,
mirari.

mirari. Exaggera quantum uoles uitia fratris, luxuriosum, per-
ditum uoca, dum scias te sic magis probare non animum fuisse
patris, sed de calamitate rationẽ. Ille eligit, qui recipit antè me-
liorem. Sed parce quæso iuuenis aduersorũ interpretationi. Nõ
est electio alterum recipere, cum precium attuleris duorum: di-
scrimen illud non ego, sed pirata commentus est. Quicquid in-
ter uos in alterutro fecero, affectus est quo duos amo. Et homo
apud quem filius sola præualuit gratia calamitatis, non fratrem
tibi prætuli, sed quod in te fratri prætulissem. Consilium hoc pu
tas fuisse patris? Fortunæ est qua capti pariter estis, qua decu-
buit alter, qua non conualuit redemptus. Cum propter duos ue
nerim, quòd in altero mihi pirata concesit, idem est ac si mihi
neutrum reddidisset. Sed quousq; facti mei dissimulabo rationẽ?
Aeger electus est, respondete nunc si uidetur. Luxuriosus, perdi
tus fuit. Parcamus quæso memoriæ, reuereamur suprema cine-
ris, pœniteret me fortasse si uiueret. Iterum ac sæpius (quod ne-
cesse est) ipsa criminis mei uoce defendar, ægrũ redemi. Nõ habẽt
profecto, nõ habẽt discrimẽ liberi, nisi de calamitate: & inter ho
mines, quos natura pietatis æquauit, differẽtiã nisi de dolore nõ
explices. Non cum usu nunc uestro, non cum moribus loquor.
Ille anhelat, illius sunt lassa suspiria, ad illum serius ueni. Exco-
gitasti rursus fortuna quod supercresceret charitati, quod posset
sacris nominibus accedere. Hic solus maior affectus est, quàm fi
lios amare, filij misereri. Me quidem Iudices si quis interroget,
conditio illa non fuit uera, non simplex, habuitq; piraticæ feri-
tatis ingenium. Aegrum mihi non licuit relinquere, licuit eligẽ
re. An fas fuisse credis, ut iuxta moriturum tu reddereris, & ho-
mines eius immanitatis, ut possent liberos cum patre partiri, pa-
terentur eum sibi relinqui quem periturum ex hoc probabant,
quòd illum pater non eligebat? Tentata est misera pietas, &
placuit hoc quoque addi calamitatibus nostris, ut onerãret pu-
dore conditionis partes non habentis. Cum in comparatione

ſani æger offertur, ideo ponitur ut eligatur. Supereſt niſi fallor Iudices, ut cum ſibi prælatum fratrem queratur, exiſtimetis utri tunc magis debuerit pietas noſtra ſuccurrere. Eſt quidem Iudices humanæ infirmitatis iſta natura, ut ex omnibus accidentibus grauiſſimum putet quiſq; quod patitur: & cum aliena cogitationibus, noſtra dolore tractentur, neceſſe eſt apud impatientiam ſuam uel minora prævaleant. Languor eſt tamen, languor, cui merito ceſſerint cunctæ calamitates, in cuius comparatione conſolari ſe poteſt genus omne miſerorum. Stringat licet manus ſæua captiuitas, profunda carceris nocte membra claudantur, dabitur tamen colludere catenis, artus extrahere nexibus: & habet aliquid æquanimitatis, cum pœna ſua poſſe rixari. Sæuiunt regna tormentis, bella uulneribus, ſed leuius afficit quicquid uiribus feras, & cum in plenum adhuc ſanguinem aduerſa cecidere, repugnantis roboris colluctatione uincuntur. Quos cruciatus compares? Quem dolorem, cũ penitus uiſceribus immiſſa tabes cotidie aliquid ex homine præmittit in mortem, cũ cibos, haustus, & omnia blandimenta uitæ fames faſtidit, & poſcit, deſiderare aſſidentium officia? debinc ferre non poſſe, grauari quos appetieris attactus? per totum cubile corpus uelut ſuper ardentes exagitare flammas? Lux fatigatis luminibus grauis, uox ſola de gemitu. Cum ex duobus captiuis languet alter, una eſt inæqualitas patris eligere ſanum. Retuli Iudices uſque adhuc in penatibus ſuis iuxta parentes propinquoſq; languentẽ. O carcer, ò morbi, quem uos non facitis ægrum? Et non ille carcer quem ſeueritas legum, quem poteſtatum iuſtitia commenta eſt. Non poſſunt humani metus, humanarum cogitationum ingenia ſatis abundeq; concipere quæ uidi. Iacet ſub immenſæ rupis abrupto triſtis, & ultra naturalem profundæ caliginis noctem merſus piraticis artibus ſpecus, quem tota circunfuſi uaſtitatis maris, & undiq; minãtibus ſcopulis illiſa tẽpeſtas terrore ruituræ molis euerberat. Horrẽt cuncta crucibus, ſqua-

lent

lent circũiecta naufragijs, nullus niſi in ſupplicia mortesq; proſpectus, & ad infelicium captiuorum metum præmiſſus de ſimili exitu dolor. Spiritus ſolus intus uiuit, quem uinctorum trahũt redduntq; gemitus, quem tot contulere languentes. Hoc erat ubi iacebat æger, illud tot annorum ex quo cœpit pirata graſſari, idem cubile. Corpus quod grauaretur aſſidentium ſedulas manus, iacet inter uincula, quibus inſtringat adhuc recentem piratæ captiuum: & quamuis tenuata de nexibus membra labantur, rurſus in modum ſtringentium tenent, quæ nullo ſuſpenſæ niſu uelut uicto homine ſederunt. Qualis erat ille ſub ferro, cuius exangues manus uix leuia uelamenta transferrent? Quis inter comploratione gemitusq; ſomnus, quem uix ſilentia ſollicita præſtarent? Ad quæ colloquia triſtitia reſpiraret? Vndique pares ſimilesq; miſeri, & ueteribus captiuis adiectus cotidie nouus aliquis impatiens. Compara, ſi uidetur, huic ægro captiuitatem tantum tuam. Tu quereris quòd cibos pirata non præſtet: ille remittit oblatos. Te nuda humus, nudum cubile frangit: ille ad ſingulos ardentis corporis motus in ſua uincula uerſatur: & quocunque membra laſſata dolore tranſtulerit, in ſupplicium redit renouata patientia. Breuiter ſæuiſſimi languoris definienda menſura eſt. Non poteſt ex illo ſanari, nec quem redemerit pater. Inſta nunc, ſi uidetur. ac ſubinde iuuenis interroga, cur ægrum potius elegerim. Reddi à me poſſe rationem cur hoc fecerim putas? Ego uero non poſſem nec ſi te redemiſſem. Quid enim ſi reſpondere iubeas orbitatem cur in exequias totos egerat cenſus? Quid ſibi uelit ipſe ille funebriũ longus ordo põparum? Cur ſuper flagrantes iaceant rogos? Cur ardentium non diuellantur amplexu? Et ego dico, proclamo, fateor, erroris aut demẽtiæ furor eſt cũ feceris. Hoc eſt ergo, inquit, quod de te præcipue queror, moriturum mihi prætuliſti. Quæſo iuuenis, ne nobis putes tantum ineſſe feritatis, ut illum potuerimus exiſtimare moriturum. Vis nõ ſperem uicturum filium, quem tunc primum

aſpicio, complector ægrum, quem pirata non recuſat ſibi relin-
qui? Si perſuaſionem patris interroges, quicquid eſt quo miſer
torquetur, afficitur: non languorem credo, ſed impatientiã, deſi
derium, dolorem. Hominis qui apud piratas languet, unum re-
medium putes, ut redimatur. Sed non eſt, quæſo iuuenis, quòd
hoc patrocinium de tam calamitoſa pietate concipiam, ut dicã,
uicturum putaui. Exaggero quinimo inuidiam criminis mei. Re-
demi fateor illum, qui dilationes, qui moras ferre non poterat,
in quo mihi pirata uendebat breuia oſcula, paucos dies. Si me-
hercule uterq; fuiſſet æger, illum redemiſſem, qui prior langue-
re cœpiſſet. Si duos pariter naufragia raperent, illi porrigerem
manum, quem iam membrorum contentione laſſatũ fluctus hau
riret. Si uulneribus confectos remiſiſſet acies, properantius ei
clauderem plagas, per quem animam largior ſanguis egereret.
Ignoſcite dij pariter atq; homines, nõ poſſum de liberis, poſſum
eligere de miſeris. Gratias quinimo fortunæ, gratias ago, quòd
adhuc æger ſentit, intelligit. Alioqui cadauer acceperã, & pre-
cia duorum pro funere tantum, ſupremisq; perſolueram. Neſcis
quantum pudori, quantum adijciat affectibus meis inter tam im
pares æquata conditio. Aeger qui tantidem eſt piratis, pluris eſt
patri. Velis tamẽ nolis infelix ſenectus, fatendum eſt quod meri
tò, quod ſumma pietate factũ eſt, quàm difficile fecerimus. Quæ
tunc mihi cogitationes, quis tẽporis illius animus fuit, cum inter
duos liberos incerta miſer electione diſcurrerẽ? Hunc diutius o-
ſculabar, illum putabã deſperatione morituũ. Lachrymas ad lã
guentẽ gemitusq; trãſtulerã, & tu mihi uidebaris futurus æger.
Quoties catenas tuas ſoluturus inuaſi, ſed mihi commẽdabat re
lictum, quòd te prætuliſſem. Quàm frequẽter iam laxata miſero
uincula rurſus impoſui, dũ mihi tua potius ſanitas placet? Diſſi-
mulare nõ poſſum cõditionis illius ſecretas difficultates. Redimi
debebat æger, ego te uolebam. Ponere uos iudices uelut in illa
neceſſitatis meæ præſentia uolo. Ecce infelix ad primũ aſpectum
patris

patris conatus aſſurgere, illas pallentes ſordibus manus paulu-
lum tanquam amplexus erexit: nec uſq; in ceruices meas ſpiritu
iam deficiente perlatas, in ſuum miſer iterum cubile deiecit. To
tus ille circa nos carceris populus obticuit: & ne colloquijs no-
ſtris terribilis catenarum ſtridor obſtreperet, laſſatos artus in
ſua tenuere patientia. Ego ſerius grauis, hinc, ſi uidetur, inci-
piam. luxurioſe meruiſti. Ignorat profecto paterni doloris æſtus
quiſquis ſolatium putat, ut de languente filio queratur, ut mori
bus mentiq; maledicat. Abite uirtutes, ignoſce probitas, charior
eſt ex liberis ille qui moritur. Mihi uero fateor hinc aliqua lan-
guente filio ueniſſe ſolatia, quòd uixit infelix quemadmodũ uo-
luit, quòd fuit hilaris ac læta breuis ætas. Crede iuuenis, & pro
te iam maluiſſem, ut luxurioſus eſſes. Cui tu tempori, cui dolori
rigorem ultionis, frontem caſtigantis iniungis? Impatientiſſima
res eſt perdere filium cui uidearis iraſci. Corruptum me preci-
bus putatis ambituq; lachrymarum? hoc uicit æger, quòd nõ ro
gabat. Aſſidebam miſero, dimittebat oculos, interroganti reſpõ-
ſum de lachrymis tantum gemituq; reddebat, agebat me delibe-
rante iam uictum, cum repente miſeras manus uelut recidentis
amplexus poſuit in ſinu meo. Et cum laſſa ſuſpiria per ardẽtes
anhelitus egeſtis ſæpe uiſceribus, cum diu collatis uterq; ſingul-
tibus miſcuiſſemus laſſas ſine uoce lachrymas, tandem ſpiritu uix
in paciſſima uerba collecto, Tibi quidem, inquit, gratias ago
pater, quòd redempturus utrunq; ueniſti. Non adeo tamen ſen-
ſus meos languor hebetauit, ut exitum conditionis huius igno-
rem, ego luxurioſus, ego perditus, nunc uero ſuper infamiam no
minis huius immorior. Vtinam hoc ſaltem mihi ſerò fata præſta
rent, ut reſiduum laborantis animæ in tuo poneremus amplexu.
Sed ſi mora eſt longior properantibus expectare pereuntẽ, ite
ſuperſtites, ite felices, has tantum reliquias commendate pira-
tis, ne merſus profundo proiectus in fluctus, exitum faciam ho-
minis ad quem non uenerit pater. Vnde enim ſperare poſſum,

ut reuertaris, ut facias? Tunc super abrupta uerba tota deflictione conticuit, strictisq; uitalibus circa dolorem suum membra riguerunt. Exclamaui fateor, quid agis infelix? cur desperatione collaberis? Attolle paulisper oculos, confirma, dura, te frater elegit. Visa est post hanc uocem meam pacta conditio, continuo pirata detraxit catenas, uincula laxauit. Vultis elegisse me negē? Vultis in luccm diemq; productus carceri suo reddatur æger? Ego uero non habui uerba quibus me deliberare, quibus nolle contenderem. Vultis scire quid pater, quid pirata præstiterit? Ego duos redemi, sed alterū accepi. Vt scias, inquit, ægrum redimi non debuisse, defunctus est. Crudelissime generis humani, qui nos putas precium tuum perdidisse, audi quàm multa nobis in morituro filio pirata reddiderit. Frater ille tuus inter uincula catenasq; deficiens, respirauit aliquid in toto, tandemq; liberas uinculis manus per totius lectuli spatia iactauit, post impias carceris sordes illum cum ferali ueste squalorem exuit, paulisper æger uidit propinquos, allocutus est amicos, mandauit, exegit: & quamuis suprema sorte collabens, prius tamen luce cœli libera satiatus est. Contulit mihi grande uelit nolit fortuna in orbitate solatium, filium, qui relictus mea fuit moriturus inuidia non occidi, sed perdidi. Quid ais iuuenis? Ita si moriturum filium redimere non debui, nō sufficit hæc tibi de me pœna, quòd ille decessit? Irasci patri tantum fortasse fas esset, si uiueret frater, tunc alimenta quærenti respondere posses, posce prælatum. Quantum intelligo, qui de mendicitate patris uindicaris, ægri es redempti iuuenis inimicus. Nescis quid sit inuidiam facere patri. Melior erat tua causa, si mei misereris. At quanto, dij deæq;, alius fuit ille infelicissimi iuuenis affectus? Nuncio enim, & audiente, & tota ciuitate teste proclamo, tibi gratias agebat ille dum moreretur. Credo mehercule hoc miserum dolore consumptum, quòd sibi uidebatur precium suum mihi perdidisse. Non aliter igitur quàm si te præsente deficeret, per illud, inquit, frater optimc

ter optime natalium nostrorum sacrum uenerandumq; consortium, per socias peregrinationes, per aduersa communia, per hoc quòd & tu languere potuisti, si te uel tua quādoq; uirtus, uel satietas secura prædonum piratico carcere emiserit, cōmendo tibi senē quem facimus uterq; mendicum. Testor immortalia numina & infernarum sedium deos, pascerem patrem si te rede misset. Ego tamē, inquit, tibi debeo quòd reuersus sum. Nō quidem quicquam uelim iuuenis de uirtutum tuarum admiratione detractum, audias tamen necesse est in hac pietate uerum. Euasisse te putas ingrate? Dimissus es. Mea pietas istud, mea fecit electio. Vnde enim euenit quicquid antè captiuitas tua præstare nō potuit? Iacta quantū uoles effractū carcerē, ruptas catenas: uis scire quid negligentes fecerit securosq; piratas? Acceperant precium duorū. Intelligit iudices & ipse iuuenis, nō esse se calamitatum nostrarum iustitiæ parē, & sic agit tanquam alere nō debeat. Itaq; transfert in hoc defensionē, ut posse se neget. Quid dicitis iudices? Feretis hoc dicentem iuuenem corpore atq; ætate robustum? Non habes opes, sed membra, sed uires. Nam neq; ego laborem, nec difficiles posco conatus, contentus sum iuuenis ut uelis. Cibos me poscere putas? Humeros posco quibus incumbam, manus quas elisо pectori apponam, sinus in quos egeram exhaustarum reliquias lachrymarum, ut sepelias, ut hæc cū miseri illius mēbris ossa componas. Non alimenta quæro, sed filium. Quid quòd nec graue longumq; supremæ pietatis exigimus officium? Non diu uiuerem, etiam si me duo pasceretis. Securus sis, breui te gemitus mei liberabunt, assiduis planctibus euerberata uitalia. Quid me remittis ad turbam? Quid facis rursus omnibus grauem? Consumpsi fletus, clementiam ciuitatis exhausi. Non alit populus hominem, quem pascere filius debet. Quid sibi uult hæc aliena calamitatibus nostris, aliena uirtutibus tuis, iuuenis asperitas? Abstulisti mihi malorum quoq; meorum uerecundiam. Quicquid faciebam mendicitas est, ex quo reuersus es.

Durat in ſuſcepto rigore iuuenis,& ad miſericordiam nõ memoria fratris,non patris contemplatione deflectitur. Exclamaret alius hoc loco,ex tua fide dignus quidem eras impotentiſſime generis humani,quem in tormenta mea doloremq; redeuntem uincula rurſus ac pœna carceris exciperet. Et inſultes huic confeßioni licet,allegare non poſſum. Quid mihi miſeras ultiones,quid triſte monſtratis auxilium? Faceret hoc pater qui redimere noluiſſet. Age nunc uiuaciſſima ſenectus,redeamus ad preces,quod ſolum uis paternæ pietatis agnoſcit, hic quoq; rogemus. Per ego te iuuenis illos meos de quibus nunc quereris,annos,per expertos tibi notosq; humanorum accidentium caſus, per infelicis illius manes,cui nec hoc ſaltem contigit,ut te reuerſo,te præſente moreretur, paſce nunc quòd te redimere uolui, paſce quòd fratrem tuum redemi. Non ego laßitudinem tuã poſco. Nunquam ocium meum,nec ut ipſe ſecurus quietusq; tranſigam diem,tuis operibus manus,tuis laboribus aßigno ſudorem. Iũgamus mutuæ pietatis officia,par flebile,par omnibus ætatibus nominibusq; reuerendum. Eſt nobis negocium cum ciuitate mitiſſima. Quanto libentius dabunt,cum uiderint pariter unaq; miſeros mutua ſuſtentatione connexos? Et ego quidem rogabo qui ſoleo,ſed in tuos ſinus populus congerat ſtipes. Quicquid preces, quicquid impetrauerint lachrymæ meæ accipe, tuere, diſpenſa,pro tua fama pro tua ſum pietate ſolicitus. Ego mendicabo,tu paſces.

CORPORIS PROIECTI, IPSA EST anus cæcæ.

ARGVM.

Qui in calamitate parẽtes deſeruerit,inſepultus abiicia tur. Qui habebat uxorem & filiũ captus à piratis ſcripſit domum de redẽptione. Vxor flendo oculos amiſit,filius retinente matre profectus uicarijs manibus redemit patrẽ. Idem in uinculis deceſſit. Abiectus in mare,& appulſus ad littus patriũ,eſt eiectus,uult illũ ſepelire pater,mr̃ phibet.

Pro patre contra matrem. 6

Etſi

ETSI iudices in hac conditione fragilitatis humanæ,in qua nemo propè mortalium impune uiuit,hæc omnibus natura eſt,ut ſua cuiq; calamitas præcipue miſera atq; intoleranda uideatur: inter omnes tamen hoc conſtet neceſſe eſt,infelicitatem meam tantum cæteras ſupergreſſam, ut prorſus hæc ſit quæ fieri debeat uſque ad cæcitatem. Quid enim paßus ſum tam leue, ut non comparatio mei felices aliorum etiam miſerias faciat? Graue eſt à piratis alligari, magis dicat hoc qui ſciat quàm cito capti moriantur. Alligatus ſum,ſed tamen miſer magis queror quòd ſolutus ſum. Indigna eſt impietas in ſuos, quæ quãta uerſetur in hoc iudicio uidetis. Sed mihi hoc querendum eſt, quòd me & uxor nimium dilexit & filius. Quid ego putarem in rerum natura poſſe reperiri quod orbitate acerbius uideretur? Non cõtingit mihi,quod cæteris miſerrimum eſt,filium efferre. Parum eſt quòd iuueni ſingularis exempli cauſa mortis fui,& tam pretioſa redẽptus anima,ſenex odioſus morte filij mei uiuo. Parum eſt quòd mihi luctum meum fluctus nunciarunt, & aliud agenti patri ſubito ad littus orbitas appulſa eſt,quòd miſerrimum iuuenem toto iactatum mari,etiam ſi nemo interpellaſſet,ſero ſepelirem: adhuc ſupremo prohibeor officio, & ne quid ſolatij contingat, perdo etiam matris miſericordiam. Inijcit erranti corpori manum mulier,& piratis,& tempeſtate crudelior: atq; ut accedat dolori meo cumulus, quæ hoc facit, uxor mea eſt. Ne quis tamen erret ignotus,non eſt filij mei nouerca,ſed mater. O facinus,ò cladibus noſtris mutata natura. Mater ignem ultimũ filio negat, & mulier quæ maritum quoq; ſuum debilitata deſiderat. Quis hoc de iſta credat? Filium non flet funditus euerſa. fulmen hoc gladiumq; non ſentit. Comparate dolorem, quanto minore cauſa excæcata eſt. Huius iudices pœnæ ab ipſa morte repetite crimẽ. Ego ſum,ego & alligaui filium meum & infamaui,& ne non accedat grauiſſimi doloris comes pœnitentia in illum mortiferũ

carcerem merſi. Quo fato parentes miſer ſortitus eſt, ut illi uĕ-
tam pater ſepulturam mater auferret? Nam ut pietatem filij mei
ſemel indicem, patrem redemit. Si quòd ego redierim, uxor ira-
ſcitur, reddat rationem cur acceptis literis meis fleuerit. Atqui
miſerrimus iuuenis quomodo magis temperare potuit officia?
Lex parentibus in calamitate ferre opem iubebat, uterq; parens
erat calamitate deuinctus. unus autem ſuccurrere utriq; non po
terat, inuenit tamen ingenioſa pietas, & utriq; ſubuenit diſpen-
dio ſui. Ipſe uenit ad patrem, me remiſit ad matrem. Hoc ſi de-
fendendum eſt, agnoſco partes meas, cauſam planctibus agam.
ferre enim certe per legem licet. Alioqui diu laudare non ex-
pedit, diligenter defendere contrarium eſt actioni noſtræ ut im-
petremus. funus moramur, dum nos litigamus, dum circa cada-
uer noſtrum orbi rixamur, dum agitur cauſa defuncti, dum ſe-
pulchro lege præſcribitur, dum dantur legitima dicentibus tem
pora, putreſcit interim corpus, nec totum in ſicco iacet. Cada-
uer ab incurſu auium ferarumq; tantum miſerantium corona cu
ſtodit. Conuenerunt etiam alieni plorantes. totus in ſpectacu-
lum populus effuſus eſt, & ignoto quoq; corpori publicas hu-
manitas quaſi quaſdam fecit exequias. Deflent omnes homines,
dolent: plurimorum tamen illa uox eſt, Iuuenis inſepultus iacet.
Miſer, nec patrem habet fortaſſe nec matrem. Iam hominis figu
ram uetuſtas penè conſumpſit. Iam lenta tabes in terram defluã
xit. Iam ſoluta cute oſſa nudantur. Quamlibet duraueris ani-
mo, non ferres tamen iſta ſi uideres. Sed audire certe potes. Ille
eſt filius noſter, cuius ſpes ipſas amauimus, quem apud omnia
templa & ſurdos uotis deos ſuperſtitem precati ſumus, à quo
ſepeliri optauimus. Ille amabilis infans, ille blandus puer, ille iu-
uenis etiam ante hoc crimen piiſſimus. Ille dum par fortuna pa-
rentum fuit, propenſus in amorem tui. Mentior, niſi cum pere-
grinatio mea nos diduceret, maluit eſſe cum matre. Me per om-
nia maria uolitantem, ut plus filio relinquerem, circunuenit ſæ-
uius

uius ipſo mari latrociniũ. Deſcribã nunc ego pendentẽ fluctibus
carcerẽ, & catenas macie mea laxatas, & detritã lateribus meis
conſciam malorũ carinam, & obrutam perennibus tenebris fe-
ralis loci cruentã cæcitatẽ? Iſta uero, ſi quid pudoris habeo, tacẽ
da ſunt: alio qui quis mihi ignoſcet quòd uicariũ accepi? Etiam
ſcripſiſſe pœnitet. O literæ fletibus tremulæ. O parum alligatæ
manus. O delenda uxoris oculis epiſtola. Cur indicaui, cur ſcri-
pſi, quod uxor ac filius ultimum legerent? Vt incertũ ſit utrum
me carius redimãt an lugeant. Cognita clade rariſſimi uxor exẽ
pli, & prorſus talis filij mater totos effleuit oculos, fontemq;
illum perennium lachrymarum tantum cæcitas cluſit. Si non te-
nuiſſet, filium uicerat. Continuus inde planctus, incredibilis mœ
ſtitia, aſſidua lamentatio fuit. Iuuenem neſcio in me magis, an in
te futurum impium, ſi non redemiſſet, quem tu ſic deſiderabas.
Ergo profectionem apparat, ut quoniam reddere matri non
poterat oculos, redderet uirum oculis chariorem. Sed uidelicet
eſt quædam ultima calamitatum rabies, & nouiſſime in furorẽ
uota ipſa uertuntur. Retinuit iuuenem, & epiſtolis meis legem
opposuit. O uanæ figurationes, & pectora hominum alto erro
re confuſa. Nemo illam nõ putabat timere de filio. Itaq; iuuenis
quod ad ſolatiũ pertinere credidit, commẽdauit amicis cuſtodiã
matris, ſubſtituit uici curæ ſuæ propinquos. Neque enim aliter
uſq; ad reditum meum cæca uixiſſet. Quicquid humana ratio
ualet, contulit. Si potuiſſet redimere oculos matris, qua pietate
fuit, uicarios ſuos dediſſet. Ipſe profectus eſt ſolo comitatus ani-
mo, nec ſe putauit ire ſine precio quamuis ad piratas ferret ina
nes manus. Dicat aliquis, adeò domi nihil reliqueras, adeò lon-
ga ætate ſic uixeras, ut ne precium quidem tui paraueris? Si hoc
ita eſſet, teſtor deos, de redemptione literas non miſiſſem. Fuit
unde redimi poſſem, Iudices, fuit. ſed illud totum filius matri reli
quit. Nauigat ergo per horridos fluctus, & gemẽtia littora, &
ſpumantes ſcopulos, & quacunq; miſer relatus eſt inauſpica-
tum

tum metiens iter, prorsus ominose retentus, peruersis etiam uo-
tis, qui optaret alligari à piratis, quos uitare quoq; miserũ est.
Quærit hæc omnia impius ille filius propter parentes, quod nõ
præstitisset frater fratri, non uxor uiro. Quid differimus ultra?
Nõ pater filio. Dij immortales cœli, maris, inferorum præsides,
uni mihi adhuc omnes male experti, uos tamen solos habeo te-
stes, quòd inuitus redemptus sim. Miserum me, perijt qui scie-
bat. Nam ut primum peruenit iuuenis ad piratas affĩrẽs redem
ptionis meæ se precium, è ferali nauicula auidus exilijt, uicarias
oblaturus manus, strauit se ad genua singulorum, & ut cupidi-
tas fecerat blandũ, obsecrauit omnibus precibus, miserabili plan
ctu, & lachrymis penè maternis. nemo unquam sic ut soluere-
tur rogauit. Nec sanè difficile fuit impetrare à piratis captiuita
tem, maior illi pugna mecum fuit. Nõ dignum illud spectaculũ
latronibus erat, cum pater filiusq; de uinculis contenderent, &
sibi quisq; carcerem uindicaret. Ego iam usu defendebam meũ,
& in his annis iam maturam mortem asserebam. At ille contrà,
ego te in calamitate deseram? Ego alligatũ relinquam? Et quo-
modo ad matrem redibo, quæ misera desiderio tui dies noctesq;
fletibus iungit, quæ uiuere sine te non potest? Non dicebat tamẽ
omnia, & cum assiduos planctus & irrequietas diceret lachry
mas, adijciebat, iam penè cæca est, fortasse si redieris uidebit. In
summa non recedo. Fas est mihi etiam inuitis parentibus pie fa-
cere. Non recedo, si perseueras demus piratis lucrum. Aut uica-
rius ero, aut comes. Quantum inter hæc fleuit, quandiu cecĩdit
oculos suos. Si perseuerassem, duos excæcaueram. Obstupuerunt
pietate tanta etiam latrones, & per immobiles ante ultus fle-
tus cucurrit. Non tenuissent fortasse iuuenem, nisi redempturos
parentes talem filium credidissent. Ipse in se transtulit ferreos
nexus, & hilarior alligatus est filius, quàm solutus est pater. Su
premum tamen, & nefas in æternum, me iam catenatis manibus
amplexus, postquàm mei cura discesserat. Matrem, inquit, tibi
per

per hæc merita commendo. Tu illam tuere, defende, ama, ne re-
linque, sic paria faciemus. Illic tu eris uicarius meus, si hæc fece-
ris, non irascetur mihi fortasse mater quòd ab illa recessi. Sic in
nauem filij mei male permutatus uector imponor, & qua uisum
oculi dederunt, ad piratas è puppe prospecto curua littora, &
remensum syderibus fretũ, & turritos urbium scopulos retrole
go. Miserum me quandiu à piratis etiam nauigatur. Mandata
tamen tua fili perago, assideo, sustento. Imò mehercule tu assides
fili, tu sustines, propter quem mihi etiam huius propensior cu-
ra est. Dum recedere ab uxore nolo, filium non redemi. At illum
interim quotidie situs carceris strangulat, insidunt ossibus cate-
næ, exemplum seculi in myoparone moritur. Mater iam satis
est, habes pœnas super legem, sepelissent talem uirum etiam ipsi
piratæ, nisi eos conscietia scelerum, metusq; pœnarum ab omni
littore arceret. Quod unum poterant secũdis proiecere uentis.
Excepit mitior matre tempestas, & (si qua dici potest calamita
tum felicitas) prospero cursu cadauer tantum non ad ipsa maio
rum sepulchra depositum est. Narretur res seculo nostro diuer-
sa, & nescio utra parte mirabilior. Filij corpus matri maria re-
tulerunt, mater mari. Magnam quidem partem agnosco culpæ
meæ. Ego uxorem adduxi, & ne miseram dolore fraudarem ipse
meis humeris aduersariam meam usq; ad littora tuli. Et sanè ad
uersus eum prima uerba orbitatis animo ea existimantem fefelle
runt. Quis autem nõ dolentis affectum putasset, cum diceret de-
functo filio mater, Quid enim nauigasti? Quid maria ingressus
es? Quid piratas petisti? Nam illa quidem uulgatissima orbita-
tis uox est, Fili cui me reliquisti? Etiam cum tota super corpus
incubuit, amplexam putaui. Etiam cum iniecit tollentibus ma-
num. Et hoc inquam solent facere matres, ut funus morẽtur. At
ista legem recitat, & in cadauer filij perorat. Tace, tace misera,
ita tu istud optasti? Sola scilicet calamitatibus nostris adhuc de-
fuit culpa, ut cum sæuitia nimiæ quoq; felicitatis turpis sit, proce
dat

dat inauditum antea monstrũ misera, crudelis, si quid irati dij re liquerunt, si quid infelicitas oblita est, suis manibus perdere cupiat. Detracta est fortunæ inuidia, quando suo quoq; iudicio mater post amißum filium parum misera est. Lachrymis ipsas nouißime perdo, inanis domi libitina plangitur, derisus designator redit, refertur rogus. Inter hæc omnia non gemitus ullus matris, non lachrymæ, non questus. Putes appulsum ad littus aliquem esse piratam? Vnde hũc illi animum? Si mala sua ideo nõ sentit, quia non uidet, & hoc boni cæcitas habet, eruat aliquis oculos meos. Sed tenebræ corporis affectibus non obstant. Est ne hæc uxor mea? est ne ille filius noster? Liceat dubitare si fieri potest, & sanè uix iam dignoscebã, speciẽ uetustas reliquit: sed attritæ manus, & tumida uestigia uinculorũ, & testis lõgæ capti uitatis macies, infelicia argumenta, cõsentiunt. Miserũ me, certus luctus est. Filium agnosco, uxorẽ non agnosco. Ergo quoniã de iure longior pugna est nobis, festinandũ est, sint primæ precum partes. Adeste uniuersi utriusq; sexus parentes, dum matrem in exequias filij rogo. Per matrimoniũ te uetus, & per mutuã charitatem quæ utriq; nostrum magno constat, adijcio per cõmune pignus, per annos pariter actos & beneficio filij plures, per meum in te obsequiũ, iam mei miserere cuius soles. Crede mihi, hoc quod patior carcere peius est, captiuitate crudelius. Mea ista pœna est. Quid tibi tantum mali feci? Quid offendi? Certe ego te non reliqui. Iam si totum affectum in hunc consumpsisti uirum, & omnis per oculos misericordia effluxit, tulerit sanè filius noster meritò pœnas, dederit spiritum supplicio, nihil de præteritis loquamur, quod postulauit Cicero etiam ab illo crudelißimo Siciliæ tyranno, mors sit extrema malorũ. Quod quidem cum permißũ non esset, pernoctabant ante ostium carceris, precio redimentes sepeliendi potestatem. Quid tandem hoc M. Tullius patres matresq; promeruit? Tu uende saltem, quod sub Verre crudelißimum fuit. Certe ego filium redimam, nec mihi pretium

pretium diu quærendum est, habeo manus. Nihil moueris nunc, & debilitatem tuam iactas? Singulare fœminis exemplum ostendi, narrariq; desideras, sepulturam filij maritus à te impetrare non potuit. Vade hercule si libet, & corpus in fluctus repelle. Aut si parum celebri loco uidetur abiectum, injice manum, & ne minus te satiet alienum ministerium, ipsa potißimum trahe, alteram manum cadaueri impone, altera duc quà frequentißimum rotis iter est, & nigra limo uia. Proterat miserum onustum uehiculum, & sanctißimum pectus ungulæ rumpant. Ipsa quoniam defeceris oculis, elisum caput, & oppressa ponderibus præcordia manibus tuis pertracta: si quidem audeas, istis etiam lacera dentibus. Litigamus, consistimus, in diuersum abimus. Nempe cum uiceris, omnia paria habebimus præter animum. Non sepelies? uide quæso, uide ne dum litigas, arenam fluctus aggeret, injiciat humum misericors populus. Obstat, si cuius clementia tumulum fecerit, effode: & cum talis sis mater, aude indignari, & exclama, Magis amauit patrem. Cruces succiduntur, percussos sepeliri carnifex non uetat. Ipsi piratæ nihil amplius quàm projiciunt. Mater (quanquam hoc nomẽ profanari nefas est) si perseuerat esse filij sui nouerca, ut hac crudelitate uideatur digna, quæ orbitatem suam non intelligit, si ultra hostiũ affectum, qui cæsos acie sæpe tumularunt, ultra tyrannos, ultra latrones parum habet non sepelire, nisi aliorũ quoq; officia præciderit, & tantumnon petita ex fluctibus aqua restinguit ignẽ, si adeò non genuit filium, sed effudit, & illo infelici partu ingratum uteri pondus exposuit, licet imputet nobis ut uolet, quod tueri non potest, singulare mariti desiderium, dicam tamen quod sentio, excusatius odisset uirum quàm filium. Quanquam in hoc mutuæ charitatis affectu paria fecimus: illa oculos propter matrimonium neglexit, ego filium: uicem cæcitatis orbitate persolui: tamen, quod inter hæc quoq; mala priuatim doleam necesse est, omnem illam quam contraxerat perdit opinionem

nionem. Iam inimici mei triumphant, iam paſsim loquuntur, illa exempli mulier, illa ſeculi decus, uirum redimi noluit, nec filium ſepeliri. Equidem iudices ut ſentio, neminem non mortalium fa- uere hominis ſepulturæ conuenit, quia hæc una res eſt, cuius exẽ plum ad omnes pertineat: Ideoq; non niſi ab ultimo parricidio exigitur pœna trans hominem. Etiam ſiqua ſunt iura quæ ob- ſtent, ſi tamen angustus ſaltem detur acceſsus, per quem intrare humanitas poſsit, uera clementia occaſione contenta eſt. Siue o- mnis in defunctis ſenſus perit, & ad operiendam fœditatem ſub- trahendamq; dolori materiam mortui uiuentium cauſa ſepelun tur: ſeu cum ad infernas ſedes anima migrauit unus hic luce ui- duus bonos, & ſuprema face (ut uates ferunt) petitã ulterioris ripæ ſtationem contingunt, quæ uera eſſe & credo miſer, & opto, cito iturus ad filium. Certe rerum natura ut in generãdis alendisq; hominibus quæ neceſsaria erant ex ſe ipſa proſpexit, ita cum rurſus opus ſuum reſoluit, corpora noſtra quamprimũ reducere ad principia feſtinat, ut deſertis etiam locis circa cada uer tracta imbribus terra concreſcit, aggerant puluerem uenti, & liquefacta multa die membra paulatim humus bibit etiam ſi nullus operit. At ipſa longo tempore in terrã oſſa deſidunt. No bis uero aduerſus exanimes genuit non ſolum miſerationẽ, quæ cogitationi noſtræ ſubit, ſed etiam religionẽ. inde ignotis quoq; corporibus tranſeuntium uiatorum collatitia ſepultura, inde iniecta ab alienis humus. Facinus indignum, cum hæc ita ſint, ſe- pultus eſſet filius meus, niſi incidiſſet in matrem. Et hæc iudices non ideo ego dico ut affectu iura corrumpam, neq; uobis præci pio, ſed aduerſariæ exprobro. Legem quidem iſtam quidni hor- ream, cum id unum miſerrimo iuueni ſit obiectum, quòd in cala mitate non deſeruerit patrem? Sed quatenus luctus noſtri in ius uocantur, & flenti diſputandum eſt, & orbitati ſuæ mater ira- ſcitur, ſuperemus quam exorare non poſsumus. Ecquando duo- rum hominum miſeriora uota uidiſtis, ut de his pater ſi uicerit

filium

filium ſuum efferat: mater ſi uicerit, abijciat? Quæ tamẽ lex eſt? Qui parentes in calamitate deſeruerit inſepultus abijciatur. Omnis nobis in hac prius cauſa iudices de ſcripto & intellectu legis cõtentio eſt, utrum ius uerborũ ambiguitate, an uoluntatis fide ſtaturum ſit. Pars enim aduerſa id nititur, parentẽ fuiſſe in calamitate, eam quæ deſerta ſit: Cuius rei pœna eſt abijci inſepul tum. Quid tum fuerit in cauſa, quid ſit poſtea conſecutũ, quo- modo legem intelligere cõueniat, ſubterfugit dicere, neq; à ueſti gio ſcripti recedit, ſed nuda recitatione contenta eſt. Nos neq; omnibus perſonis, neq; omnibus cæcis ſcriptam eſſe legem, & iu ueni iuſtas ac neceſsarias recedendi cauſas: & cui rei ſemper ius ſatis plenum eſt, bonum animum fuiſſe. poſtremo non hoc eſſe deſerere contẽdimus, atq; eò cauſam dimittimus, ut non ſit abſol uendus adoleſcens niſi etiam laudandus. Qui autem dubitat an ſcripti uoluntatẽ ſequi conueniat, is mihi uidetur quæſtionẽ ten tare incertus qua de re. Ideo pauciora adijciam, quòd nobis quoq; (ſi ita pergitis) afferet quandam cauillationẽ iſta ſermo- nis ambiguitas. ac uideri poterit omnem actionẽ partis aduerſæ prima ſtatim recitatione ſubuertere. Nam lex cũ dicit, qui paren tes in calamitate deſeruerit: rurſusq; cũ dicit, inſepultus abijcia- tur: non utiq; id ſignificat, ut non liceat eum ſepeliri, poſtquàm proiectus eſt. Quare aut mihi quoq; permittite ſic agere quomo do uolo, aut quod magis ueſtram religionem decet, indignã ſan ctiſsimis auribus uerborum captionẽ, ex utraq; parte præcidite: & cum filium ſingularis exempli probauero, fortiter ſentite nul lam unquã à maioribus noſtris pœnã ſcriptam eſſe pietati. Atq; in eo quod primum poſueram, non ad hanc rem pertinere legẽ, non diu uerſabor, neq; dubitatione, quam non habet, afferã mo- ram. Neq; enim puto ſi ætas impediet infantem, ualetudo ægrũ, R.P. Legatum, dux militem, nihilominus obſtricta crudelitas nõ accipiet rationem neceſsitatis: & cũ ſemel apparuerit patere in eiuſmodi cauſis defenſionem, potero planè eſſe ſecurus: nec

timebo ne teneri uideatur filius meus, si non potuit omnibus succurrere, dum in ipsa lege occupatus est. Pater alligatus est, mater cæca est, unus utriq; filius, magna locorum distantia. Habet lex in medio debitorem. Duc ad utrum mauis, ad utrunq; nõ potes, nisi hanc cõditionem misero imponimus, ut quicquid fecerit proijciendus sit. Si exierit, mater sepeliri uetabit: si remanserit, pater. Non dubito fore dubium quin ius in hac lege fuerit & mihi, nisi forte (ut omnia inique iniusteq; cõquiritis) hic quoq; unius occasione uerbi aliud putatis iuuare parẽtes, aliud nõ deserere. Id est, de hoc dubitare uultis, utrum parentibus ubiq; ferri oporteat auxilia, ut ego existimo: an uero non mereatur adiutorium, nisi qui præsente filio miser est. Nam si deserere in calamitate, nil aliud putamus esse quàm à misero discedere, duo simul scelera permittimus. Primum illud, ut etiam qui aderit possit impune nihil præstare: Si quidem absolutus est hac lege, qui secundum miserum stetit. Quo quidem modo non adiutores calamitosis parentibus filios damus, sed spectatores. Dehinc accidit illud uel grauius, quòd cum rerum necessitas quotidie nos diuidat, si quædam fortuna parentes nos deprehenderit, quamuis exiguo diuisus spatio impune opem non feret, non succurret, ut hac saltem se calumnia defendat. Non reliqui, non abscessi: neq; pede, quod aiunt, uno à parente discessi. Solutus erit omni auxiliandi necessitate, quãdo uestra interpretatione absentia impietatis occasio est. Hoc uoluisse legum latorem putamus, ut natus ex nobismetipsis in rebus aduersis præsidiũ parenti labore atq; præstantia solueret, lucis usuram ubicunq;, nisi forte non sumus parentes, nisi palàm. Quid est ergo non deserere? Opem ferre, non deesse. Omnia hæc eò spectant, ut auxilio liberorum tuti sint parentes. Quod cum ita sit, tam ad me lex ista pertinuit quàm ad matrem. Duo unum uocabamus, uideamus quò ire debuerit. Poteram quidem fortiter dicere, pater iussi. Hoc nomen omni lege maius est. Tribunos deducimus, candidatos ferimus. Ius nobis uitæ

uitæ necisq; concessum est. Si non fecerit quod iubeo, non deferã illum ad sepulturam. Necesse habuit parêre. Non deseruit, sed abductus est. Crede non contemptu tui uenit in carcerem. Sint sanè iura paria, sedeatq; medius inter duos filius, iudices, non cõparabo personas quamuis apud omnes gentes plus iuris habeat pater: sit sanè natura cõmunis, nõ imputabo quòd nomen dedi, quòd familiã, quòd impẽsas, quòd dum illa acquiro, captus sum. Non indulgentiæ discrimen excutiã, de qua iam lite concessum est. Fuerint quidem ista facienda, sed ego ius meũ reprimo, inter duos parentes cæcus affectus est. Exorabit qui prior rogauerit: Tempore certe uinco, antè miser esse cœpi. Tu adhuc integra es, ego iam alligatus sum. Tu sana in domo, ego iam penè defunctus in carcere. Tibi adhuc non opus est filio, ego iam rogo: Nempe calamitas tua nata est post epistolam meam, nisi te flentem consolari filius uoluisset, ante cæcitatem tuam exisset. Noli mirari si te gratia uinco, ante exoraui filium quàm tu rogares. Si quisquàm figuratione quadam in hac malorum conditione iudicem ponat, fortuna quæso absit, cuius tanta calamitas fuit. Abstulerat quidem tibi oculos nimius affectus, & de quinq; rerum sensibus pars una cessabat, & tenebras etiam saluis luminibus alternans cõtinua nox duxerat. Maius est tamen malũ quod sic fletur. Nam ut merito queri possit ablatas uidẽdi uoluptates, impeditos rerũ actus: tamen si nõ iniqui iudices sumus, nec ambitiose miseri sunt qui mederi possint, referam, non solum qua uincenda mihi, sed magis etiam qua consolanda es. Nam quando omne tormentum corporis abest, dolor membrorum, qui totam cogitationẽ in se rapit, feliciter cessat, superest ut cruciet nimiũ ocium & assidua quies, res si non sint necessitate iucũdæ. Nam uisus damnum sarciunt reliquæ uoluptates, odor, gustus, tactus, auditus: quibus tametsi deesse summam fatendum est, non est tamen maximæ calamitatis loco numeranda parum plena felicitas. Domus certe propria, lectusq; genialis, conuentus propin-

quorum, sermo amicorum, ipsa (quod raro contingit) honesta calamitas, & in quacunq; fortuna beata libertas, tot uoluptates obruere posſunt unum dolorem. Nam lucis desiderium si malis meis compares, etiam delicatum est. Non enim aliquid rerũ natura genitura est spectaculo nostro nouum, ac non quicquid spectosissimũ pulcherrimumq; uisuri sumus uidimus. Nempe quotidie nox oritur, & æquam temporum portionem inuoluit obscuritas, & ex parte sui ipsa quodam modo cæca natura est. Cui alienis oculis uti licet, audire, imperare, cuius ministerijs officia non desunt (non enim defuerunt) nisi se erigit, & fortunæ suæ rationem reddit miser non est, præsertim in tam bona cæcitatis conscientia, animi uitio miser est. Non debet dolere quippiam qui potest gloriari. quanquam cuiuslibet & quacunq; causa hunc incursum passæ leuius est tamẽ malum fœminæ. Non enim nauigatis, non legationem obitis, non frequenti peregrinatione uariatis aspectus: non militaris uos, non forensis ratio deducit. Alioqui semper estis intra domum, uno plurimum in loco, leuibus officijs affixæ. Tuum quidem affectũ si bene noui, nulla magis causa cæcitatem doluisti, quàm quòd ad redimendum maritũ ire non posses. Hæc tua calamitas erat, æstimemus meam. Nulli quidem grauior uisa est tibi, audi tamen quàm multa in illis epistolis non scripserim. O fili, in quibus te malis reliqui? Iam illa principalis ac maxima dono deũm concessa libertas, nec hominum solum sed ferarum uolucrumq; sensibus fixa & ingenita, primum spolium fuit. Me ipse perdidi, teneor uenale mancipiũ, & ciuis Romanus merces fio, & libertatem senex dediſco, & natus ingenuus uenire opto. Minimum est, quòd habitamus in fluctibus, hyberni nos feriunt uenti, non statio, non sedes, non quies, sed quod malorum meorum maxima portio est, tam miseri sunt etiam domini mei. Sed cito prætereunda est memoria, propter me uxori grauis, mihi propter filium. Transeo hirsutos hostium uultus, & immanium barbarorũ feros fremitus, tantumq; mihi

mihi quotidie esse metuendum, quantum pati captus à uiolento pirata potuisset. Nihil est desiderio suorũ grauius, timui ne quẽ ex meis uiderem. Nihil tempestate minacius, quotidie naufragiũ optaui. nam mortem, cõfitebor, senili inertia una causa minus cupiebam, ne defunctũ nemo sepeliret. Quam ueſtem relictã captiuo putas, nisi quæ præda non erat? quales epulas cibosq; præbent, qui ipsi rapto uiuunt? Nam illa quidem satis digna quis dixerit, dum carcerem, & inundatam sentina nauiculam, & impositum nuda trabe irrequietum latus, reuinctas post tergum manus, alligatos tanquàm esset quà fugeremus pedes? Solæ in carcere tenebræ iuuabant. Sæpe de auribus questus sum, quæ sonum flagellorum, genitumq; cæsorũ, quamuis impexis obrutæ comis acciperẽt, dura metus sui exempla. Miserum me fili, nempe morbo periſti. Compara terram mari, domum naui, lectulum carceri, libertatem seruituti, desiderium oculorũ totius corporis dãno. Quo nos longius ducit calamitatum nostrarum misera contentio? Cæci tamen litigare posſunt, captiui nec uiuere. Verum hæc etiam si in æquo ponerentur, tum multum in alteram partẽ debuissent habere momenti, quòd plus mihi poterant prodesse quam tibi. Ei labori incumbere oportet, ubi effectus promittitur. Stulta cura est, quæ spem non habet. Ego redimi poteram, tu sanari non poteras. Qualiscunq; ista calamitas inemendabilis cecidit, non remedium accipere, non uicarium potest. Assedisset scilicet lectulo inefficax sedulitas, & acceptis epistolis meis iuuenis filius nihil aliud quàm cum matre fleuisset. Quia profectus est, alterius tantum parentis calamitas emendata est. Si remansisset, & matrem cæcam haberet, & patrem captiuum. Adijcio quòd tibi non necessaria filij præsentia fuit. Aßidere enim, cibos ministrare, manum porrigere quilibet poterat. Mentior nisi factum est: me ab illis captũ, tam dura cõditione uenalẽ, quod utiq; in confesso est, nemo alius redemisset quàm filius meus. Et ego sic ago tanquã hæc tantum filius propter me fecerit, quanquam

in hoc litigatu quodãmodo tibi ipſa excidiſti: & quanquàm id agas,ut merita tua iniuria uincas. Et quanquàm nouum induiſti rigorem, non prohibeo tamen teſtimonium, ad redemptionem meam filium ipſa miſiſti cum ſic plangeres,cum mortem precareris, cum te omni uiduatã uoluptate clamares, cũ ſæpius gemeres captiuitatem meam quàm cæcitatem tuam. Non erat illi ferreum pectus,nec cor ſilice concretũ,ut hæc pati poſſet æquo animo. Tu filium prima docuiſti ſibi nõ parcere,potius quàm plus flere,potius quàm ipſam reſcindere cæcitatem. Profectus eſt,maritum tibi reddidit. O crimẽ graue. Si hoc antè feciſſet, uideres. At retinere nõ potuiſti. Non dicam tibi, habet pietas impetum ſuum,nec ullum dominũ nouit affectus:nec ille te potuit retinere ne fleres. Audi quid eſt uerius,aliud putauit. Non erat credibile obſtare te redemptioni meæ. interpretatus eſt maternũ metum, & maris domui noſtræ male experti periculum credidit, timẽs ne ſi tibi paruiſſet, nemo non uos putaſſet colludere. Cæterum me poterat non redimere, cum tu clamares, Cæca ſum, oculos deſiderio uiri perdidi, ſolitudinem ferre non poßum. Ita ille ad redemptionem meam excuſatius profectus eſſet,ſi me minus deſiderasſes? Dubitatur an tua cauſa fecerit? & filium & uirum habere non poteras,reddidit tibi quem magis amabas. Siſte iam lachrymas,maritum reducem & incolumẽ accipe. Quid irascaris? Quæ tanta mutatio eſt? quis hoc crederet? Quereris diſceſſiſſe quem odiſti, cum eum rediſſe nolis quem diligis. Atqui ſi (ut ſuprà probauimus) is parẽtes in calamitate deſerit qui opẽ non fert, & (ut nunc oſtendemus) optimus filius corpore ſuo adiutoria matri redemit,profecto opem tulit,id eſt,nõ deſeruit. Nam ſi,ut antè dixi,ne ueſtigio quidem abiiſſe à miſeris licet,ne ipſorum quidem cauſa qui adiuuantur,diſcedere fas erit,nec cibos ſaltem petere, aut alia uſibus neceſſaria parare continget. Si uero dum adiuuatur parens, nihil refert ubi ſit ille qui adiuuat,quia præſens cura exhibetur,quicquid tibi ego præſtiti,ad autorem

autorem muneris,id eſt,redemptorem meum transferendum eſt. Non aſſedi, non conſolatus ſum, non miniſtraui, non tuli, non deniq; totus tibi rediui. Verum fatendum eſt, ſi deſertam te putas,mea culpa eſt. Sed iam tempus eſt iſta quæ non excuſata debent uideri,uerum pulchra atq; magnifica, animo maiore defendere,& cum iudicium agatur exempli,tandem cauſam ſuam intelligere. Hoc ſaltem habebis miſerrime fili,quod honoratis contingere funeribus ſolet, defunctus laudaberis. Omnia licet huc reuocemus præterita,& ad canendas unius laudes uniuerſorum uatum ſcriptorumq; ora conſentiant,uincet tamen res iſta mille linguas, ipſamq; ſi ſit aliqua corpore uno, facundiam materia ſuperabit, etiam ſi nihil dixero niſi quod obiectum eſt. Lucem libertatemq; patri filius reddidit,& (quod antè inauditum eſt) magis me amauit quàm uellẽ. Ingreßus eſt maria,in quibus iam minimum periculi tempeſtas habet, & quod inter iſta difficilimum eſt,amore mei uicit etiam matrem ſuam. Tace nefaria lingua,ergo tu iſta laudas? Obtulit ſe captiuitati,quia ſciebat graue eſſe alligari,malis patris ſucceßit. Subit libens pœnam pietas etiam ſceleribus grauem. Tu melius uxor,quæ facturum retinebas. Comparate nunc, ſi quis patrem per hoſtes ſolus tulit, qui cum uenientia in patrẽ tela excepiſſet,ſimplici tamen morte defunctus eſt. Vnũ legimus,qui uicarias pro patre non quidẽ piratis aut in mari manus obtulerit,ſed ubi redimi poſſet. Me miſerũ, dicendum eſt quod hoc ipſo admoneor exemplo, in honorẽ pietatis etiam damnati ſepeliuntur. Hæc alij laudant, ego queror. Te quidem iuuenis omnia ſecula loquẽtur,& admirabile exemplum tenaci memoriæ traditum,in ipſa aſtra ſublimem pennata uirtus feret. Sed mihi iſta laus tua care conſtat. Non erat ſatius lectulo matris incumbere,& in huius miniſterijs deditum ſecura ocia impẽdere? Soli tibi contigerat ut poſſes patrem excuſare, non redimere. Me interim,ut cœperat tabes lenta conſumeret. Me quæ debebat ſola,ſenem mors redemiſſet, & cum exanime

corpus in fluctus esset abiectum, si contigisset similis tempestas, quod æquius erat, tu me fili sepelisses. Fefellit te ingenitus honestis animis gloriæ amor, spes tibi perpetuæ laudis imposuit. Vbi uirtus? ubi pietas? peristi miser, & male audis. Non morienti pater assedi, non ægri caput molliori sede composui, non fatigatũ latus mutaui, nõ spiritum excepi. Absens, extinctus, euersus, mortem tuam inueni. Nemo ægro uincula laxauit, nemo manus ferro sordidas ad accipiendos remisit cibos. Tantum catenarum causa solutus es, neglectus, despectus. Quid? uilis senis uicarius, inter tot ardentissima febrium desideria, non habuisti quem posceres, quomodo te uincula composuerant iacuisti, matrẽ, patrẽ, propinquos tantum cogitasti. Nunquid indulgeo mihi, quòd te puto inspirasse in carcere meo? Nondum matri satisfactum est. Quoniam pœnas à cadaueribus exigis, audi sequẽtia tempora, mors ipsa filij tui naufragium fecit, per tot fluctus uolutatũ corpus intumuit, tot illisum scopulis, tam spatiosis tractum arenis, nunquam tamen infelicius, quàm cum uenit in terram. O quàm graue est mori, quanto grauius, quòd ego uiuo superstes filij mei. Viuo omnibus dijs hominibusq;, sed ante omnes mihi & inuisus & infestus, & uxoris quoq; pietatem perdo. In funere filij diuortium fecit. Video hæc rerũ naturæ bona, quæ filio abstuli: Omnis me ætas mei admonet luctus, senectus, ad quam non peruenit, misera pueritia, quam nunc transiuit, adolescentia, in qua perijt. Supersum, ut si felicissime cesserit, rogũ meum uideã, & edaces circa corpus filij mei flammas. Si hoc non contigerit, nigrum cadauer & deforme etiã ignotis spectaculum. Inter hæc mala, credetis puto si dixero, uellẽ oculos non habere. Quid nũc amplius? Ad te uxor preces conuertam irritas, male tentatas? Tu uero perge, & bono tuo utere, felicem te, quòd in hac fortuna irasceris. Ad hoc confugiendum est. Per communes casus, per calamitatem meam, humanæ calamitatis exemplar, ita uos cõiuges uestræ ament, non sic desiderent, ita hoc orbitatis meæ ultimum exem

plum sit, ita uobis habere tam pios filios non necesse sit, mi seremini. Si uicarium accipitis, me proijcite. Nõ inuidiosæ preces sunt, nihilominus impero. Non læta sententiam uestram sequetur gratulatio, nõ ad tẽpla deducar, sed ad sepulchra. Etiam cum uicero flendũ est. Si uero uincimur, ibo in littus miser, planctibus aues abigam, aut me corpori filij mei uelut tumulum imponam: Iacebimus duo insepulta cadauera, me feris obijciã, aut circa singulorum domus ad genua prætereuntium ibo, & recepto tam miseris more supplex non cibos petam, non stipem, mendicabo terram, & collatas miserantium manu glebas, aut (quod certe licet) filium in mare proijciam. Iam crudeles aquæ, & uẽti male secundi reddo uobis uestrum beneficium. Ferte quò libet ad barbaros licet, ad hostes licet, ad piratas. Fortasse aliquis iubebit sepeliri, certe (quod sciam) nemo prohibebit.

TORMENTA PAVPERIS. ARGVM.

Liberum hominem torqueri ne liceat. Pauper & diues inimici. Pauperi erat filius. Nocte quadam pauper cum filio reuertebatur. Interfectus est adolescens. Offert se pauper in tormenta dicens à diuite eum interemptum. Diues contradicit ex lege.

Pro paupere contra diuitem. 7

SENTIO Iudices plurimum detrahi calamitatibus meis miserationis, quòd ad uos detulisse uideor nimium fortem dolorem, & tristissimæ orbitatis mihi quoq; accessisse nouitatem, quòd cũ aduersus me tam grauia, & crudelia deposcam, patior inuidiam hominis exigentis aliena tormenta. Non possum tamen uel in nobis approbare quid patiar, quòd mihi non est relicta miseri patris infirmitas. percussorẽ filij mei uidi, & miserior sum quàm si nescirent quis occidisset. Fateor igitur iudices, ipse miror unde ad hoc probationis genus repente confugerim. Veneram tanquam nunciaturus indubia, manifesta: nec alium expectaueram publicarũ

ſuſpicionum de filij mei morte conſenſum, quàm ſi percuſſorem uideretis omnes. Hic hic ut torquerer inueni. Poſtquam ſatis nõ uidebantur explicare uerba quod uideram, confugi ad fidem doloris. Quid faciam, ſi temeritates quoq; noſtras cõſcientia reorum non poteſi pati? Intellexi miſeratione factum, qui ut torquerer exegeram, ex quo me diues non putat aliud in quæſtione dicturum. Neq; ego iudices quenquam ueſtrum dubitare crediderim, ex qua conſcientia, qua trepidatione deſcendat, ut quis torqueri nolit inimicum. Quos nunc putatis cruciatus diuitem pati, quem dolorem, quòd hoc mihi negat? quàm uellet ideo tãtum filium meum non occidiſſe, ut mihi poſſet indulgere tormẽta. An hoc creditis iudices diuitem facere legum libertatisq; reſpectu, & reum pro exemplo eſſe ſolicitum? Ille uero nunc laceratur, & ſic magis noſtro dolore fruitur. Operæprecium eſt inimico negare tormenta, cum feceris ut uelit ipſe torqueri. Illud igitur à uobis iudices infeliciſſimus omnium mortalium peto, ne cũ inaudita, incredibilia paſſus ſim, miſereri uelitis corporis mei: crudelius, & indignius eſt quàm torqueri, non impetrare tormenta. Eſt aduerſorum meorum & iſta nouitas, quòd neceſſe habetis ea mihi ratione ſuccurrere qua odiſſetis alium, nec quicquam eſt homine infelicius, pro quo tormenta ſunt. Percuſſorem à me filij mei uiſum eſſe contendo. Facinus eſt hoc uos non deprehendere, ſi mendacium eſt. Facinus hoc me non probare, ſi uerum eſt. Quod ad me quidem iudices pertinet, orbitatis meæ repeto præſentiam, & noctem illam rurſus ante oculos meos cogitationes reponunt. Iam mihi uideor & in tormentis eſſe confeſſus. Filium iudices habui ſicut erecti ac ſublimis animi, ita qui nondum ſuos haberet inimicos, & quem nemo adhuc niſi cauſa tantum mei doloris occideret. O parẽtum miſera cõditio, quàm nouis inuſitatisq; paremus inſidijs? Nos exaſperamus, nos offendimus, inimici tamen liberos noſtros oderunt. Quis hoc unquã iudices ſimultatum timuiſſet ingenium, ut eodem aliquis excogi-

taret

taret animo, & quòd parcit, & quòd occidit? Reliqua iudices non debebam niſi in quæſtione narrare. Felices illos in mei cõparatione patres, qui perijſſe liberos ſuos nuncijs credũt. Ego ſum inaudita malorũ nouitate perculſus, cuius unicus ideo tantũ occiſus eſt, ut uiderẽ. Reuertebamur nocte pariter, ſicut omnia nos uitæ miniſteria iungebãt, & homines quibus nõ ſeruos præſtabat fortuna cuſtodes, tuebamur pauperẽ mutua pietate comitatum, inuicem ſuſtinentes, inuicem nixi, nec niſi magna percuſſoris diligentia ſeparandi, cum diues medio noctis horrore ſtricto mucrone proſilijt, & ſtupentibus attonitisq; miſeris confodit illum fortiorem: illum, qui fortaſsis aliquid in mea morte feciſſet. Confiteor iudices, nihil tunc oculorum meorum diligentia, nihil egit cura miſeri patris. Percuſſor uoluit agnoſci. Vos nũc ciues, uos omnes humani generis affectus, miſerrimus interrogo pater. Suadete quid faciam. Hunc quem uidetis circa me ſanguinem, de filij mei uulneribus accepi. His manibus labentis unici membra ſuſtinui. In oculis adhuc uultus illius morientis, hærent auribus uerba ſuper cadauer habita inimici exultantis. Fidẽ tormentorum, quouſq; percuſſoris filij mei conſcius ero? Aperite pectus iſtud, & totum de uiſceribus meis latronis egerite ſecretum. Vidi, & mihi non creditur. Vidi, ita poſsim & in tormentis idem dicere. Aut ſi compono, ſi fingo, urar, lacerer, & non probem. Si uidetur, torquendus ſum iudices, ut hoc deſinam dicere. Nec me iudices fallit quantam molẽ accuſationis, etiam in manifeſta ueritate ſuſceperim. Diuitem detuli reum pauper inimicus, occiſi pater, & poſtulo ut mihi credatur teſtimonium in mea orbitate dicenti. Itaq; non deprecor quo minus mihi uelitis iraſci donec probem, torquete tanquam mẽtientem. Lex, inquit, liberum hominem torqueri uetat. Per fidem iudices, quis nõ hoc eum reſpondere credat, cuius tormenta poſcantur? Nemini iudices credo dubiũ, legẽ quæ torqueri, liberũ hominẽ uetat, hoc proſpexiſſe tantũ, ne quis torqueretur inuitus, & iura quæ nos à ſer-

uilium

uilium corporum conditione secernunt, impatientiæ tantũ succurrisse nolentium. Omnium beneficiorum ista natura est, ut nõ sit necessitas, sed potestas. Quicquid in honorem alicuius inuentũ est, desinet priuilegiũ uocari posse, si cogas. Cũcta si uidetur iura percurrite, nusquã adeo pro nobis solicita lex est, ut quod præstat extorqueat. Dedit cæco talionis actionem, non manus recusantis impellit, iniuriarum. Cædis agere permisit, sed nõ cogit inuitos. Adeò penè leuius est ultionem perire quàm potestatem. Genus seruitutis est coacta libertas, & eadẽ iniquitas quicquid de inuito homine facias. Vis scire quid lex ista prospexerit? Non exigo ut torquearis. Quàm multa dij deæq; nõ minus sunt iusta quàm lex exigit, quarundam inuidia rerum, ut uinci se magnitudo patiatur, & quicquid accidisse mireris, tantundem poscit in ultione nouitatis. Filius in cõspectu patris occisus est, torquete securi, nihil iniquius fieri potest. Ignoscant persuasiones, si facinus istud omnium illicitarum rerum consumpsit inuidiam. Et unde tormentis salua iustitia est, plus est de quo quæritur, quàm quomodo quærendum. Nullum debet inimicum uideri genus probationis esse quod solum est. Et quicquid potuit prodesse seueritati, nunquam nocuit exemplo. Sufficit libertatis reuerentiæ, quòd torquetis inuiti, quòd contra me non alius inuenit. Liberum torqueri non licet. Hoc est iudices propter quod filiũ meum diues coram me non timuit occidere. Filium igitur meum in conspectu meo occisum esse contendo. Quid dicitis? Ita non erat contra proclamationis huius fidem, si nunc agere possem quietum modestumq; miserum? Vultis cum hoc uiderim tantum testimonium dicam? Mirum hercle, si scindo uestes, nudo corpus, ignes, flagella deposco. Insaniat necesse est pater, cũ solus hoc sciat. Fallitur iudices quisquis hoc quod postulo cõtemptũ, quisquis audaciam uocat. Filius urit, exagitat, & inter tormenta fugio dolorem. Si mentientis est uelle torqueri, inuenire quid facere debeat, qui uerum dicit, & non probat. Mentiris inquit.

Bene

Bene quòd & tu fateris non esse mihi sine quæstione credendum. Et quas per fidem mendacio meo causas diues assignas? Ignoro percussorem. Deinde te potissimum de quo quererer elegi. An scio, & simultatibus nostris occasionem orbitatis indulgeo? Decipi me non potuisse manifestum est. Filius meus cum patriter rediremus, occisus est. An dignoscere percussorem nocte nõ potui, cũ percussor potuerit eligere, fugere? Quid ais? Iuuenem meum alius occidit, & tu mihi solatium ultionis imples? Te accuso scilicet, ut interim nescio quis ille fugiat, euadat. Quod tu mihi genus furoris assignas, ut maximi sceleris ultio pereat falsæ accusationis incerto? Homo qui me uidisse contendo, cũ occideres filium meum, nisi de te uindicor, non reliqui mihi ut hoc de alijs probarem. O te extra omnes humanorum pectorũ affectus inimice sepositum, nunc qui me putas posse mentiri. Perdidi infelix illum chariorem pauperibus affectum. Succurrere mihi putas quòd aliquando dissedimus? Falleris, deciperis. Hominis cuius occisus est filius, unus inimicus est. Sanè possit aliquis hãc doloris dissimulationem mendacio perferre uerborum, torqueri uolo. Nihil est tanti nisi uerum. Videlicet inter ignes ac flagella sufficit mihi si dixero, hic est inimicus animæ, qui nobis subinde maledixit: hic ille contumeliosus, ille impotens. Ego nescio an mihi possit in quæstione sufficere quòd uidi, & quòd inimicus me contendit ideo uelle torqueri. Tormenta postulo. En ad quod confugiat homo, qui se sciat posse mentiri? Nulla est ratio quæstionum relicta mortalibus, si adiuuant contra ueritatẽ, & sublata est de rebus humanis necessitatis huius utilitas, si uiam tuetur ultro, explicatq; fingentibus. Hucusq; durant artis ingenia mortalium, ut sit aliquis secreti firmitate compositus, hominem tamen ultrà non sequitur animus. Non uacat asserere quæ finxeris, tunc cum uix prodest, & uerum fateri. Et nemo non contra id torquetur, quod dixit ante tormenta. Non refert, cuiuus ad equuleũ nominis persuasionem, quas silentij afferas causas. In

ſas. In quæſtionibus tantum corpora ſumus, & nemo non contra aliquẽ torquetur affectum. Exigam quæſtionem, aut recuſem? Quid intereſt tormentis breui futurus ſimilis homini, qui fateatur inuitus? Nouum iudices inauditumq; rebus humanis aperitur exemplum. Nemo unquam ideo torqueri non debuit, quia mentiretur. Sed ſi fas eſt iudices dubitare de fide quæſtionum, alius debet eſſe ſuſpectus, ille ſcilicet in quo ſeruilium pectorum receſſus, in quo uerniles excutiuntur artus. Quoties tortori eſt rixa cum membris, tum cruciatus agnoſcit aſſiduis ſupplicijs durata patientia, & homini non eſt noua res dolor corporis appliciti, quòd ſciſſa laceratáq; ueſte primum ferre nõ poteſt pudorem, quòd neſcit ad flagellorum uices membra componere, nec ullo uerbera frangit occurſu? Nos inquã ſumus quos leges ſuperuacuum putauere torqueri. Vnde nobis inter iſta ſecretum? In tormentis libero homini opus eſt patientia, ut uerũ dicat. Sed, inquit, ideo torqueri non debes, quia exigis ut torquearis. Aliud ſunt inimice tormẽta, aliud uelle torqueri. Felices illos qui recuſare uoluerunt. Meretur clementiam & fauorem quiſquis ad illa tremẽs exanimisq; perducitur, quem uix à genibus tortor abducit, cui iã ſciſſas quoq; difficile poſſis eripere veſtes. Ego quẽadmodum uultis deprecer, qui uideor prouocaſſe tortorẽ? Ille ille ſine ulla miſeratione laceratur, cui ad ſingulos ictus dicitur, ipſe uoluiſti, quem non decet rogare, qui creditur fingere proclamationes, ſimulare gemitus, de quo primũ uidentur uindicãda tormenta. Non inuenio iudices quid ſperare poſſit qui mentitur, & exigit quæſtionẽ. Homini qui uult torqueri, diu nõ creditur, nec uerũ dicenti. Nec eſt iudices quòd putetis adeo mihi triſtiſſimã orbitatẽ omnes humanorũ pectorũ rapuiſſe ſenſus, ut non intelligã petere me quod dies poſſit euadere, & penè magis pro percuſſore torqueri. Sed quid me facere uultis? Nõ debeo uideri poſſe mẽtiri homo, qui cũ filius meus occideretur interfui. Veritati tantũ præſto patiẽtiã, exigo quæſtionem,

ſtionẽ, in qua quid dicturus ſim neſcio: quid debeam dicere uidi. Scio, uultis poſt hoc argumentis, ſuſpicionibus agam. Breuiora tormenta ſunt. Non inuenio iudices cur renuat tantopere dies quæſtionem, poſtquàm ſuperſunt adhuc incerta ac dubia. Facinus eſt tamẽ me non torqueri, ſi mihi torto utiq; credendũ eſt. Quouſq; me crudeliſſime mortaliũ metus ſimulatione deludis? Ego magis qui poſtulo tormenta, timeo, ego qui nihil facere potui cum uiderem. Suſpecta tibi eſt noſtra patientia. Vides enim, hortatur nos cõtra dolorẽ primæ robur ætatis, ſolidum plenũq; corpus. Quàm facilis, quàm expedita res eſt torqueri miſerum? Affero ad quæſtionem iam plãctibus membra liuẽtia. Quantum animæ, quãtũ ſanguinis orbitas traxit? Quãto imbecilliora ſunt hæc quotidianis lamentationibus euerberata uitalia? Quicquã ergo fingere poteſt hic pallor, hæc macies, & iã torto ſimilis infirmitas? Adijce quòd nihil minus in quæſtione diu poſſis dicere ſi mentiaris, quàm quòd oculis ſcias, & breuiſſimum cõfeſſionis eſt genus dixiſſe quòd uideris. Felices dices quos tortor interrogat, qui non habent in ſua poteſtate credentes. Impatientiſſima res eſt poſſe cum uelis deſinere torqueri. Quin potius, inquit, probas? Fidutiam hominis, qui ſcias hoc me uidiſſe ſolũ. Sine dubio dies multa te poterãt argumẽta cõuincere, ſi deferret alius, & eras manifeſtiſſimus reus, ſi mihi percuſſor quærendus eſſet. Quis enim credibilior in cæde pauperis, quàm dies inimicus? Aut de quo facilius cõſtare poſſet ſcelere, quòd cauſam nõ habet niſi de ſola ultione? Non inuenit multa uerba uidiſſe. Nec mihi debet perire probatio iſta, quia poteras et accuſari. Exigit pbationes cũ facinus ſic diſpoſuerit, ne poſſit probari. Quem mihi nox teſtem, quos præſtare potuit oculos nuda ſemper, incomitata paupertas? Tibi ſeruus à conſcientia ſceleris ſummouendus fuit: & iſta ratione quis intereſſet? quem putares poſſe torqueri? Et totum facinus in has angustias redegiſti, ut illud ſoli ſcirent, qui faciebant, & cui non crederetur. Nunquid dubitaretis

quærere

quærere si alius sciret hoc scelus? Facinus est ideo filij mei perire uindictam, quia pater uidi. Ego uero iudices & ex hoc quòd recusat dies quæstionem, partem probationis impleui. Accusatoris tormenta nunquam timebit reus, nisi de quo credi potest & ante torměta. Cur, inquit, si mihi causæ sceleris simultates no strę erant, nõ te potius occidissem? Vere crudelis, ego te hoc maxime argumento percussorem probo, quòd mihi pepercisti. Tuum fuit hoc inimice commentum, occiso filio seruare patrem. Parcendi tamen mihi uel hæc fuit ratio, quòd defendi non poteras, si duo perissemus. Audire mehercle mihi uideor illas cogitationes, illa scelerum secreta consilia. Quid mihi cum uulneribus? quid cum cruore consumptæ, & iam penè abeuntis animæ? Occidatur potius ille iam iuuenis, iam inimicus, de sene uindicabitis me patris oculi. Vis mirer quòd me nolueris occidere? Queri mehercule te puto, quòd in senectute magni doloris uita breuis est. Pepercisti mihi, quo modo excogităt artes detinere supplicia, et de pereũtibus magis sæuitia eruitur dolore suspẽso. Agnosco noctis illius inimicæ clementiam, quòd me torqueri non uis, ex hoc euenit, quòd neq; occidisti. Tentat iudices efficere dies, ut incredibile uideatur quòd occisum ab eo contendo filium. Dicturum nunc putatis magis interesse securitatis, ut quis facinus sibi tantummodo credat, & id tutius esse inimico patre, quàm conscio. Plus est quod affirmo. Filium in conspectu patris occidere, sic operæprecium est, si illud ipse facias. Perdit plurimam de sceleribus uoluptatem qui mandat, & minus gratiæ rebus ex nuncio uenit. Occidet alius te iubente, sed uulneribus illis non fruentur oculi: sed plus est, ut singultibus abeuntis animæ, ut cruore satieris, ut collapsum palpitantemq; uideas, ut me uidente. Conuenit iudices quòd ipse dies hoc fecit, & quòd ego uidi, ratio sæuitiæ est, ut aliquis coram me occidatur, propter quẽ occiditur. Fidem uestram iudices, ne me ideo non putetis uidisse quia nihil feci. Seruulorum iste liberorumq; dolor est, occiso homine

homine statim scire quid facias, exclamare, procurrere, fidẽ deorum hominumq; testari, postea cum lachrymis uenire. Vultis percussorem inuadam? Vultis fugientem sequar? Interim deficientem quis excipiet? cui se morientis imponet infirmitas? Scis profecto percussor facinus ordinare, disponere, filium occidere coram parte secretum est. Miseremini iudices igitur, ut hinc quoq; uelitis existimare diuitis conscięntiam, quòd contentus est ne de scelere quæratur, nõ habet fidutiam hominis, qui me sciat mentiri: & quod non minus debetis attendere, quàm si fatereture, non putat sibi saluum, ut iterum neget. Dissimules licet, nõ est innocentiæ metus cum timentur aliena torměta. Quid ait dies? Orbitatem meam in tale genus usumq; conuertet, si paterni doloris autoritas facinus impingit alienũ? Deinde nõ ipse affers equuleos, nõ ipse disponis ignes. Diceres mehercule te uelle torqueri: ego scindo uestes, tu intremiscis: ego ad flagella nudo corpus, te facit pallor exanimem: ego equuleos, ego posco flămas, tu non habes in meo dolore patientiam. Rogo quid aliud faceret qui occidisset? Quid nunc agam miser? gratiam confessionis ante tormenta consumpsi. Scio quãto credibilius fuisset, si hoc statim inter ignes, inter flagella dixissem, & multum de autoritate primæ proclamationis amisi. Non est tamen quòd superuacua putetis esse torměta, quanquã dixerim quicquid sciebã. Habeo adhuc ex illo multa referre secreto, quæ argumẽta faciet dolor. Non refert an me uidisse dixerim, tormentis hoc probaturus sum, debuisse mihi credi ante tormenta. O quantopere nunc inimice torqueris, quòd te coram iudicibus interrogo, quòd hoc nõ potes mihi fateri. Sed si bene gaudij tui perspicio secretum, non putas te negare quia uidi. Arrogantissime percussorum euasisse te putabas, quòd illud duo tantum sciebamus? Meis, meis hoc ignibus nega, & dum me per singulos artus tortor interrogat, perfer saltem non credendi patientiam, cum ego me uidisse proclamem, tu nullam afferas innocentiæ probationem. Non

potes aliter absolui, quàm ut illud ego negem. Nec tamen iudices putetis solo me calamitatum ambitu petere quæstionem, dabo propter quod torqueatis irati. Filiũ meum illum singulis uobis uniuersisq; laudãdum, iuxta quem felix, iuxta quem arrogãs eram, occidit. Mea nimia libertas, ita ego te non equuleo efferã, non super ardentes eximam flammas? Nunc me uindicas, nunc tueris. Modo coram me filium meum diues occidit fidutia tui. Concurrite omnes liberi, omnes parẽtes, urite, lacerate hos primum patris oculos, distrahite has manus, quæ nihil pro pereunte fecerunt, hoc corpus, hæc membra, quæ de complexu latronis uulnera nulla retulerunt. Siue hoc pœnam, siue uultis esse clementiam, debeo tam miser esse dum probo, quàm cum uiderem. Miserum me si fas est in quæstione mentiri. Sine dubio diues hoc captauit recusando quæstionem, ne crederetur. Sed dura parumper anime, uidisti. Nunc infelix ad nos miseros pietas redi, quod fieri in ipsa orbitate non potuit, & uires quas improuisus abstulit dolor, probatio restituet. Cum flammis urentur nuda uitalia, nox illa occurret: cum membra fidiculæ flagella laxauerũt, rursus ante oculos sit morientis unici uultus, hæreãt uerba percussoris, mandata pereuntis. Filium spectasse morientem longa præsentia est. Nescis infelix senectus quanta tibi opus sit uerita tis contentione, ut pœniteat diuitem quòd nõ duos occidit. Iam nunc tamen uobis iudices infirmitatem meam allego, commendo. Si me forte fidiculæ flagella mutauerint, ego tamẽ uidi. Si uocem in equuleis ignibusq; perdidero, ego tamẽ uidi: Si totus undiq; dolor pariter admotus occiderit, ego tamen uidi. Alioqui ni si hoc animo meo, nisi licuerit oculis, morerer hoc dolore, quo puto me posse torqueri.

GEMINI LANGVENTES. ARGVM.

Gemini quibus erat pater, & mater, ægrotare cœperũt. Consulti medici dixerunt eundem esse languorem. Desperantibus reliquis promisit unus se alterum sanaturum, si alterius uitalia inspexisset. Permittẽte patre execuit infantem,

tẽ, & uitalia inspexit. Sanato uno, accusatur pater abuxore malæ tractationis.

Pro matre contra patrem. 8

QVAMVIS Iudices plurimum infelicissimæ matris aduersis miserationis abstulerit, quòd ex duobus liberis pari desperatione languentibus alter euasit, & plerisq; maximum dolorẽ prima fronte tractantibus uideatur auiditas gaudiorum, ut modo ad totius orbitatis redacta patientiam iam non sit unius salute contenta: non possumus tamen affectibus uestris non hanc primam tristissimæ calamitatis allegare mensuram, quæ ex ipsa quoque solatij sui conditione descendit. Minus misera quereretur de marito, si sanari nec ille potuisset, pro quo est frater occisus. Nunc infelix par non est dolori, nunc non inuenit ulla solatia, ex quo sibi uidetur filium perdidisse uicturum. Super impatientiam tristissimæ orbitatis increscit, quòd intelligit illum non sine sanitate fuisse languorem, nec persuaderi miseræ potest perituro laborasse fato, in quo inuentum est quod sanaret alium. Captet licet crudelissimus senex parricidij immanitatẽ metu maiore protegere, non inuenio unde colligi possit utrunq; fuisse moriturũ. Ex duobus ægris non perijt nisi qui occisus est. Ante omnia igitur illud à uobis infelicissima mater petit, ne maximi sceleris ideo decrescat inuidia, quia pati uidetur, & reus ex orbitate tantundem. Non perdidit filium quisquis occidit. Explicat à dolore patrem, quòd sibi uidetur feciſſe rem maximã, & in locum iuuenis amissi substituit de uanitate solatium. Alia est, alia conditio matris, quæ medico non credidit, apud quam sæuissimæ conditionis immanitas fidem non potuit impetrare tentandi. Pro utroque timuit, pro utroque sperauit. Facinus est eum maioris pietatis uideri, qui de morte filij putauit alterius uel certa salute transigere. Sic debetis odisse patrem, tanquam duos occiderit, cuius non interfuit uter occideretur. Est tamen sanctissimi

iudices quod de crudeliſsimo parricida queri poſsit non ſola mater. Adiecit humanis calamitatibus ipſam ſanitatem, & morborum languorisq; uiolentiam medicinæ conceſsit. Filium occidit (ſi ipſi creditis) fortaſſe moriturum, & hominem cuius charitas debuerat ipſa deſperatione creuiſſe, in hoc ſolum impendit, ut tantundem ſupereſſet incerti. Non exonerat iudices immanitatem ſæuiſsimi patris, quòd hac ratione credidit de languente filio. Rem inauditam, rem facere crudelem, unam rationem habet, ſi ipſe ſanetur. O triſtior indignioráq; ſemper menſura calamitatum magna felicitas. Hunccine fecit exitum ille modo ciuitate tota conſpicua mater? ille indiſcretus ab utroque latere comitatus? ille gaudentium dulcis error oculorum? Quid mihi mortem nunciatis unius? Perdidit miſera geminos. Paſsi ſunt enim lãguorem miſerrimi iuuenes, ſine dubio pariter unáq;, nõ fraternitate, non animæ corporumq; conſortio, ſed conditione fragilitatis humanæ, qua ſic extranei quoque duo languere potuiſſent. Non negauerim morbum graue, & parentibus utiq; metuendum: de cuius tamen adhuc, ut parciſsime dixerim, remedio quæreretur. Quid refert an medici conſenſerint utrũq; periturũ, cũ eundem dixerint eſſe languorem? Manifeſtum eſt de duobus nõ diviſſe uerum, quos de altero conſtat eſſe mentitos. Iam tamẽ iudices, de tam perdita pronunciatione nõ querimur, quòd ægros quos ſibi uidebantur explicare non poſſe, parentibus crediderunt. Innocentior eſt ſimplicitas deſperare ſi remedia non noueris, & hanc ignorãtiæ malo probitatem, ut languorem quẽ neſcias, tantum neges poſſe ſanare. Maximi tamen uirorũ, & quibus artis ſuæ ſoluendo non ſit humanitas, ſi ſciebant hoc genus curationis, & illud non indicare uoluerunt. Vultis & illos mentitos breuiter probem? Deſperauerunt de languore cuius remedium (ſi patri creditis) alius inuenit. Siue enim iudices uaniſsimus neſciẽtium uidit hanc patris in periculo liberorũ rigidã animamq; patientiã, & hominem in filiorum languore ſolicitũ de remedio

remedio generis humani: ſiue captauit ex hoc uultu quandã artis mutationem imitari, quando ſanare non poterat, & ignorantiæ pudorem tegere magno tentauit incerto: ſiue ut aliud uideretur dixiſſe quàm reliqui, uerba deſperationis incredibili uanitate uariauit, magnaq; miſeros parentes ambage ſuſpendẽs triſtiſsimum putauit promittere, quod deberet nemo experiri, cauſas quidem ſe dixit ignorare morborum, ſed ſalutem ſpopondit unius, ſi licuiſſet alterum occidere, lacerare, perſpicere. En cui pietas patris, cui credere ſolicitudo debuerit, dixit ſe ſcire remediũ quod neſciebat. Vultis intelligere iudices nihil impatientia charitatis feciſſe patrẽ? Nõ retulit ad matrẽ, adacta eſt à morte filij uel ſanitate diſcedere. Nõ propinquos cõſuluit, nõ amicos, ſed ſua tantum perſuaſione, mediciq; contentus, quod nocẽtius eſt quàm ſi ipſe occidiſſet, alterutrum potuit eligere. Dicat nũc parricida, quid fecerit illud quòd etiam de ſimilibus tam paribus ægris in alterum deſperatio illa prævaluit? Si medici non interfuit, uter occideretur, conſtabit uiuere utrunq; potuiſſe: ſi interfuit, conſtabit non eundem fuiſſe languorem. Qualis fuerit illa curatio, quid paſſus ſit iuuenis in morte qua medicus parabatur, omniũ cogitationibus liquere crediderim. Ideoq; parcimus auribus matris. Breuiter tamẽ longæ crudelitatis explicãda ſæuitia eſt. Ex omnibus quæ pertulit, leuiſsimũ fuit quòd occiſus eſt. Non eſt quòd ueniam triſtiſsimæ curationis paret, quòd uidetur in alio fratre explicata promiſsio. An alterum medicus ſanauerit, fortuna uiderit, quod negari non poteſt, alterum medicus occidit. Erumpit hoc loco mulier infelix, & tota libertate proclamat, Redde mihi marite filium, quẽ tibi pariter medicoq; cõmiſi. Hic eſt ille ueſter inſanabilis, recipe quẽ mihi credidiſti, hic ille moriturus, hic quẽ permiſeras medico, ſi maluiſſet occidere. Vide quid profecerint anxia uota pietatis, ſolicitæ preces. Dum iam frigidi pectoris calorem ſuperpoſitis reuocamus uberibus, dum frigentia membra continuis oſculis, & ſpiritu trepidæ ma-

tris animamus, dum labantes oculi ad nostras exclamationes no
strosq; planctus amissa paulatim luce laxantur, dum multa mẽ
tior, multa promitto, & fratrem dico sanatum, respexit ad ui-
tam, conualuit, euasit. Non tamen iacto pietatem, nõ arrogo mi-
hi prospere curationis euentum. Quid hunc sanauerit uis scire
breuiter? quod potuit utrũq; sanare. Pudeat uos ò iura legesq;,
quòd miserrimu sexus dolorem his clusistis angustijs. Ita maritũ
quòd occisus est filius, malæ tractationis uxor accusat? Perdide-
runt legis huius autoritatem, quæ ad illas uxorias querelas ma-
trimoniorum solent deferre delicias. Ego illam datam miseris tã-
tum matribus puto potestatem, ab iniquo coniuge explicare di
uortium: & contra maritales tuetur iniurias, ubi nolis præstare
patientiam. Illis succurrit quas nefas est ab uiro discedere, quas
in pessimi coniugij durum perpetuumq; complexum, cõmunium
pignorum nexus arctauit, quæ malos maritos pariter, & pa-
tres nec relinquere nec ferre sufficiunt. Facinus est ideo euadere
maritum, quia damnaretur si de illo minore dolore quereretur.
Itaq; impudenter facit quòd pro detracto matrona cultu, nega-
toq; comitatu, fastiditis noctibus, pulsataq; facie, filium complo-
rat occisum. Sileo adhuc illa per quæ parricidij creuit immani-
tas. Occisum filium obijcio, putate luxuriosum, perditum, nocen
tem: fingite hoc patrem ira, indignatione feciſſe: quantum faci-
nus sit filium occidere, nemo magis fatetur, quàm qui uult uide-
ri se illud fecisse pro filio. Et quid Iudices? uel ex hoc totus ani-
mus mariti, tota tristissimæ coniugis calamitas perspici potest,
quòd se negat matri communium liberorum debere rationem?
Placet ergo mortales, ut de hominibus in quos plus ex harũ san
guine, ex harum transit anima, non habeant partem nisi tan-
tũ doloris? Solos ergo cõmunicabit misera plãctus, & ab omni-
bus cõsilijs, quibus ordinatur iuuẽta, uita disponitur, extranea uo
luntate, uilitate sepositа, circa mœrores tantum lachrymarumq;
cõsortium orbitate iũgetur? Si mehercule fas est existimare utri
plus

plus parenti debeatur ex liberis, non improbe totam potestatem
sibi uindicabit affectus, quæ decẽ mensibus antè uestrã incipit di
ligere notitiam, & cum uos patres gaudiũ primum faciat ocu-
lorum, ante sunt cõscientia matres. Facinus est ideo tantum illis
minus licere, quia minus facere sufficiũt. Vos estis qui crescẽtes
adhuc in peregrinationes, qui iam adultos in castra magnorum
parentum uanitate dimittitis. Erubescitis desiderijs tanquã infir
mitate, & unde uelocissimus transitus est in rigorem, liberos uul
tis amare patientiã. Quàm multa ideo tantũ de filijs facitis, quia
licet, & frequentius potestatis uestræ iactatione, tanquã aliquo
grauitatis genere delinquitis? Non habet orbitas uestra lachry-
mas, super ardẽtes rogos tenetis inconcussam rigidamq; faciẽ,
itis obuiam consolationibus, & quod omnem modũ feritatis ex-
cedit, captatis in magna calamitate laudari. Quicquã ergo erit
quod de communibus pignoribus, non pari mente, pari impatiẽ
tia, uel si necessitas postulet, pari rigore faciatis? Mali tantũ pa
tris interest, ut matri minus liceat. Sanè cedat uobis circa regen
das communium pignorum mentes sexus infirmior, uos mores,
uos uitæ genus, uos matrimonia, cæteros q; actus uestra persua-
sione firmetis: nũquid arrogãs cõsortium, nũquid impotẽs socie
tas est, liberos communes esse languẽtes? Si quis, imò pudor est,
cede nũc tota potestate matri, illius sit in ægri toro proximus lo
cus, hæc adhibeat fomẽta, porrigat cibos, si quid impatientia, si
quid flagrantiũ uiscerũ possit infirmitas, mater neget, mater in-
dulgeat. Illas quas immodicus ardor discutit uestes, hæc sup fati
gatos reponat artus, illa iactatas toto lectulo manus sedulo cõ
tineat affectu. Frustra captas uideri ultionẽ magnæ charitatis,
ab omni curæ ratiõe sepositus. Cũ circa curationes liberorũ nõ
cõsentiunt parẽtes, curationis est culpa, nõ matris. Quid quòd si
liũ occidit innocentẽ, cui nihil obijcere, nihil poterat irasci? Fi-
lium (si ipsi creditis) pro fratre mori paratum, cuius suprema
ferre nõ poterat. Nouũ iudices, & incognitũ rebus humanis au

dite facinus. Iam parricidium pietas, charitas, & impatientia orbitatis admittit. Malo odium, querelas, execrationes, quàm ut quis liberos affectu quo seruantur occidat. Quid refert an per hoc alterius filij anima redimatur? Si parricidiũ fas est ullas accipere causas, filius propter se tantum debet occidi. Adijcite iudices immanitati, quòd occidit ægrum. Omnibus equidem mortalibus maiorem crediderim de languore uenire reuerentiam, & illorum quoq; quos inter supplicia pereuntes auido spectamus assensu, iuxta ualetudines tamen morborumq; uiolentiam quodam innocẽtiæ fauore miseremur. In carceribus, & in illa profunda nocte pœnarum religiosius ille anheli pectoris pallor inspicitur, non sic cõfundunt obuios grauioribus catenis colla stridentia, & diutino squalore concreta facies: at ille quem ad singulos conatus, gressusq; labentem uix trahit impellitq; longus ordo uinctorum, & inter tot destinatos, totq; perituros, omniũ tamen in se retorquet oculos unus æger. Quid ais? tu illum quẽ nunc nefas est castigare, reprehẽdere, cuius auribus parcere debuerunt sæuiora uerba, si quid negares, uidereris occidere, ferro, uulneribus aggrederis? Non potest hinc tibi uenire defensio, ut hoc sis pro alterius salute commentus. Inter duos liberos pari desperatione languentes da bonum patrem, non præponderabit alterutrum, non eliget, sed ut incertũ orbitatis euadat, ipse morietur. Tentat hoc iudices crudelissimus senex excusationẽ temeritatis suæ de medicorum trahere consensu. Desperauerant, inquit, de duobus. Sed ut incertum orbitatis euadat, sepono paulisper immanitatem patris, qui credidit, & de arrogantissimæ persuasionis hominibus queri, de totius generis humani nomine uolo. Quàm multas artes misera mortalium solicitudo fecisti? Fato uiuimus, languemus, conualescimus, morimur, medicina quid præstas, nisi ut iuxta te nemo desperet? Dicturum me putas, non credo renunciantibus, non accedo cum deserunt, relinquuntq; languentes. Ego uero medicis non credo sperantibus.

tibus. Aspicite maiorem partem generis humani, & si me interroges, illam robustiorem, illam adhuc in prima rerum naturæ ueritate uiuentem, nullos artis huius nouit antistites, nec minus tamen bellorum uulneribus, morborumq; medetur incursibus, non disputationum uanitate solerti, sed experimẽtis, & inuicem persimiles dissimilesq; casus obseruatione ducente, tradita ratione succurrit. Non medicina sanat, sed quicquid uidetur sanasse, medicina est. Quo uultis animo feram, quòd ars (quantum dicitis) inuenta pro uita, si dijs placet, autoritatẽ formamq; captat, ut longe uentura suprema prospiciat, ut adesse fata denunciet, quæ nec timentur, & maxima scientiæ pars esse cœpit sanare non posse? Quisquam'ne ab homine, qui adhuc loquitur, spirat, intelligit, sic recedet, quemadmodum relinquitur exanime corpus, & ibi finem uitæ putabit, ubicunq; scientiæ substiterit infirmitas? Si fragilitatem mortalitatis, incertosq; uelimus æstimare casus, tantundem periculi habet omnis æger. Iniquissimum est desperationes uocari, quoties remedium medicina non inuenit, & angustias siue artis siue mentis humanæ, ad inuidiam referre fatorum. Nihil magis interesse omnium puto, quàm ut spes pro homine tam longa quàm uita sit. Vnde putatis inuentos tardos funerum apparatus? Vnde quòd exequias planctibus, ploratu, magnoq; semper inquietamus ululatu, quid quòd facinus uidetur credere tam facilè uel morti? Vidimus igitur frequenter ad uitam post conclamata suprema redeuntes. Pleriq; conualuerunt negligentiæ bono, quosdam explicuit quicquid alios fortassis occideret. Hos indulgentiæ temeritas, illos adiuuit desperationis audacia. Datur fortassis huic arti perspicere morbos, profutura meditari, sed unde sciet quantũ inter uiscera, latentesq; pectoris sinus, unicuiq; animæ natura concesserit? quam proprietatem spiritus, quam corpus acceperit? Non tam uariæ mortalibus formæ, nec in uultibus nostris sedet tanta diuersitas, quanta latet in ipsis dissimilitudo uitalibus. Inenarra-

bile,indeprehensibile est, quicquid nos alimentorum uaria compago formauit. Et prout in nos plura seu rariora de terrenis seminibus cœlestibusq; coierunt, ita uel duramur tacita ratione uel soluimur. An desperantibus credi debuerit uos existimabitis,qui negauerunt ægros posse sanari,nec in hoc probauerunt qui euasit, nec in illo quem non languor occidit. Iustas mehercule haberet mulier causas querelarum,si noua incognitaq; ratione uel utrunq; seruasset. Nunquam ex magno uenit affectu incredibilia uel profutura tentasse, & in re quæ plus de incerto habet, temeritas experimenti solam probat desperationis audaciam. Quid refert cuius sit conditionis æger, quantum adhuc spei,quantum uideatur habere de uita? Sacrosancti sint parentum metus. Dij non sinant ut ex liberis uilior incipiat esse periturus. Medici desperauerunt. Quid istud ad patrem? Spera tu,iube sperare matrem,tuis potius affectibus, tuis crede uotis. Et hoc de parricidij facilitate est, circa filiorum languorem ad desperantes potius accedere. Fidem habes hominibus, quos mentiri alius affirmat,contra quos iterum credis uni præsertim. Pessime hercle de tua feritate sentirem, si in quacunq; filij curatione non adhiberes propinquos, non interrogares amicos, non respiceres ad matris animum: non hanc primam impatientiam, non hunc consulis timorem. De nullo filio minus debet soli sibi permittere pater, quàm qui uidetur utiq; moriturus. Fratres, inquit, & gemini erant, ideoq; incredibile est illis eundem fuisse languorem. Rogo quis in ullo mortalium ferat ignorantiam pariter & affirmationem? quisquis nescit quod genus languoris sit, non potest scire an idem sit. Nihil Iudices in rebus humanis uoluit esse rerum natura tam simile, quod non aliqua proprietate secerneret. Quid refert an ex ijsdem prima illa duorum corporum animorumq; compago seminibus oriatur? Sibi quisq; firmatur, sibi quisq; cõponitur, & duo plures ue fratres nascuntur fato singulorum. Hanc ipsam uidi indifferentiam quã

miran

mirantur occursus, stupent ciuitatis oculi, parentum tamen agnitio dignoscit, separat notitia nutricum, & fallentibus notis, est rursus quod faciat ipsa similitudo dissimile. In pleriscq; quamuis sit indiscreta facies, inuenitur tamen alius oris sonus, habitus, incessus: sed ut ipsa consentiant, diuersa mens, contrarij mores, & uitæ genera rixantia. Quid quòd non eandem esse naturam geminorum probat etiã fortuna dissimilis? Hunc percussit paupertate perpetua, illum insperatis opibus excoluit. Illius per titulos & honores, illius per ignobiles obscurasq; sordes totam duxit ætatem. Simile est quicquid accipiunt ex homine gemini, dissimile quicquid ex fato. Nec enim tam pariter in lucem de maternis exiluere uisceribus, ut illos eadẽ origo signauerit. Quantum putas interfuisse temporis, dum primum uteri pondus egeritur, dum parumper exonerata uitalia altero rursus homine laxantur? Breue fortasis exiguumq; uidetur mortalibus oculis, sed si terrena mente perspicere uelis orbis huius uastitatẽ, scies multum esse quod inter duas trãscurrat animas. Voluitur super nos hæc cœli syderumq; cõpago, & sol præcipiti per procliue decursu, totius diei noctisq; breuitate emensus oriẽtis occidentisq; cursus, diuersorum syderũ in primo statim ortu rotato se rursus axe consequitur. Hoc tu paruum credis esse spatiũ, quod diuersis pariter rebus impletur? Quantum inter illa transcurrentis horæ momenta nascitur, perit. Igitur quando unquàm peregrinati sunt unà, militauere pariter? quid nõ diducti separatiq; fecerũt? quando illos languor, quando suprema iunxerunt? Et quandoq; sit necesse est aliter, ex geminis quòd pariter languerunt, non sic accidit quomodo fratribus, sed quomodo duobus. Non eodẽ fato languere geminos, quemadmodũ uultis, breuius probem, quàm quòd nec uterq; occisus est, nec uterq; sanatus. Sed fingamus hoc esse uerum, quòd desperauerunt medici, relinque nobis pater innocentiam calamitatis, salua solatia sint de liberis, quos tibi uideris nõ perdidisse nisi fato. Quis ex parentibus

nescit

neſcit hac ſe mortalitatis procreare lege? Sed indigni exitus ſupra orbitatẽ ſunt. Ideo magis flemus illos, quos bella rapuerũt, hauſit incendium, naufragia merſerunt. Fortius feras inter aßidentium manus, inter ſuorum officia labentes, cum ſe inuicem oſcula, cum ſe ſatiauere ſermones, cum data ſuprema mandata ſunt, & ſe ſcit pietas omnia feciſſe pro uita. Igitur uerum dixerim, illos mori credimus, hos perire. Non inuenio quemadmodum excuſationem pater de conſenſu poßit accipere medicorum. Hoc eſt quod omnem comparationem feritatis excedit. Filium pater propter hominem, quem non putauit poſſe ſanari, occidit? quod tu monſtri portentiq; genus es? habes parricidij patientiam, non habes orbitatis. Ita demum potes ferre filij mortem, ſi facinus adieceris. Tu occidis quia deſperauere medici. Quererer mehercule ſi reliquiſſes, ſi quid de continuatione curæ ſolicitudo laxaſſet. Nihil ergo plus facies, quàm illi qui nunc plures fortaßis circũeunt ægros, quos detraxit, quos auocat alia curatio. Filios ſaltem committe uel matri, de fortuna queratur, dijs faciat inuidiam. Mulieri quæ ferre non poteſt quod uideris deſperaſſe, nunquam ex hoc rationem reddas, quod occideris. Quis hanc Iudices impudentiam ferat? tentat pater ut & huic rei credatis, quod deſperauerunt omnes, & quod ſperauit unus. Noſtræ quidem querelæ ſufficit non conueniſſe medicis: & cum inuentus ſit qui contra ſenſum deſperantium genus aliquod ſanitatis afferet, fas erat Iudices ut adhuc inueniretur alius qui lætiora, utiliora promitteret. Hoc nunc me queri putatis, quod in re, de qua credere nec omnibus debuiſſet, acceßit uni? Non intereſt an ſuperſit remedium quod tentare non debeas: & ubi tantundem periculi ſperes, quantũ deſperatio habet, melior exitus eſt, qui facit miſeros innocentes. Quid inuidiam prioribus medicis paramus? Nemo magis deſperat, quàm qui ſe negat noſſe languorẽ. Quin ais pater? Ita tecũ quiſquam ſic audet agere de duobus filijs, tanquam de duobus ægris? Tu ex geminis alterum

rum occidendum dabis? Non ferrem ſi ſeparare expoſiturus auderes, ſi contentus eſſes educaturus alterutrum, non ferrem à piratis captum filium alterius uicaria ſeruitute redimentem. Tu de orbitate facies uices, & caſum ſingulorum per utrunq; diffundes? Parricidium uocarem ſi promittente medico quòd ſanaret unum, poſſes cligere periturum. Penè crudelius eſt geminos diuidere quàm perdere. En ſcientia cui debeat credi, negat ſe ſcire cauſas languoris, deinde promittit quicquid licere nõ deberet nec intelligentibus: Occidam, inquit, deinde ſanabo. Memineris pater in hac conditione prius eſſe ut occidas. Non eſt tanta pietas ſeruare filium, quantum facinus occidere. Tu nũc hoc putas profundæ artis eſſe ſecretum? Verba tantũ deſperationis inuoluit, & homo cautißimæ uanitatis captat illam nouißimam circumire breuitatem. Vides quanta promißum ſuum experimentumq; caligine medicus inuoluerit? nunquàm conſtabit an fuerit languore moriturus æger qui aliter occiditur. Nõ noui, inquit, languoris genus. Poſt hanc uocem mehercule non deberes committere ægros, etiam ſi uellet experiri potionis hauſtus, ciborũ fomẽtorumq; nouitates. Neſcio, inquit, ſed ſi permiſeris alterius aperire uitalia, pectus effringere, remedium fortaßis inueniam. Iam excuſatus es medice matri, ſperaſti ne tibi crederetur. Differo pauliſper quòd de fratribus, quòd de geminis, quòd pater hoc facit non conſentiente matre, publico potius mortalitatis contendo nomine, non debere genus iſtud curationis admitti. Actum eſt uelut de genere humano, ſi nobis pro ſalute ægri opus eſt morte hominis alterius, & penè ratio ſanitatis intercidit, ſi conſumit medicina tantundem. Ego quenquàm dicentem feram, ut inueniam ualetudinis cauſas, date mihi aliud corpus, alia uitalia occidam: deinde ſalutaria quæram, profutura meditabor? Ita non facilius eſt noſſe languorem? Quæ hæc eſt impudentia crudeliſſimæ utilitatis? Aegrum placuit occidere, ut inueniretur cur non debuiſſet occidi. Nullum ſanctiſſimi iudices natura morborum

rum genus ſolis uiſceribus abſcondit, & quicquid cauſas ualetudinis de uitalibus trahit, in corpus emanat. Inde pallor, inde macies, quòd ad interiorem dolorem ſuperpoſita conſentiunt. Non inuenio cur hominem uulneribus exquiras, cur remedia quoq; uitalibus per corpus immittas, & in latentes meatus per hæc quibus tegimur medicina deſcendat. Cur ergo non eadem ratione languor admittit intellectum ſui qua ſanitatem prodit? Abditos profundosq; morbos aut citatior clauſi ſanguinis curſus, aut crebrior anhelitus laborantis animæ indicat. Crede de his ante omnia ſenſibus, oculis tuis, & ipſos de quibus agitur modo ſingulos, modo pariter interroga, cui potiſſimum parti graue tacitæ peſtis põdus inſederit, unde prorumpat in gemitus conſcius dolor. Medicus qui per hæc non poteſt inuenire languorem, non inuenit nec remedium. Quid ſi aliquid ſanato medicina poteſt præſtare rationis? Sufficit quòd aliquando iã facta ex unius hominis inſpectione, ad totius intellectum naturæ medicina profecit. Quid allaturus huic ægroto eſt, quod non tot ſeculorum, tot languentium experimenta deprehenderint? Vis tu potius hac audacia, qua ſecreta languoris exquiris, remedia tentare? Breuior uia ſanitatis humanæ, propior noſtræ ſalutis utilitas eſt. Si uiſcerũ nimius ardor ſtricta circa ſe mẽbra durauit, adhibe remedia laxantia. Si fluitat nimijs æger laboribus, præſto ſint per quæ preſſis cluſisq; uenis in nouas uires corpus arcat. Si parum prodeſt abſtinentia, rurſus ciborum qualitate fõueatur. Si ſpiritus receptis premitur alimentis, ad puriores meatus ieiunio fameq; tenuetur. Contigit tibi magna experimentorum materia medice, ægri duo, & languor idem. Non eſt opus ut expectes quando ſuper unius hominis patientiam explicet profuturorum magna diuerſitas. potes experiri pariter eadem conſentanea, diuerſa, pugnantia. Nulla ratio eſt uulnerum, ſanguinis, ſupremorum. Quemadmodum ſanari debeat alius æger ſcire non poſſis, niſi ex altero ſanato. Quid quòd etiam ut idem ſit ua

ſit ualetudinis genus, neceſſe eſt tamen duorum corporum diuerſitate uarietur? Nunquam in alienis uiſceribus inuenias totum quod de altero quæras, & alius languor eſt, alius æger. Cur maximũ nefas alterius filij ſalute defendis? Homo in quo ſola quæritur cauſa languoris propter medicum occiditur? Adijce quòd nec deprehendi ex non ſanato poteſt ullius cauſa languoris, quicquid nos in uitia morborum à naturali ſanitate commutat, facit aut nimij ſanguinis pondus exæſtuans, aut ſuperfluens calor, aut naturalem modum humor exundans, aut ſpiritus per tacitos meatus non ſolita laxitate diſcurrens. Quid horum ſi uitalia ferro uulneribusq; reſecentur, ſaluum poteſt eſſe languentibus, cum compreſſi ſpiritus laborem protinus ille reſerati pectoris meatus emittat, ſanguis ijſdem pariter deprehendatur, egrediaturq; uulneribus? An fas putatis ut ſuam ſeruent uiſcera nudata faciẽ? ut nihil perdat ex priore natura illud pectoris uitæq; ſecretum, cum admiſit oculos? Plurimum in nobis etiam timore mutatur. Quantum affert ſolicitudo, gaudium, dolor, & aliquis ſubitus affectus? Quoties dum ad curationẽ præparatur æger, dum cõponitur ad ſua remedia corpus, medentiũ manus animæ deſtituit? Iam uero ad ſingulos ictus, & longiſſimas uulnerũ moras quantũ ex toto homine cõuertitur clamore, gemitu? Neceſſe eſt omnes perire quibus cõtinetur uita cauſas, quoties uita ipſa conſumitur, & cũ homine qui propter intellectũ languoris occiditur, ipſe quoq; paulatim languor emoritur. Differ ſaltẽ pater hanc crudelitatem, quicquid ex filio facis, facies ex cadauere. Si poteſt deprehendi languor cum occidit, facilius cum occiderit. Interrogare mehercule hoc loco libet, utrum ne periturũ pater, an medicus elegerit? Negauit ſua intereſſe quẽ occideret, hoc ſi alter periſſet, probauerat utrunq; fuiſſe periturum: cum conualuit, probat utrunq; uicturũ. Ad ſæuiſſimam curationem potuit ægrũ facilius mehercule explicare, ſi eſſet unici pater. Sufficit ergo cõparare, decernere, num iterũ ille tibi pretioſior, ille melior

incipiet

incipiet esse uicturo. Vbi est impatientia patris, qua uix dimitti tur cadauer in rogos? qua corpus exanime detinetur amplexu? Dij immortales quàm sæua, quàm crudelis est ipsa cũctatio, dum deliberas, dum unumquenq; detractas, parricidiũ in utroq; consumis. Duorũ utilitate fit, ut ex fratribus poßit alteruter occidi. Nunquã iudices res tam horribilis, tam inauditæ feritatis admissa est. Filium pater propter eum occidit, quem etiam ipsum poterat occidere. Transfert iudices reus in medicũ electionis inuidiam. Ille, inquit, æstimauit, ille decreuit. Ergo manifestum est nõ parem fuisse languorem. Ex duobus ægris plus habuit spei, propter quem debuit alter occidi. Recede paulisper mulier infelix, filij tui nobis referẽda curatio est. Fœlices ægri qui languore moriuntur, qui supremos anhelitus inter suorum amplexus, alloquia, posuerũt. Vt erat iuuenis primo ipso cõparationis incerto, mox electione cruciatus, abacta est à perituro prima mater, & modo sedula ministeria seruorum repente mutata sunt in mortis officia. Detrahuntur trementibus uelaměta membris, & ut grassaturas manus totum corpus admitteret, nudatur miserabilis ac deflenda macies. Toto deinde tenditur thoro, & ad immobilem rigidamq; patientiam per omnia lecti spatia duratur exponitur. Accipit carnifex ille telum, non quo dextera statim totum uulnus imprimeret, sed quod leuiter paulatimq; descendens animã in consilio mortis ac uitæ librato dolore suspenderet. Hæc exhortatio, hoc fuit perituri iuuenis alloquium. Fortiter dura, patiẽter admitte, sanabitur frater. Non est quòd examineris metu, dolore deficias. Caue uiscera exclamatione ne lasses, anhelitu gemituq; concutias, ne remedium pereat alienum. Paßus est miser discurrentem per omnia reserati pectoris improbum uagæ artis errorem. Contentum fuisse medicum toto homine discurrentem primo putatis aspectu? Egesta sæpe uitalia, pertractata, diducta sunt: fecerunt manus plura quàm ferarum. Stat iuxta medicum pater apertis uisceribus inhiãs, stillantem

tem animæ sedem cruentis manibus agitantem ne festinet hortatur, iubet altius diligentiusq; scrutari, interrogat, dubitat, contendit, affirmat, & accipit de filij morte rationem. At mulier infelix clusis aduoluta foribus, cruentumq; secretum toto corpore effringens, uelut super busta, tumulosq; clamabat. Audi miserrime iuuenis, si quis adhuc tibi supersit sensus, exaudi, non permisit hoc mater, crede orbitati meæ, crede lachrymis, nec frater hac uellet ratione sanari. Inter hæc reficiebatur miser hausti bus, detinebatur hostilibus alloquijs, comprimebatur residuus cruor, cludebantur aperta uitalia. Nemo unquam tam noua pertulit commenta sæuitiæ, tanquam sanaretur, occisus est. Ite nunc & quærite an potuerit medico sanante uiuere, qui tandiu uixit dum occiditur. Vos tunc putatis illius tantum languoris medicũ quæsisse causas, quæsiuit quicquid nesciebat, & usus occasione rarißima in omnem uoluit proficere nouitatem. Dij immortales quantum infelix iuuenis animæ, quantum sanguinis, quantum habuit ex uita, qui pertulit ordinem longißimæ curationis? Vix ægre misero licuit mori, uix à cruciatibus suis anima dimissa est. Inuentum putatis esse languorem? Inuentum est illum potuisse sanari. Agedum commento tuo senex superbus exulta, habes quod liberis, quod parentibus, quod imputare seculo poßis, fecisti medicum parricida meliorem. Libet mehercule intueri parillud, ægrum uidisses hominem, qualem nõ salutares medentium manus, non ars inuenta pro uita, sed diri ferarum rabidisq; morsus, & auium fames satiata destituit, hinc alium in nouas uires recensq; robur reddito uigore surgentem. Vultis scire iudices unde uenerit tanta diuersitas? Illum pater curauit, hunc mater. Quantum, inquit, misera pertuli laborem dum tam magnam fõueo tristitiam? Non fuit mihi rixa cum morbis, nec cum repugnantis ualetudinis rigore contentio, totus in lachrymas mœrorem q; resolutus oderat lucem, respuebat cibos, fastidiebat haustus, & uitã parricidij pudore fugiebat. In omni proclamatione

gemituq; frater, ille diebus ac noctibus cogitationes, ille torque bat oculos. De quibus tu ægris impotentissima medicina mẽtita es? Non fuit, non fuit solo languore periturus, quem non potuit nec mors fratris occidere. Quid igitur, inquit, miserrima fœminarum, sæuissime senex ex hac recordatione tristissimæ orbitatis ad hos uultus, faciemq; conuerteris? Sine dubio filius est, & post grauissimas denunciationes redditus uitæ. Sed ignoscat natura, pietas, non est solatium matri unius ex geminis. Felicior ille dolor est, qui transigi saltem cum oculis potest, renouatur, accenditur, & in his uultibus illum quotidie putat uidere pereuntẽ. Sed & ipse gaudio redditæ uitæ lætitiaq; non fruitur, nec se credere potest charitate prælatum, quẽ medicus elegit. Sentit infelix cuius orbitatis unicus sit, quibus lachrymis perfundantur oscula, quàm magnis profundisq; suspirijs concutiantur amplexus. Mi sera uerecundia sanitatis ingratæ, precium sibi uidetur fratris occisi. Conuertitur hoc loco iudices mulier infelix, & uelut ad quandam præsentiam amissi iuuenis, siue, inquit, tandem securitate mortis explicitus, in aliquo sedis æternæ pudore requiescis, siue exclusus ac uagus, & inter fabulosa supplicia metuendus adhuc laceratione, per stupentes horrentesq; manes umbra discurris, audi miserrimæ matris iniquissimam complorationem. Non quidem licuit mihi in illud cubiculum conditoriũ tuæ mortis irrumpere, nec super charissima membra prostratæ meis uulnera tua tegere uisceribus: quod solum tamẽ potui, corpus quod medicus, quod reliquerat pater, hoc sinu misera collegi, ac uacuum pectus frigidis abiectisq; uisceribus rursus impleui, sparsos artus amplexibus iunxi, membra diducta composui, & de tristi terribiliq; facie tandem ægri cadauer imitata sum. Hoc est tamẽ quod de tristissima orbitate præcipue ferre nõ possum, propter fratrem uideris occisus, nec tamen unquam constare poterit, an tu sanaueris fratrem.

Gladia

GLADIATOR. ARG.

Abdicare & recusare liceat. Pauperis & diuitis inimicorum filij iuuenes amici erant. Filius diuitis, cum in piratas incidisset, scripsit patri de redemptione. Illo morante profectus pauperis filius cum amicum apud piratas non inuenisset, quia lanistæ uænierat, peruenit in ciuitatem in qua munus parabatur, sub tẽpus ipsum, quo pugnaturus erat diuitis filius. Pactus est cum munerario pauper adolescẽs, ut uicarijs operis redimeret amicum. Petijtq; ut si egeret pauper pater, alimenta ei præstaret. Ipse in pugna occisus est. Diuitis filius reuersus egentem inuenit pauperem, palàm cœpit alere. Abdicatur.

Pro filio contra patrem. 9

NEMINEM unquam Iudices intra tam breue ætatis suæ spatium plura terra mariq; perpessum, quàm quæ proxima peregrinatione uel tuli, uel timui, uel uidi, facilis ut opinor fides est, cum ex omnibus quos nouimus mortalibus unus nominari me miserior possit, quem infelicem ego feci. Tamen in hac quoq; omnia excogitantis in me fortunæ uiolentia confiteor nunquã hunc me concepisse animo metum, ne post redemptum per alienas manus filiũ displiceret patri meo misericordia. Illas uerebar magis iã non tacitas uulgi opiniones, quibus crudelitatis atq; sæuitiæ reus peragor apud plerosque sanctos & graues homines. Nondum excusare potui quòd redemptus sum. obijcitur mihi orbatus senex, & ille qui mihi modò saluo filio etiam contra diuitẽ steterat, amissis in uno iuuene omnibus bonis inimicæ domus supplex. Licet enim totas aduocemus in odia fortunæ uires, & egentem unũ senẽ uniuersa gratiæ mole calcemus, cõfitendũ est tamẽ, plus amici nocuimus q̃ inimici. Quin ipsa prorogatæ quotidiana stipe infelicis animæ uidetur quodãmodo maligna clemẽtia. Quod enim beneficiũ est efficere ut uiuat orbus? Vnũ tamẽ uel grauius crimẽ infelix hæc abdicatiõis meæ fortuna defendit, quòd uix ad

ſuſtinendum ſpiritum ſufficientes cibos, prorſus tantum mortis impedimenta, auara manu dederim. Puto iam ignoſcetis omnes, ſi plus præſtare nõ potui inuito patre. Quanquàm iudices oboritur animo meo nonnunquã & illa ſuſpitio, quòd patrem non alimenta uni ſeni parce uiuere aßueto, nec liberaliter data, nec diu danda, in offenſam mei cõpulerint. Quantulũ eſt enim facultatibus diuitis, quod ſub patre ſanè tenaci filio familiæ ſupereſt? Ac ſi ſòret maius fortè momentum, quis tamen parens tam durus eſt, ut propter aliquam impenſam carere filio uelit, quòd ipſe celatus ſit, quòd non ſuæ miſericordiæ pauperẽ commiſerim, nõ rogauerim, præſertim qui quicquid unquam petij à patre exoraui? Sed neq; hæc ultimo fulmine caſtigari meruit in differẽdis precibus uerecunda cunctatio. Qui dum tempus opportunum, faciles aditus, hilariorem animum capto, interim uolui ſupereſſe cui ignoſceret. Neq; inficior tamẽ fuiſſe me lentiorẽ quàm oportuit, tametſi hoc præcipue habere uideor patris ſimile. Sed ſi ulla emendatio pœnitẽtia eſt, hic in publico uobis adhibitis rogabo. Non ego æs alienum luxuria contraxi, nec profuſus in uitia fortuna noſtra male uſus ſum. Redemptionis meæ precium debeo. Si impetro, intelligam uerum eſſe, quod quidam opinãtur, ambitioſum patrem publicare uoluiſſe domus ſuæ miſericordiam, ne uiderentur pauperes tantum uitam inimicis ſuis dediſſe. Si perſe uerat ut porrectos egẽti cibos mea fame rependat, & expulſum omnibus bonis filium ſimulem faciat inimico, uereor ne iniquis exiſtimatoribus inexpiabilis illius & ſæpe reprehenſi odij culpa uideatur penes patrem, qui tam facilè iraſcitur. Verum enim ſic placet, fortunæ magis moribus diſſidere, quàm ſuis. nam & paupertatis eſt proprium, quando alia deficiunt, exercere libertatem, & dum contemptus fama uitatur, potentiores uel ambitioſe offendere, & nacta bonam conſcientiam magna fortuna indignius imparem aduerſariũ patitur. Ergo conſeruit, ut ſolet, caſus duratura longius à paruis initijs odia, dum contumeliã humilitas

militas facilius intelligit, dignitas grauius. Neq; ulla fuit æmulatio (quæ enim eſſe inter impares poteſt) ſed fato quodam ſimilis ex diuerſis cauſis contentio. Hic traſcendo pertinax erat, ille *incendendo contumax. Quanquam niſi ultimã exprimere confeßionem uicti utiq; placuiſſet, multa iampridem ſigna dederant ueniæ, finemq; pugnæ petentis. Nam quò pertinuiſſe credimus, quòd pauper adoleſcens relictis omnibus ſolũ me quem coleret, quem amaret, elegerat. Sine dubio à primis ætatis annis iunxerat nos ille potentiſsimus amor puerilis, dum aut nulla erant inter parentes odia, aut à nobis non intelligebãtur. Poſt diductas tamen domos perſeuerauit, imò impenſius laborauit. Et ſi quid mihi in eo perſpectum eſt, nihil horum fecit inuito patre. Quantum intelligere potui, pauper ſine dubio pudore cedendi ne dãnaſſe cauſam ſuam uideretur, ſimul quòd nulla ipſi dabatur gratiæ uia, ſtare uiſus in ſuſcepto circuitu, tamẽ quoſdam molliores tentauit aditus, & dum firma tandem pax interpretaretur, filium nobis obſidem dedit. Ac ne meus quidem offendi uiſus eſt pater, certe nunquam reprehendit, nunquam prohibuit, nec clàm feci, nec contumacem aduerſus patris imperia unquam fuiſſe me uel ipſe rerum declarat ordo. Nam quamuis infeſtum latronibus mare iußus intraui. Neq; diſſimulauerim magnas fuiſſe cauſas patri, cur hoc mihi imperaret, quod ipſe facere non potuerat: ego etſi neſciebam, non interrogaui, ſatis plena ratio fuit patrẽ uelle. Felix nauigantium conditio, qui procellas modo & ſæuos tempeſtatis incurſus, & albentes fluctibus ſcopulos, aliaq; pericula tantum maris pertulerũt: ego miſer naufragis inuideo, captus barbaris manibus, nec tam nexu catenarũ uinctus, quàm pondere, inundatum carcerem tuli, & uincula macie laxaui. Quis nõ ignoſceret omnibus, qui poſt hoc exemplum nauigare timuiſſent? Ego qua una ſpe miſera trahebatur anima, literas de redẽptione ſcripſi patri (teſtor deos) ſoli. Quid enim ſentire uiderer de parẽtis affectu, ſi hoc incolumi redemptionẽ ab alio pe-

tiuiſſem? Nam quod unum mihi ſecundum patrem fortuna uidebatur paraſſe præſidium, hoc ſperare in illa ſorte non poterã. Quid attinebat amico ſcribere, quem ſciebam non habere unde redimeret? Nunquam ne mihi dabitur liberum tempus conquerendi apud patrem de amicis ſuis, qui proficiſci uolentem retinere tentarunt, qui piæ feſtinationi attulerunt moras? Profectus eſſet tamen uel inuitis omnibus (quis enim non hoc præſtaret filio pater?) niſi quòd interim amicus antecęſſit. Illum nõ pericula maris, non infeſti latronibus ſinus, non uicinum meæ fortunæ documentũ prohibuit. Minus hæc miror de amico: illud eſt quod penſari nullis beneficijs poſſit, proficiſcentem nõ retinuit pater. Imò ſi quid in ſubſidia uitæ ſepoſuerit parca frugalitas, id omne in impenſas itineris contraxit & cõtulit. Infeliciſſime ſenex, ſic egere cœpiſti. Dicam nunc ergo per quos iuuenis præſtantiſſimus nauigauerit fluctus, quos acceſſerit ſcopulos, quãtos luſtra uerit ſinus? Faciliora iſta putant qui nunquam nauigauerunt. In omnia præceps, ſine reſpectu ſui, quem iam tũ apparebat uitæ nõ parcere, adijt, explorauit, & tamẽ ille quoq; qui tantopere feſtinabat, ſero peruenit. Audite, audite Iudices nouã captiui querelam, iam miſer apud piratas non eram. Alebat deuotum corpus grauior omni fame ſagina, & inter debita noxæ mancipia contemptiſſimus tyro gladiator, ut nouiſſime perderem calamitatis meæ innocentiam, diſcebam quotidie ſcelus. Hæc tamẽ omnia ſuſtinui, tuli: adeò difficile eſt etiam ſua cauſa mori. Et iam dies aderat, iamq; ad ſpectaculum ſupplicij noſtri populus cõuenerat, iam oſtentata per arenam perieturorũ corpora mortis ſuæ pompam duxerant, ſedebat ſanguine noſtro fauorabilis dominus, cũ me, cuius, ut interiecto mari, nõ fortunã quiſquam noſſe, nõ natales, non patrẽ poterat, una tamen res faceret apud quoſdam miſerabilem, quòd uidebar iniquè comparatus. Certa enim arenæ deſtinabar uictima, nemo munerario uilius ſteterat. Fremebant ubiq; omnia apparatu mortis: hic ferrũ acuebat, ille accende

cendebat ignibus laminas: hinc uirgæ, inde flagella aſſerebãtur, omnes piratas putares. Sonabant clangore ferali tubæ, illatisq; libitinæ thoris ducebatur funus ante mortem. Vbiq; uulnera, gemitus, cruor, totũ in oculis periculũ. Si quid eſt in me abdicatiõe dignum iudices, unũ crimen agnoſco, quòd in hæc amicũ meum miſi. Eſt quidem felicibus difficilis miſeriarum uera æſtimatio, ſi gurare tamen poteſtis qui tunc animus mihi, quæ cogitatio fuerit. Nanq; & natura redit in extremis triſtis præteritæ uoluptatis recordatio, & mihi cum generis conſcientia, cum fortunæ cõſcius aliquando fulgor, cũ liberales artes, cum omnia quondam honeſtiora munerario meo, domus, familia, amici cæteraq; nunquam uidenda in ultima mortis expectatione ſuccurrerẽt tenẽti ſeruilia arma, & ignominioſa morte perituro, tum (ſi ulla miſeris eſt fides) quod horum omnium ignari agerent propinqui, nihil peius de fortuna mea ſuſpicantes, quàm quod ſcripſeram: illud tamen grauiſſimũ, quòd patrẽ qui tandiu nõ ueniret, captũ putabam. Ergo tota cogitatione intentus in mortẽ, expectabam cruentum illum confectorẽ. Quis enim dubitet quid futurũ fuerit ſi ego pugnaſſem? Ille quoq; occiſus eſt qui inter nos ut apparet fortior fuit. His cogitationibus attonito, & in mortẽ iam penè demerſo, inopinata ſubito amici mei ſpecies effulſit. Obſtupui, totumq; corpus percurrit frigidus pauor, neq; aliter quàm ſi uana obiceretur oculis imago, mente captus ſteti. Vbi primũ lux redijt, laxatumq; eſt iter uoci. Quid tu, inquã, quo caſu perueniſti huc miſer? Nunquid & te uendidere piratæ? At ille complexus ceruices meas, effuſis in pectus meum lachrymis ſolutus, & intercepto propè iam ſpiritu, ſero, iam trepidante me, primã uocem, & diu ſolam edidit, ſatis uixi. Vt uero cauſas itineris reddidit, & ueniſſe ſe ad redimendum indicauit, & unde inquã tibi pecunia? niſi rediſtis in gratiam, & te pater meus miſit. Audite gentes, audite populi, non ſolita iudicium noſtrum corona circunſtet, ſed ſi patitur natura rerum, totus ad cognitionẽ talis

exempli orbis circunfluat. Tacete priora fecula, in quibus tamẽ à primordio generis humani, pauciſſima amicitiæ paria admiratiora fecerat longa temporibus noſtris fides intercepta, quicquid hiſtoriæ tradiderunt, carmina finxerunt, fabulæ adiecerũt, ſub hac cõparatione taceant. Quis crederet (ſi dubitari poſſet) inter duos amicos, quorum alterum immunem malorum omniũ fortuna fecerat, alterum piratis ac laniſtæ tradiderat, meliorem conditionem fuiſſe captiui? Si diues eſſem, inquit, pecuniam pro te attuliſſem. Quod unum pauperibus præſidium eſt, manus habeo, has piratis daturus fui, has pro te in pugnam uicarias dabo. Ignoſce pater, quòd nimia contentione affectus penè tibi orbitatis uulnus impreſſerim. Teſtor deos non per me ſtetiſſe quòd uiuo. Neq; enim ita me efferarat ludus, aut in tantum duraverat animum cædis longa meditatio, ut eum amicum uellem occidi, qui pro me mori poterat. Vindicabam mihi fortunam meam, & adhuc neceſſitatis gladiator depugnare etiam uolebam, neq; ullis precibus poteram euinci, quanquam ſe non ſuperſuturum alioqui minabatur, idq; unum affirmabat intereſſe, utrum uicarium mallem habere mortis, an comitem. Non uici. Quid igitur actum ſit quæritis? Duxit me ad munerarium iudices. Quas ego illius preces, quàm pertinaces lachrymas, quàm miſerabilẽ obteſtationẽ uidi? Nemo unquã ſic rogauit miſſionẽ. Transferũtur in illũ detracta corpori meo arma, & male aptatis inſignibus feſtinatũ par producitur. Quid me admonetis ſupremarũ amici mei precũ, quibus hæc alimẽta caro empta inopi patris ſenectæ petita? adiutoriũ hoc ad cauſam putatis? Me pudet quòd rogatus ſum. Per hãc, inquit, mihi lucẽ ultimã, per notiſſimã amoris noſtri fidẽ, nõ ſinas mẽdicare parentẽ meũ. Suſtineas, adiuues, præſtes affectũ: ſi mereor, tu ſis illi uicarius meus. Nec plura dicẽdi tẽpus fuit: iamq; ſuprema per galeã dederã oſcula, digreſsisq; in diuerſum miniſtris permiſsus Mars erat. O quàm ſolicitus ſpectaui, quàm attonita mente, quàm ſimili corporis motu

motu. Quoties ad infeſtũ mucronẽ quaſi ipſe peterer, me ſummiſi? Quoties ad conatus erectus ſum? O miſera cogitatio, ò crudelis natura metus, merito tu amice pugnare maluiſti. Facinus indignum, illum animum, illum ardorem non contigiſſe caſtris, non bellicis certaminibus, ubi uera uirtus nulla pugnandi lege præmium ſcribitur. Qua ui prælium inuaſerat, iratus etiãnum tanquam aduerſario meo, ad omnes impetus excipiebatur callide ueterani gladiatoris aſtu, omnes conatus cõtra ſe erant. Nec difficilem tamen ſub illo præſertim autoramento habuiſſet miſſionem, ſed noluit gladiator uiuere. Igitur iam nudum corpus uulneribus offerens, ut totam propè mercedem ſemel ſolueret, ſtans perijt, cui licuit in patria, in domo, inter propinquos, ſecuro conſeneſcere æuo, cui trãquillam ſine reprehẽſione agere uitam, iacet confectus uulneribus, & primo iuuentæ flore fraudatus perijt miſer fato meo. At ego qui debebar illi fortunæ, quem mors ſibi deſtinauerat, emiſſus ludo nocentior, quàm uenditus, etiam uiatico illius infelicis reuertor. Placeamus licet nobis fortuna noſtra pater, pauperi ſoluendo non ſumus. Siqua eſt fides Iudices, pudet me contrà indicare mea beneficia, nec uideor uobis rationem poſſe reddere, quòd mihi tam parũ obijciatur. Redemptoris mei patri in precium meum orbo, egenti, quid præſtiti? Quod pirata capto, quod laniſta gladiatori, exiguam ſtipem, & cibos ſemper petendos. Quãtulum enim dari poterat, quod non ſentiret dominus tam curioſus? De hac re conſediſtis, hoc cõcitauit iſtam iudicij ſcenam, panis datus mẽdico, & dilatata hac impotentiæ noſtræ opinione uidebamur amicos ferro occidere, inimicos fame. Computemus totam iſtam meæ luxuriæ impenſam, audite ſummam, & miramini ſi hos ſumptus ne diuitiæ quidem ſuſtinent. Tanti conſtat patri captiuitas mea, cum tam carè redemptus ſim. Quo tandem patereris animo, ſi delicatus adoleſcens præſertim ſplendidis opibus, uel ex ætate mores, uel ex fortuna traxiſſem, & tẽpeſtiua cõuiuia, & peruigiles ludos

aduocata ſodalium turba, ſolutus atq; affluens agerem, tantiq; impenderem, quantum non poſſet te ignorante conſumi, quæ tamen ipſa boni patres libenter annis remiſerunt, cum abdicatione dignum putes, & ultimo patriæ poteſtatis fulmine coërcendum, quare mẽdico ſeni porrexerim, ut parciſſime dicam, quod illi filius miſit? Non redempta meretrix, non egeſtum conuiuijs fœnus, non lenonum paraſitorumq; chara adulatio in crimẽ uenit, cibaria ſenis nempe unius ætate ac malis confecti. Hoc diuitias tuas concutit, hoc fundatam paternis auitisq; opibus domum exhaurit. Si tam auarus es, computa, adhuc de alieno uixi. At hæc fortaſſe quæ circumſtat iudicium corona, & omnis ignara cauſæ turba, magnum neſcio quod & portento ſimile crimẽ expectat. Abdicas me pater tam citò? Modo tibi ex illa funeſta peregrinatione inſperatus reuertor, unde ut uenirem uix optare potuiſti. Nulla adhuc pro reditu meo ſoluta ſunt uota, non percuſſæ dijs immortalibus hoſtiæ, redemptori certe gratiam nõ retulimus. At ego expectabam, ut deſiderio incenſus affectus uix poſſet expleri, ut poſt infauſtam profectionem uelut obiurgatus tanto periculo, nũquàm me poſt hoc ſaltem peregre dimitteres. Vix ſalutatis laribus expellor, & apud pleroſque dubitari poteſt, an admiſſus ſim. An hoc agis, ne quid tibi præſtitiſſe uideatur qui me redemit? Sæuus enim credo & impius, & (quod maximum omnium uitiorum ſignum eſt) ingratus beneficia patris non æſtimo. Fortaſſe cui uitam debeã neſcio, nulla eſt apud animum meum memoria meritorum. Miſerum me quòd non poſſum tantum ſoluere, quantum accepi. Quanquàm cauſas abdicationis pater altius repetit, & ultra peregrinationem meam inquirit, idq; ratione duplici. Primum ut reum, quia premere atrocitas criminum non poteſt, turba confundat: deinde ut grauius uideatur iudiciũ patris, cum is damnet qui ſoleat ignoſcere. Cur, inquit, cum ego inimicum haberem pauperem, tu amicum filium eius habuiſti? Volo Iudices omiſſa omni contentione ſcilicet

ne ſcilicet ſic agere, peccaui, ueniam peto, & errare hominis eſt, & ignoſcere patris. Duxit me ſimilis ætas, euicerunt officia, cœpit fides, amantem odiſſe non potui. Nihilominus ſatis abundeq; pœnarum eſt, & ſi pietatem tuam bene noui, plus quàm uelles, datum eſt. Quantumlibet peccauerim, quid amplius iratiſſimus dominus exigeret? Ludo tibi ſatisfeci. Nullum ne cladibus meis finem dari placet? Parum eſt quòd inſanos pertuli fluctus: & ſæuis tempeſtatibus commiſſus, arbitrio uẽtorum pependi? Parum eſt quòd in nefarias latronum manus præda perueni, & (quæ ultima malorum etiam ſeruorũ conditio eſt) ſine exceptione uænalis? Inde me ſi uoluiſſet, emere potuit inimicus. Parum eſt quòd me diu piratæ in carcere retentum, quia redemptorem illis diuitem promiſeram patrem, in ludum uendiderunt tanquam decepti? Quòd quotidianæ pugnæ meditatione tandiu mori didici? Quòd compoſitus, armatus, inductus perieram, ſi melior amicus fuiſſem, niſi me noua uelut in portu adoptata tẽpeſtas, paternis laribus extorrẽ, & neceſſarij quoq; uictus inopem, circum ad alienas mitteret domos? Pudet enumerare calamitatum mearum gradus, piratam, laniſtam, patrem. At qui pars iſta criminis iudices mei non defendi meruit, ſed laudari. Neque enim reperio quid in rebus humanis excogitarit natura præſtantius amicitia, quid concordia contra fortunã maius auxiliũ. Nam primum præter cætera animalia induit noſtris pectoribus quandam ſocietatem, quæ mutuo gaudere congreſſu, contrahere populos, condere urbes edocuit: & cum mentibus noſtris uarios impoſuerit motus, nullum profecto meliorem beneuolentia tribuit affectum. Quid enim foret humano genere felicius, ſi omnes eſſe poſſent amici? Non bella, ſeditiones, latrocinia, lites, cæteraq; mala, quæ hominibus ex ſeipſis nata ſunt, fortunæ acceſſiſſent. Id quia nimium deo uiſum eſt, at certe honeſtis conuenire mentibus, fidem colere, amoris gratiam referre, omnibus tẽporibus, omnibus gẽtibus præcipuũ, & quodammodo

modo ſacrum fuit. Neq; enim niſi optimis mentibus contingit, ut aut ſic amare ſciant, aut ſic amari mereantur. Hoc ego crimẽ expaueſcam? Scires quantopere gloriarer pater, ſi cum amico ego rediſſem. Niſi forte ſimultudine flagitiorum ductus, turpi me coniunxeram iuuenì, quæ uita ſine dubio nomen amicitiæ nõ accipit, tametſi ad paria ducente natura uitia conuenerũt. Obij ce mihi amicum, & habes maledicẽdi materiam, gladiator fuit. Quare amicus illius fuiſti? Ita opinor, pœnitet. Effert te longius dolor, & nimia conciatus ira, quò progrediare non reſpicis. Nõ ſentis pater hoc te mihi obijcere quòd uiuam? Quiſquam de illa amicitia queri poteſt præter pauperem? At ego inimicum habebam illius patrem. Decuerat quidem ſimultates, quas maximi omnium mortalium eſſe uoluere ſapiẽtes, in his deſinere in quibus naſcerentur. Nam ſic quoq; immodicas ſerit diſcordiarum fortuna cauſas, etiamſi non hæreditaria ſubeamus odia, ac diutius inimicitiæ maneant quàm inimici. Tamen ſi quid aduerſus te ipſe commiſit adoleſcens, ſit hoſtis & meus. Si innoxius & omni uacans culpa charitatem mereri cupit, ſi nullius me amici filius ualidius amat, quì tandẽ uis pater reſpuam, & iratas obijciam manus? Tu quoq; non odiſſes pauperem ſi te amaret. Inſerit tamen ſe, & beneficijs certat. Noras adoleſcentem omnia ultro præſtantem, & ſic me amabat, quamuis tu eſſes inimicus patri. Adijce, ſi tanta in adoleſcente indoles fuit, quantam nulla unquam cognouere ſecula, ſi fides antiquiſſima, & cum deorũ cœtu permixtis inaudita temporibus, ſi me ſemper habuit chariorem ſpiritu ſuo, etiam'ne deſpicienda mihi rariſſimi boni occaſio fuit? At ego perpetuam quandam mihi gloriã reor, quòd ille cœleſtis animus me potiſſimum quẽ amaret elegerit, quodq; ego ſim probatus tanto iudice. Me quoq; igitur feret fama pergentes, & amici laudibus illuſtrior uiuã. Credet aliquis idem me pro illo fuiſſe facturum. Cur non inimici nos eſſemus, uos amici fuiſtis? Aliud hoc loco crimen agnoſco. Peccauimus enim fateor,

peccauimus

peccauimus, quòd cum amici eſſemus, uos inimici fuiſtis. Hæc Iudices diutius exequerer, niſi abſoluta eſſent ipſo iudice patre. Lõgum iam iſtius criminis tẽpus eſt, nunquam obiecit, nunquã exanduit. Et quid hoc inter nos pater cõuenit? niſi longiores repetis offenſas. Apud malignos uidearis me iratus non redemiſſe. Sed ſi quid antè cõmiſiſſem odio tuo dignũ, potuiſti me redẽptũ nõ recipere. Manifeſtum eſt ergo te patiẽte, id eſt, te uolẽte amicum mihi fuiſſe iuuenem. Et ſanè non ſolus in hac fuiſti ſententia, idem filio permiſit & pauper. Atqui ſi pars hæc cauſæ, quæ confeßione longi ſilentij abſoluta, hodie in acceßionem criminis alterius deducitur, poteſt apud uos impetrare ueniam, facilior certe ſequentiũ ratio eſt. Ille enim ſanè fuerit inimici filius, hic iam eſt amici pater. Nec ignoro Iudices quàm male iſta defenſio de humano genere mereatur, ſi adeo nihil eſt per ſe miſericordia, ut niſi ulterior aliqua neceßitas pudori uim fecerit, pro ſummo crimine damnanda ſit minus neceſſaria humanitas. Ergo ſi alienum & ignotum, tamen (quæ publica omniũ mortalium, quippe ſub uno parente naturæ, cognatio eſt) hominem cibo fortè iuuiſſem, pœna dignum uideretur ſeruaſſe perituram animam, & ignouiſſe rebus humanis, & reſpectu communis omnium ſortis, uelut adorato numini, & ſtipem poſuiſſe fortunæ? Si hoc crimen eſt, laudetur ergo crudelitas, nihil habeatur piratis laniſtisq; prudentius. Ferantur ſanè profutura humano generi duo exempla intra tam breue tempus, propter miſericordiam alter abdicatus, alter occiſus eſt. Quod crimen ſi fatẽdum ſit, non animum mihi ipſe finxi, aut mea poteſtate regitur affectus, in arbitrio formantis more omnium naturæ cõpoſitus, cum crimine meo natus ſum. Nam ſiue cœleſtis prouidentia, ſiue irrationabilis caſus, ſiue aßignata ſiderum curſu naſcẽtibus nobis neceßitas multa uarietate pectora noſtra diſtrinxit, nec minus numeroſas animorũ quàm corporũ dedit formas. Sunt quorum mentes etiã nocentium ſupplicia confundant, qui ad omniũ ſanguinem

guinem pallescant, ignotorum quoq; miserijs illachrymēt. Sunt contrà qui ne suorum quidem misereātur. Mihi mite pectus, & mollis affectus ad omnem calamitatum conspectum tremit. Noli me existimare mea fortuna pater, nō habeo gladiatoris animū. Vtinam quidē mihi causa permitteret sic gloriari, iuuenis cōceptus splēdidis parētibus, cum solum tā speciosæ fortunæ crederē fructū posse prodesse, & cōtra uarios mortaliū casus quasi portum benignitatis aperire, concupiui quandā humanitatis unicā gloriam, periturum hominē, siue illo naufragio iectus, siue spoliatus incendio, siue exutus latrocinio erat, naturæ patriæq; restitui. Paria tecum facio R.P. quæ propter me unicū ciuē perderas. Hæc me magis decet impēsa quàm uestis, quàm argentū, quàm ubi laus emitur. Vbi enim pecunia melius poni pōt, quàm ubi fœnus bonitatis extēditur? Magna conscientia est, felicitatem meruisse. Ignotus sanè sit & alienus, quid fuerit antè non quæro, post hæc erit amicus. Et hercule quo quisq; plus pōt, quoq; latius patet ad fortunæ incursus, hoc magis cogitare debet, atq; respicere, quantū in nos fortunæ regnū sit, quàm instabili sede humana consistant. Non me aurata laquearia nec radiātes marmore columnæ, nec graues crustæ fecerint immemorē fragilitatis. Multa sæpe & locupletibus accidunt, sæpe in imum summa decidunt. Ego uidi pauperē auxilia diuiti ferentem. Sed sanè superbius æstimet miserias longa felicitas, & alienum casum facile despiciat securus sui. Ego quoties auxilia calamitatis petere alicui uideo, non possum nō moueri fortuna mea. Succurrit mihi continuo tempus illud, quo ipse clementiā optabam. Ignosce pater, si penitus animo meo hic insedit affectus: amare misericordiam miser cœpi. Sed inimicus, inquit, meus est. Nā quis nos tantopere laudaret pater, si hoc amico præstaremus? Hæc est celebranda uirtus, hæc animi suspiciēda moderatio, uincere iram, & inter simultates quoq; meminisse hominis. Vt Fabio Maximo immortalē attulit laudē ereptus ex hostiū manibus inimicus, ut Tiberium

Tiberiū Gracchū admirata ciuitas est, Scipione in carcerē duci prohibito, te quoque similis animi magnitudo memoriæ dabit. Tuis enim opibus uiuit inimicus. Quicquid est istud quod senex inops ex nostra domo accipit, si nō irasceris, tu præstitisti, tibi hoc pulchrū atq; magnificum est. Nam ego si quid in patrē seruatoris cōfero, nō sum laudādus. Neq; expectaueris hoc loco pater, ut illa dicā, semper odiorum honestus occasus est: & dū simultates nihil aliud habēt quàm nocēdi cupiditatem, speciosa in melius animi mutatio est cum exēpli honore, iunctæq; ex hostili penè cōcursu in affinitatem manus. Vnde tantū misero boni ut inimicus sit? Aspice solum egētem senē omnibus præsidijs destitutum, nō ne cōtumeliā fortunæ tuæ facis, si hūc odisti, & adhuc tua odisti, & adhuc tua putas interesse, ne uiuat? Nulla tibi contingere maior ultio pōt, quàm si talis est, ut illius etiā nos misereamur. Magna mehercule iā de uetere æmulo pœna supereſt, panē eripere mēdico, & grauissimæ per se fortunæ manu pondus imponere. Age si perisset, cadauer calcasses? Fere mehercule generosiores iacētes trāseunt, & reseruati hostes restitutæq; urbes maiora causæ exēpla sint, quod scio uictis etiā gladiatores parcūt. Post orbitatē, post egestatē, quid amplius pōt pati, nisi quod optat? Vlterior'ne tibi aliqua ultio quærēda est? aut aliqd rerū natura peius capit? Quis nō te oīm mortaliū inhumanissimū putet, si hoc aduersus inimicū tuū saltē optasti? Si mehercule inexpiabiles odiorū causæ, et cōpositis quoq; fabulis ulteriores inimicitiæ fuissent, ausim dicere, si propter illum liberos perdidisses, accipienda tamen erat à fortuna talis satisfactio, certe ad uitandam insolentiæ opinionem, quæ fere immeritā quoq; patiētiam carpit, ne uagaretur per urbem inuidiosus mēdicus, & calamitates autori causas uulgus egereret odiorum. Nescio quomodo omnis pro laborante fauor est, nec ulla perpetuam gratiam seruat, nisi modesta uictoria. Nostra potissimum clementia sustineatur, ne illius alij misereātur. Facilis ut animaduertere uos

uos ſpero iudices, defenſionis meæ curſus eſt, antequam incipiã habere cauſam nimium bonam, hic iam conſciẽtia trepidat, & ratio uelut inter binos deprehenſa ſcopulos, cũm aliud obijciatur, aliud defendendum ſit, hæret in dubio, cum beneficijs meis coputare non audeo. Cognouiſtis expoſitionem cauſæ, quanta quanq; excedentia fidẽ adoleſcentis optimi merita narrauerim: hæc mihi omnia ſine dubio ille præſtitit. Si quid intereſt, debitor delicatus ſum. Quid in hac parte defenſionis agam iudices? Dicam, referre gratiam beneficijs uolui? Ita'ne tandem aliquis mẽdicare amici patrem æquo animo uiſurus fuit? At ille me redemit, cui nihil retuli. Dicã me moueri ſupremis amici mei precibus? Egregia uero cõparatio. At ille mihi præſtitit, quod non rogaui. Vtrò me uertam? Tanquam honeſtum defendam factũ, an tanquam neceſſarium? Alterum abſolui facilius poteſt, alterum laudari rectiſſimum opinor ueritatis intereſt. Audi pater, aliměta iſta quæ donata egenti putas, quanti illi conſtent. Si accepto captiuitatis meæ nũcio nullis precibus addictus, nullis epiſtolis uocatus adoleſcens ad liberandum me uinculis piratarum profectus eſſet, quibus tamen meritis penſarem, cum id mihi præſtitiſſet, quod ego tantum à patre ſperaui? Intrare maria præſertim tam recenti documento timẽda, & latrones ultrò quærere, & cum præter uicarias manus nihil eſſet, nauigare uoto captiuitatis, quis poſſet alius quàm qui paratus eſſet pro amico mori? Magnum hoc per ſe ac ſeculo noſtro uix credibile iudices, illud uero omni prædicatione maius, ad redimendũ me profectus eſt, cum mendicaturum patrem ſuum ſciret. Atqui ſperare poterat futurum, ut ſine ullo periculo ſuo redimeretur nihilominus amicus, cum haberẽ diuitem patrẽ. Sed noluit ipſum itineris apparatum, & ne qua periret redemptionis hora, præceps cucurrit. Prò fidem deûm hominumq;, quemadmodum ad redemptionem amici feſtinat, etiam cuius pater lentus eſt. Terentium, quẽ inter cæteros captiuos ſecũdo Punico bello Scipio Africanus uinculis exoluerat

exoluerat, memoriæ tradidere maiores inſigne receptæ libertatis pileo teſtantem in triũpho ducis eſſe conſpectum. Et ille quidem maioris momenti acceſſione publicam ſenſerat felicitatẽ, priuatim tamen debere ſe putauit uictoriæ beneficium. Quid me facere conuenit, qui per maria latrocinijs infeſta ſolus petitus ſum, qui lucem, libertatem, denique quicquid patri debeo, non ignarus, ut primo natalis horæ tempore, ſed uidens ſentiensq; acceperim, nec ſolum donatus his bonis, ſed ſummis periculis liberatus ſum? Non'ne me ex amici fide natum, & tenacioribus beneficiorum uinculis fatear eſſe conſtrictum? Miſerrime, amice fideliſſime ingratum me moriẽdo feciſti. Et quantulum eſt quod adhuc loquor de mea infelicitate, de piratis? Leuis eſt iſta fortuna, hæc etiam nunc recepit moram, ſolent expectare latrones redemptorem. In ludo fui, qua pœna nullam ulteriorem ſcelera nouerunt, cuius ad comparationem ergaſtulum leue eſt. Hoc ſi ſciſſes pater, affirmo, promitto, cuius pietatis es, nemo te anteceſſiſſet. Illa certum habeo expectas ut dicam, morabar inter ſacrilegos, incendiarios, & quæ gladiatoribus una laus eſt, homicidas incluſos turpiori cuſtodia, & ſordido cellarum ſitu. Iamq; in eam ueneram fortunam, ut me uictum recipere non poſſes, uictorem nolles. Aderat hora ſupplicij mei, qua nuſquam morandum, iam præbendus erat iugulus, & fundẽda uita cũ ſanguine. Neq; enim dubitare de euẽtu licet, exemplar fati mei uidi. Si me ab his imminentibus malis pecunia redemiſſet, beneficium tamen potius dicerem magis æſtimãdum eſſe quàm precium. Sed apud malignos interpretes poſſet uideri uel ſpem ſecutus aliquã uenturi temporis, uel præſentis uoluptatem. Hoc admirabile: & uni tantum pietati referendum eſt, dedit beneficiũ quod nũquam reciperet, & cum amicum quem redimebat habiturus non eſſet, nihil aliud emit quàm honeſtam mortis conſcientiam. Trãſtulit ergo in ſe fortunã meam, ſubijtq; nõ ſolum fortiter, ſed etiam libenter id, quod mihi miſerũ putabat. Res dictu incredibilis, gla-

diator dimissus, redemptor occisus est. Recepit pectore aduerso ferrum, ut quasi quam emittebat animã, in meum pectus transfunderet, & hoc uno tristis occiditur, quòd amplius amicũ uisurus non erat. Eant nunc antiquarũ conditores fabularũ poëtæ, & se ad exhortandã amicitiæ fidem magna quædam composuisse carminibus putẽt, si dixerint aliquos per maria terrasq; asperiorem fortunã amicorum tantum secutos, aut principẽ Græciæ uirum in ultionẽ interfecti amici inauspicata bella gessisse. Nam inter fratres illa maxime admirabilis, tamen alterna mors est. Vna fingitur coniunx, quæ iã perituri uitam mariti uicaria morte sua redemit, adijciturq; miraculo fabulæ, fecisse hoc eam quod non præstitisset pater. En indubitabile seculi decus, & fictis maius, ut moreretur pro me amicus, suum reliquit patrem, meũ uicit. Et sanè quid profuisset festinatio patris, etiam si ad redimendum me prior fortè uenisset? Hoc me precio nemo alius redemisset. Neq; uero plurimum fuit præstitisse mortem, nanq; interim specioso titulo bene uita pẽsatur, illud uero existimo grauius, nomen gladiatoris accipere, subire dominum lanistam. Minus te amice laudarem si uicisses. An ille animus rediret in cellulam, ferret saginam, magistrum, personam denique sceleris? Mea depugnasti causa, tua peristi. Hæc tamen omnia ultimæ fortunæ nomina, ut mihi detraheret, induit sibi. Venit in arenam homo, nec sceleratus, nec infelix. Ecquando iudices hoc audistis? Bonitate sua gladiator factus est. Vtinam iudices hæc quæ illi speciosa sunt, tam honesta essent, & mihi. Quoties ad infelicissimum respexi senem, cuius orbitate uiuo, cum confectum cladibus, & tantum pœnæ suæ residuum considero, uerum fatendum est, pudet me precij mei. Video senem meliore sui parte præsepultũ, omnis etiam spei superstitem, orbum, destitutum. Illud tamen solatium est, quòd nisi talem amicũ habuissem, hæc de te dicerentur. Huic patri inuidiosa quædam, opinor, & quæ beneficio mortis pensetur, criminosa liberalitas contigerit egenti. Alioqui duo egẽtes, & cir-

& circa omnium uel ignotorum domos stipem rogabimus pariter. Si quis grandis natu parens est, miserebitur senis: si quis iuuenis filius, miserebitur adolescentis. Fortasse proderit mendicaturo mihi, quòd ipse aliquando egentem pauperem alui. Accipe satisfactionem in quacunq; parte rerũ naturæ es amice charissime, non excidêre mihi tua mandata, fortuna defecit, opes auferuntur. Quod unum mihi relictum est, en polliceor patri tuo uicarias manus. Quid uis porro faciam? Agrestia opera delicatior quòd à fortuna non didici, & quotidiani quæstus operis duobus egentibus non sufficit. Miserum me, si exoluere fidẽ uoluero, fortasse mihi in ludum reuertendum est.

SEPVLCHRVM INCANTATVM. ARG.

Malæ tractationis fit actio. Quæ amissum filium nocte uidebat in somnis, indicauit marito. Ille adhibito mago incantauit sepulchrum. Mater desijt uidere filium. Accusat maritum malæ tractationis.

Pro uxore contra maritum. 10

QVAMVIS iudices inter eos qui liberorum mortibus destituti, cũcta uota, & præparatas spes in senectutem ante se egerunt, id ferè acerbissimũ certamen cõflictationis oriatur, ut unusquisq; luctibus ac lachrymis suis credat accedere quãdam dignitatem, si miserrimus esse uideatur, hæc tamen fœmina neq; nato, neq; publico genere miserabilis, non impudenter inter cæteras matres, quæ aut unicos, aut iuuenes pios filios perdiderunt, eminere & occupare quendam mœrentium principatum differentia nouæ calamitatis affectat, quæ sola omnium supra fidem infelix in uno filio iam alteram patitur orbitatem. Priorem quidem illam ut communem cæteris, & fato accidentem, fortius utcunq; tolerabat. Nam & de filio nihil aliud perdiderat misera nisi dies, nec iam timebat ne ille quo fruebatur, mori posset. Planctibus lachrymisq;, penè improbe dixerim, parcius utebatur, nec sibi

permittebat dolor lugere ueniẽtem. Nunc deſtituta ſolatio perſuaſione fraudata, dum non putabat periſſe quem poterat uidere, eripuit ingrata filio alterum titulum. Miſer ille niſi teneretur, iã ad patrem ueniſſet. Tantum miſera, petit, ne minus perdidiſſe uideatur, quàm ipſa deſiderat. Non inani perſuaſione, nec cogitationibus ficta lugentis umbra ueniebat, nec agitabat incertos leuis imago ſomnos, ac ne cõfuſi quidem triſtis cernere uultus, et infernũ fauilla caput noctibus ſuis obibat, ſed filius erat qualis aliquãdo, & iuuenis, & pulcher habitu, nec aſpici tãtum uideriq; contentus, uerum ſi quid deſiderio creditis miſeræ, quæ ſola uidit, amplexus, & oſcula dabat, & tota nocte uiuebat. Multum perdidit mater, ſi contingebat hoc illi, non minus ſi uidebatur. Nũc tenebras inanes, & lõgas oculis flentibus noctes, iuxta ſomnum mariti peruigil, & tantum deſerta metitur. Non deſiderio fictus, aut fucatus habitu, nec ut ſomniorum uanitate conſpicitur, ſed experta non totum mori hominem, illud quod nec flammis uritur, nec cineribus extinguitur, nec urnis ſepulchris q; ſacris premitur, expectat. Nunc iſta carcere obſeratam animã, & repugnantẽ magico iuuenẽ cogitat ferro. Infeliciſſima omnium mater plus aliquid eſſe quàm umbram filium putat poſtquàm potuit includi: nec ſua tantummodo pœna proprioq; ſupplicio deſerta conſumitur reſciſſa orbitate: uel magis cruciatur, quòd non licet filio uenire cupienti. Nunc barbaro carmini grauem terram totis noctibus pulſat, & impoſitum ſibi ſepulchrum, quod non poſſit euoluere, quæ ſolebat ipſos diſcutere inferos, umbra miratur. Miſer quem non tantum uerba clauſerunt (nam forſitan per illa pertranſiſſet) ſed uincula ferrea, ſolidi nexus ad mortẽ reduxerunt. Quomodo tenetur infelix, qui ne propter hoc quidem uenit, ut queratur? Miſereor fœminæ, cuius inuidiæ totum facinus aſcribitur. Maritus ſic filium incluſit, tanquam ſe inquietari mater iſta quereretur. Igitur iudices nemo miretur, ſi ad tam crudelem, ac tam immitem patrem umbra

umbra non uenit. Sciebat ubi lachrymas, ubi poſſet inuenire ſingultus, à quo magis deſideraretur. Nanque iſti ferreum pectus, & dura præcordia, nec ſunt de orbitate ſenſus. Quid enim inhumanius patre, quid inueniri truculentius poteſt? Inuidit matri ne filio frueretur, nec hoc ideo fecit, quia uidere ipſe malebat, ne uiuentem quidem adhuc & incolumem tam blãda, tamq; debita pietate proſequebatur, ut defuncto ſeruaturus affectũ etiã ſepulti pater uideretur. Tanto magis effuſa mater, & ſuis ac paterni uicibus occurrens. Hæc pallidior ad metus, ad uota pronior, non diebus ſecura, non noctibus. Et ille miſer intelligebat utri promptior ex parentibus, & facilior eſſet affectus: Itaque ab huius oſculis, ab huius fœminæ ceruice pendebat. Et quid longum eſt officia præterita debitæ pietatis agitare, illo ipſo languore quo filius caducum illud & fragile corpus amiſit, quæ perdite mulier, & uſque in exemplum, modo ſuper ora pallentis infelices lacerabat oculos, nunc ſiccata fruſtra ubera querebatur, nunc ſuperſtitem cædebat uterum. Notabat hæc ille deficiens, mandabatq; morti ſuæ cui periret. Vbi ſunt qui citò iubent ſtare lachrymas, quibus non placet longum agere mœrorem? Retulit umbra gratiam matri. Scio, intelligo, cum inter gementes cadauer iacet medium, & cum omnes uidetur remiſiſſe curas, tunc ſentit, & intelligit, & inter ſuos iudicat: Moneo te orbitas, moneo effuſius fleas, effuſius efferas, nunquam periſſe credas. Filij ſui umbra cui non apparet, iraſcitur. Iam gelidi piger corporis ſanguis omnes in mortem ſtrinxerat uenas, & nutantium fulgor extremus uaneſcebat oculorum, & iam deſperantibus medicis crediderat pater, adhuc tamen ſperare mater uidebatur, & quamcunque corporis partem oſculis miſera tepefecerat, illi uitæ calorem rediſſe clamabat. Oderat ignes, oderat rogos, reponi corpus, & ſeruari membra cupiebat. Et nunc infelicem magis matrem pœnitet quòd ſepultus eſt, qui poterat reuerti. Scitis ipſi quæ exequiarum die

labore extracta sit, quandiu filium tenuerit allabentibus flammis. Vnde enim speraret ut postea uidere contingeret, ut extra orbitatem haberet oculos? Iam magum misera quærebat, ut umbra euocaretur. Reliqua mater infelix, tu ad iudices referre debebas, & nisi orbitate, nisi lachrymis uox mutaretur in gemitus, noctes tuas quanto melius tuo ore lugeres. Ego utcunq; potero perferam. Satiare misera, satiare saltem memoria diei illius, quo exequias unici duximus. Iam planctus, inquit, lachrymasq; consumpseram, & tenebras ueluti perpetuas uenire gaudebam, iam fatigata propinquorum officia defecerant, iam plangorem familiæ altus sopor uicerat. Rogo ne quis tam contumeliosus sit in matrem, ut per quietem contigisse filium dicat. Vnde miseræ tunc, unde somnus? Nihil de te marite nihil queror. Satis magnas dedisses pœnas, si totis noctibus mecum flere uoluisses. Vidisses utiq; non quemadmodum tenues rerum imagines solent cogitationibus accipere corpus, cum uanæ absenti animo cogitationes finguntur: sed ipsum uti filium, qualis blādissimus erat, & si admittatur uidebo. Subitò ante me diductis constitit tenebris, non ille pallens, nec acerbo languore consumptus, nec qualis super rogos uidebatur, & flammas, sed uiridis, & sanè pulcher habitu. Nescio ubi totam reliquerat mortem, non igni toridæ comæ, nec fauilla funebri nigra facies, nec uix bene cinere composito umbræ recentis igneus squalor. Proclamaret mater infelix etiam si talem uidere desisset. Primo tantum stetit, & se permisit agnosci. Ego tunc plurimum stupui non ausa oscula dare, non iungere amplexus, infelix primam perdidi noctem, dum timeo ne fugeret. Hanc tu marite persuasionem putas, & uanum animi mei lugentis errorem? Quicquid est in filio plus apud matrem fit cum desinit. Vis denique scire quid uxori tuæ detraxeris? ex defuncto filio non habet aliud quod speret. Iam nox altera aderat, & primis statim tenebris præsto filius erat, non ille ut pridie procul, & tantum uidendus, sed audacius, & propius,

propius, & ad matris manus tanquam corpus accedens. Nec iam nisi cum luce certa fugacibusq; sideribus, inuitus ille uanescebat ex oculis, multum resistens, sæpe respiciens, & qui se promitteret etiam proxima nocte uenturum. Iam mœrori locus non erat, mulier filium nocte uidebat, die sperabat. Quid attinet singula referre? Nullis, inquit, destituta sum tenebris, donec scelerata tacui. Satiabar osculis, satiabar amplexibus, & colloquebar & audiebam. Misera plus perdidi, si nemo credit. Iam cœperam tuam quoque marite crudelis agere causam, rogabamq; iuuenem ut paternis oculis quoque lætus occurreret, & tibi ingrate dimidia nocte credebam. Iam miser & ille pollicebatur: hæc me fidutia perdidit, ut confiterer. Rogo quid tam mutiebre, quid tam maternum fieri potest? Gaude, inquit, marite gaude, filium fortasse nocte proxima uidebis, illum quem crudelibus flammis exusisti, ex quo cineres, & ossa supersunt, iuuenem uidebis, & forte etiam die speres. Ego certe totis noctibus mater sum, uideo, fruor, iam & narro. Exitum paterni affectus quæritis? Filium uidere timuit. Scis magum protinus nescia matre, cuius horrido murmure imperiosisq; uerbis dij superi manesq; torquentur, excogitator iste mortis alterius aduocat, non ut exorati manes diducerentur, nec ut euocata nocturnis ululatibus undecunque umbra properaret, sed tanquam parum sepulchra premerent, & tumulorum leue nimis pondus esset, filius inquit, meus non satis perijt, adhuc fulgore siderum fruitur, & nocte nostra. Nam cum dies occidit, imponit morti suæ finem, domum repetit, & maternos territat somnos. Inueni aliqua, inueni uincla uerborum, sed arte tota, sed labore toto. Magna tua gloria est, si retines filium, qui redit etiam à morte ad matrem. Noxium sepulchro circūdatur carmē. Tunc horrentibus uerbis urna præcluditur, tūc primū miser filius mors, & umbra fit. Ite nūc & putate uana fuisse matris solatia. Filiū ista si cogitationibus et inani persuasiōe uidisset, adhuc uideret. At quæ supplicia

ſuſtinuit infelix illa ſtatim nocte? Iam totam domum ac familiam quies prima ſopiuerat, & tacentibus tenebris uenerat tempus dulciſsimum matri, iacebat hæc inſomnis, inquieta, cum diceret iam ſtatim apparebit, iam ſtatim ueniet, nunquam tamen tardius uenit. Miſeram me fili, proxima nocte iam ueneras. Ecce iam medios ſidera tenent curſus, indignor, iraſcor, ita demũ mihi ſatisfacies, ſi apud patrem fuiſti. Miſeram me iam maligna mundus luce clareſcit. Quando uenies? iam redire debebas. At poſtquam alteram tertiamq; noctem deſerta uanis queſtibus duxit, tum triſtiora lugubria, tũ ſqualidæ magis placuere ueſtes, tum repetitis ſanguinauere planctibus iam conualeſcentes lacerti. Nihil eſt infelicius matre, an perdidit aliquid in filio poſtquàm extulit? Cum uero cõperit noctes ſuas iuuenis neceſsitatibus magicis excantato periſſe feretro, quantum illa præfixũ clauſumq; tumulum nudis cecidit uberibus, quo fletu ſepulchra perfudit, quo gemitu audientem forſitan, & exire cupientem fruſtra uocauit animam. O natura crudelis, plus magum poſſe quàm matrem. Vbi ſunt qui acerbas mortium neceſsitates, & ferrea iura fatorum, & inuictas nec ullo mœrore mutabiles inanium leges querebantur umbrarum? Filium tuum mulier infelix non impoſitæ inferis cluſere turres, nec ſpiſſa perpetuæ noctis caligo compeſcuit, non fabuloſa uatibus palus multumq; celebrati curuato igne torrentes: hæc permeabat, hæc omnia nocte tranſibat, leuioremq; mortem ſuam fecerat, quàm ſi peregrinaretur, & abeſſet. Et nunc minus mali pateretur, ſi non ſentiret. Ille qui non uenit in quendam carcerem translatus à tumulo, patitur beneficia uitæ. Magnæ ſunt ergo umbrarum catenæ, & quamquam uolatilem uagamq; imaginem, morti ſtringunt, atq; alligant, tanquam reum corpus animam. Ferro uero ac lapidibus arctare, et ut ſolent bellicæ robur accipere portæ, ipſam umbrã, iam catenis alligare, iam clauſtris, non dico credibile eſt, portentoſum, nefarium utiq; ſi hæc faciet qui ſenſurum filium credat.

Et

Et nũc illos miſerrima mater in corpus putat & in membra deſcendiſſe mucrones. O mage ſæue, crudelis, ò in lachrymas artifex noſtras, uellem non dediſſet tam magnum experimentum. Iraſcimur tibi, & blandiri neceſſe eſt. Dum cludis umbram, intelligimus ſolum te eſſe, qui poſsis euocare. Videtur itaq; mulier infelix à dignitatis dolore ſecedere, quòd tam uxorias in forum querelas, & tanquàm delicata matronæ deſideria pertulerit. Non enim ueſtes, nec aurũ, nec ambitioſos quærit ornatus, contenta eſt orbitas ſordibus ſuis. Ac ne pellicis quidem dolore compellitur, nec tacita gaudia mariti, impatientia & muliebri uanitate complorat. Sed nec relictum torum deſertumq; genialẽ uelut contempta uilitas uxoris ulciſcitur, alia longe, alia de noctibus cura eſt. Ne timueris. quæcunq; eſt dignitas, eſt magni doloris, nihil queritur miſera, niſi par orbitati, niſi matre dignum, quod publicos conſumat oculos, quod ignotas quoq; exigat lachrymas. Quantam enim à marito acceperit iniuriam ſcire uultis? Sola mater filium perdidit, nec poteſt inuidiã facere morti. Antè itaq; quàm ſciatis iudices, quis dolor, quis ue mœror, quæ tanta impatientia eruperit, ut mulier aliquando dulcium oblita tenebrarum, clarum nitorem publicæ lucis, & diem etiam domi inuiſum, in foro interq; leges notabilis & ſepulchris abſtracta pateretur, certum profecto habetis neq; audaciã neq; impudentiam, nec uanitatem unquàm querelas habuiſſe miſerorũ. Quàm uerum eſt quicquid exclamat calamitas, nec ab infelicibus ficti temere exeunt gemitus. Mulier quæ ſanguinãtes ad iudices porrigit lacertos, quæ ſciſſo laniatoq; uultu, quæ liuidis profertur uberibus, magno dolore cogitur ut hoc potius agat quàm cineres oſculetur, quàm complectatur urnam. Grauis teſtis querelæ orbitas eſt. Et antequàm ad genus illatæ iniquæ iniuriæ uenio, cur marite, quæ ex te filium perdidit, quicquam poteſt queri? Crudelis orbitatem feris adhuc alio dolore, tanquam parum deſideria conficiant, quæ de unico gerit, non pateris animam uacare

care lachrymis ſuis tu, qui ſinum debes, qui colloquia & amplexus. Quàm miſera eſt quæ queritur, & de ſolatio ſuo non coniugis deſiderijs large indulget, nihil aſpere, nihil contra uoluntatem. Habet priuilegium ſuum mater infelix, molles manus, & mitia fomenta magnis uulneribus admoueas. Quæ ſe adhuc ſecari plaga permittit in ſummo eſt. Viri fortitan quo modo fortior ſexus ſit, & contra dolorem quàm imbecillis animus magis pugnat. Itaq; totum iſtud lugere fœmineum eſt: & ſimul ac orbitas imbelle pectus inuadit, animus ille qui luctus ſuos ſequitur, incipit indulgentiam ſentire lachrymarum. Fidem tuam marite, coniugi flere liceat, ſatiari gemitu, orbitati permitte quandiu uelit flere. Odi patrem, patrem, qui cum filium & ipſe perdiderit, putat nimis lugere matrem. Quid ergo queritur, inquis? Hoc primum, filium non quomodo debes ſcelerate deſideras. Magno animo orbus es, loqueris fuiſſe mortalem, & interpretaris nihil ſupereſſe poſt flammas. Flet iuxta latus & plangit uxor, tu ſiccos oculos habes. Illa totis noctibus funebres exercet ululatus, tu graues ſomnos ac placidam quietem. Pater crudelis, pater immemor, quid uis tibi amplius obijciamus? Ex quo perdidiſti filium, nunquam ſic deſideraſti ut uideres. Quid quòd eripuiſti matri ſolatium, puta uanum & ſuperuacuum? Nolo iudices, nolo corripias, ſcires quantum eſſet hoc ſi tantundem doleres. Res indignior non eſt, quàm quòd tibi de eo poſtulas credi, quod non uidiſti. Indulge ſanè uanæ rei, ignoſce, libenter ſe orbitas decipit. Magnas calamitates uana ratio ſuſtentat, quòd indulgent mala perſuaſionibus ſuis. Quicquid ad miſeros pertinet, crudelius eripitur, quo minus eſt. Clamat itaq; clamat mater infelix, ſi mihi aliquam imaginem filij mei, uel paruuli, uel iam adulti, uel nouiſſimam iuuenis auferres, inijcerem tamen miſera tanquam corpori manũ, illam ſimulitudinem flens tenerem, illos oculos, illam gratiſſimam faciem, & ritus oris expreſſos & adumbratos artificis manu uultus. Sed illum perdi-

di, unde imago, unde ſimilitudo, unde ſolatium. Fili plus hodie amiſi, quàm cum elatus es. Poſt mortem te tuam uidi. Si mehercule notas in corpore unici ueſtes ſubtrahere tentares, dicerem ſuccurre ſolatio meo. Hæc omnia apud me filij mei membra ſunt, ego oſculabor, amplectar, flebo ſuprà. Non eſt ratio fortaſſe. Ideo quicquid rationem uicit, affectus eſt. Nihil eſt ſceleratius prudenti orbitate. Leuia, inquit, leuia loquor. Ego filium meum uidebam. Quæ nam iſtum fortuna, quæ indulſerat conditio naturæ? Non excludebat orbitas oculos tuos. Eras iam conſecuta mater, ut iuuenem die abſentem putares. Maximam perdidit mors acerbitatem, ſi poſſis uidere quẽ amiſeris. Videre ergo tibi contingebat ò mulier uultum, habitum, corpus, inceſſum. Non crederem niſi te perdidiſſe ſentires. Tempora ergo cum morte diuiſeras, & ſuperſtite filio fruebaris omnibus tenebris. Quantum perdideris hinc æſtima, hoc tibi ſi non contigiſſet, non eras tam improba ut optares. Aliquis (ò pietas) ſepultus & conditus, cæteri corporis cinis & fauilla, tamen corpus ſumebat in nocte, & ad ſolita uiuentis membra reuocatus præbebat ſe matris oculis, qualem non crederes receſſurũ. Nec queri de luce poteramus, quantum licebat aderat. Videbas ergo mulier ac præſentia fruebaris. Videbam, inquit, & fruebar. Et ad quem pertinebat rogo, etiam ſi decipiebar? Sed quid ego utor teſtimonio tuo? Mago credo & tunc uidiſſe te filium, & nunc nõ uidere. At tu miſera nihil crudelius ex marito timebas, quàm ne tibi non crederet. Nemo, inquit, oculis meis fidem detrahat. Fili indulgentiſſime adoleſcens uidi te, nec ſemel uidi. Certum eſt, fixum eſt, eripi non poteſt. Quatenus impius pater & hoc tibi auferre conatur, ut te ueniſſe non credam? Nec illud garrula, nec uana uoce uulgaui. uenire te nulli indicaui, niſi qui deberet optare ut hoc poſſes. Patri tantum tuo, patri (ignoſce deceptæ) confeſſa ſum, dum interrogo an te & ille uidiſſet. Itaque das mulier infelix graues nimiaſq; pœnas: effecit magus

ne filium uideres, & solum apud te reliquit, ut meminisses quòd uideras. Totum tamen illud solatium tuum refer misera, si potes, & primum confitere simpliciter, an soporis pondus illud, & ne sciæ quietis uanitas fuerit. Apud me quidem satis misera, satis eras mater infelix, etiam si tale somnium perdidisses. Miserere, inquit, melius de affectibus meis sentias. Non ego fatigata planctibus sensi uenisse noctem, uidere filiũ peruigiles meruistis oculi, sed primum dum metuo, umbra processit subito, dij boni quod ego gaudium, quam uidi felicitatẽ. Constitit ante me filius meus discussit tenebras, ita dimittatur aliquando. Prosilui protinus, & accessi, uultus, comas, ora perspexi, meus erat. Quàm lætum se, quàm hilarem offerebat, quomodo persuadebat mihi, ne crederem morti? Scelerate nescis pater, quàm similem uiuenti filium cluseris. Circumibant totum corpus oculi, non inueniebam quid ignis egisset. Subinde dicebam, hunc ego extuli, hunc rogo imposui, ex hoc ego cineres & ossa collegi? Si talis est, quid habeo quod lugeam? Perisse filium meum hoc uno intelligebam, quòd illum non poteram & patri ostendere. Confitebor, primæ tamẽ nec ego credidi nocti, & tanquàm uictis irascebar oculis, & erubescebã misera, si quies fuisset. Ecce iterum iuuenis, ecce iam quotidie uenit. Quid habeo quod imprecer? Verum est utiq; quod semper est. Nouissime non tanquam umbra ueniebat, sed assidebat, sed amplexus dabat. Ego sentiebam & recipiebam. Quotiescunq; domus fuerat grato sopore prostrata, aderat ille, quales humanis se offerunt oculis propitij dij, quale lætissimum numen est cũ se patitur uideri. Sicut omnis religio templorum, omnis religio lucorum, cum tacuere mortalia, & profani procul errauere sedibus totis, solitudine frui & de suis dicitur exire simulacris, ita iuuenis meus noctibus totis agebat filium, & paterna domo ac penatibus suis fruebatur placidus ac mitis & matri propitius, ut numen & deus dilabi sideribus, & uenire de liquido puroq; aëre uidebatur. Quid imprecer sceleratissimo patri

patri? umbram probare uoluit. Miserenini iudices, ut hoc facinus quibus debetis, accipiatis animis. Maius parricidio, maius quàm si filij sepulchrum funditus eruisset, & sacratos morte lapides, etiam cineres & ossa religiose quiescentia fracta sparsisset urna. Aduocatur homo, cuius ars est ire contra naturam. Qui simul ac ore squalido barbarum murmur intonuit, fallereq; coẽgit superos, audire inferos, tremere terras, ut experimẽtis loquentium fama est, constitit iuxta tumulum, miserrimi iuuenis mors certior. Nunc opertæ, inquit, arcana mea tenebræ adiuuate me digna, nunc omne per unum numen, & religio, quam isti irrogo, propius adeste, succurrite. Magis mihi laborandum est, quàm cum sidera mundo reuelluntur, cum iubentur hyberni fluuiorum stare decursus, cum potentiore carminis ueneno uicti rumpuntur in mea strumenta serpentes. Custodiendus est iuuenis, assignandus est inferis, & densioribus transfuga claudendus est tenebris. Quanto facilius opus erat si reuocaretur? Mox in ipsam dicitur incubuisse pronus urnam, & inter ossa & inter cineres uerba clausisse. Hoc tamen subinde respiciens confitebatur, repugnabat umbra. Itaq; carminibus non satis credo, præfigamus omne tumuli latus, & multo uinciamus saxa ferro. Iam bene habet, expirauit aliquando, non uideri, non progredi potest. An mentiar scies proxima nocte. Omnes mehercule parentes utiq; qui liberos perdiderunt, ire in istos oculos, in ista ora debebant. Tu sic filium tuum clusisti, tanquam nocentes ad inferos reuocari soleant animæ, quæ inter languentium familiam, & tristes penatium morbos uagæ errantesq; magica uanitate captantur? Laqueone uitam damnatus eliserat? Noxiũ per sua uiscera exegerat ferrum? An ex conscientia uenena præsumpserat, nec recipiebat se, nisi carmine incluſus? Quando domũ tuam funereus & squalidus, quando te terruit? Crudelissime omnium pater, de filio tuo malam umbrã fecisti. Quas nunc putas uxoris miserrimæ esse cogitationes? qua materna uiscera persuasione torqueri

torqueri? Nunc filius meus illic unde uenire cõsueuerat, iacet stri
ctus, alligatus, impatiẽs. Queritur solito terram grauiorẽ, utiq;
cum sentit uenisse noctem, quando umbræ feliciores dimittuntur
ad matres. At uero si qua inter manes colloquia sunt, & esse cre
do, non deest qui iuueni meo dicat, quàm uilis tuis fuisti, qui li=
benter te perdiderũt. Quid illa mater, ad quã ire consueras: has
tibi catenas, hæc uincula pro merito reddidit? Infelicissima om=
nium mulier & si magus etiã recedat, hoc periclitatur, ne filius
se putet uenisse ad inuitam. Agit iam hoc loco nobiscũ maritus
grauius, altius, sapientius, ut homo sine dolore. Negat ullos esse
manes, contendit omnia perire cum corpore, nec remeare ui=
uentes à cinere sensus, nec tam uideri imagines hominum, quàm
cogitari, & oculos luctibus credere. Quod si ita est, magum ad
quid aduocauit? Pessimus parentum, qui dum liberos suos sepe=
liunt, flere contenti, ut obiter ab rogo siccis oculis reuertantur,
negat ad manes, negat umbras peruenire quod plangas, affir=
mat perire lachrymas, affirmat perire singultus. O sceleratum
hominem, quisquis luget & timet ne hoc perdat. Vana ergo sa
pientes persuasione frustrati, qui constare homines & perfici
corporeis alimentis animæq; dixerunt, corpus caducum, fragile,
terrenum, ut sicca humidis, calida frigidis, resolutis astricta pu=
gnarent, partim aut doloribus affici, aut nouissimis annis, aut se=
nectute dissolui. Animam uero flammei uigoris impetum peren
nitatemq; non ex nostro igne sumentem, sed quò sidera uolant,
& quò sacri torquẽtur axes, inde uenire unde rerum omniũ au
torem parẽtemq; spiritum ducimus, nec interire, nec resolui, nec
ullo mortalitatis affici fato: sed quoties humani corporis carcerẽ
effregerit, & exonerata mẽbris mortalibus leui se igne lustraue
rit, petere sedes inter astra, donec in alia fata seculo pugnante
transmigret: deinde prioris corporis meminisse. Inde euocatos
patire manes, inde corpus & uultus, et quicquid uidemus accipe
re, occurrere suis imagines charas, aliquãdo & oracula fieri, &
noctur

nocturnis admonere præceptis, sentire, quas mittamus inferias,
& honorem percipere tumulorum. Rogo cũ filius perit, non ne
satius est hoc credere? Tuæ tamen, inquit, hoc quieti præsti, ne
attonitis agitata terroribus, solicitas semper ageres, suspensasq;
duceres noctes. Ita parricida cõmune facinus fecisti: & imputas
quòd filium uidere desijmus? Somnum enim antè petebamus, &
placidum soporem, crudelis. Nunc inquieta, nunc attonita mater
est, nunc perdidimus noctes. Vmbram ne tu filij rem formidolo
sam, rem plenã putasti esse terroris? Quid illa lætius facie? quid
illo blandius uultu? quid magis adulatur oculis? quid possunt ui=
dere libẽtius lachrymæ? Nõ magis metuẽda est umbra filij quàm
cadauer. Necesse est ut mors horrida fiat aliena. Sed aliæ forsitã
animum imagines territant, & tunc inferi uocantur cum ignoti
sunt. Itaq; prudenter si tantum ad suos ueniunt. Sceleratus ille,
ille impius, quicunq; defunctum filium uidit, & meminit quòd
elatus est. Terrebaris, inquit, & solicitis noctibus laborabas.
Ita ne es marite crudelis? Tu clusisses filium, etiam si ad te ueni=
ret? Nec magus, inquit, incluſit umbram, sed persuasioni tuæ suc
currit: ideoq; putas non uenire illum qui nec antè ueniebat, quia
nec factum est aliquid in quo auocareris. Hoc ipso incipit mater
sibi gratulari. Ita non tenetur, inquit, ille, non premitur, nullo
carmine, nullo incluſus est ferro. Remouete ergo omnia & in=
terrogabo. Ego autem scelerata tam cito credidi, ita non ille ad
me ueniret solutus & liber? non ad hos oculos, non ad hos pro=
peraret amplexus? Quando enim me iuuenis ipse nisi flentem,
quando non liuidũ pectus & sanguinantes uidit lacertos? quan
do non erubuit matri fecisse terrorẽ? Arte cluditur miser, arte re
tinetur. Quid uis carmina tibi amplius præstent? effecerũt quod
promiserant. Desinis erubescere iam quòd filium non uides? At
tu cuius in leges dij superi, manes torquentur, qui nocturno ter
ribilis ululatu profundum specus & ima terrarum moues,
modo seruientium reuocator animarum, nunc idem crudelis
& inexo

& inexorabilis custos, aliquando preces & matris admitte. Pa ciscere quantilibet, totos lugentis posce census, non ut labores, nec ut horridum carmen exerceas, sed ut ferrum tuum refigas, ut uerba tua resoluas, ut nihil feceris, dimitte tantum & euocasti. Nihil ipse crudeliter, patri scio paruisti, sed & huius etiam lachrymis, planctibus huius indulge, consule famæ tuæ. Execrabilem te mage facies & inuisum, si facilius de filio exoraris ut includas. Nec tu marite, nec tu timueris, ne ultricis umbræ uanis exagitere terroribus, ullis imaginibus, hinc secura dabitur quies, scit ad quam debeat uenire dimißus. Iuuenis pijßime, iuuenis indulgentißime, nunquam matri tuæ umbra nec manes, si modo ueneficum pondus & terroribus omnibus uerba grauiora mago patiente discusseris, ad me, inquit mater infelix, ad meas nactes, ad meas lachrymas, ad illos iuuentes mihi semper amplexus miseræ propera. Scio quid mihi nocuerit, scio quid me torserit. Fruar & tacebo.

DIVES ACCVSATVS PROditionis.

ARG.

Pauper & diues inimici, utriq; terni liberi. Bellum incidit ciuitati. Diues dux creatus, profectus est in castra. Rumor ortus est ab eo prodi Remp. Processit pauper in concionem, & accusauit diuitem proditionis. Absente eo populus lapidibus liberos eius occidit. Reuersus diues est victor à bello. Petit ad supplicium filios pauperis. Pater se offert. Contradicit diues. Erant enim leges, ut proditor morte puniretur, & calumniator idem pateretur quod reus, si conuictus esset.

Pro diuite contra pauperem. 11

EXPECTAVERAM quidem ut de inimici mei supplicio non quæreretur, nec me decipi posse credideram in ultione, quam mihi debeat ciuitas tam liberi doloris. Sed quatinus eò malorum nouitate perueni, ut in uindicta primum mea consulere leges ac iura uelletis, quæso ne quis prodesse pauperi uelit, quòd nec defendi potest

potest sine genere pœnæ. Plus meretur pati homo, qui (si ipsi creditis) debet occidi. Hoc est quinimò iudices, quod supra omnes calamitates meas ferre non poßum, uidetur sibi satis uixisse pauper, postquam occidit liberos meos. Operæprecium putat coram impatientia mea felicem consummare patrem, & gaudiorũ suorum satietati hoc quoq; adijcit, ut orbitatem meã liberis suis relinquat. Fidem uestram iudices, ne pereat quòd ultioni meæ cõtingit, bonus pater. Actum erat de solatijs meis, si liberos suos pauper mallet occidi. Illud planè iudices etiã in hac pauperis impudentia miror, liberos meos pudore deceptæ ciuitatis occidit, deinde me crudelem uocat. Paruulos suos ostendit, allegat, tanquam non ego potius querar hoc de quoquàm patre fieri, nec intelligit quantũ debeat ad impatientiã nostri doloris accedere, si paßus sum quod & ultione miserum est. Facinus est iudices quenquam calamitatum suarum inuidiam pati, sic ultionem meã debetis aspicere, tanquam & liberos suos pauper occiderit. Nec me fallit iudices plerosq; credere, callidißimum pauperem nec mori uelle, & hoc nudat iugulum, pectus opponit, artes esse prouitæ. Sed ego illum non credo mentiri, ego qui scio quid maluissem. Nunquam hoc aduersus nos excogitasset, nisi impatientißimus pater, & hanc pœnæ meæ suppliciorumq; nouitatem de sua pietate commentus est. Nihil magis de inimico efficere uelis, quàm quod ipse ferre nõ poßis. Habet hoc mali iudices principium innocentia, quòd inimicos esse nobis, nisi pòst nocuerint, nescimus, & tunc omnibus patemus insidijs, quoties nos odit inferior. Homo qui omnem aduersus superiora rabiem de sui utilitate sumebat, qui genus libertatis putabat odisse maiores, nulli charitati, nullis implicitus affectibus, quòd humilis, quòd esset abiectus, in furorem se magnæ colluctationis exercuit. Primo se meum dixit inimicum. O dij deæq;, cuius ego monstri artes pertuli? in cuius feritatis colluctatione durauí? Inimicum habui, neq; occidere contentum & mori paratum. Gratias ago ciuitati

quòd in illis neceſsitatibus, in quibus nihil adulationi, nihil præſtabatis obſequijs, laudatus ſum teſtimonio periculorum. Bellum mihi fatumq; publicæ ſolicitudinis credidiſtis. Sed neq; ego rem melioris ducis facere potui, quàm quòd ſine liberis meis profectus ſum, nòn reliquiſſet illos dux proditurus. Non puto iudices adhuc quæri unde illæ falſarum ſolicitudinum fabulæ repente proruperint, quis primus trepidæ ciuitatis aures rumore compleuerit, cum uideatis quis ſic egerit, ut crederetis. Vidit hanc inter metus uestros occaſionem, & quia ſemper apud ſolicitos in deterius prona perſuaſio eſt, abuſus eſt hoc quòd poterat uideri timere uobiſcum. Igitur homo qui nullum conſcium meũ, nullum mihi crimen obiecit, de mendacij magnitudine fidem ueritatis captauit. Ciuitas deinde cui accuſator proditam ſe eſſe perſuaſerat, fecit quicquid de me facere potuit. Liberos meos quos inimicus tota ſua concione monſtrauerat, occidit genere quo pereunt nocentes. Feretis me iudices, liberius aliqua dicentem? Rem peſſimi exempli paſſus eram, etiam ſi prodidiſſem. Scio uos iudices hoc loco mirari innocentiam meam. Vt primũ enim mihi calamitates meas nuncius in caſtra pertulit, non arma proieci, non ſtationes uallumq; deſerui, totam orbitatem meam in bella conuerti, tanquam liberos ibi perdidiſſem. Si unquam iudices in me habuiſſent profanæ cogitationes locum, ſi patriam odiſſe uel pro liberis meis poſſem, proditorem me fecerati. Neceſſe eſt iudices hoc primum reuerſus exclamem, ita pauper etiam nunc liberos habet? Adhuc inimici mei plena domus eſt? O miſeræ cogitationes, ò decepta ſolatia. Sic ego reuertebar quaſi uindicatus. Quas ego legionum uestrarum indignationes, quem fortiſſimi exercitus compeſcui dolorem, dum omnibus promitto liberos ſuos, dum minus pro uindicta mea puto, quicquid ipſe feciſſem. Congerantur iam licet aduerſus omnium mortalium nocentiſſimum cuncta ſupplicia, ego tamen maximum ultionis meæ ſolatium perdidi, quòd pauperi uos potius

potius debueratis iraſci. Quoniam igitur adhuc cum paupere legibus ac iure conſiſto, liberos eius in ſupplicium patris peto. Quid ſatis imprecer homini qui fecit ut quiſquam deberet ſic uindicari? Calumniator, inquit, idem patiatur. Permittunt mihi iudices calamitates meæ queri de hac lege, tanquam parum nobis in ultione proſpexerit: contra nos inuentus eſt uindictæ modus, quo non debeamus eſſe contenti. Quiſquam ne mortalium idem uocat facinus & pœnã? Tantum ne doloris uenire de ſupplicijs, quantum de calamitatibus putat? Neſcit profecto neſcit quantum patientiam pater mœrori, quantum animo membrisq; rigoris inducat, quod patiaris agnoſcere. Innocentia opus eſt, ut miſerum faciat dolor. Conſtet licet utrinq; mortium numerus, totidem nobis ultio cadauera aſſignet, plus tamen eſt de innocentibus. Et quicquid patiuntur deprehẽſi, licet ſolatio idem ſit, æquitate minus eſt. Vt idem ſit ſupplicium nocentis & facinus, una ratione efficias ut illud ferre non poſſit. Frustra æſtimatis quàm crudele, quàm ſæuum ſit quod petimus, in quantum exceſſerit uſitata genera pœnarum. Explicata eſt iudices, explicata legis inuidia, cum quis quod patitur & efficit. Quid quòd hoc ſolum eſt pœnæ genus in quo non debeat nocens niſi de ſe queri, & tanto minus debeat eſſe miſerabilis, quanto maior eſt quod patitur inuidia? Quid æquius excogitari, quid iuſtius poteſt? Graſſatus aliquis eſt ferro, præbeat & ipſe ceruices. Miſcuit noxium uirus, refundatur in ſuum facinus autorem. Oculos rapuit, effodit: reddat de ſua cæcitate ſolatium. In nullo mortalium perferre poſſum ſceleris ſui impatientiã. Breuiſſima eſt iuſtitia uindictæ, cum facinus menſura pœnæ eſt. Et ſi naturam ultionis inſpicias, optime uindicatur quiſq; quomodo miſer eſt. Fidem ueſtram iudices, ne ideo tantum putetis iuſtum quod exigit reus, quia ego recuſo. Non ferretis me pauperis mortem petentẽ, ſi liberos ſuos obtuliſſet. Ex omnibus tamẽ quicunq; incognita, inaudita paſſi ſunt, nullos hac lege magis uindicandos puto, quàm

quorũ liberos aliquis occidit. Quid mihi pro hoc redditis leges? ubi respiro? ubi claudo gemitus? unde sumo solatium? Bene, bene admones dolor, illos, illos liceat ĩuadere, qui nũc magis amãtur, quos orbitas nostra commendat. Sic quoq; circunscribimur, nisi totidem sunt, nisi illis par est ac simulis ætas, & ante omnia optimus pater. Deceperas me fortuna, deceperas, si mihi tam grande fecisset facinus homo, qui liberos non haberet. Quid quòd ex omnium scelerũ comparatione nihil est detestabilius hominibus, qui leges ipsas faciunt nocentes? Vestro mehercule nomine calumniantibus debetis irasci, quorũ nefas non potest nisi per iudicum facinus imponere. Actum est de rebus humanis, si de crimi nibus nostris tantundem mendacijs licet: nec ullus innocens hucusq; felix est, ut diligentiæ fingentiũ par sit. Quenquam ne mortalium in re quam finxerit, quam composuerit, inuenire aliquid quod potest probationem uocare, & facinus explicare facilitate uerborum? Magis oderis mendacium, cum simile uero est. Quoties manifestum est aliquem perisse sine causa, calumniantibus irasci debeas, ut possis illis ignoscere qui crediderunt. Adijcite huic execrationi, quòd calumniatus est in bello, quòd de proditione, quòd de duce, quòd hæc omnia fecit inimicus. Nõ est quòd se publico tueatur errore, nec in excusationem afferat, tanquàm crediderit & ipse fingentibus. Nemo sic decipitur ut de inimico suo mentiatur. Rumor, inquit, fuit te prodidisse. Bene admones. Hunc primum calumniæ tuæ obijcio rumorem. Quis enim iudices nesciat hanc famæ esse naturam, ut sit primo unius hominis audacia? De nulla re locutus est continuò populus, nec quicquam adeò subitò statimq; notum est, ut in illo pariter omnium sermo consentiat. Quam non possit mouere ciuitatem, quem non replere populum, si quod omnibus nobis narres, in nullo non cœtu loquaris, & de re quam tum maxime fingas, iam dicas esse rumorem? Quanta tibi deinde mentiendi materia de periculorum nostrorum occasione succurrit? Nihil est tam capax

pax malignitatũ sermonumq;, quàm bellũ. Quid interest unde sumpserit rumor ortum? Quod negari non potest, tu concionaris, accusas, tu crimen de fabula facis. In rumore, cuius probationes, cuius argumenta non habes, calumniæ genus est primum credere. Sed, inquit, mori debeo, quia lex qua te accusaui, hoc proditorem pati iubet. Poteram quidem breuiter respondere, legem que calumniatorem idem pati iubet, eius pœnam exigere quod fecisset, non quod facere uoluisset. Fingamus enim non hoc pauperem captasse quod accidit, cui debet imputari exitus, qui de calumniæ tuæ fluxit errore? Vultis scire iudices aliud quæsitum quàm quod lex quæ mori iubebat? Accusauit me eo tempore quo non poteram damnatus occidi. Dic nunc, non ego effeci ut occiderentur liberi tui, & aude ciuitatis illud uocare facinus. Non tamen ullis efficies artibus, ut non potius miserear reip. meæ, nõ minus & illa facinus est passa quàm pater. Coacta est liberos Imperatoris uincentis occidere. Fallitur iudices quisquis ullum facinus in rebus humanis publicum putat. Persuadentium uires sunt, quicquid ciuitas facit, & quodcunq; facit populus, secundum quod exasperatur, irascitur. Sic corpora nostra motum nisi de mente nõ sumunt, & otiosa sunt membra, donec illis animus utatur. Nihil est facilius quàm in quemlibet affectum mouere populum. Nulli cum coimus sua cogitatio, sua mens, aut ulla ratio præsto est: nec habet ulla turba prudentiam singulorum, siue quòd minus publicos capimus affectus, siue negligentior est qui se non putat solum debere rationem, & multi fiducia facimus omnium. Quam non possit Rempub. turbare, confundere, si quis repente proclamet, prodidit uos imperator uester, addixit, & nunc ille liberos habet? Si mehercule post hanc inimice uocem templa monstrasses, sacrilegum continuò flagrasset incendium, si conuelli simulacra uoluisses, fecisset cinerem de numinibus suis facinus audacia. Vis scire tuum esse quicquid ciuitas fecit? Gloriareris illo, si prodidissem. Nõ est iudices

quòd uos à grauitate iustitiæ dolor ultionis abducat, quòd mortem suam inimicus offert. Non petit illud, nisi quisquis ipse non debet occidi. Sepositâ igitur paulisper lege mei doloris, hoc tantum ab affectibus uestris omnium mortalium nomine peto, ne cui nocenti pœnæ præstetur arbitrium. Infinitam iudices sceleribus aperitis audaciam, si pœnam licet eligere condemnato, nec iam ullam mortalium innocentiam trepidatione contineas, si patitur deprehensus quisq; quod ipse maluit. Leuat omnes cruciatus, omnem dolorem, præparata mentem composuisse patientia. Fallitur quisquis humana tormenta sola nominum atrocitate metitur, nulla pœna est, nisi inuito. Non habemus ullum nisi ab impatientia dolorem, & ut aliquid crudele, sæuum sit, metus facit. Supplicium quisquã uocat ad quod prosilitur, quod exposcitur, quod circa se non habet moras? Illò per fidem, illò trahite damnatos, quò non sequantur. Tunc est pœna, cum periturus trepidat, hæret, cum restringit supremo uincula conatu. Volo perituri prius uidere pallorem, audire gemitus, uolo circunspiciat, uolo queratur. Fidem uestram iudices, ne nocẽtibus supplicij sui contingat electio. Minus iniquum est ut euadat nocens pœnam, quàm ut contemnat. Mortem uero damnatis quisquis præstat, indulget, nec sunt alia beneficia pœnarum. Fallitur quisquis illam uelut omnium suppliciorum summã putat. Occidi non est pœna, sed exitus. Neq; enim habet impatientiam aut dolorem, quod posßis aspicere quasi fatum. Quòd si liberos relinquas, imò si serues, quàm felix exitus est plenusq; lætitiæ? Lucrifacit mortis atrocitatẽ, quisquis laudatus occiditur. Me, inquit, occidite. Non habet liberos inimice, non habet, quisquis hoc te uelle miratur. Sæue, crudelis, ego tibi permittam mori? Vt quid iam mihi melius optem? Vides quantum feceris nefas? Idem pro liberis meis offerre non potui. Tu uero paruulos tuos tene, ut in isto potius moriantur amplexu. Tu nunc quoq; non euades, non effugies. Quacunq; te duxerit orbitas, sequar, effundam

si quod

si quod paraueris uenenum, subtraham omne ferrum, incidam quoscunq; strinxeris nexus, ab omni reuocabo præcipitio. Etiã occisis liberis tuis, non idem patieris inimice, nisi uixeris. Nec uereor iudices, ne putetis utriusq; nostrum orbitatem simili esse ratione tractandã. Admouebuntur ecce contra lachrymas meas liberi, quos nemo nouit. Patris innocentis occisi sunt paruuli, quos nunc circa templa ferretis, circa quos se celebraret uestra lætitia. Facinus est iudices minorem esse transactarum mortium miserationem. Non inuenio quemadmodum liberis prodesse debeat odium patris. Perierunt etiam illi quorum nec pater debebat occidi. Me miserum, quòd sic quoq; multa habiturus es, quibus ego qui uindicabor, inuideam. Obsculaberis antè perituros, alloqueris, accipies suprema mandata, & moriturum te continuò promittes. Exonerabis gemitus tuos, cum eorum sepulchra numerabis. Siccabit oculos quòd meam nunc quoq; respicies uacuam domum. Me miserum, pauperis tantum solatium futurum est, quòd pares sumus. Quid quòd in ipsa comparatione mortis non idem patientur liberi tui? occidentur uno fortasßis ictu, & erit ultio manibus contenta carnificis. Paruulos meos occidit quicquid fuit tota ciuitate telorum, omnis sexus, omnis ætas, omnis infirmitas. Nihil est crudelius morte hominum, quos populus occidit, & solus hic exitus est, à quo non est nec cadaueribus salua reuerentia. Hoc me nunc complorare tantum putatis, quòd non sum liberis meis antè satiatus? Miser ego nec ad cadauera accessi, non in sepulchra maiorũ meis manibus intuli, nec licuit super ipsa corpora proclamare, nõ feci. Qualẽ ego illum patria perdidi diem, cũ duces ab explicito bello reuertuntur. Non me lætæ cinxere legiones, non effusi obuiam ciues triumphali circa currus meos exultauere lætitia, sequebar captiuos meos tristior uictor, mœstus undiq; claudebat exercitus, occurrentium lachrymæ propinquorum & erubescentis circa me populi timida solatia. O' successuum quoque nostrorum

miſera conditio. Ergo ego uictoriam meam non narrabo ſine fletu, nemo amicorum propinquorumq; coram me de bello meo loquetur. Nihil eſt crudelius calamitate, quam gaudia reducunt. Quoties redierit ille lætus uobis in ſupplicia mea dies, lugubres mihi ferte ueſtes, renouate ſeruuli planctus, parate ſolatia propinqui. Nulli liberi impatientius deſiderãtur, quàm qui propter patrem uidentur occiſi. Sed uerum iudices fatendum eſt, timeo mehercule ne par ſolatijs meis non ſim, ne me iſte quo pro liberis iraſcor affectus, in media ultione deſtituat. Sed adiuuate, miſeremini propinqui, adiuuate amici, & ſi forte defecero, tu ultionem meam populе conſumma. Timeo mehercule ne cum carnifex propius acceſſerit, ſubitò proclamem, iam malo patrẽ. Sed ſi quis eſt pudor, oculi differte lachrymas, abite gemitus, horridũ, trucem debeo præparare & miſerum. Deprehẽde igitur omniũ mortalium callidiſſime hunc, quem ſimulas, quem nunc imitaris affectum, tunc ſciemus quo animo rogaueris, ut potius ipſe morereris. Sed ſi bene noui capax omnium malorum ſcelerumq; pectus, inimice uiues & libenter, & fortiter, & quaſi uindicatus.

PASTI CADAVERIS. ARG.

Cum ciuitas fame laboraret, miſit ad frumenta Legatum, præſtituta die intra quam rediret. Profectus ille emit, & ad aliam ciuitatem tempeſtate delatus duplo uendidit, & duplum frumenti modum comparauit. Illo ceſſante, corporibus ſuorum paſti ſunt. Reuerſus ad præſtitutam diem Reipublicæ læſæ accuſatur.

Pro ciuibus contra legatum. 12

QVAMVIS iudices innumerabiles me indignãdi cauſæ initio ſtatim actionis ſtrãgulent, quia nec dicere uniuerſas ſemel poſſum, nec gregatim erũpentes differre gemitus (leuior eſt enim dolor qui diſponitur) primũ tamen ille ſibi aſſerit locũ, qui eſt ex hoc iudicij tempore, & tam lentæ uindictæ dilatione ortus animi mei prõpè dixerim furor, quòd hominem tam ſceleratũ, ut nos quoq; fecerit

fecerit nocẽtes, legibus accerſimus, quòd defendi patimur, quòd ut puniatur precamur, quòd damnatus quoq; uel morte defungetur, quam nos in illa funeſtiſſima fame, dum ſepeliri licuit, optauimus: uel exilio, quod hic quantopere cõtemnat, apparet, qui tã lẽte in patriã reuertitur. Quanquã de quo exilio loquar? Quãtalibet ignominia dimittite domo notatum, habet quò eat. Non publicis manibus exeuntem diſcerpſimus? non (quoniã ſemel conſueueramus, & bona fide ferarum eſſe ciuitas cœperat) hic primus, nobis ex tam tardo cõmeatu placuit cibus? Sic enim iſtum laniari, ſic confici, ſic conſumi oportuit iure noſtro. Quis credat? ego me ab hoc abſtinere potui, cum & eſurirẽ & iraſcerer? Sed frumento occupati ſumus, nec quicquàm aliud uidemus. O quanta es fames, quæ tam grandem iram uicisti? At ego etiã ſi talis ultio contigiſſet, ſi me à nefario graſſatore reipublicæ nõ lingua, ſed dentibus uindicaſſem, nihil tamen iræ, nihil uindictæ præſtiteram, hoc & meis feci. Aeſtuant adhuc intra pectus ſepulta uentribus noſtris cognata uiſcera, & tumeſcere intus atq; indignari uidentur, & ſera pœnitentia redundant. Iam enim uacat nobis lugere, iã cibos noſtros efferimus, uiſcera cremamus, nam cætera nobiſcum ſepelientur. O fames inaudita, in qua leuius eſt quòd eſurimus. Ignoſcite tamen uiolati manes meorum, hic uos alloquor, ignoſcite quòd ora temerauimus, quòd ab homine deſciuimus. Non ut infelicem animam ſuſtineremus, nõ ut inuiſum ſpiritum produceremus, fecimus: una cauſa mortem diſtulimus, quòd ſi expiraſſemus, idem timebamus. Et ego quidem me conſumptis excuſo, qui mihi ipſe iraſci non poſſum, at ipſe interim ſtat, ut uidetis, longa uia ſaginatus, & ſatur, atq; abundans publico commeatu, ad mentionem ciborum noſtrorum plenum faſtidio uultum trahit, & exangues ac pallidos ad calculum uocat, quaſi ego non confitear illum etiam nimium multum attuliſſe. Tam pauci, rari per uias interlucent, & quamuis odio euerſoris noſtri euocatus è latebris ſuis populus, ſubſellia nõ implet.

plet. Pauci sceleribus pasti, alienis mortibus salui, quòd uiuunt? ipsi sibi rei, graues, ægra & tabida membra in publicũ protulerunt. Hæ sunt ciuitatis reliquiæ quas uidetis. Sic tabuimus, ut miseri nec uiuos habeamus nec mortuos. Hic est populus, hæ uires, hæ spes, hæ opes. Nisi tandem ad uadimonium Legate uenisses, non multorum dierum cõmeatum habebamus. Quò nunc tantum frumenti? quò classem commeatu grauem? Multum hercule negociatione tua actum est. Frumentũ habeo, populum nõ habeo, nusquam opus est, iam licet uendas. Dum tu salutis publicæ nundinator proximum quenq; emptorem dimittis, dum aut funera nostra uendis, aut scelera: dum populo tuo fame morienti alienæ ciuitati Legatus es factus, nos interim cibos ex malis inuenimus, & fames se ipsa pauit, & miseriæ nostræ crudeles factæ sunt. Patiamur te defendi, si absolui saltem non possumus. Hæc nunc Iudices ego solus queror? ad me magis pertinent? aliquid proprie passus sum? non cõmunem dolorem accusator habeo cum iudicibus? Quisquam in hac uindicta alteri cedit? non publica inopia, non totius populi mẽdicitas una fuit? Nisi quia funestas epulas, & nefarios inuenimus cibos, non putamus famem fuisse. In omnes gentes, in omnia uentura secula proscripti sumus, omnes hæc prodigia narrabunt, omnes execrabuntur, nisi qui non credent. Famem ipsam infamauimus, & (quod miseris ultimum est) miserationem quoque perdidimus. Adhuc tamẽ una defensio fuit, quòd uidebamur in hæc omnia istius opera impulsi. Si hic innocens est, nostra culpa est. Etiam'ne publica mala narrabo, & miserijs nostris conuicium faciam? Exibũt uerba? subsequetur sermo? non alligabitur lingua? Planè nihil non possumus. Exploramus ordinem cladis nostræ, & simpliciter omnia indicantur. Decet ista nostro ore narrari. Sed nouimus, & nimium meminimus, iudex doceri non debet, opinor, reo indicanda sunt, qui à malis publicis abfuit, qui hoc certe maximum debet patriæ suæ beneficium, quòd à fame solus dimissus est.

sus est. Audi itaque, audi, frumẽtum istud quod lucrifecisti, quãti nobis constet. Aliquis fortasse iudices miratur, etiam si huius feralis anni fructus cessauit, quòd tamen illa superior longi temporis beata fœcunditas tabuerit, & secum iste dubitat, quid sit in causa cur ciuitas opulenta quondam, nihil frumẽti nisi in spe habuerit: Sic fit, ubi uicinis ciuitatibus uendimus, & undecunq; offulsit lucrum, sine respectu salus publica addicitur, in uacuam possessionẽ fames uenit. Etiam si quid residui erat, ut carius quidam uenderent, ad annonæ incẽdium suppressum est. Testor tamen conscientiam uestram, non sumus questi quãdiu duplo emebamus. Non enim uulgaris illa labes frumẽti fuit, qualis nec a- sterilitas lijs ab agricolis accusari solet perfidia terrarũ, & ingratæ messis irritus labor. Noua & inaudita, abominanda lues, quæ nihil homini reliquit præter hominẽ. Aut astricta citra conatum sata sub ipsis tabuere sulcis, aut leui rore euocata radix in puluerem incurrit, aut perustis torrido sole herbis moribunda seges palluit. Nullus imber sitientis soli puluerem tersit, nulla supra arẽtes campos saltem umbra nubiũ pepẽdit. Calidi spirauere uenti, maturitatẽ præcepit æstus, etiã sicubi forte uiuæ herbæ solum uicerãt, uanis tantum aristis spem fefellerunt, & inanes culmos tristis agricola iactauit uẽtis nihil relicturis. Leuia queror, prata exaruerunt, perierunt frondes, germina non exierũt, nuda terra, & rudes glebæ, & aridi fontes erant. Nisi hæc omnia interscientes dicerẽ, poterã uideri falso questus de hoc anno, quo tantum frumenti uendidimus. Vtinam saltem nobis rudem uictũ syluæ ministrassent, & carpere arbusta, concutere quercum, legere fraga licuisset, & quæcunque primi mortales ante traditos diuinitus mitiores cibos contra famem obiecerunt, pestifer annus reliquisset. Non eram delicatus. Sed ô tristis recordatio, funesta necessitas, nihil habuimus quo uiueremus, præter famem. Nec tamen in totum queri de numinibus possumus, maria certe secunda experti. Si uoluisset seruare Legatus diem, quem illi felicitas temporis dederat, potuit

nobis frumentum bis afferre. Vt primum tanti mali sensus in ciuitatem percrebruit, cum iam urgente inopia quotidie malũ arctius premeret, & præsente fortuna peior tamẽ esset futuri metus, apparuit nullum ex propinquo esse præsidium, cũ finitimas quoque ciuitates incendium nostrum adusisset. Erat quidẽ aliquid in uicino adhuc frumenti, sed iam nemo uendebat. Ergo ut uidimus salutem publicam trans mare petendam, se in curiam quisq; cogunt. Vt arma bello, ut aqua incendio inclamari publice solent: ita uno quodam consensu non ætatibus expectatis, non honoribus, pariter retulimus, probauimus, decreuimus, pedibus, manibus iuimus in sententiam necessitatis, nec ordo nos officiorum moratus est. Legationem multi pollicebantur, nec innocentiæ iste beneficio uel autoritatis meritorũq; respectu electus est, una causa nos mouit, quòd se citò rediturum pollicebatur. Pecuniam sine numero infudimus, frumentum sine modo mandauimus, quantum potuisset afferret, festinaret modò. Hoc una uoce supplices acclamabamus, ac ne moraremur, ne hoc quidem diu rogauimus, una tantum uox fuit, quam iste pro quodam præiudicio amplexus est. Nihil agis afferendo frumentũ, si post illum diem ueneris. Nostris manibus Legatum in nauem tulimus, ac ne quid moræ esset, pro sua quisq; portione etiam commeatum dedimus, retinacula incidimus, & littus ingressi classem publicis manibus impulimus. Inde fugientia uela longo uisu prosecuti, facilem emptionem, secundos uẽtos, placidum mare, non secus ac si ipsi nauigaremus, precati sumus. Quis credat hoc de tam miseris? Omnia à dijs impetrauimus, scilicet unum supereſt, ut pro aliena ciuitate uota soluenda sint. Citò emit, citò peruenit, citò redijt quò uoluit. Quid prodest expectare? Alia ciuitas prior est, & sanè religiosus Legatus diem expectat. Nos interim coacta primo ex agris pecora diripuimus, & ne uenturo saltem anno prospici posset, non reliquimus qui ararent boues. Iam seruis fugas imperauimus, iam procumbentes ante limina

mina principum pauperes in ipsis precibus expirant. Ploranti-
bus liberis Legatum promittimus. Iam tantum sibi quisq; cura
est. Nihil tamen horum etiam nunc in inuidiam Legati queror,
adhuc prior cursus est. Hactenus nostra mala tulimus, in reliqua
Legatus nos uicarios dedit. Si quicquam tibi humani sanguinis supereſt (nisi nimia saturitate alienæ fortunæ cogitatio excidit) respice patriæ casum, respice necessitatem grauissimam. Mi seri te misimus, expectãt pallidi, exangues q; ciues tui, & quicquid extremi spiritus adhuc supereſt, spe tui trahitur. Figura tibi exesos uultus, decrescentem populum, iam præmortuas uires, nec quicquam horũ potes ignorare, si quid tibi credimus, fame laborantem ciuitatem uidisti. Festina dum supersunt quibus legationem renuncies. Festina dum mori ultimum est, frumento digni sumus. Quid in nos conuertis etiam alienæ ciuitatis famem? Quatenus nobis computandum est, propter te duplum mali tulimus, tu super frumentum publicum stertis, & omnes maris circumuectus oras, littora portus q; cognoscis. Tu inter duas ciuitates fatorum arbiter, alienæ conditor, tuæ euersor, salutem nostram peregrinis admetiris, & secunda tempestate in patriam ferentes habens, cõtrarios uentos exoptas. Nos per arentes effusi campos morientium herbarum radices uellimus, eo quidem fortius, ut si fieri posit, in uenenum incidamus, subeuntes insolitis cibis. Et sicubi forte uberius paulo pabulum contigit, de pascuis rixa est. Amaros fruticum cortices, & ramorũ male arentium pallidas frondes decerpimus, morbida quicquid fames coëgit, corpus admisit. Iam passim moriuntur: pestilentium q; more pecudum subinde aliquis ex populo in ipsis pascuis procumbit. Crebrior quotidie interitus, & latior strages, & me miserum, iam fames desinit. Quos tester deos? Superos ne quos per tantum nefas fugauimus? An inferos, quos nobis permiscuimus? An nostram malam conscientiam, omnia nos antè fecisse, quæ nemo præter nos fecit? Pecora cecidimus, campos euulsimus, syluas

destruxi

deſtruximus, nouiſſime nihil relictum eſt præter eſurientes, & mortuos. Si qua eſt fides, libenter hanc partẽ accuſationis ſubinde differo, adeo ubi tantum nefas narrandum eſt, etiam exigua temporum lucra ſectari libet, & neceſſe eſt reo indicare, qui à malis publicis abfuit, quàm multis non ad diem uenerit. Ignoſcite dij homines q; ſceleri quidem ultimo, ſed tamen quod feciſſe miſerrimum eſt. Non habitant unà pudor, & fames, & cum ſemel intrarit impotẽs domina, feras etiã & ingentes beluas ſubigit. Terram morientes momorderunt. Memetipſum, ſi nihil fuiſſet aliud, comediſſem. Sed confitendum eſt, legati beneficio non defuit. Poſtquã omnem patientiam uicerat ignea fames, poſtquam ſpes quoq;, quæ miſeris ultima eſt, omnis abierat, & frumentũ toties ſibi fruſtra promiſſum animus iam ne cupere quidem audebat, ſubijt furor, & alienatio mentis, & tota ſui arbitrij fames facta eſt. Animus malis diriguerat, os inſolitis cibis ſtupebat, feris inuidere cœpimus. Primo tamen furtim, & intra ſuas quiſq; latebras admiſit hoc mõſtrum, & ſi paulò citius ueniſſes, potuiſſet hoc negari. Si quis ex ſtrage corporũ defuerat, ſepultum putabamus: nec tamen indicauit quiſquàm, nec deprehendit aliquis. Nemo ut hoc faceret exemplo impulſus eſt, ſe quiſq; docuit, omnes ſcire cœpimus, poſtquam omnes fecimus. Quoties tamen antequàm inciperẽ, in portum cucurri, quandiu in altum intentus, ſi quæ eſſent in cõſpectu naues, oculos fatigaui? Tibi Legate tempus differre facile eſt, qui tuam tantum partem non uendidiſti. Tu quem habeas diem uideris, ego ſeptimũ expectare nõ poſſum. Ergo rabidi ſuper cadauera incubuimus, & clauſis oculis, quaſi uiſus conſcientia acerbior eſſet, tota corpora morſibus conſumpſimus. Subit interim horror ex facto, & tædium ac deteſtatio ſui, & planctus. Sed cum ab infauſtis fugimus cibis, urit iterum fames, & quod modo ex ore proiecimus colligendum eſt. Nunc mihi illa fœda uidentur, nunc abominanda, lacerí artus, & nudata oſſa, & abrepta cute intus cauum pectus. Nũc

ctus. Nunc occurrũt effuſa præcordia, & liuidæ carnes, & expreſſum dentibus tabum, & exhauſtæ oſſibus medullæ. Quantulum enim corporis fames relinquebat? Nunc illud horreo tempus, ſiquando aut manus incidit, aut facies, aut aliquid denique quod hominem propria nota ſignat. Nunc cibi ſuccurrunt quos imponere in menſam non auſus ſum. Confitendum eſt enim, deuorauimus homines, & quidem auide, qui diu nihil ederamus, & tamen cœpiſſe difficilimũ fuit. Poſtquam ius factũ eſt, poſtquam nemo erat in ciuitate quem confiteri puderet, tum uero iam in poſterum proſpicimus, & funera horreis condimus. Retrò aguntur exequiæ, aut citrà, aut ad rogos pugna eſt. Hæres cadauer cernit. Nouum & incredibile, niſi noſſemus, monſtrum Cerno. habuimus, ſine rogis peſtilentiam. Mortui ratio non conſtitit. Periſſe ciues ſcio tantũ, quia inter uiuẽtes non uideo. Aegri aſſidentes timebant, & labentẽ animã ſupremis domeſticorũ oculis reducebant. Primo tamen nihil rogabant ſuos niſi totam ſepulturam. Vt maior urgere neceſſitas cœpit, beneficium factum eſt expectare dũ moritur. Nemo adeo affinis fuit, nemo tam cõiunctus, quo pietas abſtineret, noſtros comedimus, noſtros. Nam ſi alienos uellemus, nemo audebat, nemo cedebat. Nihil eſt tamen quòd indignari uelitis, narraui uobis lucrũ ueſtrũ. Frumẽtũ duplo uẽdidimus, et callidiſſimus Legatus uicinæ ciuitati impoſuit. Plena nunc horrea, bonæ rationes, onuſtæ naues ſunt, & quo magis gaudeamus tanto bono, pauci ſumus. Nam quod ad temporis excuſationem pertinet, nihil eſt opinor quòd æſtuet, in deſertum non incidit populum, nec ſanè fuit cur feſtinaret, etiã nunc expectare poteramus. Sola eſt noſtra ciuitas quæ fame perire non poſſit. Diſſimulaturum me putatis iſtius patrocinia? Confiteor, uenit ad ultimum diem, attulit frumentum, gratulemur quòd iã nulla ciuitas fame laborat. O ſi uires ſufficerẽt, latera durarẽt, aliquid ex aridis diu faucibus reſiduæ uocis exiret, quanta indignatione opus erat, ubi pro omnibus dolendum eſt.

Quod

Quod cum ita ſit, uniuerſi qui aſſumus proclamemus, hæc nota concio in unam uocem conſentiat, non eſſet tamẽ futura par crimini inuidia: ut omnes accuſemus, quota pars queritur? Secum quiſq; reputet quæ tulerit, quid admiſerit. Planè immanis belua eſt, & non tantum neceſsitatis cauſa per nefas paſtus, qui quod comederit hominẽ non iraſcitur. Succurrite dolor & ſeri uomitus, & ultrix pœnitentia. Ades longi ieiunij imperioſa neceſsitas, & uos intus implicitæ, ſi quid poteſtis, admonete animæ, et à ferali uentre prorumpite, dum commiſſum nefas deuoto capite expiamus, & quaſi luſtrata urbe feralem uictimã uiolatis manibus mittimus. Decent nos tales hoſtiæ, in iudicium perduxi publicum ſcelus, & infamatæ ciuitati quæro uelamentũ. Nemo nõ commiſit aliquid, habetis tamẽ ſi uultis unum, & pro omnibus nocentem. Reip. læſæ accuſo. Mirari uos certũ habeo hanc uerbi ſegnitiẽ, cum ciuitas tota conſumpta ſit, cum populus in ſe tabuerit, quo perſtricta tantummodo patria, & leuiter (quod aiunt) manu offenſa intelligi poſsit. Sed ferenda eſt, ut in cæteris, hæc quoq; rerum naturæ iniuria, quòd non tam immanibus factis paria uerba accõmodauit, & fames noſtra, fames dicitur: & cibi noſtri, cibi uocantur, & Reſp. nunc læſa. Nec ſcilicet niſi peracto legitimo ordine reus punietur. Omnia rogo ſcrupuloſe agantur. Videte ut iure iraſcamur, qui contra ius uiximus. Imò etiam ſi libet defenſionem audiamus, & iam nunc nos moretur. Neget læſam Rẽp. quia pluſquã læſa eſt. Nõ enim diſcuſſos alicuius operis angulos, nec reciſas lucorũ frondes, nec publicarũ ædium diſperſos parietes obijcimus. Ac ſi uidebitur, adijciet fortaſsis nõ eſſe Remp. quæ perierit. Id enim ſupereſt, ut iã hoc nomẽ extinctum audiamus. Procedet eouſq; fortaſſe, ut eſuriſſe nos neget. Non inficior autẽ parũ proprie hoc legis uerbo nefas iſtius ſignari non poſſe. Maiores enim ne lædi quidem Remp. impune uoluerunt, ideoq; exiſtimo etiam hoc eſſe comprehenſum. Nemo autem uerebatur, ne abſolui poſſet crimen lege

lege maius. Quid quòd actionem Reip. læſæ tentat in legẽ mãle geſtæ legationis deflectere? Eligit reus crimen, hoc eſt noxius crucem optat. Non ſuſtineo iudices in tanto animi motu argumenta conquirere, nec impetus iræ meæ in digitos deſcẽdit, hoc tamen ſcio, non cadit in formulam publicus dolor. Nec ſi adeò iudicibus quid paſsi ſunt exciderit, ut has ferant cauillationes nõ diluentes crimen, ſed differentes, populus quoq; impunitum nefas ſine lapidibus præteribit, non præſcribes. Te accuſare male geſtæ legationis poſſum. Age porrò, ſi occiſos obiecero hominẽs, non tu es cauſa mortiũ? Si uiolata ſepulchra, non propter te rogos fraudauimus? Sed legatus fuiſti, quod tamẽ ipſum quid eſt aliud quàm Remp. tractare? Rem autem qui male agit, ut arbitror, lædit. An exiſtimas hanc legatis dari peccẽdi licentiam, ut quæcunq; ſcelera in eo officio commiſerunt, cum his omnibus hac una lege decidant? O' nimium inuidendam huius legationis conditionem, ſi tibi & famem remiſit, & legem. Sed errauerim ſanè, & quia nullum in fòro noſtro iudicium fuit, deſuetudine ipſa iura exciderint, quomodo legem meam effugis? Nam niſi maliſtupeo, duo ſunt omnino quæ in eiuſmodi crimine quæri ſoleant, An læſa ſit reſpublica, an ab eo qui arguitur læſa. In quibus ſi quid tibi fiduciæ fuiſſet, non à criminibus crimina appellares, nec ad alteram pœnam trãsfugeres, ſed te ab hac quæ intenditur, tuereris. Dico læſam eſſe Rempub. Oratione hic opus eſt, aut reliquorum more accuſatorum hoc nunc mihi quærendum, quomodo res uerbis aggrauetur. Adeo infirmata eſt calamitatum memoria, quæ ſi poſſet excidere, non tamen narranda ſolum nobis, ſed oſtendenda erat ruina publica. Agedum, ſi uidetur, extra portas proſpicite ſqualida arua, & ſpinis obſitas ſegetes, & ſemeſos arborum truncos. Viduis cultore agris, errant à fame noſtra innocentes feræ, inanes uillæ ſunt, & deſerta horrea in ruinam procumbunt. Nullus inuerſis aratro glebis campus uiret, nullum ſolum opere renouatur. Iam & ſequen-

tem annum famem timeo. Redite in domos uestras, uidebitis noxios focos, & ignes tabo cadauerum extinctos, & tecta mortibus grauia. Cum maxime inferimus in tumulos ossa insepulta, ducimus opertas exequias, & ad sepulturã residua conferũtur, tandem cadauera igni permittimus. Vbi uero uniuersas familias fames extinxit (quæ pars maxima est) inanes domus situm ducunt, iacent relictæ sine hærede sarcinæ. Inuenitur tamẽ interim clusa domo conditus dominus, si cuius mors famẽ euasit, quẽ rimãtes nõ inuenere proximi, qui inter suos ultimus decesit. Quò uos mitto? Ipsam intuemini concionem, unius deficientis speciẽ tota ciuitas habet, cauum macie caput, & conditos penitus oculos, & laxam cutem, nudos labris trementibus dentes, rigentem uultum, & destitutas genas, & inanes faucium sinus. Prona est ceruix, tergum osibus inæquale, infernis imaginibus simile, fœda etiã cadauera. At si quis talis nõ est, confiteatur se usq; ad saturitatem comedisse. Sua, quisq; consulat misera præcordia, suum uentrem conscientia grauem. Dic nunc Legate, innocens sum, quòd ad illum diem ueni. At ego propter te nocens sum, quòd ad illum diem uixi. Quæ comparata nobis mala nõ delicatas lachrymas habẽt? aliquem populum hostilis exercitus intra portas cogit, solet uenire ultima obsesis inopia, sed euerti certe licet. Victor captiuum aut occidet, aut pascet. Tormẽta quidã piratarũ tulerunt, felices quibus cõtigit innocentia. Mors certe finis est, nec sæuitia ultra fata procedit. Aut etiam si quis adeò hominẽ exuit, ut ibi pœnã quærat, ubi sensus doloris nõ inueniat, nẽpe tamẽ cadauera feris obijciet. Circundati sunt quidã flãmis, ipsa tamẽ pœna habuit sepulturã. Nos incendij cinerem perdidimus, nostra etiã ruina tabuit, nostra mala non latent, nõ ignis defunctos cremauit, non feræ lacerauerunt, non aues attigerũt, & tamẽ cadauera mortibus annumerare possumus. Citra spem cõualescendi afflicti sumus, imò etiam citra uotum. Grauior indies facti pœnitentia est, pudet uitæ, lucem ac sidera intueri non audeo,

audeo, quotidie felices mortuos clamo, & malæ conscientiæ facibus agitatus, nihil fortunatius in æterna sede utcunq; compositis puto (adeò mors placet) iam etiã cibis nostris inuideo. Præterita differo, ipsa ex nimia cupiditate nocet abundantia, desideratos diu cibos auide haurimus, & lassam famem saturitate strãgulamus. Morimur adhuc etiam frumento tuo. Atqui cæteræ Reipub. partes, quæ sunt ad usum populi cõparatæ, & leuiore cum dãni sensu pereunt, & facile remedium accipiunt, cum reparari possit amissum. Opera restituã, ærarium replebo, naues, arma reficiam: hic uulnus altissime penetrat, hic ipsa uitalia se rumpunt, ubi populus ruit, ubi continuis funeribus omnis sexus atq; ætas semel sternitur. Exhausta est ciuitas, & desolatæ domus, triste florentis quondam fortunæ indiciũ, laxi muri. Quàm multi in ciuitate nostra perierint quæritis? Minima quidẽ portio supersit, sed etiã ex hoc intelligi potest, esurienti populo satis fuerũt. Plurimum tamẽ interest quomodo perierint. Felix pestilentia, felix prælioru strages, deniq; omnis mors facilis, fames aspera, uitalia haurit, præcordia carpit, animi tormentum, corporis tabes, magistra peccandi, durissima necessitatum, deformissima malorum. Hæc ad humile opus nobiles manus mittit, hæc alienis pedibus mendicãtes prosternit, hæc sæpe sociorum fidem fregit, hæc uenena populis publice dedit, hæc in parricidiũ pios egit. Adhuc tamen unum uidebatur remediũ non expectare mortis diem, & tabescentem quotidie spiritum superueniẽtibus malis subducere: nam in fame nemo quidem mortis immunis est. At non tua culpa fames cœpit. Sed uulneratum iugulasti, tituantem strauisti, fumantem incendisti. Ne quid inique faciam, diuisa sunt mala. Primam famem fortunæ imputo, ultimam tibi. Moram tuam itineribus separo. Deniq; ex eo inopiam tibi obijcio, ex quo propter te tuli. Itaq; caritas annonæ, rarum frumentum, cædes ac direptio pecorum, fuerint fortunæ, fuerint anni, fuerint temporum. Aliam conditionem habent ciuiũ mortes,

& cadauerũ dira laceratio, & peiores inopia cibi. Hæc fames iam tua est. Puta me in præsenti nihil adijcere nisi hoc unũ, tardius quàm potueras uenisti, nondum tibi obijcio duplicata tempora, nec remensum toties mare, nec graues ancoras: nondum tantam moram, quanta legationi satis esset. Si innocentes essemus, populum septem diebus perdidisses. Angustos humani spiritus terminos fames fecit, morimur, deficimus, festina misericors, omnes excipe auras, etiam si tota secundis flatibus tetenderint uela uenti, tamen remis adiuua, salutem publicam uobis, spiritum populi tui reportas, omnium nostrum in ista classe nauigant animæ. Iuramus per tuum reditum, effusi per gradus templorum uota suscipimus, tendimus manus, nam quas feriamus hostias non habemus. Quid spem publicam ad ancoras alligas? non stat interim dies, & plenis uelis mors uenit. Festina, merita tua non conditores æquauerint, non ipsi dij plus præstiterint. Tibi nos, tibi liberos nostros, tibi quicquid homini iucundum est, tibi debemus quicquid uicinæ ciuitati præstitisti. Non dico illa quæ poteram, puta cærulus imber in naues ruit, classis inter fluctus latet, nec inter canentes collisarum aquarum spumas uela dinoscimus, egerit ex fundo arenas mare, micant ignes, intonat cœlum, scissis rudentibus tempestas sibilat, denique sidus hybernum cõditur, tu tamen perseuera, frumentum uobis, nihil horum necesse est feliciter nauiganti, festina. Quererer si naues commeatu tardasses, dum uelocitatis ratio haberetur, mallem accipere dimidium. Non delicati sumus, non luxuriæ quæritur abundantia, sed unde spiritum sustineamus, unde mortem differamus in præsentia quantulumcunque. Si plus opus fuerit, redibis. Siccæ fauces sunt, æger anhelitus ostendit. Iam frustra in sinu parentum liberi plorant, & nondum editi conceptus intra uterum famem sentiũt. Iam nemo diues est. Auras captamus, & rore uescimur, & iam sperare tormentum est, quotidie uires deficiunt. Iam nõ imus in littus, sed redimus, in editis scopulis populus sedet, dum naues

naues expectat, in pascua non redit. Aquas ingredimur, & unus aspectantium rictus est, & cum defecerunt omnia, expirãt. Te, te expectantes intentis oculis morimur, in mare mortui cadunt. Quoties sole percussa nubes refulsit, nauẽ putamus, quoties fractus uento fluctus incanuit, uela interpretamur. O mobiles miserorum spes, ad unaquæq; solatia, ab unoquoque quomodo nutant? Hæc certe nauis est, ecce uela panduntur, propius appellitur, & accedendo crescit, nostra est, suos in utranque partem uentos habuit, nostris uotis gubernati flatus sunt. Hæc dicimus, at illa interim transuolat. Fletus inde & desperatio, & lucis odium. Nihil enim grauius quàm destitutæ spes torquent. Ne interrogare quidem licuit, aut quærere, nemo applicabat. Ergo incerti omnium rerum pependimus, nihil quisquã cognouit. Saltem si scire licuisset ubi frumentũ uendidisset, ipsi petissemus. Iam quomodo ad singula momẽta temporũ mutabãtur animi, bene est, serenus sol occidit, purus se dies tollit, ad nos uenti ferunt, iam ueniet. Pendet interim fames, & illud quod iam diu cogitat, differt, ita tamen ut subinde cõputet, quot dies ad mortem supersint, nam quid profecit? Meministis, cũ contrarij uenti flare cœpissent, & in altum fluctus à terra uolarent, quanta cõploratio, quanti planctus fuerint, retinebitur, stabit, laborabit. At, si dijs placet, legatus noster tum maxime bene nauigabat. Nos in hac fortuna, in tam graui casu, in eiusmodi cogitationibus sumus: Tu sinus maris circuis, & per omneis curuatorum littorũ ambitus terrã legis. Sic fit ut te iuuet diu nauigare. Nullus amœnus prætermittitur portus, nulla celebris ciuitas inuisita transitur. Mentior, etiam ad esuriẽtes applicas. Dein si quam timoris iniuriam quereris, non ferã te morantem. Quomodo satis accusabo uendẽtem? Spiritus nostros trãscribis, salutẽ nostrã exponis. Quæ diu inæstimabilis fuit, innocentiã publicam uendis. Frumentũ non naufragio perdidimus, non latrocinio, lucro perimus. Tempestas quoque aliquam nauem in medium littus

impingeret,& ex classe numerosa omnes fluctus exhausisset. Perijt frumentum,quia classis uenit in portum. Ita nos alienæ ciuitati Legatum misimus,& uilia ac deuota capita uicinorum delitijs morimur. Nobis nihil iã residui spiritus supereſt,nos in conspectu mortis stamus,nos Legatũ frumentumq; nostrũ ore aperto expectamus,classis nostra uecturam facit,& uicinarum ciuitatum copias introducit. Penè à conspectu nostro uela conuersa sunt,quantulo minus quàm congesti frumenti puluerẽ uidimus, tantum iam temporis transiuit ex quo pecuniã contulimus, Legatum creauimus. Iam dinumeratis tẽporibus quæ secundi uenti breuiora fecerunt,quotidie spero,& sanè propè est. At Legatus meus ad emendum modo proficiscitur. Tibi ergo tot ciuium mortes imputo,tibi stragem populi,tibi liberorum parentumq; miserrimas pœnas,tibi quicquid passi sumus,tibi, quod grauius est,quicquid fecimus. Et scilicet speras,ut tantam sceleris inuidiã ab animis nostris duplæ pecuniæ strepitus auertat? Nescis quàm multa uendideris. Duplo uendidi. Ita ne infelicitas mea negotianti tibi lenocinata est? Quòd fame perire ciues meos patior,quòd ut uestram ciuitatem seruem,meam euerto : quòd à tam uicinis littoribus classem torqueo , quòd ad diem redire non possum, quòd precium constituitis,quòd occulto datis duplum, patrocinio meo quãtulum lucror? At nos inepti ac uesani de fame quærebamur,grauis nobis inopia,intolerabilis,& misera:accersita mors uidebatur. Nunc agimus gratias industriæ Legati? Respu. nostra locupletior perit. Sacrosanctus mercator opportunum, opinor,inuenit mercis exactum. Miror hercule,si tam bene negocium gesseras,quomodo nobis pecuniam nõ retuleris. Duplo uendidi. Decepisti uicinam ciuitatem,circumscripsisti,itaq; queritur. Duplo uendidi . Hoc enim unum supererat , ut deuectum tantidem uenderes. Habita est itineris ratio,habita usurarũ. Ego uero malo quod tam magno uendidisti . Apparet enim te nihil coactum. Sed si semel ponis hastam salutis, si redemptores uitæ admittis,

admittis,& nos admone,melius uendes . Nos quicquid in domibus habemus , quicquid in templis , quicquid ciuitas suum uocat,congerere parati sumus . Frumentum pecunia remetiamur,libertatem nostram addicimus,fines publicos tradimus:omnia licet eadem uicina ciuitas polliceatur,plus nõ potest. Prosit mihi quod apud negociatores solet , in antecessus dedi. Triplum,quadruplũ , quantum popoſceris accipe, & illa pecunia frumentum licet uicinis asseras,si nobis nihil de commeatu nostro partiris,nos uicinæ ciuitati uẽdemus. Liceat seruire ubi frumẽtum est. Non exigua res est,pro uita,pro sepultura, pro innocentia licemur. Non potest hic cõmeatus tam care emi,quàm expectari. Sed nisi uendidissem,inquit, fame laboranti ciuitati, timui ne raperet. Et ita utiq; occupare uoluisti,ut nobis iniuriã tu potissimum faceres. Multum mehercule uos fallit opinio iudices,si ullam causam ita euidentem deferri posse in forũ putatis, cui uulla ne mendacij quidem uelamenta contingant. Opinione sua defenditur,& quæ res minime coargui potest, utitur se teste. Ne nos periremus non timuisti,ne repetiti commeatus post diem nostræ mortis applicarentur, non timuisti. Nostris certe malis quanquam nihil poterat accidere inopinatum,tamẽ inter metus tempestatum,& ancipites incerti maris casus,confiteor, ne frumentum salua classe perderemus,non timuimus. Non dico ut maxima uis parata sit, ut more immanis latrocinij turba raptorum littus premat,uel repugna,uel fuge,uel roga. Incessurum naues depressurumq; minitare potius,quàm totum frumentũ utiq; populo pereat. Partire uel gratis,dũ nobis aliquid quo respiremus asseras. Illud quo certe nihil asperius accideret,rapi patere. Faciat fortuna quod uoluerit,legatus à præcepto nõ recedat. Refer nobis saltẽ iniuriã nostrã,mitte nũcios, ita famem differemus,rapiemus furẽtes arma,& se in obsidionem ciuitatis inimicæ sine delectu populus effundet,uastabo interim fines,hoc est per aliena prata pascar. Si qua in uillis deprehẽdero pecora,

diripiam, bellum me alet. Citius ad frumentum perueniemus, quàm tu cum frumento redibis. Adiuuabunt pugnantem iusta sacramenta. Si contigerit æquum fortunæ iudicium, non meos tantum cõmeatus recipiã: Si minus, certe dabitur bene mori. Liceat & manum conserere, in acie confligere, condant se postea licet muris, longius obsidio eat, interim certe hostium potius cadaueribus uiuemus. Sed nulla uis fuit, nulla exterior iniuria, tuũ certum commeatum nemo rapuit, iure miseri sumus, & ex stipula tu Legati nostri perimus. Vendidit quantũ uoluit, quãti uoluit, et ut hoc ad nostras accederet moras, fortasse diu cõcionatus est. Omnis cum fide persoluta pecunia est. Hoc quî colligo? Qui quanti uult uendit iudices, potest non uendere. Nam per fidem, si rapere alienum frumentum, & possunt, & uolunt, quid ita duplam pecuniam soluunt? Nam quomodo in magna inopia quicquid emi potest, uile est, ita cum possis habere gratuitum, duplo carum est. Sed mihi credite, color iste patrocinij est, & diu in saturo ocio cogitata defensio. Nõ potest similis usquam fames fuisse. Nos graue huius anni sidus afflauit, nostrum hoc fatum fuit, quos non tantum fata, sed etiam empta fallunt, qui nostra pecunia, nostra classe, nostro Legato, nostro uento, felicissimo cursu, commeatum tamen perdidimus. Nos à frumento longius sumus, ad illam ciuitatẽ potuit frequenter accedere negociator, sæpius applicari onusta classis: itaque nõ misere Legatos, nullus illis cõmeatus longius petendus fuit quòd felicissima annona, affluentibus copijs, fortunatis opibus contigit, nihil emerunt nisi deuectum. Quare nulla causa istius quem fingis metus fuit, nulla utique uis. Forum legisti, & quia adhuc supererat tempus, obiter negociatus es. Rapturos putaui. Quid dicis scelerate? Et cũ hoc timeres applicabas? Onustus uiator apud latrones hospitaris? Commeatum publicum annonæ in scopulos impingis, & plenæ frumento classis ancoras ad famẽ ducis? Non præcides medium mare, non uelut inhospitales Syrtes, aut uoracem Charybdim præter

præterueheris? non tota in fugam uela torquebis? Nusquam est periculosius legationis tuæ naufragiũ. Tu ut cogi posses, tu ut auferri frumentum posset, effecisti. Tantũ habituri sumus, quantum reliquerit pudor esurientium. Quid te duplo frumentum ista uendidisse? Potuerunt nihil soluere, quod refers, alienum beneficium est. Alterum confingitur hoc loco mendacium. Tempestate, inquit, appulsus sum. Ita planè infelix nauigator es, & cuius uotis auræ non respondeant. Nescimus te duplo melius nauigasse, quàm sperauerамus? Nescimus singulis commeatibus bina itinera confecta? Nescimus in una legatione uẽtos quater secundos? Sat erat uerbo negare, quod uerbo ponitur. Remoue hanc spem eludendæ mẽdacio ciuitatis. Quo damno probas tempestatem? Quid amisisti? Frumentum certe totum uenit in portum. Nec laborasti, tanquam nimium onustas naues simulaueris, duplum afferre poterant. Non uexata armamenta, turbatosq; funes, aut scissos uelorũ sinus quereris: classis statim exijt, & quod magnum integræ signum est, cita redijt. Porrò tempestas in unum agebat angulum, nihil potuerunt obliquata uela deflectere. Non potes ultrà procedere, citrà applica. Effuge raptores, effuge non dimissuros. Si aliud fieri non potest, cum tempestate decide naufragio, in desertum littus impinge. Quid deuitata procella prodest? quid subducta nubibus inuijs classis? In portu naufragium fecimus, & frumentum ad ancoras perdidimus. Ego uero, inquit, attuli, & quidem duplum. O nos felices, rumpamus saturitate præcordia, pascamur in præteritum, & famem cruditate pensemus. Frumentum attulisti. Quid quòd medicina mortuorum sera est? Quid quòd nemo aquas infundet in cinerem? Quid quòd extincto populo etiam nouendialis tarde uenit? Quid quòd iam ego frumentum nõ desidero? Naufrago tabulam abstulisti, mortuo applicas nauem. Duplum est, infunde in sepulchra, & admetire tumulis, ibi sunt qui manducauerunt. Quid aliud effecisti afferendo frumentũ, quàm ut nos

quod adhuc fecimus, pœniteret? Nunc me magis pudet, nunc cibos meos obiurgo, potui heri nõ comedisse. O' nefas, in quo me scelere commeatus deprehendit. Siccine paria fecimus? Adhuc nihil habuimus, sed nunc licet reponamus. Quis autem unquam pensabit necessaria superuacuis? Duplum attulisti, sed illis qui perierunt nihil. Sed non poßumus iam non fecisse quod fecimus: plerunq; sera pro nullis sunt: sed & temporũ ista momentis aut preciosa fiunt, aut uilia. Vis scire quantum hoc tempus & illud intersit? Tenta igitur forum tuum, totum hoc nõ potes dimidio uendere. Superest adhuc unum patrocinium, in quo spes omnis profligatæ causæ consistat. Ad diem ueni. State hic certe iudices. nam ferri non potest, exundat altius dolor. Pudorem publicum quamuis proiectum & iam olim sepultum hucusq; protrahis? Cur non expectauimus? Cur famem nõ ad constitutum distulimus? Cur ad tantum nefas acceßimus? In hac lance publica causa iudices pendet: aut iste tarde fecit, aut nos cito. Hoc uidelicet expectasti, & ne captiosum esset officio tuo maturius redijsse, ex industria tempus triuisti. Non tempestas in causa fuit, non uis ulla uicinæ ciuitatis. Vna ratione moratus es, nondum erat tempus. Adeo'ne nobis miseriæ publicæ exciderunt? Adeo insperato frumento obstupuimus, ut hæc audienda sint? Vltimum omnis memoriæ reum una nox innocentem facit: Populatorem euersoremq́; ciuitatis nisi ad supremum damnabo, absoluatur. Publicus reus redijt. Illum respondet diem dedimus. Tu tamen si interpellatus tempestatibus serius uenisses, excusares mare & ambiguos flatus, & tibi bonam causam habere uidereris, cum diceres, antè non potui. Et nos hoc cogitauimus, his casibus ampliauimus tempus. Nos illum tibi diem dedimus, sed quia illud citius emisti quàm sperauimus, supra uotum nostrum nauigasti, ad proximum littus mature claßis applicata est: ego tibi poßum satis irasci? Felicitatem nostram perdidisti. Ergo quantum in te tempus consumptum est, dies exceßit, peius pati nihil poßumus, sed

sed peßima diu patimur. Imputa nobis propitios uentos, & secundum mare, & ciuitatis opulentæ liberalitatem, quæ tantum frumenti uendidit, quantum duobus populis satis esset. Quantumlibet uelocitate tua glorieris, computa si placet quando primum conterminos portus onusta classe comprehenderis, quàm tarde à uicina ciuitate uenisti. At etiam si dijs placet animo defenditur, & quam causam uexandæ ciuitatis habuerit, quærit. Istud ego interrogare debueram, non ubiq; iudices morandum est. Alioqui si quid requirere uellem multa occurrissent. Solent hi negociatores, præter hæc aperta pretia, priuatum aliquid ac proprium stipulari, utiq; cum alienam rem uendunt. Potest fieri ut primo lucrari uoluerit pretium, serius deinde subuenerit reddendæ rationis, dicendæq́; causæ cogitatio. Venijt fortasse frumentum lucro, redemptum est patrocinio. Potest fieri ut aliquam gratiam sperauerit à ciuitate seruata, occulta quædam in ciuitate sua odia, quæ plerunq; ex inanibus causis oboriuntur, habuerit. Multa succurrunt, sed (si qua est iudices dicenti fides) ego nihil inuidiosius reputo, quàm quòd ciuitatem suam sine causa perdidit. Quæcunq; ratio, quodcunq; propositum fuit, audi quæ paßi sumus postquàm redire potuisti. Transeo tormenta nostræ inopiæ, maciem corporis, uulsos terra destrictosq́; ramis cibos, quòd aris altaria non imposuimus, quòd populus corporibus suis uias strauit, quòd mendicus quem rogaret non habuit. Non obijciam tibi famem. O' tristis recordatio, ò tormentis omnibus conscientia grauior, rumpe ferreum pectus, & ardentia scelera uiuentesq́; intus epulas excute. Luctantur intra uiscera animæ, & uterum funeribus grauidum, mortes agunt. Credibiles fabulas fecimus, felices miserias, scelera innocentia. Omnes quascunq; clades fama uulgauit, solatia hinc petant, hic audiẽt occisos sine sanguine, sepultos sine ignibus cibos. Si quis mentitus est Cyclopas, Lestrygonas, Sphingas, aut inguinibus uirginis latratum Siciliæ littus, & quæcunq; miser didici domi, comites

comites quæro, hinc argumentum, hinc fidem accipiant. Quædam planè falsa sunt: Sol in ortu suo non occidit, nec ad humanorum uiscerũ epulas diem uertit. Vidit nos uulneribus pastos, & ad euiscerata corpora illuxit. Publice monstra cõmissa sunt, & inexpiabile nefas uno ore ciuitas fecit. Pœnis nostris iam ne fames quidem satis est. Hoc non omnes feræ faciunt, & quamuis sensu careant mutæ animalia, pleraq; tamen innocentibus cibis ueſcuntur, uti quæq; consuerunt. Inter homines etiam, siqua alienis membris imprimunt dentem, mutuo tamen laniatu abstinent, nec est ulla super terras adeò rabiosa belua, cui non imago sua sancta sit. Nos quibus diuina prouidentia mitiores cibos concessit, quibus sociare populos, mutuo gaudere comitatu, sidera oculis animisq; cernere datum est: uisa non ante nos fecimus, nigros fame dentes pallidis cadaueribus impreßimus, & inter horrorem ac famem restrictis labris morsus abrupimus. Cadauera rogis deuoluta sunt, & ad funera tanquam ad naues concurrimus. Deficit aliquis extremo iam spiritu pendẽs, tamen durat, quia prius moriturum alterum putat, inuicem expectant, & si spei figuratione tardius cadit, morsibus pugnat. Non in omnibus mortes expectãtur, pater liberos esurit, & oppressa decimo mense mater sibi parit, redit in uterum laceratus infans. Cludũt domos, ne quis funus eripiat. Solæ sunt diuitiæ mortium, uelut infaustæ aues supra expirantes stamus. Secreta miseri petunt, in solitudinem fugiunt, & ubi nulla spes uitæ superest, mortes suas abscondunt, iam morituri ad feras confugiunt. Dehisce terra, & hanc noxiam ciuitatem (si hoc saltem fas est) haustu aliquo ad inferos conde. Cœlestes auras contaminato spiritu polluimus, & sideribus ac diei graues & inuidiam seculo facimus. Nullas iam spero fruges, propitios deos nõ mereor. Quomodo me à scelere meo diuellerem? in quas ultimas terras, quæ inhospitalia maria conderem? Meum sanè conscientia urunt animum intus scelerum faces, & quoties facta reputaui, flagella mentis

mentis sonant, ultrices uideo furias, & in quancunq; me partem conuerti occurrunt umbræ meorum. Habitat nescio quæ in pectore meo pœna, & ne morte saltem hos metus effugiam, occupant grauia apud inferos supplicia, uolucris rota, & fugacibus cibis elusus senex. Adeo ne apud inferos quidem ulla pœna est fame maior, & ille hæc patitur qui hominem apposuit epulandum. Nobis imminet saxum, nobis stridunt ferreæ turres, nostris causis urna iam stetit, nobis uiuax ipsum crescit iecur, quia illic quoq; uiscera tantum aues laniant. Excipiunt nos in proximo littore inhumatæ nostrorum animæ. Miserum me, uera´ne hæc sunt, an mens aspicit? Laceros uideo manes, & truncas partibus suis umbras. Quid hoc est? Non de sepulchris insurgunt, nõ aliquo terrarum hiatu procedunt umbræ nostrorum, de populo exeunt. Illum tædis incendite, illum anguibus petite, & tam longæ moræ exigite rationem. Vobis dicat, duplum attuli. Vobis dicat, ad diem ueni. Ego si huius pœnam uidero, poßum reddere rationem quòd uixi.

APES PAVPERIS. ARG.

Damni per iniuriam dati sit actio. Pauper & diues in agro uicini erant iunctis hortulis. Habebat diues in horto flores, pauper apes. Quæstus est diues flores suos decerpi ab apibus pauperis. Denunciauit ut transferret. Illo non transferẽte, flores suos ueneno sparsit. Apes pauperis omnes perierunt. Reus est diues damni iniuria dati.

Pro paupere contra diuitem. 13

CREDO ego iudices pleroſq; mirari, quòd homo tenuis, etiam antequam quod habebã perdidi, pauper, ausus sim iudicio lacessere diuitem utiq; uicinum, eumq; notæ impotentiæ, expertæ crudelitatis, in tantis fortunæ uiribus perniciosum inimicum, etiamsi uenena non habeat. Neq; ipse hoc periculũ ignoro, expertus non leui documento, quanti steterit mihi quòd semel imperata non feci. Sed neq; illud iudices damnum tolerabile est pauperi, cum

tum

tam paruis etiam diuites moueantur. Et mihi quanquam propè nihil iam relictum est quod perderem, si tamen ista impune sustinenda sint, solatium erit iram potius quàm contemptum pati. Nec sanè uitæ causa iam superest, si ad cæteras humilitatis nostræ contumelias hoc quoq; accedat, ut si habemus aliquid, migrandum sit: si perdidimus, tacendum. Vnum oro, ne cui minor dignitate uestra uideatur causa litis meæ. Ante omnia enim non debetis expectare ubi pauper magna perdiderim, sed quantum est quod abstulerit mihi dives, minus est quod reliquit. Et tamen quis indignatur apes formula uindicari, cum uenenis etiam flosculi uindicentur? Quod tamen iudices (quanquam euersus, & ab omni spe tuendæ paupertatis exclusus) æquiore animo tolerarem, si cuius culpæ, etiam si iniustam pœnam, meritam tamen iram tulissem. Sed circunspicienti omnia nihil mihi obijci potest à diuite nisi quòd uicinus sum. Est mihi paternus iudices agellus, sanè angustus & pauper, non uitibus consitus, non frumentis ferax, non pascuis lætus, ieiunæ modo glebæ atq; humiles thymi, & non late pauperi casæ circunjecta possessio. Verum mihi uel hoc fuit gratissima, quòd non fuit digna quam dives concupisceret. In hoc ego uitæ meæ secreto remotus à tumultu ciuitatis ignobile æuum agere procul ab ambitu, & omni maioris fortunæ cupiditate constitui, & dum molesta lege naturæ transiret ætas, uitam fallere. Hoc mihi paruulum terræ & humilis tugurij rusticum culmen æquitas animi regna fecerat, satisq; diuitiarum erat nihil amplius uelle. Quid prodest? Sic quoq; me latentè inuenit inuidia. Nec ab initio iudices uicinus diuitis fui, pares circa me habitauere domini, & frequentibus uillis concors uicinia paruos limites coluit. Quod ciues pascebat, nunc diuitis unus hortus est. Postquam proximos quosq; reuellẽdo terminos ager locupletis latius inundauit, æquatæ solo uillæ, & excisa patria sacra, & cum coniugibus paruisq; liberis respectantes patrium larem, migrauerunt ueteres coloni, & latæ solitudinis indiscreta unitas

unitas facta est, postquam ad apes meas diuitis fundus accessit. Nanq; ego iudices dum fortius opus permisit ætas, terram manibus subegi, & difficultatem labore perdomui, & inuito solo nonnihil tamen fœcunditatis expressi: cito labitur dies, & proclinis in pronum fertur ætas: abiere uires, sensus meus, defectaq; labore senectus, magna pars mortis nihil mihi reliquit nisi diligentiam. Circunspicienti quod conueniret opus inualidæ senectutis curæ, succurrebat sequi pecora, fœtuq; placidi gregis paupertatem tueri, sed ex omni parte circunjectus diuitis ager uix tenuẽ ad gressus meos semitam dabat. Quid agimus? inquam. Vndiq; uallo diuitiarum clusi sumus. Hinc hortuli locupletis, hinc arua, inde uineta, hinc saltus, nullus terræ datur exitus. Quæramus animal quod uolet. Nã quid apibus inuenit natura præstãtius? Parcæ, fideles, laboriosæ, ò animal simile pauperibus. Et sanè dabat occasionem mihi opportunitas hortuli mei. Est nanq; positus ad ortus solis hyberni, apricus omnibus uentis medius. Fusus ex proximo fonte riuus, crepitantibus inter radiantes calculos aquis, utrinq; ripa uirente præterfluit. Satis consiti flores, & uiridis paucarum arborum coma nascentibus populis prima sedes, unde ego frequenter consertum nouæ iuuentutis agmen ramo grauescente suscepi. Nec me tanta capiebat uoluptas, quòd fluentia ceris mella conderem, quòd ad sustinendas paupertatis impensas deferrem in urbẽ, quod diuites emerent, quàm quòd aduersus omnia lassæ tædia ætatis habebam senex quod agerem. Iuuabat aut lenta uimina uernis fœtibus texere, & ne æstiuus ardor aut hyberna uis grauidam penetraret aluum, hiantes rimas tenaci linire fimo, aut fessis apibus ultro præbere mella, aut fugiens examen ære terrere, aut bella sedare pulueris iactu: tum ne quid periculi saltem singulis esset, auidas longe fugare uolucres, & arcere parua dictu animalia, recluſas interim scrutari apium domos, ne per uacuas aluos fœda pestis insidiosas texeret plagas. Dederam laboribus meis iustam senex missionem,

nem,habebam quæ pro me opus facerent. Quò non penetras li uor improbe? Quid ue ſcabræ malignitati clauſum eſt? Inuidit pauperi diues. Cum euocaſſet me ſubito trepidum,totoq; fortunæ ſuæ ſtrepitu circunſtetiſſet,quid tu, inquit, non potes imperare apibus tuis intra priuatum uolent, ne hortorum meorum floribus inſideant, ne in meo rorem legant? Remoue, transfer, impotentiſſime tyranne.quò? nunquid tam latum poßideo agellum,ut illum apes tranſuolare non poßint? Neq; tamen tantum inerat pectori meo robur, ut nõ perturbarer denunciatione notæ impotentiæ. Volui relinquere auitos lares, & conſcios natalium parietes,& ipſam nutriculam caſam, iamq; pauperem focum,& fumoſa tecta, & cõſitas meis manibus arbuſculas tranſferre deſtinatus exul decreueram. Volui iudices decedere,uolui, ſed nullum potui inuenire agellum,in quo nõ mihi uicinus diues eſſet. Nec tamen licuit diu quærere. Forte ſerenus pura luce fulſerat dies, & hilaris matutini ſolis tepor ad quotidiana opera lætius ſolito ſe agmẽ effuderat. Quin ipſe ſpectator operis (præcipua nanq; hæc mihi uoluptas erat) proceſſeram, ſperans fore ut uiderem quemadmodũ aliæ libratæ pennis onera conferrent, aliæ depoſita ſarcina in nouas prorumperent prædas, & quanquam anguſto feſtinaretur aditu,turba tamẽ exeuntiũ non obſtaret intrantibus,aliæ militaribus caſtris pellerent uulgus ignauum,aliæ longum permenſæ iter fatigatæ anhelitum traherent, hæc ad æſtiuum ſolem porrectas panderet pennas. Miſerũ me, ignoſcite modo gemitibus meis. Non floſculos perdidi,nec caduca folia proximo lapſura uento. Apes cum uolarent, ſuffugium tenuitatis meæ,ſolatiũ ſenectutis amiſi. Nunquam me aliàs pauperem putaui,triſte me excepit, expectatq; ſilentium, & inanis alui inchoata tantum opera, & rudes ceræ. Vos iudices exiſtimate quatenus recipiatis hunc affectum meum. Libenter bibiſſem ſi inueniſſem uenenum. Hoc mihi damnũ non brumæ glacialis penetrabilis rigor,non ſuppreßi longa ſiti flores induxerũt.

Ieiunam

Ieiunam miſeris famem non auiditas iniuſta domini nihil mellis reſeruantis,non æqualis feſſas morbus inuaſit,non damnatis ſedibus ſuis auias fuga petiere ſyluas. Apes pauper miſer in opere perdidi. Parauit homo neſarius ante omnia tantum ueneni,quod poſſet & diuitis hortis ſatis eſſe, & liniuit flores maleficis ſuccis,& in uenenũ mella conuertit. Sparſit omnibus floribus mortem,& quanto plura interim corrupit, quàm quæ apes abſtuliſſent. Illæ ſtudio quotidiani operis excitatæ,ut primum aurora lucem uocauit,in aßueta miſeræ paſcua uolant, ut antequam noctis humorem radij ſolis ebiberent,matutinos legerẽt rores, & cœleſtes aquas ad horreum ferre poſſent,nec ſibi,ſed operi bibẽt. Hic triſte ſpectaculum,& tantum non ipſi qui fecerat miſerandum. Illa ad primum feralis ſucci hauſtum inſolito conſternata guſtu fugit,ſed fugiſſe nihil prodeſt. Illa longiores expetitura paſtus in altum tollitur,uitamq; in aura relinquit. Hæc primo ſtatim floſculo immoritur. Illa rigeſcentibus morte pedibus exanimis,ſicut hæſerat,pendet. Alia defecta niſu uolandi adhuc per terram languide repit. Si quas tamen uſq; ad ſedem ſuam diſtulit mors lentior, ſicut ægræ ſolent, ſub ipſis pendere portis, in globum nexas & mutuo amplexas mors ſola diuiſit. Quis figurare poßit, quis dicere quàm multas mali formas,quàm uaria leti genera fecerint tot mortes? Semel ut ipſe triſtem finiam expoſitionem, dicendum eſt,omnes perdidi. Celebre illud aluearium, & domino ſuo notius, ad nihilum recidit. Audete nunc laceſſere diuitem quibus uitæ cauſa ſupereſt, exerite libertatem fortibus uerbis ſi quid offenderit, & quod difficilimum fuit,iam expertus eſt uenenum. Quòd ſi mihi fortuna uel ingenij uires,uel ſuas dediſſet, crimen iſtud non priuatam actionem formulæ merebatur. Venenum leges habere,emere,noſſe denique uetant, incuitabilem peſtem occulta fraude graſſante. Male hæret ibi innocẽtia,ubi in poteſtate eſt ſecretũ ſcelus,uelut uenenũ,& quidem præſentaneum,inuentũ,compoſitũ, datum eſt. Quantu-

lum interest quis biberit? Homo dedit, & homini dari potest. Non adeò desunt odiorũ causæ, ut iam rara simultas sit, & ut uideatur aliquis nihil magis quàm malos odisse, libebit aliquãdo longius manum porrigere, & indulgere, animis. Credite mihi iudices difficilius est uenenum inuenire, quàm inimicum. Sed me conscia mediocritatis infirmitas intra meas tantummodo cõtinet querelas, nam damnum id est iudices grauissimũ. Pauper uulnus accepi, quod mihi diutius deflendum apud uos quàm probandũ est. Nam coarguẽdis quidem crimunibus quis labor est aduersus confitentem? Habent diuites hoc quoq; contra nos contumeliosum, quòd nõ tanti uidemur ut negent. Porrò qui confessum defendit, non absolutionem sceleris petit, sed licentiã. Longius ista quàm timui quæstio peruenit, non de præterito tantum litigamus. hoc agitur ut etiam si quid fortè reparauero, iterum diuiti liceat occidere. In duas enim quantũ animaduertere potui quæstiones diuidit causam, an damnũ sit, & an iniuria datũ. Negat esse damnũ, quòd animal liberum, & uolucre, & uagum, & extra imperia positũ perdiderit. Negat iniuria datũ, quòd in priuato suo, quòd eas quæ sibi nocerẽt extinxerit, postremo quòd sparso tantum per flores ueneno ipsæ apes ultro ad mortem uenerint. Vt mihi esset quod his possem respondere, æquum erat inter uicinos sic agi? Sed excutiam singula, nec prius meis argumentis nitar, quàm diuersa repulero. Quoniam quidem quæritur an damnum sit perdere, quod lucrum est habere. Liberũ animal puto, non dico fœtus meis manibus exceptos, & in tutam conditos sedem, & reseruatis ad supplementa generis fauis examen uernaculum, quoniam quidem tyrannorum iura defendis, natos in priuato meo, puta me uel inanis arboris trunco, uel cauis inuentos petris, domũ fauos retulisse, multa nihilominus quæ libera fuerãt transeunt in ius occupantiũ, sicut uenatio & aucupatio. Nam ut cætera animalia hominum causa finxerit Prouidentia, quod omnibus nascitur, industriæ præmiũ est. Quid autem

tem non liberũ natura genuit? Taceo de seruis, quos bellorũ iniquitas in prædã uictoribus dedit. ijsdem legibus, eadem fortuna, eadem necessitate natos. Ex eodem cœlo spiritũ trahunt, nec natura ullis, sed fortuna dominũ dedit. Cur infrenatis equis uictor insidet? Cur iniusto quotidie iugo boum colla deterimus? Cur in usum uestium sæpe pecori lanæ detrahuntur? (Taceo de sanguine & epulis per mortem paratis) Si omnia quæ libera generantur, naturæ demus, definitis diuites esse. Si uero hæc conditio est, ut quicquid ex his animalibus in usum hominis cesserit, proprium sit habentis, profecto quicquid iure possidetur iniuria auferetur, ut uolucres mures, & aliæ quæ per rusticas uillas, quæq; ditibus cellis saginantur, in quibus tamen domini ambigua possessio est, & uaccæ, & armenta & omne pecudum genus. Sed illa impositus cohibet magister. Peius'ne domino in ijs est, quibus custode non opus est? Nam si hoc dicitis, nihil esse nostrum quod perire possit, ex nullius animalis damno hæc edi formula potest. Nam & errare pecudes solent, & fugere quotidiana mancipia. Si hoc in cæteris non obstat, uagari tu nolles, in opus exire, & ad quotidianum censum laboris assidui non detrectare militiam. An non ipsæ domum sua sponte reuolant, finemq; laboris sui sole metiuntur, & omnis intra solitas domos turba conditur, noctemq; modesto silentio trahunt? Age porrò, ut nõ sit earum certa possessio dum uolant, nempe quia cum remearunt, cõcludi, transferri, donari, uænire possũt, in potestate sunt. Quomodo autem potest sine damno meo perire, quod quotidie mecum est? At extra imperia positũ est. Mirum hercule, si negato commercio sermonis humani, sunt in cæterorum animalium forma. Tamen quam dominus dedit incolũt sedem, lasciuientẽ luxuria fugam tinnitu cõpescimus. Etiam si diuersis regibus coorta seditio ad bellũ inflãmauit iras, exiguo puluere, uel unius pœna ducis resedit omnis tumor. Illa uero admirãda sedulitas, quòd operi totus insumitur dies, in dominorũ redditus ablata supplentur.

Age si obsequi possent, quid amplius imperares? Intelligo his uanis ultra necessitatem esse responsum. Si non sunt apes meæ, ne id quidem quod his efficitur meum est. Atqui nulla unquam inueniri potuit impudentia, quæ fructus mellis in dubium uocaret. Hoc ergo fieri potest, ut quod nascitur meum sit, quod generat alienum? Age si mihi alui furto abessent, utrum nulla daretur actio? An uiminis modo uilisq; texti pretium formula taxassem, & perinde agerē quasi inanes perdidissem? Nisi fallor, esset æstimatio & apum. An tandem quas surripere non liceret, liceat occidere? Non est damnum quòd exutus sum, quòd redditus perdidi, quòd annuos fructus præsidia paupertatis amisi? Nō est damnum id perdidisse, quod (ut proximo utar argumento) si habere uoluero emendum est? Quid ergo tibi opus est maleficis succis, cum liceret palàm trucidare, & plenas uel cremare igni, uel aquis immergere aluos? An est aliquod animal quod non liceat nisi uenenis occidere? Vt damnum sit, inquit, iure tamen feci in priuato meo. Per fidem uestram iudices succurrite exemplo, non sufficit his partibus unus rusticus pauper, obuiam publice eundū est & obijciendæ aduersus nascentē licentiā consensu manus. Credite mihi, maior lite quæstio est. Hoc uobis hodie iudicandum est, ubi scelus facere non liceat. Nam cur nō hoc idem de homicidio respondeat, cur non de latrocinio? Non enim iure ista, sed modo differunt. Aperitur ingens funeri uia, & obluctantia diu legum uelut claustris scelera libera porta prorumpunt. Si in priuatum iura non ueniunt, & in manifestissima quaq; noxa non de facto quæritur, sed de loco, non æqua portione cum sceleratis terras diuisimus. Vbi enim non iam diuitum priuatum est? Parum est proximos æquare terminos, & possessiones suas uelut quasdam gentes fluminibus montibusq; distinguere. Iam etiam deuios saltus, & syluas uasta solitudine horridas occupant totas, atq; intra paucorum umbram latent, è finibus suis populus excluditur, nec ullus procedentis finis est, nisi

nisi cum & in alterum diuitem inciderit. Adhuc tamen spolia transeuntium, & abacti pecorum greges sub hoc titulo defendebantur, iam priuati ueneni trāscriptio est. Iterum ac sæpius iudices admoneo, considerate, discite, aut nihil usquam contra ius licet, aut in priuato omnia. At enim aduersus inferentē damnum iusta ultio fuit. Dicam nunc quàm iniqua sit inuicem iniuriæ cōpensatio, quamq; non solum legi aduersa, sed etiam paci? Barbarorum mos est populorum, quos procul omnis iuris humani societate summotos proxima beluis natura efferauit. Nos ideo magistratus legesq; à maioribus nostris accepimus, ne sui quisq; doloris iudex sit, & assiduæ scelerum causæ se refellant, si ultio crimen imitabitur. Damnum accepisti. Erat lex, forum, iudex, nisi si uos iure uindicari pudet. At mehercule iam ad arma mittimur, & instituitur perniciosa nocēdi contētio, & in uicem legis ira succedit. Premetur quidem obnoxia infirmitas, & paucorum dominio subiecta plebes triste seruitiū perferet. Est tamen & pauperibus interim dolor, & ut facilius nobis noceri potest, ita uobis latius. Postremo placeas licet tibi opum tuarū fiducia diues, si mihi uiuere expedit, pares sumus. Quid ergo? Si quid tibi damni attulissent apes meæ, non mihi auferretur ratio, sed forsitan aliqua daretur & tibi. Nūc uero quid quereris? Credo depopulatos agros, euersosq; redditus. Nō enim debet leue esse damnū quod diues ferre nō possit. Decerpebant, inquit, flores meos. Ecquid intelligitis iudices quanto dolore dignū sit, quod ego perdidi, si etiam hoc damnum est, flores auferre? Ita planè. Alioquitu illos in uetustatem reseruabas, & durarent adhuc nisi ad hortum tuum apes uenissent. Cuius rei inueniri potest breuior ætas? Nanq; dum immaturos exterior alligat cortex, nodum dixeris florem. Paulatim deinde uiuidiore succo tumescit uterus, & albentes accipit rimas, nedum tamen flos est. At cum se ruptis iam tunicis in patulum capita fuderūt, & uelut fissa in orbem, iamq; eorum uidetur maturitas. & ignotus occasus est, & iam sine

uentis quoq; ſoluta natura, labitur gratia, nec quiſquam eſt flos niſi nouus. Quare ſi dicerem, abſtulere peritura, & quæ protinus humi iacuiſſent in uſus hominum conuerſa, inauditus tamen liuor uideretur etiam apibus inuidere. Nunc uero diſſerendum mihi eſt, quàm momentoſa ſit huius animalis rapina. Neſcimus qua pernicitate plerunq; uix contactis floribus reuolet, diſcurratq; per ſingulos uelox experimẽto, quàm etiã ubi immorabantur, libratis pendeant alis. Quis unquam quod ferentẽ apem uiderat, ubi deeſſet inuenit? Quantulũ uero eſt, quod ex his manu conſitis floribus legant? Prata ſyluæq;, uel maturæ fructibus uites, & fragrãtes thymo colles (quantũ coniectura ſuſpicari poteſt) pabulũ miniſtrant. Non ex omnibus floribus carpunt utilia operi ſuo, ſed in omnibus quærunt. Præſens & quidem protinus illa redditur merces quòd omnibus quibus inſedere, odorem mellis inſpirant, & breui cõtactu uim ſui relinquunt. Hoc tu damnum intelligis, hoc ueneno uindicas, quod mehercule inhumane etiã fumo prohibuiſſes. An nõ te ſolus uicinus coluí? Non frugum mearum primitias omni uere miſi? Non ſi quis ceris nouis candidior incidit fauus, tuis reſeruatus eſt menſis? Cũ paruis mediocritate munuſculis iſta ſemper adijceretur commendatio, hoc tibi mittunt apes meæ. Puto relata eſt mihi gratia. Admonui, inquit, & ut transferres denũciaui. Idcirco contumacẽ merito puniſti. Non enim uideo quid aliud patrocinio tuo conferat hæc denunciatio, ſuperuacua ſi non licuit tibi facere quod queror, iuſta ſi licuit: iuſta autem ultio ſine iſta, aut ne iſta quidẽ ualeat. Pudoris uero quod uelamentũ eſt, male audere, culpam defendi ſuperbia? An tandem tuas pecudes quamuis diffuſa ſtabula non capient, tibi omne armentis mugiet nemus, tu gregibus arua ſulcabis, & ad excolendos agros procedet ignota etiam uillicis familia, tuis horreis populi annona pendebit, nec tamen inuidebimus, nec quiſquã tã graue putabit ſibi iſtud fortunæ tuæ põdus. Nos ſi paucas apes intra anguſtias pauperis horti cõpoſuimus, quæ tamen uobis mella faciunt, id prorſus indigne ferendum eſt:

& quod nunquam fando cognitum eſt, uicinus diuitis pauper moleſtus eſt? Adeo parum eſt plurimum poſſidere, ut cum ſeruis quoq; ueſtris habere peculium liceat, inuidioſum nobis putetis, quicquid egeſtatis nomẽ exceſſerit? Tanto´ne his, in hac ut putamus æquiſſima libertate, legibus uiuimus, ut nobis habere medelam non liceat, uobis liceat habere uenena? Poſtremo quidem diuitis patrocinio non putaui iudices reſpondendum, niſi rideri ueſtram maieſtatem contumelioſa defenſione non ferrem. Vltro enim, inquit, ad mortem uenerunt apes tuæ. Ita planè. Alioqui tu uenenum floribus dederas. Impudentiæ´ne iudices eius aſſignem ſi hoc mihi apud uos obtinuerit, an ſtultitiæ ſi ſperauit? Si uenenum homini dediſſet, diceret ipſum labijs admouiſſe pocula. Si percuſſorem poſuiſſet in ſaltu, ipſum in inſidias ultro ueniſſe clamaret. Si telum obiectaſſet in tenebris, non illatum ſua culpa contenderet. Ego iudices quid dico? Duo eſſe ſola quæ omni in crimine ſpectanda ſint, animum & euentum. Quis animus diuitis fuit, cum uenenũ ſparſit? Vt apes perirẽt. Quis euentus? perierunt. In ſumma Iudices quis dubitet, quin damnum ei ſit imputandum, ſine quo non accidiſſet? Intelligo neq; prudentiam ueſtram deſiderare plura de cauſa, neq; ueſtram fidem ac religionem egere exhortatione uere iudicandi. Quid moror igitur? Tenet me dolor, & aſſuetæ uoluptatis deſiderium. Sunt quædam in hac cauſa, quæ ſarcire pœna non poſſit. Maior forſitan materia uideatur affectus. Si pauperes amare niſi paria non poſſumus, & neceſſario nobis preciosa quæ ſola ſunt, animum meum extinctæ unius horæ momento tot animæ mouent, quot perierunt de me bene meritæ. Quin ipſum leti genus addit indignationem, ueneno perierunt. Quis hoc ulla ſatis proſequi poſſit inuidia? Apes ueneno. Hæc illis gratia refertur, quòd fructibus noſtris inuigilãt, quòd quotidiana ſtatione laboris aſſidui ne dãno quidẽ ſummouentur? Nam & cætera animalia uidetur mihi natura uſibus noſtris genuiſſe, hæc etiã delitijs, cũ eo

quòd in illis quæ uel ſcindendo ſolo uel maturando itineri cõpa
ramus, multus ante redditus inſumitur labor, & cum perdoman
da, cum alenda ſint, nihil tamen poßunt ſine homine, & tantum
coacta proſunt. Apes faciunt iniuſſæ fauos, ſine ullo rationis hu
manæ miniſterio totus fructus ultro uenit. Adijce quòd cætera
animalia, aut ſatis incurrunt, aut uitibus nocent, primáq; ut fa=
ma eſt, hoſtiæ cauſa pecudi fuit læſæ fruges. Harũ ita innoxius
per prata ſyluaſq; diſcurrit labor, ut tantum factum opus appa
reat. Qua ſatis digna proſequar laude? Dicam animal quodã=
modo paruũ hominis exemplar? Hoc humana excogitare nõ po
tuit ſolertia. Etiã ratio noſtra, quæ ſub terris lucrũ inuenit, quæ
maria inquiſitione ſua ſideribus immiſcuit, hoc tamẽ efficere, cõ
ſequi, imitari nõ potuit. Venena potius inuenimus. Iam primum
futuræ laudabilis uitæ digna principia, nõ illas libido progene=
rat, domitrixq; omniũ animaliũ Venus, utq; homines in excuſa
tionem ſui fabulis tradiderũt, etiam deorũ poſteritas has regnis
ſuis excepit. Abeſt inimica uirtutũ uoluptas caſtis ſine labe cor=
poribus. Solæ omniũ nõ edunt fœtus, ſed faciunt. Ipſæ paulatim
ſicut ſtipatæ ſunt per mella uiuiſcunt, & ut oportet animal la=
borioſum ex opere naſcuntur. Inde ut adoleuit iuuentus, & ad
ſimiles labores ætas roborata conualuit, relinquitur liber paren
tibus locus. Et ne coacta in angußum multitudo noua turba la
boret, quaſi habita uerecundiæ ratione, cedit populus minor, ſu=
ſpenſumq; proximis ramis examẽ humanas manus expectat. Ac=
ceptas cum fide colit ſedes. Et cum ingenia noſtra, quæ nos ſcili
cet ambitioſi noſtri æſtimatores proxima diuinis credimus, ad
percipiendas diſciplinas multo labore deſudẽt, nulla apis niſi ar
tifex naſcitur. Quid credas aliud quàm diuinæ partem mentis
his animis ineſſe? Quid præcipuum referas? Non ut cætera ani=
malia per paſtus uaga incertum quieti capiunt cubile, noctis
arbitrio ſemper habitatura, ſed tutas ſedes continent, urbes
tectis, turba populos imitantur. Non ut feræ, uolucres, non ut

præſen

præſentis modo cibi memores in diem uiuunt, duraturus hyemi
reponitur uictus, & repletis uere cellis tutus annus eſt. Etiã cũ
ad humanos uſus opera ſubducta ſunt, reparare amiſſa conten=
dunt, & labor damno incenditur, & nunquam deficit animus
antequam locus. Quid quòd inter animalia quæ non uerba con
iungunt, non uerba rationis inuicem negãt, tantus operis cõſen=
ſus eſt, tanta difficilimæ rei, laboris concordia? Non humano ui=
tio in proprios quæq; uſus lucrum ducit, in publicum uiuitur,
& communes opes congeruntur in medium, nec fas eſt deliba=
re guſtu, priuſquã plena horrea ſecuros ſpondeant mẽſes. Quis
porrò tantus ardor operis, quæ ue officiorum partitio, ut aliæ
congerant onera, aliæ accipiant, aliæ linant? Quæ ſeueritas in
caſtigãda inertia? Multa dictu uiſuq; miranda, præuidere tempe
ſtates, nec dubio ſe cœlo tradere, nec ultra uiciniam nubilo ten=
dere. Iam ſi leues iniquior aura rapuit, ad dirigendos in deſti=
nata curſus modico lapilli pondere librare pẽnas. Illas maiorum
pectorum totis pro rege caſtris procurrere, & inire bella, mor
temq; honeſtã pro duce oppetere. Adijce, quòd ſi quas aut ætas
longior, aut morbus oppreßit, efferuntur prius corpora: poſte=
riorq; operum quàm funerum cura eſt. Quid illigare cruribus
flores? quid ore ſuccos in publicum ferre? Me tamen ipſius ope
ris præcipua admiratio ſubit, non eſt temere, nec fortuitam figu=
ram, & ſedes modo reponẽdis cibis quæſiſſe credas, rudis cera
componitur, accedit uſibus inenarrabilis decor. Nam primũ te=
nacibus uinculis fundamẽta ſuſpendunt, tum ab exordio in omnẽ
partem opus æqualiter creſcit, nec quicquam ex inchoatis par=
uum eſt, quod non ſua portione perfectum ſit iam, nec alia par=
te opus eſſet. Gemina frons ceris imponitur, & cum foramini=
bus tantum ſpatiũ detur quãtum ad generanda examina puram
ſpem capiat (ipſi enim ſibi inuicem anguli hærent, & ita mu=
tuò uinciuntur, atq; alligantur, ut quod uoles id medium ſit) his
textis ne uniuerſi mellis effluat põdus, interſepta onera cludun=

 tur. Quis

tur. Quis non ſtupeat hoc fieri poſſe ſine manibus? nulla interueniente doctrina hãc artem naſci? Quid non diuinum habent, niſi quòd moriũtur? An uero autorem uini Liberũ colimus, primitiæ frugum Cereri referuntur, inuẽtrix oleæ Minerua narratur: mella genuiſſe minus eſt, & interponenda guſtus uoluptate tantum effeciſſe, quantũ ne ipſa quidẽ rerum natura per ſe potuit? Ad plurimarũ incurſus ualetudinum remedium eſt, & præſentiſſima medicina. Nam quod ad cibos quidẽ pertinet, diuites uiderĩt. His animalibus aliquis inſidiari potuit, et inſidiari quare mella facerent. Hæc peſtiferis ſuccis exquiſita per fraudẽ morte confecit, & quod ſit indigniſſimũ, quo facilius deciperet, fortaſſe uenenum melle permiſcuit. Quæ tam inhumana crudelitas? Quis tam inauditus liuor? Nihil enim eſt quòd utaris patrocinio tuo diues, paucorum damno fœliorum doluiſſe te ſimulas. Dum meas apes occidere uis, flores tuos inutiles feciſti.

ODII POTIO. ARGVM.

Meretrix amatori ſuo pauperi dedit odĩj potionẽ. Adoleſcens deſijt amare. Accuſat illam ueneficij.

Pro iuuene contra meretricem. 14

SENTIO Iudices hanc quoque calamitatibus meis acceſiſſe nouitatem, ut uobis nondum uidear odiſſe. Nec me præterit plurimũ perire de nocentiſſimæ potionis inuidia, dum me putatis adhuc impatiẽtia priore miſerum. Quæſo tamen uel hinc totam delati ſceleris probationem grauitas ueſtra proſpiciat, quòd dolori meo querelæq; non creditur, nec amo qui accuſare poſſum, nec odĩ qui amare mallem. Quid eſt aliud quod bibi quàm uenenum? Licet igitur nocentiſſima fœminarum rideat quòd accuſo, & in manifeſtiſſimi ſceleris cõfeſſione per ludibrium malorũ euadere tentet meorum: non hoc eſt quod hodie me torquet ac lacerat, quòd à deterrimæ mulieris charitate diſceſſi, ſed quòd remedij mei patior dolorẽ. Fidem iuſtitiæ, fidem ſeueritatis humanæ, ne meretrici

meretrici proſit, uel quod prævaricatione uideor explicatus. Pro me forſitan fuerit, ut amare deſinerem, cõtra me inuentum eſt, ut inuitus odiſſem. Hoc primum itaq; iudices à clementia publica peto, ne quod uidetis triſtẽ habitu, dirumq; conſpectu, uerbis aſperum, contentione terribilem, mores putetis. Hæc eſt illa ſanitas mea, ſi omnium in hoc corporis mentisq; dierum noctiumq; feritate, ille modo lætus, ille (ſi creditis) nimiũ remiſſus amator excandui. Miſeremini iudices, ne uobis uenefica ſic imponat, tanquam hoc mei charitate commenta ſit. Suum animum, ſuum tantũ ſecuta faſtidiũ eſt. Odij potionẽ cõtra ſe nemo dabit homini, niſi quem oderit. Quæſo itaq; obteſtorq; uos ſanctiſſimi uiri, ut calamitatis meæ penitus uelitis æſtimare menſuram. Perdidi infelix quòd quandoq; potui amare deſinere: patior neceſsitatem rei, quam breuiter utiq; noluiſſem: excogitatur contra animum futuramq; rationem, ne quòd relinqueretur meus eſſet affectus. Iterum cum meretrice compoſitus ſum, rurſus in ſe cogitationes meas, rurſus retorſit oculos, & hominem quem ab incommoda charitate uel ſatietas, uel ætas, uel fortunæ ſuæ fuit dimiſſura conditio, ad perpetuam inpatiẽtiam uiribus nimiæ diuerſitatis implicuit. Hoc ſolum inſanabile genus mortis eſt, ut odiſſe cogaris. Feſtina ad cõplorationem præſentis doloris animæ, feſtina ſed te à prioribus malis recens abducit indignitas, altius gemitus, altius querela repetenda eſt. Cum meretricis ſit quòd amator odi, cuius putatis eſſe quòd pauper adamaui? Non quidem ego iudices ex illis unquam fui, quibus nobiles opes, affluentes indulſit fortuna diuitias, quorũ felicitas capere poſſet in amore luxuriam. Habui tamen unde ad uitæ neceſsitates, conceſſa gaudia, parca mediocritate ſufficerent. Ideoq; meretrice tantum, & quæ certiſſima eſt in uolũtate frugalitas, una fui ſemper eademq; contentus. At iſta ſeria, grauis, quæ nunc amari recuſat, ò quàm uoluit amari, quibus artibus, qua calliditate miſeram ſimplicitatem meam ſolicitauit primũ, deinde tenuit, donec

quantu

quantulamcunq; ſubſtantiam in huius ſinus credulus, iamiamq; ſecurus amator egererem. Iam fruſtra captauit uideri miſerari conditionem in quã nos ipſa detraxit. Breuiter totum nocentiſſimæ mulieris accipite facinus, pauperem me fecit, deinde ferre nõ potuit. Siue enim iudices communium, quæ ad corrũpendas expugnandasq; mentes excogitant ingenia, meretricũ placuit experimentum, & in me tentatum eſt quantũ quis amare, quãtum quis poſſet odiſſe, ſeu mulier omnibus expoſita mortalibus uanitatem faſtidio mei deſpectuq; captauit, ei fama inde quæſita eſt, ut à ſolis uideretur amari debere diuitibus. Non erat profecto quod paulo antè patiebar, iam tunc noſter affectus, quòd ſcortorum foribus hærebam, quòd (ſi iſtis creditis) paupertatẽ in lupanarium obſequia tranſtulerã, pallor & deformis macies inde ueniebant, unde nunc quòd excandeſco, quòd fremo. Nunquam hoc tantum meretrix ſcit quemadmodũ non ametur. Quod negari igitur iudices nõ poteſt, uirus homine firmius, mente conſtantius, quod immodico ardoris æſtu, & exundãte impatientia poſſit etiam recuſantis animi dolorem compeſcere, diris utiq; carminibus, & feralium percantationum terrore permixtum, lenitate uultus, & blanda porrigentis diſſimulatione protectũ, iã peruſtis, iã laborantibus uiſceribus infudit, et hoẽm ſolatijs potius ac mollium remediorum ratione tractandum exaſperauit ira, dolore concluſit, magnaq; miſerum commutatione renouauit. An fecerit iudices ut amare deſinerem, uos exiſtimabitis, fecit ut amare mallem. Explicitum me putatis, & ab incommodo hilariorem dimiſſum? Nunc nunc me fateor debere ſanari. Habet aliquod ſolatium quiſquis in amore miſer eſt, quòd abſtulit fidem: leuior eſt calamitas cui blanditur aliquid de uoluptate lætitia. Nunc infelix uror ac laceror, nũc me retinere, nũc regere non poſſum. Crudelius eſt odiſſe meretricem. Veneficij ago: Sepoſita pauliſper iudices noxiæ potionis inuidia, non ne uobis uidetur implere ſceleris fidẽ, quòd abſtulit fidem conditio perſonæ? Veneficium

neficium iudices tota uita meretricis eſt. Parum ſe lenocinijs, parum putant agere mendacijs. Et cum omnis ad expugnandas mentes cura collata ſit, non ſufficit tamen ut de ſui charitate cor pori credant. In hoc noctium dierumq; ſolicitudo conſumitur, quemadmodum de libidinibus fiat affectus, qua ratione tranſcurrentia quotidie deſideria teneantur: ne cui proſit offenſa, ne quem explicet pudor, ne quem ſatietas aliquando dimittat. En quam putetis ignorare quibus uincatur oculis, quæ per incommoda deſideria flagrantes mentes corrumpat primum, deinde conſumat, cum ſciat quibus oſcula, quibus arctiſſimi rumpantur amplexus, quæ pro lætitia dolorem, pro blanditijs gaudijsq; triſtitiam præcipiti uelocitate ſubſtituunt. Infinitum eſt quantũ ex medicamẽto deprehendi poßit notitia peiorum, nemo ſcit tantum remedium. Tentat iudices mulier impudẽtiſſima ſceleris inuidiam nomine potionis effugere, & uenenũ negat eſſe tantũ, niſi quod occidit. Facinus eſt iudices euadere nocẽtes, quia iam facinus plura deuitat. Quid refert animo noceat aliquis, an mẽbris? Eodem ſcelere porrigitur omne quod non licet. Vnumquodque ex his quod datur, uenenum eſt. Excuſatio mehercule adhuc pro ſexu tuo, pro conditione mulieris, ſed ut illa noſſes, gratia tui, deſideriumq; poſſes ingerere nolentibus, excogitaſti per quod maritos à coniugum charitate diducas, per quod iuuenum mentes abiungas ab alijs fortaſſe meretricibus: odij medicamentum nunquam ideo tantum meretrix habuit, ut illius contra ſe uteretur. Me quidẽ iudices, ſi quis interroget, in cõparatione ueneficij de quo queror, minus odiſſe debeat, quod occidit. Et ſicut ex ipſis quoq; mortiferis mitiora ſunt, quæ ſtatim tota uelocitate graſſantur, & dolorem inter exitum uitamq; non detinent, ita crudelius quod ſic ordinatur, ut corporis parcat inuidiæ, & ſit tantum animi uenenum. Quid ais? non eſt noxium uirus niſi quod occidit? Quid ergo uocaremus illud quo lumina ſola raperẽtur? Quo pars aliqua membrorũ debilitate langueſceret?

sceret? Tu te ueneficam negas quæ potes potione facere tãtum offensæ, quantum ira, quantum dolor? Amabit cui permiseris, execrabitur ille quem iusseris, accipient à te desideria nostra ortum, finem, modum. Sanè & amor & odium naturalis uideatur affectus, ueneficium sunt cum iubentur. Quid quòd non potest non habere uim ueneni, quod contra uoluntatem homini datur? Video cur sibi medicina permittat corporum uitia mẽbrorumq; morbos infusis medicaminibus expellere, & sine animæ spiritusq; contagione, quæcunque extrinsecus accidunt, potione uincuntur. Non potest ullus affectus sedibus suis per uirus expelli, nisi totorum concussione uitalium: & cum anima constet ex sensibus, quæcunq; auferre tentaueris, illa statim prima nostri parte corporis retenta, confectoq; quod petebatur, reliqua quoque uiribus uicinæ tabis expirant. Quædam forte medicamina possunt aliud uocari, quàm uenenum, dare quod non licet, non est aliud quàm ueneficium. Quantum nefanda de pœnis humanis excogitare potuisti? Innocentius mehercule fuerat ut amaret aliquis inuitus. Potionem excogitasti qua bella committere, qua se totũ humanũ genus posset odisse. Potes efficere ut nõ amẽt liberos parẽtes, ut ppinquitas, ut fraternitas, ut amicitia se collidat. Odij potionẽ nemo accipit, nisi contra hoẽm quẽ nõ debet odisse. Tẽtat hoc loco nocentissima fœminarum dẽ scelere suo facere beneficium. Meretricem, inquit, amaueras. Differo paulisper iudices affectus huius excusationem. Dij deæq;, quantum in hoc contumeliæ est, quòd sibi meretrix uidetur adamata. Tu tibi cuiusquam affectus censoria grauitate præstabis? Tu tibi æstimare permittes, quàm frequenter aliquis lupanar intret? Tu cui non licet excludere debilitates, fastidire sordes, expositæ ebrietatibus, addicta petulantiæ, & quæ nouissima uilitas est, noctibus populoq; concessa, mores iuuentutis emendas? Aequiore animo feras, ut meretrix uelit adamari. Eras, inquit, amator & pauper. Volo iudices sic apud uos paulisper agere, tanquam

quam in hoc me affectu propinqui amiciq; castigent. Non ego alicuius matrimonij corruptor inuigilo, nec efferas cupiditates per illicitos duco complexus. Inuentas credo meretrices, ut esset aliquid quod liceret amare pauperibus. Nullã ego circa corpora ista consistere impatientiam puto. Diliguntur immodice sola quæ non licent. Vt in furorem charitatis aliqua conualescat, opus est difficultatibus. Breuis de conceßis, sed statim satietati uicinus affectus est. Non fouet, non nutrit ardorem concupiscendi, ubi frui licet. Et quæcunque in mentibus circa permissa coalescunt, non sunt desiderij, sed uoluntatis. Hoc ipsum tibi mulier obijcio, quòd nos in fabulas sermonesq; misisti. Solus debet amare meretricem, quem meretrix oderit. Pauperi dedit odij potionem. Quid illam putatis dedisse diuitibus? Si mehercule repente nobis contingerent opes, iterum nos in sui charitatem alia potione reuocaret, & ista nunc seria, grauis uellet impatientia priore retinere. Meretrix pauperem amatorem propter se tantum non potest pati. Amanti, inquit, dedi. Hoc si remedium est, detur scienti. Prima pars sanitatis est ut libenter accipiat. Quinimò cur non potius datur amaturo? Quanto melius, quanto prouidẽtius, & minore bibentis dolore constabit, ut adhuc labentem aggrediaris animum, ut tum adolescentis ardoris impetus in paruis extinguatur elementis. Eo tempore das potionem quo pariter duos patiar affectus. Aliam impatientiam paras, & accipio odium, quia iam amorem ferre nõ possum. Non desino, sed esse aliud incipio, nec emẽdor in amore, sed trãsferor. Illa uera sunt remedia quæ fugatis morbis causisq; lãguoris postea nõ sentiuntur, & ea tantum innocenter dabuntur, quæ potẽtiæ suæ qualitate consumpta desinunt cum profuerunt: tu mihi dedisti quod semper exasperaret. Perpetua res est odisse sine causa. Ducam licet uxorem, te tamẽ odero: in peregrinas expeditiones patria dimittat, te tamen cogitationes sermonesq; respicient. Quid interest quemadmodum posßederis animum meũ, quemadmodũ

mihi à

mihi à te nõ liceat abire, discedere? Feciſti ut te ubiq; perſequar, ut meis fortaſsis manibus inuadam, uelim dare uenenũ. Qui meretricem odiſſe non deſinit, amator eſt. Sed infelix miſereris mei. Quid ergo ſanitate tam rigida? Paulatim potius rationem compeſce, miſceantur conſilia, blãditijs ueritas temperetur. Alioqui non eſt quòd abigas, quòd expellas. Exaſperant neceſsitates, & in amore cõtentio ſemper accendit. Adiuuabit te interim libertas ipſa qua fruar, tempus, ſatietas, & fortaſſe amator alius admonens conditionis. Sed inter oſcula, inter amplexus, paupertatem non tanquam exploraris, ſed tanquam miſererarıs allegat, quanquam quid opus fide? ſine curet ut deſinam, ſi quantum affirmas, inuitum miſeraris ac diligis. Amatori unum remedium eſt, amari. Si tamen neceſſariam putas emendationem, quàm multa ſunt amantium remedia citra uenenum? exclude, dimitte, faſtidium poſſet quantum non poſſet præſtare paupertas. Fac ut me potius ipſe caſtigem, ut erubeſcam, ut aliquando deſperem. Is tantum in amore ſanatur, qui quòd deſinit ſibi debet. Homo igitur qui merito indignarer ſi hoc tantum feciſſet aliquis, ut diligi deſinerem, quanto iuſtius queror factus cum iam ſum alius infelix, alia patiens? Decipiunt nos rerum falluntq; nomina, & ille qui odit, de amore miſer eſt. Non refert animi quid nimium uelis, & inter ſanitatem languoremq; nihil intereſt, ſi utrunq; ferre non poſsis. Fruſtra mihi quiſquam blanditur remedio, cuius patior tormenta, cruciatus. Aliud eſt ut amare deſinas, aliud ut oderis. Receſsiſſe nunc me tantũ putatis ab amore meretricis? Ablatus eſt mihi ille hominis melior affectus, perdidi miſer quicquid eſt, unde gaudium, unde uenit uitæ tota lætitia. Amor ille per quem rerũ naturæ ſacra primordia totiusq; mundi elementa creuerunt, qui tenet nunc figitq; rixantia, & de cõtrarijs depugnantibusq; ſeminibus molem perpetuæ ſocietatis animauit, fugatus eiectusq;. Non habeo infelix affectũ, quo quãdoq; poſsim ducere uxorem, amare liberos, appetere amicitias, ſperare conui

ctus.

ctus. Quiſquis odij medicamentum biberit, unũ fortaſsis oderit, ſed amare neminẽ poteſt. Dij immortales, quid ego hauſi, quale uiſceribus uirus ingeſtum eſt? Non fuit illud unum uenenum, bibi miſer execrationis quicquid totius mortalitatis ira cõtulerat, quod erat omnium animalium furor, omniũ ſerpentiũ congeſta rabies. Odij medicamentum quid aliud eſt, quàm aſsiduus animi labor, perpetua triſtitia, & homo ab omnibus gaudijs in contubernium doloris abductus? Fieri nõ poteſt ut uirus tã impotens ſemel in uiſcera receptũ ſit, & in unũ tãtummodo ſenſum, manderq; quouſq; dominetur. Ecce iã mulier odi, quid tamẽ adhuc facere illud in uitalibus putas? Paulatim ſe neceſſe eſt per totum diffundat animũ, & quãuis primo ſtatim hauſtu illud expugnet in quod datur, breui tempore in nominis ſui potentiã omnes reliquos ſtringit affectus. Medicamẽti cui tantũ contra animũ primum licet, prima fortaſsis uis erit odium, exitus iſte ut uenenum ſit. Reſpondere iudices illis libet, qui me paulo antè dicunt in amore fuiſſe miſerabilem. Quanto crudeliora, quanto grauiora patior, qui dicor explicitus? Modeſtior cum amarẽ, & quietior fuerat ſanè pallor in facie, ſed ipſa quoq; comis, optanda triſtitia. Inueniebam colloquia, merebarq; ſermones, nunc me omnes fugiunt, auerſantur, oderunt. Tum frequenter à lupanari deducebat pudor, abijciebat occurſus: nunc publica detinent, conqueror, aſsiſto, conuicior. Prò miſeranda conditio, rideor ubiq;, narror, oſtendor. Ego ſum tota ciuitate meretricis inimicus. Sic patior miſer illas lupanarium inſultationes, illa corriualium maledicta, conuicia, non poſſum ſatis tormentorum exprimere menſuram. Odi nec unquam uiſus ſum magis amaſſe. Intelligitis puto iudices hominem, qui tantum ad uos detulit animi mentisq; cruciatus, & pro uita queri. Sed potio infelix, quicquid eſt, per quam paulatim proficitur ad mortem, aſsidue mecum rixatur affectus, & breui neceſſe eſt conſumat. Quotidie uincor. Quæ putatis eſſe tormenta, quem dolorem, cum mens uetatur oculos

sequi, cum à luminibus suis animus abducitur? Quod non profi cit, hoc supereſt, ut occidat. Me infelicem, ſi uenenum iſtud non habet mortem, ſi mihi inter hos dolores lõgior uita ducẽda eſt. Cur ergo poſt hoc animi uices commentáq; proſpicio? Si meretricis impotentiæ omnia licent, hoc erit remedium, ut amare rurſus incipiam.

ODII POTIO II.

Ex ſuperiore argumento Declamatio.

Pro meretrice contra iuuenem. 15

ET SI iudices ita à natura comparatum eſt, ne ſit ullus iuſtior dolor, quàm beneficij ſui perdidiſſe rationem, nihilq; grauius afficiat conſcientiã bonorum, quàm quotieſcũq; nulla merita ceciderũt: nõ efficiet tamen nefandum præſentis reatus indignumq; diſcrimẽ, ut miſera puella non gratuletur ſibi, quòd illam pauper accuſare iam poteſt. Timuerat infelix ne remedio ſuo ſic repugnaret pauper, ut magis amaret, ne iuuenis in omni genere animi contentioſus ac pertinax, potionẽ illam dolore coactæ ſanitatis expelleret. Bene quòd & terribilis, & minax eſt pauper, quòd pœnam noſtrã, quòd ſanguinẽ petit, non expectes ut ſtatim gratias agat qui ſanatur inuitus. Nobis tamen iudices hodiernã pauperis mentem nõ prima fronte tractãtibus miſerrimus iuuenis nõdum uidetur explicitus, & ſi bene prioris ardoris impatientiam noui, quod maxime facit ira, nõ odium eſt. Alioqui ſi profeciſſet remediũ, & à priſtino furore iã liber animo intellectũ ſanitatis admitteret, omnem adhuc puellæ uitaret occurſum, nõ ſibi crederet ultionem, & ipſum quoq; iudicij timeret adire complexum. Deprehenſa eſt puto nouiſſime potionis ſuperuacua perſuaſio. Amat iudices, amat qui queritur quòd nõ ametur. Quid agam iudices hoc loco? ſub quo tẽperamento defenſionem periclitantis aggrediar? timeo ne ſi cœpero ſimpliciſſimæ puellæ laudare mores,

mores, referre probitatem, amare rurſus pauper incipiat. Siue enim iudices malignitas eſt perſuaſionis humanæ formã uacantem uocare meretricem, ſeu miſeræ nomen id impoſuit aliquis amator, cui cũ corporis bonis fortuna non dederat unde ſeueri matrimonij caſtitati ſufficeret, laborauit neceſſitatũ ſuarum cuſtodire probitatem. Nullius unquam per hanc matrimonij turbata concordia eſt. Nemo queſtus eſt pro filio pater. Nemo exhauſtas facultates in auidiſſimos ſinus pœnitentiæ dolore deſleuit. Tẽtet licet ingratiſſimus iuuenis inuidiã miſeræ facere prioris affectus, non poterit obijcere meretrici, & quòd amarit, & quòd amare deſierit. Ne quẽ igitur accuſator hac prima fortunæ ſuæ cõploratione decipiat, tanquam meretricis charitate cõſumptus ſit, ſecuri eſtote pro innocẽtia noſtra, talis incidit, talis adamauit, nec habuit quod perderet in tã immodico ardore, niſi mentem. Vidiſtis enim notiſſimũ tota ciuitate miſerũ. Cum lupanari noctibus diebuſq; deſeruiens, & quamuis indulgentiſſimæ puellæ ſimplicitate frueretur, modo tamen maledictis opprobrijſq; uulgi, modo crebra riualium contentione pulſatus, abigi tamẽ compeſciq; nõ poſſet, mouit mitiſſimã puellam hic infelicis affectus. Laboranti primo ſui uoluit facultate ſuccurrere, ſed quicquid indulſerat, fouebat ardorem, quæq; in hac impatiẽtia, prona perſuaſio eſt, quia nihil præſtanti meretrix tam ſæpe cõtingeret, amari ſibi uidebatur. Poſtquam nihil miſeratio, nihil proficiebat humanitas, tẽtauit aſperitate diſcutere. Popoſcit, excluſit. Non defuerunt miſero preces, adhibita ſunt ex ipſa iuuenis cõditione cõſilia. Sed iſta uincebat, & uires amoris impedimenta perdebãt, donec intelligeret hominẽ qui explicari ratione nõ poterat, neceſſitate ſeruandum. Puto iudices fruſtra male audit in immodico pauper ardore. Meretrix magis amauit hominẽ, à quo noluit amari. Conſumptis igitur optima feminarũ cunctis indulgentiæ ſeueritatiſq; conſilijs, dum apud omnes de pauperis ſui amore conqueritur, incidit remedium, quo iã dicebatur

batur alius amator explicitus. Quæ prima igitur medicamenti pariter ac dantis integritas est, non negatura porrexit, adiuuit deinde quod dederat, imperauit sibi ne quas admitteret amplius preces, ne querelis assistentis, ne lachrymis moueretur, exclusit. Vultis scire iudices ubi sit medicamenti quod obijcitur totus effectus? Quisquis odiũ dedit, omnia post hoc facit, ut debeat amari. Quanto iuuenis hoc melius in forum aliquando uenisti? Incipis agere serium, grauẽ, iam leges, iam iura loqueris, conuiciaris, maledicisq; meretricibus. Hunc tu animum modo inter libidines ac scorta perdebas, macie notabilis, pallore deformis, solaq; impatientiæ tuæ fabula notus. Perieras infelix nisi bibisses uenenum. Veneficij agit. Credam mehercule iudices ad subscriptionem huius immanitatis expectasse publicæ seueritatis aures. Quodnam seculo nefas nunciaret hic gemitus, quæ prosiliret orbitas de nouercalibus quæsita commissis? Quæ pestiferis hæredẽ medicaminibus enectum tristis comploraret affinitas? Non pudet ergo quòd uacatis lupanarium querelis, & ad uos deferuntur amantium rixæ? Videtis hũc accusatoria fronte terribilem? oscula poscit, destitutos queritur amplexus. Vultis uos abire potius in uestra secreta, ibiq; gaudia querelasq; mutata conuersatione consumere. Non agnoscunt leges ac iura miseros. Hic audiuntur seræ calamitates. Non est ultione dignus, de quo potest efficere meretrix ut queratur. Et quando unquam iudices audistis de ueneficio uiuum querentem? facinus hoc semper ex mortibus cepit inuidiam. Si latrocinium probes, cruore, uulneribus: si sacrilegium spolijs numinum, prædaq; templorum: Ita uenefi cium si arguis, oportet ostendas putre liuoribus cadauer, inter efferentium manus fluens tabe corpus. Vt iam istud obijcere possit & uita, debet aliquid esse passa, quod inuidiam mortis imitetur. Veneficium uoca quod cæcitate grassatur, quod in aliqua deprehenditur debilitate membrorum. Profer agedum corporis notas, in quas se noxiæ potionis uagus feruor effuderit, ubi depasta

pasta senectus uisceribus sæuitura consederit. Aspicio par laboribus corpus retinere sua ministeria, sufficientem animum serijs actibus, accusatoria firmitate robustum. Crede iuuenis omnibus qui te modo noueramus, nunc acrior erectiorq; resedit in sensus uigor, in membra sanguis, uiribus uelut nouæ iuuentutis exultans. Bibisse te medicamentum probare nõ posses, nisi meretrix fateretur. Quòd si permittitis iudices, ut quicquid extra consuetudinem datur, ad huius uulgi referatur infamiam, beneficiũ male audiẽdo uitietur sanitatis, statimq; merebitur sceleris inuidiã, quicquid profuerit inuito. Illud tantum noxium uirus uocauere leges, quod non admitteret interpretationis incertum. Iniquissimum est uenenum uideri, quod in potestate bibentis est, an sit remedium. Sentit iudices iuuenis crimen quod detulit, nec nomine, nec effectu scriptionem legis implere, itaq; ex uocabulo mulieris quærit inuidiam. Meretricem, inquit, accuso. Nescis, mihi crede iuuenis, sceleris quod detulisti qualem mihi debeas probationem. Rem expecto mehercule, ut sit ante omnia minax uultus, feralis habitus, horreant squalore crines, rigeat super nefandas cogitationes efferata tristitia. Facinus quod dicitur inquieta re superos, sidera diris agitare carminibus, tumulos, busta scrutari, & amputatis cadaueribus ipsas in scelus armare manus, fieri non potest ut autorem suum non statim primo prodat aspectu. Vides ueneficæ non horridos uultus placidamq; faciem. Si cogitationes, si consilia pertractes, sola cura de forma est, omnis in hoc collata meditatio, ut solicitet aspectu, sermone detineat. Audio subinde exactas mero noctes, tua mulier conuiuia, perditas amantium rixas. Meretricis unum ueneficium est, ne desinat amari. Nunquid inique iudices in tanti sceleris subscriptione deposco, ne nominibus reos uelitis existimare sed moribus? Venefica tua quid prius unquam, quid simile commisit? Cuius per hanc expugnatus animus? Quis queritur iuuenis, quis senex, quis pauper alius? In te ergo solo uenefica, in te

tantum aliud ista quàm meretrix. Vultis integritatem puellæ breuiter probem? Hanc quam nunc detestatur, accusat, amare mallet. Omnia iudices facinora (nisi fallor) causas uel de cupiditate, uel de simultatibus trahunt. Quod odiũ de amatore meretrici? Quæ præda de paupere? Odium, inquit, accepi. Ecquid iudices? Satis me cõtra infamiam ueneni uel solũ medicamẽti nomen absolueret. Nec inuenio cur debeat idem uideri, quod nõ potest idem uocari. Agedũ iuuenis potionis imple huius immanitatem, dic odiũ accepi contra cõiugem, contra liberos meos, ut à sacris auocarer affectibus, ut pignora sancta despicerem. Illud odium in meretrice facinus est, quo utitur in sui charitatem. Ita uel hoc solum sufficit excusationi, quòd illa contra se tantum dedit. Odium, inquit, accepi. Nunc te hic reposco iuuenis inuidiam, quam fortunæ nostræ paulo antè faciebas. Dic meretrix dedit, prostituta porrexit. O quàm timucrã, ne diceres, amatoriũ sui. Consurge agedum iuuenis, & totis corporis animíq; uiribus imple susceptæ accusationis horrorem. Est quod audiente tota ciuitate proclames. Miseremini mei, adiuuate, succurrite, bibi medicamentum crudele, sæuum: desij pauper amare meretricẽ. Iam iam non inquietis noctibus uagus uilissimi cuiusq; perditos patior ictus, nõ exclusus ante lupanarium fores posterũ diẽ peruigil amator expecto. Possum nauigare, colere terras, sufficio militiæ, redditus est mihi animus quo fierem maritus, quo senectuti liberisq; prospicerem. Quantum dij deæq; remedium conditioni bibentis ualuit, fecerat te potio ista felicem, si diuitem puella. Ita uel hoc non solum iudices innocentissimæ puellæ pro defensione sufficeret, quòd nihil fecit sua causa? Amatorem dimisit, explicuit illa quæ capturæ dicitur ut ametur, quæ solicitat, quæ corrumpit affectus. Ingrate quanta de te potuerit gratia frui. Non quidem confers precia, non stipes, sed aßides, sequeris, hæres, præstas comitatum, fauorẽ, laudas, ubiq; miraris. Hinc ergo iratus meretricibus, quòd illas etiam pauperes amẽt, quòd facile cõtingant,

tingant, quòd laboribus exorẽtur adeũtium facies, hinc amator ut diuites ament, in crimen maximum captas transferre beneficium. Vt aliquis amare desinat, non nisi ab amante præstatur. Quid ais iuuenis? Ita bibisti potionem, quæ finem cupiditatibus daret, premeret ardorem, desideria restingueret? Abi, recede, dum puellæ publico generis humani nomine gratias agimus, quòd hoc fieri posse monstrauit. Furor ille qui (si credimus) numina quoq; detracta sideribus misit in terras, qui de sacris uenerandúsq; pignoribus monstra commentus est, ardor qui miscuit hominum ferarumq; concubitus, ferrum, ignes, claustra laxabat, per interiecta late maria fugiebat, uetatur, perit. Accipite quod magis debeatis stupere quàm mirari, remediũ amoris mulier inuenit. Desinite nunc incestum timere mortales, nulla pietas horreat nefandæ cupiditatis instinctum, quicquid nõ parentũ miræ castigationes, non serij propinqui, non paupertas, non necessitas poterat efficere, haustus breuis, facilis, unus extorquet. O si quis odium posset omnium bibere uitiorum. Felix profectò mortalitas, si reliquos lapsus incõmodosq; mẽtis errores fas esset infusa potione cõpescere. Facinus est, quòd maximum remedium gratiã sui, autoris uocabulo perdit. Miraremur hominem, qui illud contra meretricem dedisset. Tibi tamen ultra omnes immodica cupiditate flagranti, tibi præcipue succurrendum iuuenis. Cuius homo conditionis adamaueras? Diuitijs opus est, ne simus in amore miseri: & impotentissimi mali difficultates illi fortasse non sentiant, quos contra fastidia cæterosq; contemptus explicat felicitas magna pereũdi. Felix profectò qui nõ nisi facultates in lupanari effudit. Tu perdis animum, ille æs, tu bibis uxoria, tu lachrymis rogas, pallore blandiris, & quod ad pessimum spectat euentum, miserabilis sis oportet, ut amator esse uidearis. Finge te nullum huius affectus sentire cruciatum, id amare te pauper saltem nõ pudet? Homo cui nõ uacaret agere longa languoris ocia, ægrumq; non deceret totarum noctium quies, excusare

cusare non possis si tantum perdideris dies, cuius census ex manibus, ex laboribus substantia, quē quotidie poscit ultra rationem indies demensus, amentiam pateris, felicium oscula tantum amplexusq; meditaris, & unde tibi calamutatis huius non potest nec uenia contingere, de uoluptate miser es. Expectandū uideli cet quādo te fames, inopia castiget, sed inter ista cœpisti. Quid iam facere potest ratio, consilium? Odio sanandas est, quem non expediat quòd pauper adamauit. Nō tamē intelligere possumus tecum solam fuisse paupertatem. Iterum, non opes tantum tibi, non facultates defuerunt: non erant, quātum uideo, propinqui, non amici, alioqui illi te potius nostra potione senassent: uel si ignorassent huius graminis uires, uinculis nexibusq; tenuissent. Quid blandis affatibus impotentissimum eludis affectum? Datum est remedium dolori, qui sæpe egit in laqueos, in præcipitia compulit, qui cruciatus laborantis animæ uulneribus emisit. Quantum amori in hominem liceat, illi magis sciunt, qui amāt. Iunge nunc cum fortuna tua conditionem mulieris adamatæ. Incideras quidem miser in puellam minime superbam, minimeq; difficilem. Quasdam tamen non possumus cirumire meretrices. Quàm multa pro illis exigit sexus, ætas poscit, semper necessitas petit corporū, cultus poscit, stationis tristissimæ impatiētia. Totos infelix dies lupanarium foribus impendis, ut quando prostituta pauperi uacet. Contentione munerātium dilatus, exclusus, ocium meretricis expectas. Negatur tibi complexus, indignatione persequeris. Contingit, uerū felicitate corrumperis, spem gaudia parant, aduersa contritionem. Ex utraq; fortuna desideria coalescunt. Nobis crede qui uidimus, quis tibi uni fuit corporis habitus, quis pallor, quàm miserabilis, quàm pudenda tristitia? Quoties tu uenenum bibere uoluisti? Nō est igitur iuuenis, quòd tibi queraris illam mitissimam partē humanæ mentis ablatam, non charitatem, sed impatientiam: non uoluptatem, sed tormenta: non amorē, sed quod amaueras perdidisti. Amoris (si sa

pientiæ sequamur autores) antiquissimum numen, & cui se naturæ debet æternitas. Sed ille mitis & serius honestis cupiditatibus & uiribus sacræ charitatis exultans, ut qui cuncta priscæ noctis operta caligine diduxerit primum, deinde miscuerit. Hic uero quo perditis uisceribus adhæremus inquiet, lasciuiētis adhuc ætatis instinctu tumultuosus ac petulans, telis funereis facibusq; armatus. Præstat igitur ille mortalibus liberos hac usitata coniugij pietate: hic incesta, libidines, adulteria, meretrices. Referam nunc fabulosas immodici furoris prodigiosasq; nouitates, contemptum nescientibus oculis ignoti hominis aspectum, formam suis in se luminibus ardentem, uirgines patrū senectute flagrantes, mortalium ferarumq; uultus usq; in monstrosæ fœcunditatis onera perlatos. Ex omnibus tamen quæ nobis patiētibus extorquet affectus, hoc sæuissimum patimur, quòd nemo uult in amore sanari. Ego tamen, inquit, amare mallem. Hoc est ergo propter quod opus odio fuit. Nihil agebant castigationes, nec preces, consilia perdebantur. Odio debet amator explicari, quē sanat adamata. Interrogare te hoc loco libet, nunquid accusare posses, si quod fecit medicamento puella, feciſſet animo. Licuit te reposcere quantum numerare nō poteras, fastidire, contēnere. Iam indignaris quòd te maluit remedio, quàm dolore sanari? Mulier cui ad dimittendum amorem sufficiebat ut odisset, ipsa pro te commenta est, ut illam tu potius odisses. Finge te tamen aliqua remedij tui sentire tormenta, arrogantissime miserorū: tu autem sperabas ardoris immodici felicem statim sanitatē? Quid si queratur æger abstinentiæ dolore sanatus? Excussa sunt plerunq; languentium uerberibus redemptaq; debilitate uitia: ignibus, uulneribus interdum profutura grassata sunt, & quæ fuissent mala sanitatis, in gratiam remediorum de maioris periculi comparatione redierunt. Vix mehercule contingere potest ut hilares ab hac impatientia lætiq; discedant, quos pudor, quos satietas, quos pœnitentiæ ratio dimittit. Nec sine aliquo morsu

resilitur à malis, quæ uoluptate tenuerunt. Iterũ materia amoris est, desinere, nec queri. Opus fuit pari diuersitate, uiribus quan-
*recideres tis adamasti, ne *resipisceres, ne frequẽter in media sanitate subsi steres. Quale tibi remedium debuerit adhiberi, uel ex hodierno sentis iuuenis affectu. Pro homine qui post odium queritur quod non amet, parum fuit si amare desineret. Audi igitur ingratissime, quatinus ad publicas aures secreta nostra proferre uoluisti. Dedi, quid enim, inquit, facerem, quæ remedia tua multa perdideram? Ferre misera non poteram, quòd te iam cœperũt omnes ridere meretrices. Repete agedum illarum colloquia noctium, quibus te frequenter alterius, & fortasse diuitis amoris iniuria receptum inter oscula amplexusq; monui. Quid miser cum fortuna, quid cum mea conditione rixaris? Parce necessitatibus meis, duo pauperes sumus. Sed & tu quoties in sinus meos lachrymis fletuq; resolutus exclamasti? Sentio furorem, sed imperare oculis, sed animum regere non possum. quàm libenter te mulier odissem. Non est igitur ingratissime mortalium quòd beneficium nostrum nomine potionis infames. Remedium bibisti, sed illud odium tuum est. Quid? quòd furis, conuiciaris, exclamas, non est haustus illius affectus, sed amor. Talis fuisti. Aliud sunt, aliud illi, quos in uoluptates superfluentium facultatum mittit secura felicitas. Improbius pauperes amant. Sic tumultuabaris admissus, sic moras, sic impedimenta ferre non poteras. Maledicebas populo, cõuiciabaris intrantibus. Cuius unquam felicius commutata fortuna est, si tunc omnes oderas, nunc unam pauper odisti? Quin potius iuuenis admittis consilij rationem? Quid agis infelix? Cur redditam modo sanitatem rigore ninuæ contentionis exasperas? Prædico, testor, cõsumis odium, nondum totam mentem uis perfusa possedit, adhuc circa te duo maximi rixantur affectus, adiuua potius, adiuua potionem. Contradic agedum quicquid est aliud quod tumultuatur, exæstuat: totumq; sanitas componat hominem. Tunc te sciemus amare desisse, cum desieris odisse.

odisse. Et innocentiam quidem puellæ satis, ut spero, defendimus, magnitudo periculi uocet preces. Cõsurge agedũ miserrima fœminarum, reliquã defensionis tuæ partem tuere lachrymis. Accusator quid speras? quid expectas? Ad genua tua nõ mittimus eã. Toto licet infelicẽ terrore conuenias, non exosculabitur manus. Mortem, suprema denuncies, te nõ rogabit. Frustra tibi aliquid de periculo nostro metuq; promittis. Nescis puella, non habet odij remedium. Sanè tamen uiribus potionis effectũ sit ut accusa ueris innocentẽ, sufficit ultioni uidisse pallentem, satis est audisse gemitus, memineris hanc esse quam tu non iuuenis odisti. Quid agis? etiam ne perferres illud pronũciationis anceps, illud humanæ salutis incertum? Numerabis ergo sententias, & si damnaueris, exultabis nefande, gaudebis? Puto nõ adamasti. An & sequeris dum carnifex trahit? Intereris dum hos oculos occisura cõtingit manus, dũ hæc amplexibus tuis nota ceruix ad supremos nudatur ictus? Non exilies, non pectus oppones, nõ fidem hominũ deorumq; clamabis? Accipies percussam super palpitantia membra consistens? Potes hoc uidere? potes hoc ferre? Sanatus es. Quòd si quid tristius iudicij huius attulerit euentus, dij rapide pereuntium beneficiorũ semper ultores, dij quos iste crudelis in amplexibus puellæ frequẽter mœrore, lachrymis, aut finem amoris rogauit, aut mortẽ, date nobis iustam de ingrato iuuene uindictam. Nõ imprecamur debilitates, naufragia, morbos. Pauper sit, & amet quancunq; meretricem, & amare non desinat.

AMICI VADES. ARG.

Duo amici, ex quibus uni mater erat, peregre profecti, ad tyrannum appliciti sunt. Mater cognito quod filius haberetur à tyranno, flendo oculos amisit. Oblata est à iuuenibus tyranno cõditio ut dimitteret alterum ad uisendam matrẽ, ad diem præstitutã reuersurũ, ita ut nisi occurrisset ad diem, de eo qui restiterat, pœna sumeretur. Et iureiurando astrictus est. Venit iuuenis in ciuitatem, Mater detinet ex lege, qua parentes in calamitate deserere non licebat.

Pro iu

Pro iuuene contra matrem. 16

ETSI ſanctiſſimi uiri olim omnes uideor humanorum pectorum affectus in ſolam amicitiam contuliſſe, & patior inuidiam hominis, qui ſibi non reliquerit ut amaret & matrem: quoties tamen uniuerſam pietatis conſcientiam intueor, in qua minimum eſt, quòd uideor bonus amicus: non poſſum non hanc primam electionis noſtræ complorare fortunam, quòd mihi neceſſe eſt, aut amicum relinquere, aut matrem. Facinus feuerißimi uiri, facinus fit impatientißimis affectibus meis, quòd ſuccurri non poteſt duobus. Excedit omnem querelæ meæ complorationem, quòd tam diuerſis meorum conatibus aduerſa conueniunt, ut uidear eligere. Quid non darem miſer pro luce matris, qui ut illam uiderem amicum dedi? Fidem ueſtram iudices, ne inter maximas neceßitates pereat uſus hominis, qui paratus eſt duobus impendi. Iam hic eſt tota ratio clementiæ, ne ibi me detineatis, ubi non proſum. Nec diſſimulo ſanctiſſimi uiri perferre me cum maximi tum incredibilis exempli fidem, ut non immerito poſſim uideri cum matre colludere. Ego uideor excogitaſſe iſtum colorem, & hoc quòd detineor amicitiæ uocatur infirmitas. Miſeremini iudices, tentate me & dimittite. An noluerim reuerti, ſcire non poteſtis niſi reuertor. Illud ſanctiſſimi iudices, illud affectus meos torquet ac lacerat quòd ſim ingenti laceratione deceptus. Speraueram futurum ut hoc loco rem magnam faceret & mater. Paraueram apud tyrannum hanc iactationem, ut me crederet remißum: & genus oſtentationis adamaueram, ut mirarẽtur hominis fidem etiam in orbitate. Quo uultis hoc animo ferã, quòd etiam ut reuertar, amico meo mater impoſuit? Et quantum ad hanc pertinet, maximum iuuenem decepit, illũ qui meos crediderit affectus. Non poſſum iudices, litis huius diſſimulare facinus, innocentius fuerat ut ego nollem reuerti. Viderint ſanctiſſimi uiri,

uiri, qui receptas nominum perſuaſiones uelut aliquam ſeruitutem charitatis attendunt. Me ſi quis interroget, nullos affectus tantum naſci puto. Et ſi quis omnia uera ratione reſpiciat, quic quid liberos, fratres, propinquos inuicem tenet, amicitia eſt. Homines igitur, quos cum maxime incredibilium rerum loquitur inuidia, ſumus ſine dubio eiuſdem pars animæ, non eiuſdem ponderis uteri: & quanto minus in cauſis, tanto plus in affectu eſt. Admirabilior charitas in quam coimus uiribus noſtris. Non puderet iudices hanc fãteri perſuaſionem, minus debetur homini, qui aliquem ideo tantum amat, quia neceſſe eſt. Ita eſt iudices, ita eſt, à primis ſtatim ætatibus in eandem coire uitam, habet aliquẽ fraternitatis affectum. Sic effectum eſt, ut nos ſtatim fama committeret, & tali certamine coimus, ut ſiquid accidiſſet uni, deberet & alteri exemplum. Inde eſt quòd & pariter reuerti contempſimus, & quaſi facilius eſſet inter fidos, placuit ſub incerto pelagi cohærere. Nec tamen uanitate, nec diſcurſu putetis extractos, magnas & inexplicabiles nauigandi fuiſſe cauſas, uel hinc poteſtis exiſtimare, quòd nos non detinuit hic mater. Vtrum ne igitur iudices ſumere de nobis etiam nũc uoluit experimentum ipſa amicitia, & parum fortuna credidit hominibus adhuc tantum feliciter amãtibus? An hæc eſt magnæ ſemper opinionis inuidia, nec ulli unquam tam plena confeßione laudantur, ut illos non ipſa quoq; amicitia tentare uelit? Littoribus appulſi ſumus homines quorũ omnia caſus, fama cuſtodiebat, conſumimur terrore, qui parentibus ſtatim cæcitas eſt. Hinc illud euenit, quòd ſumus pariter alligati. Sic magis aduerſus ſolutum carcer inuentus eſt. Pudet iudices fãteri, iam in hoc uictus, iã inferior receßi, ex duobus magis amatur, quem tyrannus paratus eſt alligare. Quantum tibi amice debeo? Non potuit nos diuidere niſi mater. Tibi primum cæcitas nunciata eſt, tuus hic affectus fuit quòd hoc crediderit tyrannus, quid ille non fecit, ut Rex deſiderauerituicarium corpus? amplexus eſt catenas. Sponderi ſibi uoluit

hominem.

hominem rediturum per maria, per matrem, repromiſit de incertis tanquam de animo ſuo. Quis hominum pro ſe tam multa feciſſet? Præſtitit inquam amicus, præſtitit rem quam uidebatur ideo tyrānus indulſiſſe, ne fieret, & hominem qui in rebus humanis hunc eſſe nolebat affectum, decipimus dum tentamur. Ego nō inuenio cur horreat mater carcerē, quid ſibi uelit quaſi deſtinatas operire ceruices. Non odit me tyrannus, cuius non intereſt an alium occidat. Miſerere mater (ſi quis magnorū meritorum pudor) querere quòd unum de cæcitate impatientius ex nobis amaris ſemper abſentem. Cui tu fortunas, quibus neceſſitatibus injcis manus? Me ad amicum meū admitteret alterius catena, & tyrannus nunc mihi portas aperiret, ſubſidio nauigium pirata præſtaret. Si mehercule antè morerer, ire deberes mater ad diem. Miſera non intelligis quanto te magis & plus obligauerit amicus? plus debes homini, qui me tibi remiſit, ex quo pati non potes ut reuertar. Libet mehercule iudices, libet miſereri hominum, qui me laudant reuertentem. Amicus mihi credidit ut redirem. Ita nunc ego facio rem magnam, ego ſum ille bonus amicus, ille mirabilis, ille narrandus. Si qua dicentis fides eſt, facinus mihi uidetur, quòd ſcio me non eſſe periturum. Sentit iudices & ipſa mater rem ſe facere turpiſſimam, ſi neceſſitate detineat. Itaq; mulier quæ adhuc de affectu cuncta fecerat, ad legem ſubito conuertitur. Peſſima iudices cauſa matris eſt, in qua plurimum lex poteſt. Liberi parentes in calamitate ne deſerant. Facinus eſt iudices hoc dici homini reuerſo. Ita nunc ego contemno matrem, ego deſpicio cæcitatis obſequia, homo qui omniū calamitatum mearum ambitum in hoc conſumpſi ut redirem, qui inter ſupremas ſolicitudines nō pro me rogaui? Mihi quiſquam contumacium ſupplicia liberorum, mihi neglectæ pietatis minatur inuidiam? Bone Iupiter, quanti mihi conſtitit ne malus filius uiderer. Imputem tibi neceſſe eſt mater, quòd meum amicum propter te reliqui, ad quem facinus eſt non reuerti. Nondū

iudices

iudices neceſſitates meas, nondū amici merita refero, interim contendo tunc eſſe tantum legis huius uſum, cum in calamitate ſoli ſunt parentes. Magnam partem mortalium fortuna dimiſit à legibus, nec ulla iura tam triſtia ſunt, ut ea in aduerſis patiantur homines. Ego cum me neceſſitas rapit, ſic habeo queri quaſi relinquar. Excuſatæ ſunt parentibus liberorum calamitates, & ſi quem lex iſta deprehenderit, in alterius fatum tranſeat neceſſe eſt tanquam orbitatem. Quid enim ſi detinente matre alter è latere reuocaret, & ſi bella militem poſcerent, ſi Legatum patria dimitteret, ueluti ad propriam deſcendam neceſſitatis meæ complorationem. Si me damnatum pœna conſtringeret, uidelicet effringeres carcerem mater, injceres carnifici manum & periturj filij iugulum autoritate iuris operires? Dij deæq;, quàm longe eſt lex quæ retinet hominē, qui pœnæ nō uenit. Neſcis quantum intelligo mater quantam inuidiam debeant facere liberis parentes, à quibus relinquuntur. Mater quæ ſe deſeri queritur, illud exclamet. Filium meum ciuitas peregrina ſolicitat, ut amœnos neſcio cuius receſſus orbis petat, debilitati meæ ſubtrahit humeros. Iuuenis meus abducitur amore meretricis, & ab officijs ciuitatis uitijs abſtrahitur oculorum. Eiuſmodi gemitu filium neceſſe eſt perſequaris, ut quòd detineor obiter & pœna ſit. Non facit iſta lex ad liberos, qui miſericordia detinentur. Vt turpe ſit quòd recedo, in eo tantum eſt ad quem reuertor, & ut facinus ſit relicta mater, non faciunt niſi cauſæ relinquendi. Homo qui ad tyrannum reuertor, ſi malo animo relinquo matrem, dignus ſum qui detinear. Non eſt itaq; quòd ſubinde nominis ueſtri beneficia mater opponas, non eſt quòd utilitati tuæ fieri poteſt, ſi credimus eſſe in rebus humanis, & alterum affectum amicitiæ, quam mihi uidetur natura excogitaſſe ut coire inuicem poſſit totum hominum genus, quæ nondum circa ſe tenet omnes admirationes, quia tota non contingit, quæ tamen peruenerat ad incredibilium fidem, niſi illam uos impediretis. Amicitia

pluri

plurimorum corporũ,unus animus,uicariæ manus,fortior quàm matris affectus.Rogo quid refert quid uocetur ille qui sic amat? Quid interest ex quibus magna merita descendant? Vultis scire quid de hoc affectu sentiat mater?Et amicum meum putat malle ne reuertar.Finge me positis paulisper meritis,quibus obligatus sum,hoc tantum dicere. Amicus alligatus est, ire uolo mater ut redeat,ut consoler,ut dominum rogem,ut si tyrannus exegerit, uicarium corpus opponã. Quid detines? quid moraris? Hoc est tempus propter quod coimus. Nescias an diligat cuius non habet experimenta nisi sola felicitas, & si uitæ præstes omnia secunda, amicus otiosa res est. Dicturum me putas, hoc expectat alligatus,expectat totum imò genus hominum, & nos in hanc fidem persuasionis receperunt,ut si hoc faciam, nemo miretur. Vis scire mater quem affectum, quam reuerentiam in calamitatibus amico præstare debeamus? Nullam legem timuit ne relinqueretur.Differo interim causam amicitiæ,agere paulisper omniũ libet,& tyrannus mihi credidit,uolo reuerti.Nulli unquam mater plus commisit fides, neminem magis obligauerunt expectationes. Credidit mihi homo,cui res fauorabilis contingit si decipitur,qui sibi excogitasse contra omnes amicos uidetur, ut illi imponeremus.Non est quòd mihi supplicia,quòd omnẽ mortis apparatum mater opponas.Facinus est,id tantum hominibus bene credere quod expedit:& actũ est de rebus humanis,si sola seruatur utilitatum fides.Infinitum est quantum mihi crediderit tyrannus,si me occiderit reuersum. Intelligit iudices & ipsa mater, quantæ reuerentiæ locum amicus obtineat, quæ incipit contendere affectu.Nisi fallor igitur,cum ego sim materia litis, hoc primum existimare debetis, uter in ea calamitate plus fecerit.Ante omnia permitte mihi de hoc affectus tui genere mater queri. Quid tibi tam rabido, tam præcipiti dolore uoluisti? Quid aduersis tuis præstare faciem, & in oculos tuos accipere nuncium? Non reliquisti tibi ut redimeres, sine dubio adiecisti ad ma

ad matris affectus,oculos in media orbitate fudisti,sed illud non laxat catenas,non explicat corpus. Quid mihi prodest iste qui se contra filium consumpsit affectus? Plus fecisset mater quæ isset ad tyrannum.Alligatus sum,tu nũc sic flebis tanquam soluar in lectulo,tanquam in tuis manibus expirem.In quibusdam calamitatibus desperatio non est summus affectus,& quisquis orbitatẽ statim credit,festinat ad impatiẽtiæ securitatem. Insimules licet mater tantæ pro me impatiẽtiæ, tam incredibilis affectus, amicus rem difficiliorem fecit,quòd seruauit oculos suos,ut alligaretur. Dij deæq; quantum ille præstitit,qui mihi inuidit pœnam meã, nec recessit.Ille,ille terribilem carcerem facit,qui inde procedit. Iam non corpori nexus hærebat, nec aliud quàm resederãt ponderecatenæ,consumpti longo squalore uultus, concretæ noctibus diebusq; super ora lachrymæ.Miseremini iudices,ne perdat autoritatem meritum quod ultra expectationem est. Ponite sub oculis alligatos,quorum alterum amicus redemit,alterũ manet. Rogo uter plus fecerit.Bone Iupiter quàm auide,quàm fortiter uincula nostra tractauit. Quibus ille precibus exegit,ut sibi crederetur. Accipe,inquit,has manus,hæc membra,si fieri potest,ut amicum matri remittamus.In totum explebo,si uideatur,uicaria pœna locum recedentis. Vel si uis utiq; tibi dimissa membra restitui,spondeo quencunq; iusseris aperto iugulo diem.Fidẽ deorum hominumq;,quid non factum est,ut amicum meum pœniteret?Ingestum est misero illud carceris tenebrarumq; secretum, grauioribus uinculis opus esse carnifex dixit ad bonum amicum. Accedere ad illud cubile iussi sunt homines nocentes,& subinde dictum est.Vide tamen amicus si tanti est. Vna uox,unus miseri gemitus,urite,lacerate,distrahite,ille tamẽ reuertetur.Miserere mater,magna res agitur,amicum meum reliqui contendentem cum tyranno. Excuso me uobis humani generis affectus,& tibi ante omnia mater excuso,quòd hoc fieri passus sum. Vlla ergo in rebus humanis necessitas tanti fuit, ut illum amicum

meum in carcerem ipse deducerem, ut squalorem meum, meas catenas in membra festinantis exuerem, ut tam abrupti commeatus diem contra tot incerta promitterem? Testor te misera conscientia, & si quod nos in illa necessitate numen aspexit, quantum simus rixati circa catenas, quàm omnia fecerim, ut ille potius uiniret ad matrẽ. Fateor iudices, unius cogitationis pudore uictus sum, quòd tanti beneficij difficultatem ab amico non accipere, affectus uidebatur hominis, qui non credidisset. Miserere mater, ne me solutum putes, amicum alligaui. Hæ sunt catenæ quæ regunt membra, quæ per maria, quæ per infinita terrarum spatia restringunt. Sic non potest carcer effringi. Inuideo tyranno, scit alligare amicos, scit tenere dimissum. Iterũ ac subinde proclamem necesse est, ego amicum meum alligaui, & ut te uiderem, pœnam meam altero homine impleui. Scio quo hoc amicus præsiterit animo, sed ego rem feci hominis nõ reuersuri. Interrogo hoc loco impatientiam tuã mater, interrogo quid faceres, si nos ad te uidendã deduxisset alligatos aliquis satelles, si barbarus aliquis? Fruereris oculis? fruereris amplexibus? Nõ est quòd te ista tanquã leuior, tanquã expeditior conditio decipiat. Quid putas esse quòd me dimisit solutũ ire quò uellẽ? Crudelis artifex non reliquit nobis ut imponeremus. Superuacuo igitur hoc uos in matris causa mouet quòd cæca est, hoc quòd nobis inuidiam facit uulneribus oculorum. Nolite detinendi putare causas, idem uidens faceret. Nec plus est quod non potest cæcitas ferre, quàm mater, ut aliqua filio carere non possit, nonnunquam calamitas facit. Quod si iudices in persona mea nec affectu, nec meritis inferiòr est amicus, quid aliud iustitia uestra debet attẽdere, quàm uter plus patiatur? Iam satiauit dolorem mater, egessit æstus, effudit impetum, iam non desiderant oculi, cum cadunt. Adijce quòd hanc qualencunq; fortunam inter amicos tenet, inter propinquos, habet omnia ministeria sua debilitas, suas cooperationes. Vis scire quanto intolerabilius sit quod patitur amicus

amicus? Excæcauit te quòd ego sic tenebar, ille accipit cibos, quos carnifex, quos tortor apponit.

VENENVM EFFVSVM. ARG.

Filium ter abdicare uoluit pater, uictus Inuenit quodã tempore in secreta domus parte medicamentũ terentem. Interrogauit quid esset, cui parasset. Ille dixit uenenum, & se mori uelle. Iussit pater bibere. Ille effudit medicamentũ. Accusatur à patre parricidij.

Pro filio contra patrem. 17

LASSATVS per diuersos miseræ mentis æstus, & eundem dolorem, dum me ab utroq; animi genere semper quod impulerit abducat, & in pertinaciam desperationemq; neutram mihi liceat perferre patientiam, hoc primum à notissima clementia uestra peto, miremini quòd inter tam uaria tristissimaq; fata consilio diductus sum, nec pro malis meis quicquam melius inuenire potui quàm ut morerer, nec pro innocentia, quàm ut uiuerem. Nouo igitur iudices inauditoq; genere discriminis utriusq; animi reus, qua satis calamitates meas comploratione, quo deflebo gemitu? Filium mori uolentẽ penè occidit, quòd interuenerat pater. Videtis adhuc illa secreti nostri contentione rixantem. Quicquid citra suprema, citra exitium est, contumaciam uocat, quantum absolutionem aspicit, uictus. Quis post hoc quærat ac dubitet, quo me affectu iusserit uirus haurire, qui parricidiũ uocat quod nõ biberim? Permissurus fuit, si bibere uoluissem. Quæso itaq; iudices delationis hodiernæ penitus uelitis perspicere causas. Obijcere putatis parricidiũ patrẽ pro se? Necatur, uritur, sine dubio torquetur uita. hoc enim non potest ferre, quòd mori filium iussit, nec coëgit, & scit facinus fuisse in imperio, si innocentia est quòd recusaui. Siue quid crudelitatis est, uel ab inuidia se criminibus meis defendit, excusat, &, ne uocem illã tanquam peractũ facinus oderitis, substituit pro malo patre miserum. Hic est iudices deprehensæ impietatis æstus. Nemo unquam uolet innocen-

tem filium uideri, quem uoluerit occidere. Illud quoq; iudices à grauitate publica peto, ne quis me mori uoluisse non credat contumaciter. Adhuc prioris constantiæ meæ more defendor: alia est mihi ratio cum uici, & fortior sum reus quàm absolutus. Sed tunc tantum par esse non poßum calamitatibus meis, cũ me constare cœpit nihil aliud esse quàm miserum. Bene quòd rursus uocauit in forum, iußit integritatis agere causam, fecit ut mihi uidear perdidisse mortem. Si pœnitet patrem, quòd me bibere iußsit uenenum, ego ferre non poßum quòd effudi. Licet igitur immitißimus senex confundere publicos conetur affectus, querelarum fronte mutata, non sumus noui uobis accusator & reus, nec nos modo pietatis euersæ recens asseruit immanitas. Parricidam me olim uocat. Ita est enim iudices, ita est, iam pridem hominum nefandorum solis nominibus accusatur. Sic mihi illa prima patris maledixit asperitas. Hic est ille, quem desinere iam iußeratis, qui semper ad uos recurrit, & uincitur. Fallitur quisquis illam de moribus senis laßitudinem uel patientiam sperat. Patri qui abdicare non potuit, minus est filius nocens, quàm absolutus. O pertinacißimum accusatorum genus, uicti parẽtes. Dum autoritatem nominis uestri fortius imperioßis asseritis affectibus, & ne pudorem pœnitentiamq; fateamini, contumacia uindicatis errorem, calamitatibus meis acceßit, ut ter absoluerer. Nanq; ut erat in superuacuo odio mei senex prima luce deprehensus, ferre non potuit quòd reddebar inuito: & quia à iudicibus non impetrauerat ut abdicaret, apud se tenuit, ne desineret hoc uelle. Credidit tamen aliquid profuturum querelarũ errore repetito, & sperauit iuxta contentionem suam ut lasseſceret aliquando pro me iusta miseratio. Quid facerem igitur? quo uertrem iam fatigatam innocẽtiam? Nec exire me decebat ex domo, ne uiderer quicquid uos non credideratis agnoscere, nec expectare poteram, cum mihi rursus aliam seriem malorũ minaretur, quòd me iam cœperat pater cõtentione qua uobis irascebatur, odisse.

odisse. Tandem infelix misertus mei, misertus patris cũ de præteritis prospicerem iurgia tam longa quàm uitam, captaui fateor omnem occursum, quẽ mihi uidebar exasperare præsentia, exorare dum morior, & tanquam nouißimum ambitus genus excogitaui, ut me in honorem sui reuerentiamq; pereuntem, sic odisse desineret quomodo parcere solet ita cedenti. Non habet alium quàm mortis exitum filius, qui nec recõciliari potest, nec abdicari. Erat in domo nostra locus, in quo sedebã semper reus, in quẽ reuertebar absolutus, querelis meis lachrymisq; iam conscius, in quem se ferant. In hunc quærens non tanquam custodiæ patris imponerẽ. Nam quid poßit inueniri, quo non captantis aliquid deprehendere cura sequeretur? sed sicut solent qui immori uolunt pudore, non ita ab omnibus quæ uidebantur auocatura, seceßi. Nam nec placuerat exitus genus querulum, tumultuosum, aut quod faceret inuidiam. Sed quid mihi tecum est integritatis nimia simplicitas? Non putat se posse deprehendi quisquis uenenum parat ipse poturus. Totus oculis animoq; conuersus hærebam miser in opere moriendi (nec dißimulo) cum quadam cunctatione, cum mora sicuti bonæ conscientiæ lenta mors est, nec præcipiti per suprema trepidatione festinant, quos hoc solum quòd sui miserentur occidit. Abijt per tacitas cõquestiones mẽs, in obitus contemplatione posita, & hausturus potionem, qua renunciarẽ rebus humanis, totam apud se repetebat animus innocentiam suam, cum pater secretum quod per impatientiam pereuntis impleueram (quantum credo) lachrymis meis gemituq; perductus, intrauit. Non potest uideri iudices suspicatus aliquid de parricidio, quid tererem, cui pararem, nesciebat qui interrogauit. Nuncio uobis sanctißimi uiri, nihil à morientibus fingi, nihil uita laborante simplicius. Ad subitum interuentũ patris non tanquam deprehensus obstupui, facinus me tacente non pallor, non est confessa trepidatio, nec sicut accidere nocẽtibus solet, illa obuia semper errantium patrociniorum uerba uariaui

riaui, cum me repente interrogatione subita auocauit, abduxit, quæsiuit quid tererem, cui pararē. Sed ego sine cunctatione, sine tarditate respondi, & me mori uelle eadem ueritate, & confessus sum uenenū esse, quod terebatur. Date iudices patrem qui filiū mori nolit & credit. Quis habeat iudices dicenti fidem? Venenū filij quod inuenerat pater, non ille potius effudit. stetit quinimò intrepidus, arrogãs iuxta orbitatem quam uidebat, & mihi mortem, quam promiserā, quam minabar, ingessit. Bibe, inquit. Quis post hoc iudices, expectat, ut continuò paream iubenti? Ita demum mihi non est aliud relictum, si patri parui. Audite nunc dij pariter atq; homines, quid post tres abdicationes, & querelas toties iudicum grauitate percussas, uelut attonitus, amens nunciet seculo pater parricida sæuus, parricida crudelis. Non bibi uenenum. Hoc est, totum facinus meum, uiuo, respondeo, non fugio iudicem, non cedo criminibus. Iam non miror quid sit circa quod impatientia deceptæ crudelitatis exæstuet, plusquam orbitatis gaudium, quod modo perdidit senex: speraret ut occidere me posset meo ueneno. Sed quatinus inuenisse se putat quod crederetis, ut cõtentionibus subinde damnatis autoritatem de nouo dolore circundaret, inusitata commentus est. Quæ sola mihi superest ratio uiuendi, facinus ea simplicitate, ea fide denego, quæ confessus sum de ueneno. Parricidij agis. Abstulisti quidem mihi partem, ut exclamarem hoc loco, fieri non potest. Scio quantum defensioni meæ difficultatis adiecerit, quòd iampridem in domo nostra humanorum pignorum ratio non constat, sed pronunciatum liquet utri ex nobis facilior sit impietas, uter iuxta alterius languorem suprema non fecerit. Tu unicum quotidie proturbare conatus è domo, uelles inopiam meam, uelles aspicere squalorem. Ego osculor illas expellentis manus, ego abijcientis genua teneo, & ad patrem qui me tam notabiliter odit, non habeo cur uelim redire, si non amor. Præualeret nominis tui fortassis autoritas, si contentio nostra cœpisset à ueneno. Consum-

pfisti

pfisti quicquid est, quod parentes ab omnium scelerum suspitione defendit. Non habet pater unde parricidium de filio credat nisi quem posset occidere. Me quidem pater infelicis huius persuasionis simplicitatem si quis interroget, nec à te parricidiū fieri posse credo, nisi meo ueneno. Facinus tamen in omnibus incredibile pignoribus, nullis difficilius quàm liberis puto. Vos adhuc in suprema nostra præcipitat autoritas, qui filium occidere uocatis plerunq; grauitatem, sicut abdicationis emendationem, sicut reliqua supplicia nostra rationis fronte protegitis cunctosq; prærigidæ mentis affectus uocabulo molliore lenitis. Nos nec felices facinus istud possumus concipere, nec miseri. Non perueniunt ad nefas istud nec necessitates. Omnis citra desperationem dolor, ira languescit. Et quanto dij deæq; difficilius si pararetur sine conscio, sine ministro, totumq; facinus, & animum filij poscat & manus. Memento cuius obijcias immanitatis horrorem patrem occidere uelle. Hinc tantum accipis uires, ut mori possis deprehensus. Vt sciatis, inquit, uerum esse quod obijcio, & abdicare uolui. Non potest pater efficere genus querendi, pertinacia probationis. Tu cum dicis, filius me uoluit occidere, uideris tibi facere prioribus iudicibus inuidiam, exclamare, uos faciles, uos misericordes, hunc mihi redditis. Sed iniquissimum est ut abdicatio, quæ nec in sui ualuit effectum, fidem maiori crimini præstet. Non sum reus inexplorati pudoris, nec anteacta uitæ meæ sub hodierna primum lite tractantur. Felicior innocentia est citra suspiciones, certior post reatum, & quantum infamiæ præstant obiecta, dum nutant, tantundem autoritatis absoluta restituunt. An scilicet superatus est gratia pater, & apud senes, & apud parentes autoritate prævalui? Viderint qui calamitatibus suis sic blandiuntur, ut sibi affuisse credant misericordiam, fauorem, filius à patre delatus nunquam poterit superior esse nisi causa. Sanè tamē feramus, ut prima abdicatione non egesseris totum dolorem, multa tibi die cri-

minibus meis uerecundia querendi, multa paternæ pietatis abstulerit infirmitas, quid non implet repetita delatio? Reuersus es in forum iam ad iudices iratos. Quanto terrore cuncta pertulit pudor ille iam uicti, & redeuntis in damnatam colluctationem? Acrior semper ex uerecundia dolor. Sed & iudicum cura quanto malignior circa rediturum reum? Quàm multis placet illa de simulitudine pronunciationis autoritas, & seuerior uidetur diuersa sententia? Tertia uero abdicatio dij immortales quem apparatum, quem mouit ambitum? Ego miror quòd mihi licuit audiri, quòd me non statim primus querelarum tumultus oppressit. Quid post ista noui pater obijci potest? Inter leges, inter iura consenui, non habeo in moribus meis, quod non melius iudices sciant. Scilicet capit natura rerum ut futurus parricida non præmiserit notas, nullis antè sit maximu sceleris immanitas tumultuata flagitijs, & quandoq; culeo, serpentibus expianda feritas, sub placida mente primam pertulit ætatem. Aliud est miserorum genus quod clementia, quod succurrendi fauore dimittitur. Absoluerunt me qui sciebant non profuturum mihi quòd non abdicaret. Proclames igitur licet, subinde detuli, sæpe questus sum, ter abdicare uolui: hoc tamen res ista debet efficere, ut tibi oporteat credi, quicquid aliud obieceris. Non enim sequitur pater, ut me tuis criminibus accuses, quòd nocentem tuis moribus probes filium. parricidam non facit seueritas uestra, nõ sæuitia, non terror: ad tam grande facinus non ira opus est, sed moribus, non dolore, sed mente. Omnes iniuriæ leuius exasperant, leuius oderunt, innocentis filij ultio est mori. Quòd si manifestum est, nihil tunc in moribus fuisse meis, quod posset esse suspectum, existimemus unde postea traxerim parricidij causas. Vos libet interrogare hoc loco iudices, quis magis debet innocentiam amare? Vici patrem, omni nunc solicitudine, omni labore custodiam illam gratiam, illum ambitum meum, quo remuneror aduocatos, quo persoluo iudicibus, illud propter quod audeo

audeo domum reuerti, propter quod non timeo casus, non subita pro patre, non maligna fata. Fidem non capit, ut me tres absolutiones, & innocentem probauerint, & effecerit parricidã. Præterea pater quàm infirmum me, quàm trepidum reddit ipsa uictoria? An scilicet ignoro quòd me reuersum circumsistat totius domus maligna cura, quòd uiuo inter homines quibus apud te gratiam parat, si de nobis aliqua mentiantur fingant? Videlicet hoc nos in facinus præcipitat, impellit, quòd aliquid speramus de testamento tuo. Quid ego non sentio, quòd simili scelere missus in domum, à charitate tamen excluſus, abiectus sum? Rogo qua fidutia facinus paro toties delatus, & paterna conquestione petitus? Quod uis patrocinium sperem pro parricidio meo? Defendi non possem, si bibisses tu uenenum. Finge me parricidij uoluntatem, finge habere causas, unde occasionẽ, unde fidutiam? Ego nec mori possum, nisi ut deprehendar. Venenum paro, qui non ministrum, qui non iuuenio conscium? Despicior à liberis, contemnor à seruulis, euitant sermonem meum, colloquia fugiunt, & charitatem tui simulant odio mei. An uidelicet spero posse fieri ut ipse porrigam? Est enim mihi ad conuictus tuos facilis accessus. Venenũ mehercule putabis quicquid dederint hæ manus. Et uirus præsentaneum paro, quod statim, quod subito corripiat? At quemadmodum mihi superſit ulla defensio? An lentum & quod tarda peste consumat, scilicet ut non statim exclames, ut te meum uirus bibisse non credas? Rogo, cui paraui uenenum, quod dare non possum nisi mihi? Ita, inquit, parricidæ argumentum est & hoc ipsum quod habuisti uenenum. Omnibus iudices, quibus ad scelerum conatus adiuuatur deteriorum quotidie fœcunda mortalitas, non hanc solam potentiam natura concesit, in quam malis mentibus, & nocentiũ ducuntur ingenijs? sed illis usus ex animo est, totumq; quod faciunt, de conscientia possidentis accipiunt. Quid enim si latronem gladio tantum probes? Sic munimus & somnos. Excute

peregrinantium ſinus, hærent tela ſolicitis. Non uetant iſta leges parare, proſpicere, nec inſtrumẽta prohibent, ſed exiſtimãt uſus. Finge me uelut in media proſperitate uitæ proclamare: Venenum paraui ad quod incerti caſus, ad quod languor, dolor, ad quod confugeret improuiſa debilitas. Miramini quòd hoc fecerim homo, qui circa me fortunam, qui diſcrimina humana laſſaui, cui neſcio quid adhuc paret toties uicta delatio? Debuit habere in ſua poteſtate mortem, quem pater poteſt occidere. Non eſt, inquit, credibile ut mori uolueris abſolutus, qui reus noluiſti. Poteram quidem dicere pater, uixi dum ſpero fas eſſe ut incipias aliquando miſereri, ut te ſqualor meus frangat, mitigent lachrymæ, pallor exoret, ſed ignoſce innocentiæ, tunc me decuit pertinax, et rigida defenſio. Vixi ne me uideretur expuliſſe de ſeculo profundorum ſcelerum deprehenſa trepidatio: ne ſuper cadauer meum proclamare poſſes, certe merito timui, merito prædixi uenenum, qui uiuendi non habebat audaciam. Ne ſupremis meis conuiciareris, ne quid poſſes obijcere iam nõ negaturo. Verum tibi de impatientia mea fatendum eſt, eadem mente nolui mori cum abdicares, qua non bibi cum iuberes. Sed fruere iterum, fruere ſæpius confeßione tam miſera, & quia oculos ſpectaculo non licuit implere, ſatientur aures, uolui mori. Adijce ſi uidetur, hanc malis noſtris contumeliam ut interroges, quare abdicare me ſubinde uoluiſti. Quid ais rerum naturæ pietas? ita iuſtiores cauſas habet impatientia, quàm corporum damna, quàm facultatũ triſtis euerſio? In ſuprema præcipitat me pater. Ita non hæc uana uox complectitur omnes calamitates? Non uidemini nunc uobis uniuerſos audire miſeros? Poſſumus fortaßis aliorum accidentium ſperare finem, non habet proximorum odia regreſſum. Quæcunque nexus accepere naturæ, & quæ ſanguine uiſceribuſq; conſtricta ſunt, non laxantur diducta, ſed pereunt. Quæ de primo tenore naſcendi uix in contrarium uicta deflectunt, diuq; prauitatis ſuæ rigore durata,

durata, mox in priſtinum curſum remiſſa non redeunt, ſed quo totum pondus omnesq; uires inclinata traxerũt, uigore quo ſibi permiſſa creuiſſent, in ipſius uitij robur adoleſcunt. In hoc eſt tota difficultas, ut incipiat non amare filium pater, hoc cũ fronte confeßionis accipit, reliqua præcipiti furore decurrunt redituris charitatibus obſtat, quicquid obſtiterat odijs. Semel ſibi parentes liberiq; mutantur, ſemel auferuntur. Felices qui habent in conſcientia ſua, quod debeant emendare, corrigere. Illa demum poteſt ira deſinere, quæ coaluit ex uitijs liberorum. Ego quid facio, cui non luxuria, non eſt mutanda petulantia, cuius abdicatio non de meis, ſed de patrıs moribus uenit? Fruſtra mihi exhortationes, fruſtra blandientur uana ſolatia. Hominis quem pater odiſſe non deſinit, unus exitus eſt, ut ſe oderit. Et quantulum habet de toto dolore noſtro ille quo uenitur ad iudicem dies? Ego cum dico, pater me odit, illud exclamo, omnes ſine me ſunt feſti dies, omnis lætitia ſine filio, non alloquitur mœſtum, non aßidet ille languenti. Gratiſſimus quiſquis de nobis triſtius aliquid attulerit, quiſquis maledixerit, conuiciatus abſenti. Ego ſi hoc poſſum ferre, merui. Alia ſunt aduerſa, quæ de continuatione ſui patientiam parant, quæ durant aßiduitate, firmantq; mentem, quòd te pater oderit, quotidie nouum eſt. Minus fortaßis urant inuicem ſimultates, & mutuis deteſtationibus inuiſa reſpirent. Odium is tantum filius perferre poterit, qui & ipſe oderit patrem. Vos nunc iudices, uniuerſos quinimò mortales infeliciſſimus iuuenis interrogo, quid me facere uultis. Explicuit nos ſine dubio de criminibus exitus, quòd abſolutus ſum, tamẽ non hoc effecit, ne mori uelim, ſed ut mihi liceat, & uiuere. Victus ſum enim mehercule, uictus ſum iudices abſolutionibus meis, & (quæ certiſſima eſt aĩæ laborantis infirmitas) miſera felicitate defeci. Quẽ mihi uultũ domũ reuerſo, quem ſuadetis aĩm? Non decet gaudiũ meũ, exaſpero hilaritate: non decet mœror, offendo triſtitia: captо ſermonem, inuiſus ſum

tanquam

tanquam arroganter insultem. Doloris causa dicor si propius aspiciar, uideor si recedo contemnere. Quousq; uincemus? Nesciunt prorsus abdicationibus mederi, qui non statim cedũt, qui cõscientiæ suæ rigore nitũtur. Non uincitur pater, non sum absolutus, cum domum ueni, nemo me diligit, nemo reueretur. Iam ad nos de penatibus illis non pertinent nisi secreta, nisi latebræ. Non exuo, nõ depono sordes, & mihi quotidie senex tanquam accusaturus occurrit. Attendo quid faciam, quid loquar, qualis aspiciar, & (quod malignissimũ est solicitudinis genus) me ipse custodio. Satiasti me uita, satiasti, & cum felicibus quoq; ueniat ex nimia prosperitatis continuatione fastidium, quod tedium paras, lassitudine miserorum. Consumpta est in lachrymis, in precibus ætas, exacti sordibus dies, anxietate noctes. Quid mihi cõtra tam indigna, tã grauia promittat integritas? Abdicari debet quẽ nocentem pater odit, mori quem innocentem. Sed ut credamus, inquit, uoluisse te mori, cur potissimum ueneno? Possis quidẽ pater hanc de omni supremorum genere litem facere morientibus: & quia rerum natura uarias fatorũ uias indulsit animæ, in nullo non exitu simili ratione deprehendas quicquid electũ est. Sic super strictum nudatumq; mucronem proclamares cur non ueneno? Sed nihil est delicatius exitu, quem non supplicia, nõ metus, sed collecta de calamitatibus cõmẽdat infirmitas mihi. Mihi tamen præcipue cum hoc mortis instrumento propria cõcordia est, non spargit cruorem, non trucẽ cadaueris relinquit aspectũ, placida est, quieta est. Ingratissime senex, ego & hoc sic morienti prospexerã, ne me occidisse alius uideretur. Te nunc apprehendo, te interrogo pater, ita parricida sum ego qui uenenum affero in domum tuã imparatum, rude, terendum, cui tam multa restant antequã dari possit? Ita parricida sum, qui iuxta te quæro secretũ, qui de potione tibi incerta, quam nemo detulit, quàm simpliciter, tam facile respondi? Secedo in medios penates, nullos ab introitu præpono custodes, non euito transitus, non excludo

uentu

uenturos. Rogo utrũ hæc omnia sunt occidere uolentis, an mori. Venenum quod tibi pararetur, inuenisses absconsum, reconditum, multum circa illud palloris attoniti, concisa uerba, trepida suspiria, & me negantem. Parricida deprehensus effudisset uenenum, ne fateretur. Cur ergo, inquit, si tibi paraueras, non bibisti? Breuiter pater & secundum naturam conditionis humanæ respondeo, nihil aliud esse in potestate miserorum, quàm ut mori uelint. Ego cum dico mori uolo, non hoc dico moriturus sum, de animo meo respondeo, non promitto de fato. Miraris quòd quamuis iam teneam uenenum, multum tamen adhuc casibus incertisq; supersit accipere? perfossis plerunq; uisceribus uitam tamen ab ipsa desperatione redeuntem? Strictos circa colla laqueos, aut nexus, aut ipsius corporis ruina decepit, rotatos per abrupta molis iactus explicuit. Tam cõsentaneũ est, ne moriatur qui uelit, quàm quòd morimur inuiti. Sed malo sicut cœpi simplici tecum ratione consistere. Nihil æque pater impetu cõstat, quàm mori uelle, nec quicquam res humanæ impatiẽtius habẽt pereuntis affectu. Hunc si retinere nolles, sufficit ut morereris, & rationẽ quoq; homini mortis eripiet, si quis abstulerit ardorem. Frangit animum quisquis interuenit, abducit, auocat quisquis alloquitur. Ambiuntur cuncta moriendi spatia procuita. Ideo nos mehercule crediderim eiusmodi exitũ eligere secretum. Minimum est quod confundat hominem infirmitate morientem, & exiguis causis opus est, ut displiceat obitus quẽ misero suasit integritas. Quid si interueniat aliquis, qui gaudeat, qui iudicari se putet, si testes adhibeat oculos, quibus inuidendum sit? Statim mehercule arrogans uita simulabitur, statim cõtumax dolor cum *deprehensa morte dissentiet. Nescis quantum *paraueris mihi hæsitationis putaueris, cum interrogas dum respondere cogis. Sed quem & reddere, iterum litigare, defendi. Me uero tũc pariter omnes tenuistis affectus, indignatio, pietas, reuerentia, dolor. Ego propter patrem mori possum, coram patre non possum.

sum. Adijce num quod & dixisti, bibe. Si mehercule sauciũ palpitantemq; iussisses adigere ferrum, premerem clusis uulneribus animam: si stringere aptatos ad colla nexus, conarer abrupto desilire laqueo, si uero inijceres manum ad præcipitia properanti, flecterem in plana cursum. Merito prorsus anima secretum solitudinemq; captaueras. Interuenit pater, actum est, perijt ille susceptæ mortis ardor, & utroq; nos resoluit affectu, mori non debeo si uetuerit, non potero si iusserit. Bibe, inquit. Nondum quidem potioni uirus aptatum est, sed me ideo deprehendisti, quia adhuc terebatur. Multa tamen mihi pater antè facienda sunt. Volo prius conuocare seruulos, contrahere libertos, cõplorare, conqueri, mandare, defendi. Bibe. Mihi uero tunc adiecisse uisus es, teneris, hæres, eamus ad iudicem. Bibe. Sed hoc iubes tanquam negem uenenum. Interrogare uos uelut in illa secreti nostri præsentia libet, quem mihi post hanc uocem, animum datis. Dicit hoc accusator, dicit hoc uictus, dicit secretò, dicit sic ut posit negare si bibero. Bibe. Ego quidem uolo, & hoc quàm maxime paro, sed totum hunc animum senex tua auiditate mutasti. Bibe. Quid restat aliud quàm ut recusantis ora diducas, ut infundas per oppositas manus? mihi uero tũc excidit quid uelim, quid pararim. Vidi truces loquentis oculos, ultus parricidali ardore suffusos, iuberi mihi uidebar ut biberem tuũ uenenum. Nescisti pater pertinaciam meam seruare, nescisti. Filium propter te mori uolentem deprehendisti. Vis occidere? ueta, inuade poculum, ne hauriam, bibam. Exclama, temerarie quid facis? Iam desino irasci, iam reuertor in gratiam. Properabo, ut hoc secum aures ferant, ut impatientia tua fruantur oculi. Tibi imputes quòd in me retorsisti, quòd ablata sunt sacramenta pereundi. Innocenti facilius est mori, si rogetur ut uiuat. Fidem deorum, in quam me contumaciam pater, in quem tunc impulisti contentionis ardorem, cum diceres bibe. Nec uiuere mihi libuit, nec mori. Ereptus sum miser animo meo, & impro

ĩprouisa uoce percussus, steti sine affectu, sine negatione attonitus, amẽs, & me penè aliter occidi. Nihil est profecto improuisorum dolore torrentius, & fractæ malorum contentione mẽtes ad inexpectata caligant. Non querelas post hoc inuenio, nõ uerba, non lachrymas. Ad nullius rei conatum sufficit mori alterius animo, & suo ueneno. Licet igitur noua me reatus mole cõuenias, non pœnitet tamen illum fixisse, illum non pœnitet spiritum rigoremq; pereundi, tanquam parricida moriebar. Pater qui queritur quòd non bibi, iam nunc diceret deprehensus erat negare non poterat. Essem nunc ter abdicatus, & me contenderet ad iudices meos redire non ausum. Bene quòd sic effudi, tanquam rursus uita placuisset. Venenum quod uideretur deprehensum, nemo ideo bibisse crederetur, quia sibi parauerat. Dic nunc, non fui passurus si bibere uoluisses. Deinde hoc sic probas, ut me bodie quoque coneris occidere. Non eras paßurus. Quando per fidem inijcis manus? potuit eadem, potuit peragi breuitate qua iusseras. Non eras passurus. Deinde non timuisti, ne mihi animum pereundi uel hoc faceret, quòd putabam me iuberi? Facinus est si morior, ut postea queratur, an uolueris occidere. Tu licet inuidiam uocis illius alterius mentis simulatione defendas, occisuri tamen fuit ipsum experimentum. Non interest rigoris, quædam patiaris, an tentes. Nunquam mouebit patrem filius hoc quòd moritur, quem non mouit hoc, quòd paratus est mori. Quid nunc faciam iudices pertinacißimo rigori? in quod me componam patientiæ genus? uidetis hominem quem nullus animi mei status mutat, quem constantia nostra quem offendit infirmitas, uiuere nolo, perturbat, expellit. Mori conor, interpellat, exagitat. Iam fortaßis aliquid (si nobis hodie quoque clementia uestra succurrerit) parauit, inuenit. Quis finis, quis exitus incredibilium malorum? de filio absoluto fecit ut mori mallet, de moriente ut uiueret. Vos uero sanctiß simi uiri, quo iam ambitu, quibus possem conuenire precibus?

Fle

Ille ueſter infelix, ille ueſter abſolutus, flere uetitus eſt. Non habet gratiam ſuam toties genua complecti, & ad fatigatam miſericordiam noui diſcriminis pŏdus attulimus. O mors ſemper imperata miſeris, negata cupientibus, quăndo ſuccurres? Me infelicem, perdidi uenenum. Sed quatinus aliquid pater expectationi tuæ repromiſi, nolo deſperes. Fruere quinimò ante ſuprema, ante exitum meum hac uoce uicisti. Neſcio quidem quod rurſus eligam obitus genus: an placeat reparare uirus infelix. Sed prædico, teſtor, quæcunque ſederit traditio leti miſerere, ne iubeas, miſerere, ne cogas. Facilius me occiderĕt gemitus tui, lachrymæ tuæ. Et ne mihi putes illam ſecreti noſtri excidiſſe uocem, uenenum quidem te iubente bibere non potui, quandoq; tamen hoc occidet quod bibere iußiſti.

INFAMIS IN MATREM. ARGVM.

Malæ tractationis ſit actio. Speciosum filium infamem tanquam inceſtum cum matre committeret, pater in ſecreta parte domus torſit: & occidit in tormentis. Interrogat illum mater, quid ex filio compererit. Nolentem dicere malæ tractationis accuſat.

Pro muliere contra maritum. 18

ET SI iudices calidißimus parricida facinus ſuum ſic ordinauit, ut uobis matrem faceret inuiſam, ſiue diſſimularet miſera mortem filij ſui, ſiue quereretur, tantăq; monſtrorum nouitate circŭdatam eò perduxit, ut ſibi uideatur infamaturus iterŭ uel patientiam noſtram uel dolorem: matri tamen in cuius calamitatibus, ne minimum ſibi uindicat orbitas locum, ideo ad uos fugiendum fuit, ut ſciretis non illi præſtari quòd tacet maritus. Laudo iudices, laudo miſeram, quòd interrogare noluit domi, quòd nihil fecit & ipſa ſecreto. Hic corã ciuitate, corã liberis ac parĕtibus, & (licet diſſimulare parricida uideatur) coram rumore mater inquirit, quid tormĕtis unici quæſierit, quid morte cŏpererit. Reſpondeat

deat ſaltem reus, fateatur iratus, cur in peracta crudelitate modeſtiæ fronte ſubſtitit. Nec uxori poteſt uideri parcere, de qua ſcire uoluit, an eſſet inceſta? nec filio, quem tanquam ſciret occidit. Ante omnia igitur iudices mulieri infeliciſſimi pudoris hoc ab affectibus publicis petit, ne uobis accuſare uideatur. Ream ſe inceſti, reã parricidij putat. Exhibet populo cŏſcientiam ſuã, & aduerſus quemcŭq; ſermonem, quodcunq; ſecretum, marito, famæ præſtat interrogandi poteſtatem. Vellet innocentiam ſuis probare uiſceribus, uellet in equuleos, in ignes hanc miſerã præcipitare pietatem. Ignoſcite iudices impatientiæ, quæ cŏtra callidißimam diſſimulationĕ libertate doloris exæſtuat. Inceſtum probatur ſilĕtio patris, ſi taceret & mater. Equidĕ iudices tã cŏtrarios affectus ſenis ſatis admirari, ſatis ſtupere nŏ poſſŭ. In rumore tã ſuſpicax, poſt torměta patiĕs, modo ad fabulas uulgares q; ſermŏes pronus ac facilis, in orbitate, in parricidio, reatus quoq; dolore, cŏticuit. Quò repĕte reuerſus eſt: in quam modeſtiã deſperationemq; defecit? torſit tanquam dicturum, tacet, tanquã dixerit. Fidem igitur ueſtrã iudices, ne cui præſtet magnæ ſeueritatis autoritatĕ non poſſe defendi, neue ideo ſuſpicari nefanda malitis, quia ſe parricida miratur. Parcere nŭc illum cuiquam tacĕdo creditis? loqui ſe tum maxime putat. Et ſi bene artes & profundæ mĕtis conſilia perſpicio, reſpŏdere ſibi uidetur plus quàm mater interrogat. Fallitur quiſquis hŭc eſſe credit inexplicabilis doloris æſtum & inter ſilentij cŏfeſſionis q; cauſas miſerŭ pudorem. Alium exitum nŏ habet, quàm ut reſpondere nolle uideatur quiſquis filium occidit, & probare nŏ poteſt propter quod debuerit occidi. Coniungat quantum uolet nocentiſſimus ſenex cum rumore populi ſilentium ſuum, & relatura ordinem triſtiſſimæ ſortis collata malignitate cludat ora, compeſcat aditus, ſecuri tamen eſtote mortales, fas eſt innocentiſſimæ matri uelut in templis, uelut apud ipſos proclamare ſuperos, amaui filium meum. Matrona iudices cuius puellares annos, primam rudĕq;

coniugij mentem nulla libidinum respersit infamia, cui impudẽs rumor, suspicax maritus nihil unquam potuit obijcere nisi filiũ, quæ pudicitiæ prima fidutia est, edidit partum quem maritus agnosceret, non timuit ne stupra furtiuosq; concubitus paruuli uultus, aut crescentis infantiæ similitudo detegeret. Natum de se continuo (si quid ipsi creditis) impatientius complexa quàm reliquæ parentes, non in nutrices nec in ministeria seposuit, suis aluit uberibus, suo fouit amplexu. Nunquid & hos annos parricida, nunquid & pueritiam miseri iuuenis infamas? Actum est de sacrorum nominum fide, si ut uideatur innocens mater, ætas tantum filij facit. Accendebat hanc erga unicum optimæ matris impatientiam rigidus pater, asper maritus, & sibi uidebatur parum implere, quem pro duobus conferebat affectum. Rarus hic nanque ad oscula, difficilis amplexibus, & qui unicum aspiceret animo quo quãdoq; posset occidere, fecit ut notabilior esset charitas matris. Omnis igitur miseræ sermo cum filio, omnis in publicum pater egressus. Gaudebat etiam quòd laudandus occursibus, quòd omni frequentia cœtuq; conspicuus, populo iam ipse fateretur, quòd plus amaretur à matre. Miseremini iudices, ne nefandas suspitiones maritum ex ullius traxisse credatis indicijs, suum rigorem, suum tantum secutus est animum. Filium si non ames uideatur tibi mater adamasse. Questurum nunc me iudices putatis de licentia sermonis humani? Ego uero iuxta hunc patrem non accuso rumorem. Quæ materia fabulæ tam impudentis? quis fuerit autor, iste probauit, qui credidit. Facilimum fuit ut loqueretur populus de incesto, de quo mirabatur patrem suspicari. Hæc sunt iudices quæ mater fecit secure, simpliciter, palàm, coram marito, coram ciuitate. Referat nũc suum iste secretum. Iuuenem (quæ integritatis prima simplicitas est) nihil timentem in partem domus, qua nulla proclamatio, nullus poterat gemitus audiri, rapuit, abduxit. Ibi uerberibus, ignibus, omni crudelitatis arte consumpsit. Quis unquam iudices peius

de inno

de innocentia temporum, de sacris meruit affectibus? torsit filium ut probaretur incestum, occidit ut crederetur. Ponite nunc ante oculos iudices duorum parentum confessionem. Mater exclamat, filium amaui, pater dicit, occidi. Nefas est utrunq; putetis innocentem. Iam quidem nocentissime senex grande deprehensæ feritatis indicium est: quòd cum filium occideris, ut interrogeris expectas. Non erumpis ab illo secreto tuo terribilis in publicum, & homo filij cruore perfusus non proclamas, nõ deos homines q; testaris, non occidis & matrem. Scilicet modestia te scelerum tuorum quàm maxime decet, & ideo tibi relinquis unde sis quietæ patientiæ. Miser parcis uxori, coniugales deos & lectuli iura reuereris? O quàm non habet nec quod mentiatur. Malæ tractationis agimus. Placet ergo iudices, ut illa uoce quæ matrimoniorum conquerimur iniurias, gemitu quo corporum contumelias, dãna, cultus, & negatos in publicũ deflemus egressus, orbitates ac liberorum suprema plangantur. Quid tamẽ facere uultis miserum dolorem, si non habet aliam sexus hic legem, si intra iuris huius angustias omnis nuptiarum querela cõstricta est? Mater quæ de morte filij maritum malæ tractationis accusat, nõ uindicat, sed probare contẽta est quod non debuerit occidi. Omittamus paulisper iudices orbitatis tristissimæ dolorẽ, & in parricidio malæ tractationis reddamus aliunde causas. Ita non iuste quereretur uxor, si diceret: adulterum de me facile suspicatus es, cito credidisti? Matronalis pudor tutelã non ex suæ tantum innocentia habet, infirmitas huius sexus non potest totã improbitatis existimationem debere tantum moribus suis: omnis in fœminas uenit maritorũ prædicatione reuerentia, oẽs sermones originẽ de uestris pectoribus accipiũt. Tristior uultus, querela, fastidium, fatũ est coniugij. De pudore pronũciat, mittit in ora populi, mittit in fabulas, hoc proxima ministeria narrant, hoc exteri putant. Nemo peiore exemplo temere de uxore credit, quã cui oẽs crediturí sunt. Sanè faciat uos, nos ad suspicio-

nes nimia charitas,& ex impatientia diligendi plerũq; descendat ut credas facile quod timeas. Furtiua stupra,raptosq; concubitus obijciat uel falsò maritus,fas est,fieri solet, parcius tamen si iam sit & mater,si in fidem castitatis uxoria fœcũditate profecerit. Quid si sit iam iuuene quoq; filio seuera,iam nurũ nepotesq; prospiciat? Miseremini temporum, ne alienæ innocentiæ interpretationem de suis quisq; moribus trahat. Incestum posse fieri pater hoc solo uult probare, quòd filium potuit occidere. Rumor,inquit,fuit. Est hercules cui contra rerum naturam,cõtra parẽtes liberosq; credatur. Rumor fuit. Hoc ergo sic audiemus,tãquam si diceres cõscius detulit seruus,nũciauit ancilla,improuisus astiti,dum nõ timeor adueni. Rogo iudices utrum credibilius putatis,incestũ de matre,an de rumore mẽdacium? Rem impudentißimam populus loquendo fecerat,nisi pater credidisset. Peßimum iudices humanarũ mentium malum est,quòd semper auidius infanda finguntur,nec usquàm se maius operæpreciũ putant maligni facere sermones,quàm cũ incredibilia quasi deprehensa narrantur. Necesse est contentiosius loquaris quod probare non possis,& affirmationem sumit ex homine, quicquid nõ habet ex ueritate. Est tamen hoc iniquißimũ de loquacitate populi,quòd plerunq; famam accendit contentio nõ credẽtiũ. Materiã muraris rumoris, de qua nemo nec sibi credit, quã qui narrat assignat alij? Rumor res sine teste,sine indice,res ex incertis improbißima,maligna, fallax, & similis silentio tuo. Quid & ipse de rumore senseris,uis breuiter probem? Tormentis quærendum putasti,an uerum diceret. Sanè sit aliqua publici sermonis autoritas in illis,ad quæ fas est populi peruenire notitiam. Video cur adulteria proferantur in fabulas, explicantur per ministeria,per conscios habent inconsulta gaudia. Pars uoluptatis uidetur esse iactatio. Facinus uero,cui fas est ut illud humanæ mentis capit audacia,circundatur undique nox profunda,densior caligo tenebrarum quod nocentes suis quoque oculis

oculis uix fatentur,non seruo, non creditur ancillæ. Quid internuncijs,quid opus est ministerijs? sufficit animus duorum,explicat omne filius materq; secretum. Incestum tanto incredibilius est,quanto & de illo plures loquuntur. O misera conditio sexus,cuius ipsæ plerunque uirtutes,fabulas parant. Cur ista nullis in publicum gaudet egreßibus? Vnde aduersum omnes tã rigida conuersatio,tam seuerus affectus? Nihil concupiscit,nihil ergo desiderat? Filius posßidet cuncta tempora, uniuersos occupauit affectus, filius matris tota iactatio est. Rogo nunquid adamauit? Mihi credite, non est nefandorum ista simplicitas, da ut sit hæc inter matrem, & filium conscientia,parcent oculis palàm,abstinebunt coram patre complexibus,omnis familiaritas substringetur in publico,sermones, occursus coram seruulis libertisq; uitabunt, & maximi sceleris ardor captabit affectare grauitatem. Elige parricida quod uoles,incestum diligens suspectum non erit,negligens deprehenditur. Sed quid ego sic ago,tanquam inauditum,incredibile scelus locutus sit populus? Teneo in hoc sermone facinus unius mali mariti. Non interest incestũ de uxore fingat,an credat. Quid iste,ergo non timuit tam nefandæ rei famam, nec ad aures patris peruenire rumor erubuit? Dißimules licet, à te malignitas accepit ortum,te secutus est quisquis hoc ausus est narrare,proferre. Da bonum patrem,bonum maritum, dicturum me putas, non credet? Nesciet esse rumorem. Ite nũc iudices,& adhuc dubitate quis famæ fuerit autor,cuius pater agit causam. Speciosus,inquit,fuit. Non magis hoc facinus in matre est, quàm crimen in filio. Speciosus fuit. Vt hoc obijci posßit,ut debeat,adijce & adulter & raptor,illa matrona maritali dolore penè percussus in illa uirgine publica subclamatur inuidia, quanquam hæc quoque intra notos discurrunt iuuentutis excursus. Quid ais? ab incesto libidines cœperũt? hoc primũ unquã iuuenis admisit? hoc solum argumentum sumis ex forma? Dic potius re-

prehendi iuuenem mihi uenena miſcentem, in necem meam con
ſcientia ſceleris eſt armatus. Infinitum eſt quantum debeat an-
tè feciſſe filius, ut de illo inceſtum pater ſibi credat. Specioſus
fuit. Quis enim non eſt formoſus filius matri? Amant debilita-
tes, amplectuntur illum morborum ſuppliciorumq; pallorem,
& in uires charitatis accreſcit ipſa miſeratio. Nō impedit ægræ
pietatis animum deformitas, pulchritudo non auget. Amare libe
ros unus affectus eſt. Liberi marite, liberi non amantur oculis,
non complectitur mater ore, non uultu, ſed eſt in filio matri ne-
ſcio quid de homine formoſius. Poßit forſitan nouitas ſolicitare
uiſus, expugnare mentes, in matris aſpectu coaleſcit infantia,
pueritia conſurgit, iuuenta ſurrepit, ſpecioſum ſuum quotidie ui
det, miratur, amplectitur. Quæ tamdiu amauit, quando incipiet
amare deſinere? Non eſt opus nocentiſſime ſenex ad hoc nefas
charitate, ſed amentia, ſed furore. Vt in iuuene ſuo mater poßit
concupiſcere quòd formoſus eſt, oderit oportet quòd filius eſt,
& adeò ſacris affectibus non adiuuatur in facinus, ut ad illud ni
ſi per obliuionem ſui tranſire non poßit. Quid quod & incre-
dibilius eſt, quòd parem duorum poſcit inſaniam, & ad ince-
ſtum opus eſt ut adamet, & filius adametur ſolum? Ab utro de-
inde uultis incipere preces, uenire ſermonem? Audebit hoc ro-
gare filius matrem, mater hoc impetraturam ſe ſperabit à filio?
Hunc animum tuum ſenex, quo cum maxime taces (ſi non eſt
callida, non maligna ſimulatio) de fide tanti ſceleris interrogo,
an poteſt mater admittere quod loqui non poteſt pater? Spe-
cioſus fuit. Libet interrogare hoc loco omnes humani generis
affectus. Placet ergo ut ſi filio obtigerit indulgentior facies,
uultus erectior, refugiat mater amplexus? Si uirginem uſque ad
notabilem ſpeciem natura formauerit, timeat oſcula pater, hor-
reatq; contactum? Dij deæq; male perdant tam impudentes ſo
licitudines, tam nefarios metus. Propè eſt ab inceſto, timere ne
fiat. Malo ſimplicitatem, quæ non uereatur infamiam, malo nu-
dos affe-

dos affectus, inconſultamq; pietatem. Nihil de ſe fingi, nihil cre-
dat poſſe narrari. Teneat inſatiabiliter, auide, tanti fama non
eſt ut amet filium mater ſolicitudine pudicitiæ. Me quidem ma-
rite ſi quis interroget, omnes matres liberos tanquam adama-
uerint, amant. Videbis oculos nunquàm à facie uulſuq; defle-
ctere, comere caput, habitumq; componere, ſuſpirare cum re-
ceſſerit, exultare cum uenerit, conſerere manus, pendere cerui-
cibus: non oſculis, non colloquijs, non præſentiæ uoluptate ſa-
tiari. Hoc eſt ergo in tam nefanda ſuſpitione ſæuißimum, ince-
ſtum non poteſt fingi, niſi de optima matre. Execrarer meher-
cule iudices, ſi crimen iſtud clarius obieciſſet filio pater, ſi uſque
ad uerborum proceßiſſet amentiam. Nemini minus fas eſſe de-
bet credere inceſtum, quàm qui propter illud paratus eſt filium
occidere. Quid quòd non credis tantum nefande, ſed quæreris?
Ita tu non times monſtri huius agitare ſecretum? Populus lo-
quitur inceſtum, ſed tu nega. Ciuitas infamat, tanto magis oſcu-
lare unicum, & coniugem tene, pariter duos circa tuum ſtrin-
ge complexum. Prò inaudita feritas, ita patri non ſufficit non
credere inceſtum, quod non poteſt probare? Ferrem tamen ad-
huc ſuſpitiones tuas nefandißime ſenex, ſi diſſimulanter indicia
tanti ſceleris agitaſſes. Obſerua ſermones, ſecreta cuſtodi, om-
nium dierum noctiumq; momentis ſagax ſcrutator inſiſte. Quid
tibi cum abruptis? quid cum ſupremis? Inceſtum iam credas o-
portet torqueas. At tu, prò nefas, uerberibus, ignibus, & to-
ta crudelitatis arte ſcrutaris rem, de qua non deberes interroga-
re ſeruos, de qua uernilium quoque corporum patientiam pe-
tulanter excuteres. Laminas accendis, equuleos moues, & par-
ricidio ſuſpicaris inceſtū. Neſcis quod præceps, quod abruptum
tam nefandæ diligentiæ furore commoueas? Pater, qui de inceſto
filium torquet, non eſt neganti crediturus. Omnium quidem iu-
dices inceſtorum ſuſpitiones peßime ſemper à corporibus inci-
piunt, nec bene de cuiuſquam motibus illam partem hominis

interroges, quæ non animo, sed dolore respõdet. Nondum dico quem torqueas, quis inter equuleos ignesq; ponatur, cuius arguta prius indicia præcedant, nouissimũ debet esse, quicquid torquet & punit. Fidem hominum deorumq;, ne grauitatem putetis à nouissimis ultimisq; cœpisse. Non habet probationem facinus, de qua pater nõ potest alium torquere quàm filium. Video qua possis ratione defendi, si omnia antè fecisti, ut incestũ aliter crueres. Quid ais? Interrogasti seruulos, nõ potuit conscius inueniri? Exquisisti ancillas, non apparuit ministra flagitij. Non obscœna literarũ commercia, nõ fatentis deprehendisti nefandæ blanditias? Nihil inuenis maritus, dominus, pater? Nunc & dic scisse rumorem, sed ut torqueas, ducatur tamen quæstio per coniugis ministeria, per filij seruulos, in illa potius uilitate desæuiat. Prius est ut repudietur uxor, ut diuortio fiat in domo grande secretum. Excedit omnem immanitatem, filium ideo torquere ut sciat an innocens torqueatur. Vnicum pater ignibus uerberibusq; interrogas, rogo quid facturus si pernegauerit? Videlicet ut laudes, deinde dimittas: ut amplectaris perusta uitalia, & laceri pectoris uulnera pietati rursus admoueas. Solus supereſt pudor homini, qui torsit unicũ, ut torquere debuerit. Faciat te necesse est res ista pessimum patrem, & oderis oportet filiũ, cui satisfacere, nõ possis. Iamiam malo uenena, ferrũ, subitos ictus, improuisamq; mortem. Incestum qui non credit, torquere non debet: qui credit, statim debet occidere. Quòd si tormenta etiã filij placẽt, si præstanda est satisfactio tam nefandi rumoris, exigo ne perdas quæstionem, in media ciuitate, in ipsa cõstitue fama, aduoca illos malignos, illos loquaces, & seculi rẽ exquire audiẽte populo. Coram omnibus torqueri debet, de quo loquuntur omnes. Interroget quisq; quod uolet, suis credet oculis. Cur in abditam semotamq; partem iuuenis abducitur? Secretum quæstionis nec incesto filio debetur, nec innocẽti. Dabo adhuc inter secretum publicationemq; temperamentum. Aduoca propinquos, adhibe

adhibe amicos, circumpone iuueni serios senes, intersint magistratus, assistant quibus habere possit ciuitas fidem. Præstare debes aut tibi ut probare possis, si confessus fuerit: aut filio, si pernegauerit. At tu nefande, crudelis tollis quæstionis alteram partem, efficis ne possit amplius innocens esse qui tortus est. Quid agunt contra populum tormenta secreta? Prædico, testor, iterum dantur malignis alimenta sermonibus, & à quæstione seposita in maius reditur incestum. Coram omnibus torquere debet filium pater, & qui uult absoluere, & qui est paratus occidere. Non uultis iudices ad facinus indignissimæ quæstionis accedat, & quòd ipse torsit filium pater? Adeo´ne non potuit libertis aut seruulis necessitas ista mandari, non carnifex potius adhiberi? Pater in tormentis filij non auersos tenuit oculos, ipse uestes scidit, uelamenta lacerauit, manibus flagella concussit, renouauit ignes, & mori filium contentione non siuit, diduxit os, quod iam suprema claudebant, fouit animum ut longis cruciatibus patientia sufficeret. O` dignum patrem, cui dicat innocens filius, feci. Non mehercule improbe mihi proclamaturus hoc loco uideor, hominem qui torquetur in matrem, debere coram matre torqueri. Cur excluditur infelix à sua causa, à sua quæstione? Adhibe speciosis cruciatibus hanc nimis amantẽ: huius gemitus excipe, huius suspiria oculosq; custodi: si quod facinus admissum est torquebit quidem filium, sed fatebitur mater. Irrumpere me tum maxime puta in illud tuum parricida secretum, injcio properanti quæstioni manum, inhibe ictus, subtrahe paulisper ignes, quicquid est quod eruisti, profer in medium, memento te fecisse de filio propter quod tibi non debeat credi. Quid spiritum dolore præcipitas? Quid miseræ interualla patientiæ pertinaci crudelitate continuas, si frustra tibi sufficere credis quod audieris nunciare, proferre? Incestum ut credatur ipse debet audiri. Mirabar & ego iudices si tam nefanda quæstio alium exitum potuisset habere, quàm mortem. Hic est parricidij pudor,

sic desinunt quæ incipere non debent. Facinus quæstionis operis scelere maiore, exire tibi uideris per orbitatem. Scimus unde uenerit ista contentio, nihil extorsit sæuitia misero. Vincit torquentem qui occiditur. Iamiam non miror, quòd post ista non habes uocem, uerba nõ inuenis. Vnicum sine teste lacerasti, unicum occidisti, soli tibi deinde notum uis uideri celare facinus, & in parricidio quæris aliunde tristitiam. Præpostera res est filiũ occidere, deinde erubescere. Fas non est non esse notum, propter quod se parricida putat innocentem. Eligas utrum uoles, aut tormenta damnes necesse est, aut silentium. Quod non debet indicari, quæri non debet. Possis uideri fortasis crudelissime senex silentium filio præstare, si uiueret. Consumpta est paterni nominis religio, omnis pietatis sublata reuerentia. Si hoc ille meruit, parum in quæstione, parum ultionis in morte est. Vindicare uis confessionem? induc cadauer, & super illa uulnera omnes pone causas. Non est eiusdem fateri cur torseris, & tacere cur occideris. Quid ais sæuissime parricida? Filium consumpsisti per flagella, per laminas. Potes agere, uiscera de tuis concepta uitalibus, sanguinem qui de tua fluxit anima, non insania, non furore, sed (quantum uis uideri) consilio, grauitate lacerasti. Potes tacere, super uulnera unici, super exutos artus metuendus assistis, & causas quærente matre, quærente populo, hoc solũ dicis, occidi, contenta esse debet incerto. Interrogari nunc te marite credis à matre sola? causa mortis illius reposcit solicitudo generis humani. Stant circa liberos attoniti parentes, horret inuicem se charitas fraterna complecti, rupta est illa osculorum inter soceros generosq; simplicitas. Quousq; nos cũ silentij tui interpretatione committis? Si nihil factum est quod debeat erubescere temporũ pudor, quid sibi uolunt uerba media, suspensa? Si nefas prodigiosis simile fabulis deprehẽdisti, miserere, ne sis una morte contentus. Incestam grauius odisse debes, quòd & uenit in forum, quòd audaciam innocentis imitatur, & tacenti uidetur irasci.

Cum

Cum filium propter rumorem torseris, propter tormenta occideris, non est media res, ut neutrum sciamus. Mater quidem iudices innocentissima hoc cõplorat, hoc ferre non potest, quòd nihil parricida respondet. Sed nobis uidetur iamiamq; esse dicturus. Non fallit nos nefande quid captes, hoc quòd supra silentium trabis alta suspiria, quòd prorumpenti uideris exclamatione deficere, mendacio paratur autoritas, & in fidem erupturæ uocis affertur, ut fateri uidearis inuitus. Dic tamen, par est huic rei matris integritas ut mentiaris. O quanto nunc dolore torqueris, quòd instantem non potes aliqua truci proclamatione discutere. Non uerba tibi contra miseram, sed argumẽta desunt: non uoce, sed probatione deficeris. Quod solum datur, relinquis infamiæ, & nos cum perpetua sermonum malignitate commutatis. Qui interrogantem nec damnat nec absoluit, rumore contẽtus est. Modestiam mariti pariter & patris accipite. De mulierе quæ cõuinci nõ potest, sufficere sibi putat ut incesta credatur. Quis unquã tam nefandas artes, tam cruentũ deprehendit ingenium? quia nõ potest probare quod dixerit, captat ut credatur quod non dixit. Dissimulas, taces, sæue, crudelis? inuenisti tormẽta patris. Audi quid misera simplicissimo dolore proclamet. Non efficies, inquit, callidissime parricidarũ, ut nõ audeã cadauer amplecti. Ego uero incesta sum si possum moderari gemitus, cõprimere lachrymas. Coite in funus omnes liberi, omnes parẽtes, custodite plãctus meos, obseruate suspiria, si qd feci, si quid admisi, fatebor. Ecce supra lectulũ effusa feralẽ, laceros artus & perustum complexa corpus exclamo, teneo unicũ meum, uelit nolit inuidia meũ misera formosum. Hoc erat quod infelicissimam matrem ultra solitæ charitatis exagitabat affectus, amabam maritе periturum. Infames quantumlibet hanc impatientiam, ego mihi uideor defuisse, cessasse, multum de lætitia, multum perdidisse de gaudijs. Nemo unquam filium nimis amauit. Excuso tibi, inquit, iuuenis innocentissime quòd supremis tuis nondum

præstiti

præstiti misera comitatum. Viuere quidem te defuncto continuò nõ debui, sed mori marito tacente non potui. Rumpam tædium lucis inuisæ, sed prius licuerit coram ciuitate manibus tuis iusta persoluere, cum damnato supra callidissimum silentium parricida, nihil te dixisse constiterit. Ignosce quòd ad iudicium istud orbata duraui. Timui ne si ad exitũ impatientia, si præcipiti pietate properassem, faceret alium parricida de mea morte rumorẽ.

INFAMIS IN MATREM. II.

Ex superiore argumento, Declamatio.

Pro uiro contra uxorem. 19

DEBEBATVR quidem tristissimæ orbitatis misero pudori, ut iam taceremus omnes, & post tam prodigiosas rerũ sermonumq; nouitates, oportuerat hoc esse nouissimum de malis infelicissimæ domus, quòd occidi filium pater. Sed quoniam mulier immodici semper affectus, supra cuncta quæ uel passus sum paulò antè, uel feci, reatus quoq; me dolore concussit, ueni petiturus à uobis ne me scientem silentiũ contentioni præstare credatis. Non quia occidi filium taceo, sed occisus est ut tacerem. Vtinam iudices negare possem quòd occidi, utinam totum miseræ necessitatis ordinem fas esset intrare, & oris huius premere secretum. Miratur hanc aliquis patientiam meam? Ardor ille qui me modo impegit in filium, ipsa sui immanitate cõsumptus est: Quicquid erumpere posset in proclamationẽ, parricidio peractũ est, in orbitate conticuit. Non habeo affectum, nisi quo cuncta tantum patiar, audiam, feram. Vtrunq; de filio fieri nõ potest, ut & occiderim, & fatear cur meruerit occidi. Quapropter iudices satis admirari, satis stupere non possum, quòd mulier cuius præter optimam sanè conscientiam, sexus quoq; maiorem malis nostris pudorem præstare debebat, tacere nõ potest silentium meum. Nouo quinimo fabulosoq; secum impatientiæ genere dissentit. Quæritur de populo quòd loquatur, de patre quòd taceat. Nec contenta confes

confessione mariti, nihil se dissimulare, nihil scire reatus autoritate testantis, mauult de silentio meo facere secretum orbitatis. Istud amentia sit an innocẽtia, perditus dolor uiderit. Ipsius animus potest scire quid filius meus dixerit, quæ me putat habere quod dicam. Fidem igitur uestram iudices, ne uos orbitatis misere ratione confundat sola mater, ne´ue maximæ calamitatis ibi tantum putetis resedisse sensum, unde uos lachrymæ gemitusq; conueniunt. Mei magis debetis in uxoris comparatione misereri, qui filium & perdidi, & occidi. Ego sum infelicior ex parentibus duobus, qui quicquid Iudices ista complorat, & patior, & feci. Felicem ignorantiæ conscientiam matris, qua sufficit interrogare. Maior me impatientia, maior urit affectus, cur filium occiderim indicare non possum, nec pœnitet quòd occidi. Infelix senectus, misera patiẽtia, sic quoq; quàm multa dicenda sunt? Fuimus quondam, iudices, fuimus felicissimi parẽtes, cum adhuc rudis unici nobis blãditetur infantia, durauitq; domus tota prosperitas, quandiu pariter fruebamur, pariter dileximus, quandiu ciuitas de nobis hoc solum poterat loqui, filium nos habere formosum. Vt uero in eam adoleuit ætatem in qua corporalibus bonis iuuentus insolenter exultat, superbus atq; arrogans, in nullũ uitæ genus, non in priuatos, non in publicos actus florentem duxit ætatem. Dij immortales quantus qualisq; circa iuuenem rumor ingemuit? omnium maledictis succlamatus, omnium denunciatione damnatus est, donec & ipse consensum circa se publici doloris agnosceret. Inde rarus in publico, & tanquam patris occursus, tanquam ciuitatis ora uitaret. Non est leue concipere uerbis, in quantam ciuitatis execrationem, in quantam culpam iuuenis inciderit. Dictus est occidere posse patrem, dictus est dignus, quem posset etiam pater occidere. Quid facerem iudices infelicissimus senex? iamiam non euitabat fama nec patrem, iam meis auribus nemo parcebat. Interrogare non audebam, dissimulare non poteram. Fallitur quisquis me putat quicquam feciſſe consilio

filio: impetus, ac temporis ipsius nescio quis ardor explicuit. Præparari filio tormenta non poßunt. Est in miseris penatibus pars remota, sepoßita, profunda tenebris, tristis acceßu, omnibus apta flagitijs, & in qua audeat facere facinus & pater. Illò fateor dum me uariæ cogitationes per totius domus spatia circũagunt, quantum intelligere licuit improuiſus adueni. Et ille quidem ad conſpectum meum tanquam deprehenſus obſtupuit, refugitq; trepidus, puto ne quæ rerem cauſam. Irrumpo feſtinanter, auide, ſine liberto, ſine ſeruulo, ſicut me deprehenderat temporis illius fatum, manibus, ictibus, & quæcunq; ex obuijs dolor in telorum tranſtulerat uſus, ultra uires ſenectutis aggreßus, ignes ex proximo raptos, uerbera quæ caſus obtulerat, non diuiſo dolore, non per partes, non per interualla ſuſpenſo, ſed ſemel, ſed pariter inuado. Pars ſecreti fuit, ut ipſe torquerem. Dij immortales, quæ contumacia, quæ fuit illa patientia, cum domi torqueretur à patre, non inuocare matrem? Non repugnauit iuuenis, non oppoſuit manus, nullum implorauit auxilium. Merſis tantum deiectisq; luminibus tanquam unquam flagella ſuſtinuiſſet, tanquam meis torqueretur oculis, omnes ictus excepit in faciem, uerberibus, ignibus laudatos uultus uelut illis iraſcerentur, oppoſuit. Reddo teſtimonium nouißimum pudori, cum iam mori uellet, occiſus eſt. Laudo iudices patientiam matris, cum & ipſa ſemper plurimum eſſet domi, & ab illo ſecreto fortaſſe non longe, interuenire noluit, interpellare non auſa eſt. Sed & manibus meis gratulor, quòd non propinquus aliquis, non amicus irrupit, occidiſſem quiſquis me tunc auſus fuiſſet interrogare pro filio. Sepeliui tamen lacera membra, funus indulſi, oſſa collegi. Non iniecit uxor lectulo manũ, non inter exequias planctibus eliſisq; uberibus mihi fecit inuidiam. Vnde in hanc impatientiam prorupit, exiluit? domi me nihil interrogauit. Poßum iam mater infelix coram liberis ac parentibus, poßum audientibus dijs hominibusq; clamare, & ego amaui filium meum non oſculis,

oſculis, non infirmitate, non lachrymis, ſed uiribus, dolore, patientia. Vnicum quem ſi acie clauſiſſet hoſtis, uicaria morte ſeruaſſem, ſi ſubitum cinxiſſet incendium, extuliſſem relicta meorum parte membrorum, eripui malignitati, abſtuli famæ. Habeo quod imputem tibi naturæ pietas. Rem difficilimam feci, quòd non me potius occidi. Malæ tractationis accuſat. Adeo ne uxor tibi parum uideor dediſſe pœnarum, poſt periculum & labores ne lucrifaciat pater, quòd occidit filium ſuum? Non pudet ergo ſi iraſceris parricidæ? Quid tibi cum lege quam uos propter minores accepiſtis affectus? Querelas habet iſta non gemitus, & matre ſepoſita ſolam complorat uxorem. Rurſus ad populum uocas miſerum pudorem? materiam noui rumoris accendis? Perdidi ergo rationem ſecreti mei. Sic omnia feceram, ne quid aut quæri poſſet, aut dici. Iam uero quid impudentius, quid indignius quam cum ſibi de liberis credunt licere tantundem, & æquum ius patris ac matris eſſe contendunt, quaſi neſciant nobis arbitrium uitæ necisq; commißum? Non eſt priuilegium, filium occidere cum fieri poteſt, nec quiſquam tantum ideo fecit, quia liceret. Viſcera unici lacerare ſuffeci. Ignoſce, ſi non potes mihi credere, nemo filium ſuum occidit odio, non erit tanti iuuenis inuiſus. Illud eſt in patribus uſque ad parricidium terribile, quòd amant, quòd ſuccurrunt, quòd ſibi uidentur aliter non poſſe miſereri. Non eſt quòd uos ab exiſtimatione malorum meorum mollior ſexus abducat. Maioris affectus eſt filium occidere, quàm uindicare. Deſine igitur me mulier fatigare interrogationibus tuis. Ita tibi non uidetur omnia reſpondere pro filio, qui dicit, occidi? Et licet comprimantur exclamationes, ora claudantur, nihil negat, qui hoc fatetur. Atqui ſummorum facinorum ipſa immanitas innocentia eſt. Filium pater non demens, non inſanus occidi. Hominem extra ſenſus affectusq; poſitum quiſquis nunc miſeratur, occidit. Vides ſenem ſanguine ſuo fluentem, laceratis exuſtisq; illis ſanctioribus

chario

charioribusq; uiſceribus ſuper exanimis unici corpus cruentis manibus iacentem? Horreo cadauer, & uelut corpora quæ cœleſtis exanimauit ignis, adire propius timeo. Ad quædã facinora ſufficit claudere oculos, uultus auertere, tacere, mirari, & increbiles calamitates relinquere ſuis cauſis. Miſerere, ne quid amplius quæras, ne quid interroges. Dicturum me putas, parce ſeculo, parce marito, parce patri? Tu uero parce illi qui occiſus eſt. Nouum iudices uxoris in maritum crimen audite. Silentium eſt de quo queritur. Solebat indignatio uestra conuicia noſtra ferre non poſſe, & matronalis indignatio dicere uidebatur, non parcis erga me marite uerbis, nullam habet noſtri tuus ſermo reuerentiam, facilè prorumpis in opprobria, facilè quod libet obijcis, exclamas, & dum nimium libertati uocis indulges, poteſt populus aliquem de me facere rumorem. Tu mulier obijcis mihi rem quæ nulli unquam crimini fuit, ſola in noſtris moribus innocentiam uoce reprehenſam tuetur taciturnitas. Vide cur manus, cur uerba peccare uideantur. Illis infamamus, his torquemus, occidimus. Vis ſcire quàm non poſſis queri de ſilentio meo? Feliciſſima fueras ſi idem feciſſemus omnes. Finge me pauliſper ſepoſitis ſilentij cauſis, hoc tantum reſpondere, non prodo ſecretũ. Ex omnibus iudices, quibus humana pectora ſerijs grauibusq; complectuntur affectibus, nullam difficiliorem quàm ſilentij credo uirtutem, adeoq; promptiſſimo ſermone facilè deliquimus, ut conſtantiam tacendi neq; in alijs ferre poſſimus. Crimen hoc in me mulier uocat, quod in priſcis illis morum mentiumq; rectoribus fuit prima ſapientia, quòd quoſdã totius uitæ pertuliſſe patientiã magis illa miſera miratur antiquitas, quàm quòd temporum uices, ſiderum curſus, & profunda naturæ uelut conſcia ratione ſanxerunt. Quæ per fidem impotentia eſt effringere rigens ſacra diſſimulatione pectus, euoluere animum, quem ſuper ſua ſecreta compoſitum non lætitia, non dolor, non neceſſitas, nõ fortuna laxauerint? Quiſquis de tacente queritur, multo

Valla ſic illa ad poſteri⁹, hęc ad prius dicta refert.

multo minus ferre poterit loquentem. Nec adeò coniugali ſocietate cuncta miſcentur, ut nihil ſibi aduerſus hanc concordiam proprium relinquat animus. Eſt aliquis etiã à ſanguine ſuo ſecretus affectus, genusq; reuerentiæ, ut tacenda minime uelis ſcire chariſſimos: quædam non poſſis uerberibus, equuleis eruere, & pleroſq; uideas fortiter ſuper ſua ſecreta morientes. Agedum (ſi uidetur) utrunq; ſexum, omnem conditionem, omnem ſcrutemur ætatem, nullum ſine conſcientia pectus, nulla uita ſine cauſis tacẽdi. Si te interrogaret omnia maritus, haberes aliquid, & tu quod non fatereris. Et quanto ſilentium grauius eſt in ſene, uerecundius in marito, ſanctius in patre? Pudeat nos mulier infirmitatis. Vicit nos modo iuuenis ille conſtantia, mori uoluit ut taceremus. Vides mulier quibus *interpretationibus præſtes tuũ dolorem? Diceris ideo me interrogare, quia ſcis omnia me potius pati malle, quàm loqui. Quis enim in hac ciuitate nõ nouit taciturnitatis meæ rigorem? Quis ignorat qua cũcta ſoleam ferre patientia? Ne occiſurus quidem ſuſpiria genitusq; præmiſi. Nihil feci unde erupturum quandoq; in orbitatem patris animũ aut tu præſcio timore ſentires, aut ipſe periturus. Hanc nũc me iactare cõſcientiam putas, quòd nihil in publico, nihil in ullo mihi permiſi proclamare conuentu? Ego uero nõ ſum queſtus de iuuene nec tibi, nec captaui ut illum mecum, & mater odiſſet. Fruſtra te putas extorquere accuſatione poſſe, quod mihi non ipſæ calamitates, nõ dolor, nõ meditatio orbitatis expreſſit. Vras licet, durabo, perferã, paſſus ſum iam quod erat difficilius, occidi. Torſit, inquit, filium meum. Breuiter iudices ratio reddatur, infamẽ? Quid refert an innocẽtem, ſi illud omnibus liquet? Iuuenem cunctis pignoribus inuiſum, omnibus affectibus grauẽ mali gni fecere ſermones. Quid agimus animi? quẽadmodum effugimus, euadimus? In tanta infamia nihil facere, credentis eſt. Vis me circumire ſingulos, reclamare populo, cum rumore rixari? Tuæ fortaſſis infirmitati conueniat negare, me tantum fortior

*imprecationibus.

assertio unici decet. Eripiendus est non contentione uerborum, sed ut ciuitas stupeat, ut erubescat. Torquere me filium putas? Inuidiam facio populo. Videor mihi illis uerberibus lacerare fa mam, illis ignibus increpare rumorem. Quæstio de infami filio unam rationem habet, ut probes innocentem. Dij mala prohibeant, ut noueris illum dolorem, quo potest torquere filium pater. Nihil est infelicius homine, cui de unico suo mors sola nõ suf ficit. Iuuenem in cuius animo perdiderant nomina nostra respe ctum, quem quotidie necesse habebamus excusare rumori, qui inter nos formosum malebat agere quàm filiũ, uerberibus igni busq; consumpsi. Vis, uis scire quanta tormentorum ratio fue rit? Debuit etiam tortus occidi. Si tamen utiq; mater uis scire causas, leniter audi. Prospiciebam miser in grande quandoq; fa cinus prorupturum, quòd ocio uitam, quòd desidẽ domi perde bat ætatem. Non peregrinationibus excolere mentem, non expe riri militiam, non tentare maria, non rura colere, non adminis strare rempublicam, non ducere uolebat uxorem. Præterea tra xerat ex frequentibus castigationibus tædium patris, & in exe crationem mei, conscientia qua nõ emendabatur, exarserat. Ti mebat occursus, non audebat adire: colloquia, oscula, cõuictusq; fugiebat. Breuiter perditissimæ mentis definienda mensura est. Oderat me filius & timebat. Filiũ igitur totius ciuitatis existi matione dãnatum, quẽ adhuc uiuere mirabantur homines, torsis se me putas? Ego uero occidi tarde diu. Quæstionẽ illud uocas? Pœna, supplicium, & malorum meorum exitus fuit. Nulla ra tio est interrogãdi hominem, cui non est fas nisi negare. Quan ta tamen mihi fuit & in quæstione moderatio? Non enim præci piti raptus impulsu exilui repente, subito, nec captus dolore cæ co impatientiæ meæ uelox uulnus induxi. Non potest nõ ratio ne occidi filius, cum antè torquetur. Dedi moras, spatium, tem pus indulsi. Vides quãtam hic malignitatibus potuerim præsta re materiã? si in illo secreto, gladio tantũ, si uulneribus egissem,

exitum

exitum fecerat iuuenis deprehensi. Non est igitur mulier quòd mihi facias duplicatæ quæstionis inuidiam, id est, quòd torsi, & occidi. Sola est huius necessitatis ratio de morte. Illud est parri cidium, filium torquere uicturum. Putas iuuenem uiuere potuis se, cui iam non poterat nisi morte succurri? Quem contra malignos sermones asserere cœperam, non reddidi rursus infamiæ, neq; in oculos, & ora uulgi de secreto patris emisi, prouidentia mea tibi quoq; mater, ne in hunc interrogetur, eripui. Ille uero non fuit post tormenta laturus uitæ pudorem, ut interrogaretur à singulis, ut negaret. Verum mulier affectibus tuis renuncian dum est, ad totius domus nostræ pertinere innocentiam credidi, ne se ipse potius occideret. Sentit iudices mulier ad ius querelæ suæ nec quòd torserim, nec quòd occiderim pertinere. Ita quæ rit quid mihi dixerit ille, de quo nescit an dixerit. Quid ais ma ter impatiens? ita in morte filij tui nihil aliud ad te pertinet quàm quid locutus sit? Ita si respondero remittis parricidiũ, tor menta non obijcis? O inconsultam muliebrem semper amẽtiam, quid iuuenis in tormentis dixerit, tanquam ignoret interrogat, nihil me comperisse non credit, tanquam sciat quid dixerit. Fi dem communis sanguinis, fidem communium malorũ, neq; parri cidij me uelis agitare secretum, ne calamitatibus nostris grauẽ facias innocentiam tuam. Viderit quid meruerit iuuenis ille, ego iam possum suprema reuereri, & post exitum unici reuertor in patrem. Maior defunctis liberis præstanda reuerentia est, nec quicquam minus conuenit affectibus patris, quàm si insultare ui deatur occiso. In gratiam me cum filio reduxit orbitas, iram no stram mors seuera composuit. Quinimò recogitanti mihi totum secreti illius ordinem, subit tacita miseratio, quantam ego de beam reuerentiam filio, quem potui torquere solus, quem potui solus occidere. Perseueras, cogis, instas? Inuicem te mulier interrogo, cur si tantopere uolebas scire quid inter rogarem, quid ille loqueretur, non irruperis in quæstionem,

quam nullis ministris nullis custodibus uallauerat pater? Quanto melius mater ipsum adisses, quãto fortius interrogasses una, quãto tibi plura dixisset? Quis te mulier affectus abegit, tenuit, exclusit? Agnosco uerecundiam tuam, timuisti credo, ne si in illo secreto fuissemus omnes, occidisse filium diceretur & mater. Instas tamen, & miseri senis ora diducis. Puta me hoc solum dicere, ex maximi facinoris cunctatione ueniens quid audierim nondum scio, totus adhuc sum in parricidio meo, & post mortẽ unici omnia quibus laceratus, occisus est, in animum meum tormenta redierũt. Est quidem difficile ut aliquem pati pudorẽ parricida uideatur, uerũtamen stupore, amentia, & silentio in orbitate defeci. Ablata est mihi omnium uerborũ fides, omnis sermonis autoritas, nec habet causam loquendi cui non potest credi. Desine mulier interrogare: Filium quem occidit pater, nec absoluere nec accusare iam debet. Quid, inquit, dixit cum occideres? Miseram parricidij innocentiam, quòd hoc me non potestas, non magistratus, non propinquus aliquis, non amicus, non ille semper loquax populus ac malignus interrogat. Quiescitis, tacetis. Me infelicem, nunquid scitis omnes? Puta me mulier hoc tibi respondere, non habent incredibilia uocem. Quædam maiora sunt, quàm ut illa capiat modus sermonis humani. Tu uero crede nihil aliud fuisse quàm furorem, insanisse me puta, uidebã quæ non fiebant, audiebam quæ nemo dicebat. Hoc solum non insanientis habui, quòd tacebam. Finge me respondere, nihil dixit, nihil locutus est, non credis? Atqui multo minus creditura quid dixerit. Accipe mulier breuẽ ueramq; rationẽ, cur in quæstione iuuenis occisus est. Torquebam, nec interrogabam, si qua ad aures tuas ab illa quamuis remota domus parte perlata uox est, meus gemitus fuit, meorum uiscerum dolor. Quæris cur nihil dixerit? quia non habuit quod scire uellem, quod audire deberem. Nihil aliud quæstio illa captauit quàm silentium, quod præstare uita non poterat. Quisquis in tormẽtis occiditur, ideo tortus

tortus est ut occideretur. An tu quæstionem illam fuisse credis, qualis uernilibus corporibus adhibetur? ideo enim equuleos mouebam artifex senex, tenebam fidiculas ratione sæuitiæ, ut leuiter sedibus suis remota compago per singulos artus membra laxaret. Consumptus est spiritus silentio sui, & uerbera ignesq; animum pariter uocemq; cluserunt. Videbatur mihi premere gemitus, tenere suspiria: & sic nihil dixit, tanquam torqueretur ab homine qui sciret. Miraris hanc in filio contumaciam, in iuuene patientiam? patri torquenti non potest aliter responderi quàm ut mori malit quàm confiteri. Quod sufficit igitur interrogantibus respondeo, mulier occidi. Fallitur quisquis expectat ut obijciamus illa communia: ego uero proclamo, non luxuriosum, non amore meretricis infamem, nihil ille delinquebat quomodo liberi solent, monstrum erat inenarrabile, quod nollem deprehendere, quod ferre non possem. Miratur aliquis quòd nõ abdicauerim, nec notissima ultione patrum fuerim tantam expulisse contentus? Tuus mulier nefarius, tuus inconsultus nõ permisit affectus. Filium cui contra seueritatem meam ignoscebas, quem mecum odisse non poteras, secuta seisses abdicatum. Finge iuuenem dixisse nescio quid, ego audire nihil potui, nõ enim potestatis alicuius more consederam, nec torquentibus alijs agebam iudicem patrem. Ego tunc cuncta & passus sum pariter, & feci. Non uacabat aures præstare uerbis, excipere gemitus, existimare singultus: auocauit me contentio, dolor, orbitas, parricidiũ: omnia facta sunt festinatione præcipiti. Idem patris affectus est torquere ut scias, occidere ut nescias. In meam, inquit, infamiam taces. Ita nunc primũ laboras misera de fama, & post unici mortem pertinere ad te cœpit quid loquantur homines? Scilicet filius impensus est ut erubesceres, ut male audires? Adeò ne hoc captanti non erat satis rem totam cõmisisse rumori? Ego uero me famæ tuæ mulier opposui, & inter matrem filiumq; medius parricidium feci, unicũ occidi, ne quid aliud loquerẽtur

homines. Alioqui si hoc capto quod putas, quousque taceo? in quod tempus differo illã quam me putas premere uocẽ? ecce reatus iudiciũ pronuncio, ego tamen scire me nego. Egregiã rationem malignitatis, locuturus aduersus uxorem: feci ne mihi credere tur. Fateor igitur, nihil ad certum indubitatumq; perduxi, hoc est quinimò propter quod ad mortem usq; contendi. Non explicant tormẽta quæstionem, quæ occidunt. Quid, inquit, dixit? Felicem te misera, si nescis quid dixit. Ita non es contenta conscientia tua, non sufficit quod non habuit ille quod negaret, quod fateretur? Poscis uerba quæstionis, cogis, extorques. Testor, tu facis ne possis negare quod dixero. Quid dixit? parasse se parentibus uenenũ? negas. Proditionis agitasse sermones? negas. Tyrannidis iniisse consilium? negas. Et quicquid dixero negabis. O bonæ conscientiæ incauta simplicitas. Ita nõ times ne coactus loqui multa fingam, multa componam? Si potes scire mulier an mentiar, scis quid dixerit. Quid dixit? nihil. Quid dixit? omnia. Maledixit seculo, fecit tẽporibus inuidiã, detestatus est patrem, conuiciatus est matri. Quid dixit? plus quàm interrogabam. Vicisti mulier obstinationem meã. Audi breue succinctumq; responsum quid dixerit: quod quæris, quod putas. O si quis in illam uos secreti nostri potuisset adhibere præsentiam, uidissetis nouum genus quæstionis, stabam senex furijs mõstrosæ feritatis accinctus, manibus exertis, hinc ignibus, hinc uerberibus armatus: super ora, super oculos iacentis assistens clamabam, furiose, demens tace. Et ille uelut exustis amputatisq; per quæ dolor exit in uerba, fuit attonitus amens. Quoties admotis ignibus ad aliquam corporis partem, totũ pectus imposuit, quoties hiatu oris auide flammas aduersus exeuntia uerba collegit? Cum uero iam totus calor uerberibus expulsus ignibus nouissimi doloris erumperet, pertractis ab ima pectoris parte suspirijs breuissime collecti spiritus, ille quo redditur anima singultus, fuit similis exclamaturo nescio quid, quod & tu fortassis audires. Occupaui fateor, & aduocatis

aduocatis quas iam consumpseram uiribus, manibus, telis, totoq; corpore pariter adnixus antequàm mentiretur, occidi. Misera temporis illius recordatio, deficientem in manibus meis filium uidi, aspexi ora pallentia, frigidos halitus, interrupta suspiria, & animam magno silentio exeuntem, non tamen tormenta laxaui, nõ subtraxi, restinxiq; flammas. Miserere mulier, ne quæras amplius uocẽ huius affectus, filiũ qui moriebatur occidi. Non perdidi tamen, non perdidi unici mortem, fortunam nõ perdidi, iam me non interrogat nisi sola mater. Consiste agedũ mulier loco meo, & in habitum paterni furoris accincta admoue equuleos, flagella, laminas, prædico, testor, aliter non possum loqui, aliter mihi nõ potest credi. Quanquàm miserrime iuuenis (fas est enim iam tuos alloqui manes) exprimere mihi uocem nullus poterit dolor, quantum uolet laceret, uel occidat, uincere me tormenta docuisti. Si tamen fas est cogitationis memoria tractare uerba miseræ quæstionis, cur me coram populo magis interrogas? Eamus uxor in illam desolatam domũ, in illud iam patris filijq; secretũ, ibi me interroga, ubi torsi, ubi occidi, ubi adhuc forsitan filij tui uaga per mœstos penates anima discurrit. Porrigat aliquis imaginẽ iuuenis occisi, ponat in sinu matris illas uestes, quibus ipsa iuuenem misera comebat. Eamus ad tumulum, misceamus supra busta lachrymas. Ibi aut tacebimus pariter, aut inuicem confitebimur. Iamiam miser mori possum, explicuit te solicitudo, pietas. Non scribo tabulas, testamento supremo uerba nõ credo, & ego moriar in tormentis meis. Illud tantum nouissimis precibus à te ciuitas, per liberos, per coniuges, per natos, à te uxor, per occisi iuuenis umbram peto, à te mater, ne quid amplius quæras, tu infamiam ne dicas.

M. FABII QVINTILIANI
DECLAMATIONVM
FINIS.

R IIe
547